

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

Biblioteca Complutense
Ildefonsina.
27
E. 57 C. 11 N. 2

26-1-2

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

PROVINCIÆ SICULÆ SOCIETATIS JESU ORTUS, ET RES GESTÆ

Ab Anno 1612 ad Annum 1672.

AUCTORE

P. EMMANUELE AGUILERA
Ejusdem Societatis Presbytero.

PARS SECUNDA.



De la Librería Grande de Alcalá

Dono Patris Casani anno de 1745

PANORMI M. DCC. XL.
Ex Typographia Angeli Felicella.

SUPERIORUM PERMISSU.



Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM.

CAP. I. *Bernardini Piccini, Caroli, & Vincentii Regiorum, Barnabæ Vechiæ, & aliorum mors. P. Pompilius Lambertengus Provinciam cum potestate lustrat. P. Carolus Mastrillus Provinciæ præest. Decimus octavus, & Decimus nonus Provinciæ Conventus. Aliique domestici eventus usque ad annum* 1615. Folio 1.

CAP. II. *Duo Mulierum Cœnobia Platea excitata. Thomæ Stillintonii, Bartholomæi Valditari, P. Joannis Baptistæ Carminatæ, aliorumque mors. Collegii Narensis, item Ennensis, & Thermitani ad Aquas Himerenses Ortus. P. Pompilius Lambertengus Provinciæ præficitur, deinde P. Hieronymus Tagliavia, aliaque res gestæ ad annum* 1620. Fol. 54.

CAP. III. IV. *Convocatur vigesimus secundus Provinciæ Conventus. P. Hieronymus de Alexandro Provinciæ magistratum adit. Sacri honores BB. Ignatio, & Xaverio inter Sanctos relatis habiti. Pestilentia Provinciam invadit. In morientium obsequiis desiderantur Nostrorum quamplurimi. S. Rosaliæ exuviæ reperiuntur, & Nostrorum operà ei Virgini assignantur: item Quisquinæ antrum. P. Hieronymi de Angelis, P. Gasparis Paraninfi, P. Cæsaris Cossi, P. Caroli Romani, aliorumque Virorum illustrium exitus. Vigesimus tertius Provinciæ Conventus, cum iis, qui incidunt, eventibus usque ad annum* 1625. Fol. 126.

CAP. V. *Provinciam in duas scindi jubet Vitellescus. P. Decium Striverium præmittit, qui Provinciam cum potestate lustret, & utriusque Provinciæ fines statuat. Novi in utraque Magistratus. Pestilentia Panormi recrudescit, & plerosque nostrorum in officio caritatis perimit. Jacobi Dominici, Simonis Buccerii, Josephi Scammacæ, aliorumque fatum, & res gestæ. Conventus Provinciales utriusque Provinciæ. Trium Sanctorum Martyrum Japonensium sacri honores. Novi iterum utriusque Provinciæ magistratus, aliique eventus usque ad annum* 1630. Fol. 200.

CAP. VI. *P. Franciſcus Piccolomineus, & P. Joannes Paulus Oliva ejus Socius utramque Provinciam cum poteſtate luſtrant. Collegiorum Siclenſis, Bidinenſis, S. Franciſci Xaverii Panormitani, & S. Franciſci Xaverii Mamertini ortus. Provincia iterum in unam coaleſcunt, cui praeſt P. Pompilius Lambertengus, & in ea moritur. Quemadmodum, & P. Antonius Aragona Moncada, Jordanus Caſcinus, aliique cum praecipuis eventibus uſque ad annum 1635.* Fol. 263.

CAP. VII. *P. Nicolaus Berſetius Provincia magiſtratu inſignitur. Meſſana celebratur Provincialis Conventus. Collegium Melitenſe magno in periculo verſatur. P. Alexander Nevola extra ordinem Provinciam adminiſtrat. Deinde ad triennium P. Caſar Boſcus. Domicili Naſitani, & Collegii Randatienſis initia. Alius Panormi Provincia Conventus. Indicitur annus ſacularis, & magno apparatu celebratur. Inclyta noſtrorum hominum funera, aliaque res geſta ad annum uſque 1640.* Fol. 321.

CAP. VIII. *Turba maxima in Socios Mamertinos. Unus, & alter Provincia Conventus. P. Thomas Reyna Provincialem adit magiſtratum. Inſignia Noſtrorum funera, aliique eventus ad annum uſque 1645.* Fol. 385.

CAP. IX. *P. Ignatius Garganus Provincia adit magiſtratum, eique ſuccedit P. Ludovicus Bompianus. Collegium Bidinenſe iterum coaleſcit. Ex annona caritate, plebecula ſeditiones, & Noſtrorum pericula. Unus, & alter Provincia Conventus. In primo P. Melchior Bellius, in altero idem, & P. Joſephus Caſtelnovus Romam legantur. P. Petri Antonii Caſtelli, & aliorum inſignium Virorum funera, quique incidunt eventus, uſque ad annum 1650.* Fol. 438.

CAP. X. *Unus & alter Provincialis Conventus. Caſaris Cajetani eximia virtutes, & immaturus exitus. P. Carolus Ventimiglia Provincia magiſtratum aggreditur, deinde P. Marcellus Spinellus, & quae intercidunt hominum, & rerum negotia, uſque ad annum 1655.* Fol. 545.

CAP. XI. *Inſignium Provincia Virorum unius anni 1656 funera, praeſertim P. Aloyſii Lanuza, cujus ex integro admirabiles res geſta exponuntur.* Fol. 626.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XII. *Illustrium Virorum pleraque funera, atque virtutes. Quinque Provinciales Conventus, totidem Provinciæ Antistites, P. Josephus Castelnovus, P. Ignatius Moncada, P. Joannes Jacobus Vicecomes, P. Marcellus Spinellus, & P. Andreas Puteus, aliique, qui incidunt eventus, usque ad annum 1672.* Fol. 755.



IN-

Digitized by Google

INDEX
COLLEGIORUM,

Quæ numerat Provincia Sicula usque ad annum 1740.

Collegium Mamertinum, ab anno	1546.	pag. 4.
Collegium Panormitanum,	1550.	p. 39.
Collegium Monregalenſe,	1553.	p. 98.
Collegium Syracuſanum,	1554.	p. 110.
Collegium Bisbonenſe,	1555.	p. 116.
Collegium Catanenſe,	1556.	p. 122.
Collegium Rheginum,	1564.	p. 158.
Collegium Calatahieronenſe,	1570.	p. 182.
Tirocinium Mamertinum,	1576.	p. 214.
Collegium Drepanitanum,	1580.	p. 233.
Domus Profeſſorum Panormitana,	1582.	p. 243.
Collegium Mæneninum,	1588.	p. 270.
Collegium Calatanixettenſe,	1588.	p. 274.
Tirocinium Panormitanum,	1591.	p. 300.
Collegium Lilybœtanum,	1592.	p. 306.
Collegium Melitenſe,	1592.	p. 307.
Reſidentia Chienſis,	1595.	p. 334.
Domus Profeſſorum Plateenſis,	1602.	p. 439.
Converſa in Collegium,	1615.	
Collegium Thermitanum ad Aquas Selinuntias,	1607.	p. 512.
Domus Profeſſorum Mamertina,	1608.	p. 519.
Collegium Neætinum,	1608.	p. 525.
Collegium Mutycenſe,	1610.	p. 541.
Collegium Narenſe,	1619.	p. 75.
Collegium Ennenſe,	1619.	p. 78.
Collegium Thermitanum ad Himeram,	1620.	p. 110.
Collegium Siclenſe,	1631.	p. 265.
Collegium Bidenenſe,	1634.	p. 285.
Collegium Panormitanum a S. Franciſco Xaverio dictum,	1634.	p. 287.
Collegium Meſſanenſe a S. Franciſco Xaverio appellatum,	1635.	p. 301.
Collegium Salemitanum,	1642.	p. 409.

Col-

Digitized by Google

Collegium Tauromænitanum,	1642.	p. 409.
Collegium Alcamenſe,	1656.	p. 751.
Collegium Mazarenſe,	1671.	
Collegium Politienſe,	1681.	
Collegium Mazarinenſe,	1694.	
Domus Exercitiorum Panormitana,	1708.	
Collegium Nobilium Adoleſcentium Panormi,	1728.	
Reſidentia Hyblenſis,	1729.	
Domus Exercitiorum Melitenſis,	1736.	
Domus Exercitiorum Drepanitana,	1739.	
Collegium Rachalbutenſe,	1740.	



Digitized by Google



Digitized by Google

PROVINCIÆ SICULÆ
SOCIETATIS JESU
ORTUS, ET RES GESTÆ.
PARS SECUNDA.

CAPUT I.

Bernardini Piccini, Caroli, & Vincentii Regiorum, Barnaba Vechia, & aliorum mors. P. Pompilius Lambertengus Provinciam cum potestate lustrat. P. Carolus Mastrillus Provincia praest. Decimus octavus, & Decimus nonus Provincia Conventus. Aliique domestici eventus usque ad annum 1615.

Annus 1612

DEfunctorum anni 1612 familiam non tempore, sed meritis ducit P. Bernardinus Piccinus honestissimo genere Aletinus, qui aliâ longè viâ, quàm Bernardus Colnagus in Provincia, & Societate meruit, & ad summæ virtutis consummationem pervenit: Bernardus enim in acie, Bernardinus ad castra, & sarcinas egregiè pugnavit. Ille agendi, hic latendi fallendique studio ferebatur. Ortus est anno 1566. Sortitus est a natura miram ingenii, ac memoriæ vim, indolem mansuetudinis, & clementiæ plenam, navam tamen, solertem, atque sagacem. Pueritiam posuit sub magistro, ut græcis, latinisque litteris erudito, ita irreligiosis doctrinæ elementis, ac moribus inquinato, qui prava semina in teneros vacuosque annos jecerat. Sed P. Bernardinus Realinus, cui ille animum excolendum dederat, pullulantium errorum germina animadvertit, atque præcidit, neque tamen ita extinxit, ut ejus pestis vestigia prorsus deleverit: Piccinus enim perpetuum habuit in omni vita mentis, animique tortorem, præteritæ contagionis memoriam; assiduis dubitationum aculeis dum vixit, exagitatus. Tanti fuit, cum primoribus rudimentis venenum hausisse. Arripuit tamen latinam, græcamque eruditionem, & sine doctore per se postmodum auxit. Ex Realini consuetudine, atque præceptis, frangendi sui primùm disciplinam, deinde Societatis ineundæ votum concepit, quod Ludovicus Masellus, quum Provinciam lustraret, ratum habuit, & Neapolim

P. Bernardini Piccini ortus, ingenium, & indoles.

Ejus de ineunda Societate vota concepta.

BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

lim reversus explevit: dedit enim ad Realinum litteras, in quibus erat, ut Piccinum ad se quamprimùm mitteret. Percussis eo nuncio Parentibus, & strenuè reluctantibus, quòd tantæ spei adolescentem nullo modo a familia divelli patiebantur; dum Realinus impeditissimum negotium explicat, & eorum voluntatem expugnat, Masellus ad Siculæ Provinciæ magistratum designatus eò properat. Piccinus, rebus aliquando domi compositis, ut Aletio Neapolim venit, pro Masello, ejus litteras ibi obsignatas reperit, quibus jubebatur: *Quando Provincia Sicula sibi obvenisset, eò contendere, ut in Tirocinio Mamertino, sub Andræa Ungria Hispano, spectatissimæ virtutis homine, prima militiæ nostræ stipendia faceret.* Sed P. Antonius Lisius, qui Masello successerat, perspecto adolescentis ingenio, ad maxima quæque nato, Neapolitanæ Provinciæ candidatum retinere studuit, neque tamen, propositis professionis, & alienæ Provinciæ incommodis, ei persuasit, ut a fide, quam Masello obligaverat, descire vellet: rescripserat enim, se Messanæ futurum. Itaque terrestri itinere Salernum contendit, ut inde conscenderet. Nactus est inter eundum viæ comitem infimæ sortis hominem, qui equo insidens claudo, & perperam ephippiato, lædi se toto corpore querebatur. Bernardinus, cujus animo misericordiæ rudimenta, Realino doctore, jam altè insederant, equis commutatis, deteriorem admittit, eo potissimùm consilio, ut claudicantis jumenti fœditate juveniles spiritus frangeret, & se Salernitanis deridendum præberet. Sed cui Deus singulari sanè providentiâ, ærumnosissimum vitæ genus destinaverat, longè graviùs accidit. Nam quum pigerrimum jumentum admotis calcaribus excusciaret, eo prolapso, ad terram datus, pedem ita luxavit, ut jumenti vitium in se traductum senserit, & per manus in navim imponi necesse fuerit, quo ex casu Messanæ ægrè, & lentè convaluit. Vigesimo jam exacto ætatis anno, XII. Kalendas Martias, anno 1587. ut in tironum codice suâ ipsius manu est adnotatum, Tirocinio Mamertino adlectus est. In ea virtutum palæstra perpetuos sustinuit Stygiorum hostium impetus, qui subtilissimis cavillationibus puram ejus mentem a christianæ veritatis fide depellere conabantur, & eas, quas a nefario doctore in puerilem ætatem instillatas diximus, incerti, suspensique animi fluctuationes commovere. Sed perpetuus confligendi conatus adolescentis caput magnopere labefactavit. Ille tamen tam insigne detrimentum lucro apposuit; speravit enim fore, ut litteris haberetur parum idoneus, & a studiis remotus, atque ad domestica offi-

A P. Masello in Societatem, Parentibus reluctantibus, adlegitur.

Dum Salernum contendit, grave periculum subit.

In Tirocinio Mamertino perpetuos sustinet stygiorum hostium impetus.

Digitized by Google

officia designatus, in humillima vitæ conditione simplicem quandam indueret ruditatem, cujus beneficio, procul a litteris, & lycæo, ad ejus generis pugnam aptior inveniretur, quàm si disciplinarum sese argutiis involveret: quoniam Valentiore cum adversario tutius est fugà, quàm armis dimicare. Itaque, & capitis infirmitatem, & ingenii tarditatem majoribus sedulò excusans, impetrat denique, ut ad corporis potiùs, quàm ad mentis defatigationem destinetur, atque in domum mittitur Mamertinam, ut triclinio ornando det operam. Sed Andræas Ungria passus non est, Bernardinum, cujus virtutem, & ingenii præstantiam satis perspexerat, servilibus in officiis inveterare. Egit propterea cum Masello, ut ad tradenda Grammaticæ elementa designaretur; jussusque est Bisbonam proficisci, anno 1589 ubi anno ferè quarto, ex quo Societati se addixerat, spe laboriosæ vitæ depulsus, privata Scholasticorum nostrorum vota coram Hieronymo Falconio Seniore nuncupavit. In Mamertinum inde Collegium, Vicentio Regio tum Rectore, ad *Theologicam* disciplinam addiscendam evocatus, condiscipulorum ingenio, & disceptandi subtilitate facilè princeps habitus est. Ea tamen laus usqueadeo temperantiam ejus torquere cœpit, ut capitis imbecillitatem, perpetuumque dolorem prætexens, studiis se abdicare flagitaverit; & in eo tamdiu perseveravit, quoad voti compos effectus est: neque tamen propterea conquievit: majoribus enim visum est, satis esse, si dimissis severioribus disciplinis, ad amœniores artes descenderet, in quibus egregiè versatus esset, latinis græcisque rudimentis optimè excultus. Quare Menas ire jussus est, ubi tum domesticis adolescentibus Rhetorica tradebatur, ut eos informandos susciperet. Eo in munere miram exeruit eruditionem, & Græcorum, Latinorumque Scriptorum notitiam, quibus interpretandis, neminem ea tempestate Provincia parem numerabat. Sed ille, ut animadvertit, ea de re, aliquo numero apud nostros, & externos esse, valetudines causatus, aliquot post menses, cessationem impetravit, & anno ferè 1595. abdidit se Lilybœi, illud sibi fore pollicitus, ut ea in latebra delitescens, honores vitaret, & ad summum Professionis gradum nullatenus eveheretur. Plures ibi annos, Sacerdotio ægerrimè inauguratus, consumpsit, Deo, sibi, ac inopum excipiendis confessionibus unicè vacans. Accidit, ut qui sacras litteras apud Populum in æde Societatis interpretabatur, abesse cogeretur, neque alius esset qui subrogari posset, nisi Collegii Rector, vel Piccinus; cui Rector: *Tua est optio, elige utrum mavis. Aut Collegii gerito magistratum,*

In Mamertina Domo ad domestica officia designatur.

Bisbonam ad tradenda Grāmaticæ rudimēta profectus, ibi sua nūcupat vota.

Studiis abdicare se flagitās, plures annos Lilybœi delitescit.

In æde nostra sacras litteras interpretatur magno populi concursu;

tum, aut esto concionator. Piccinus ad magistratùs nomen exhorruit, & concionandi munus amplexus est. Quod quum strenuè exequeretur, magnique ad eum, quales nunquam antea, concursus fierent cùm propter genus orationis jucundum, eruditum, ac salutare, tum propter inusitatam dicendi copiam, & venustatem, miratus quod ad ineptum & rudem hominem tanta multitudo confluueret, suspicatusque stygiam subesse fraudem; Rectorem adit, libros quibus instructus ab eo fuerat, regerit, & flens, atque in genua provolutus, ait: *Quid Piccino, hominum imperitissimo, cum libris, & concionibus? Oro te, ne patiaris, me diutius ostentui esse hominibus, cum dedecore Societatis*. Quæ quum ex animo dicta lacrimæ ostenderent, atque singultus, veritus Rector, nè candidissimum hominem vehementiùs contristaret, eum munere exemit, & ad latibulum suum remigrare passus est.

Quo munere per lacrimas eximi impetrat.

II. Sed non in Collegio Lilybœtano diutius consedit. Accersitus est enim ad Domum *Professorum* Panormitanam, ibique diu permansit, audiendis pauperum confessionibus omnibus horis intentus, reliquum diei, noctisque spatium, secum in cubiculo transigere consuevit. Fama nihilominus doctrinæ, ac virtutis ejus mirum in modum manavit in vulgus, & per amplissimam Civitatem tantopere diffusa est, ut nihil ferè Panormi fieret, quod non ejus consilio regeretur. Confluebant ad eum omnium ordinum homines, Proceres, Principes Civitatis, Senatores, Causidici, Antistites, summa judicum Collegia, Regis Administri, quod responsis ejus nihil fieri posset doctius, aut sanctius, aut certius: exornabat enim consilia idoneis auctoritatibus, Scriptorum locos, & paginas indicabat, recitabat verbatim sententias: utriusque legis titulos, canones, rubricas, interpretationes, textus, contextus, reciprocationes, congruentias, tam appositè, atque dilucidè versabat, ut qui dies, noctesque in foro ageret, & Jurisprudentiam pertractaret. Quod quidem miraculi instar fuit, in eo homine, qui neque libros penes se haberet, neque unquam in Bibliotheca visus esset: nam etsi memoriâ valebat tenacissimâ, atque facillimâ; nemo tamen assequi poterat, quandonam eos codices volutasset, & memoriæ commisisset, confirmatâ nondum ætate, homo æger capite, & a literis alienus, eos, inquam, codices, quibus dumtaxat legendis, nè senis quidem, & nihil aliud agentis vita suppeteret. Quibus rebus commotus P. Petrus Gambacurta, cœlestis Bernardini Sapientiæ cognitor, & æstimator, ut Collegii Panormitani magistratum adiit, eum ad se evocavit, ut morum, & sacrarum

Panormū evocatus doctrinæ, ac virtutis suæ specimen præbet.

Sacrarum legum quæstiones mirifico Auditorū studio pertractat.

le-

Digitized by Google

legum quæstiones ibi enodàret, & domesticam juventutem religiosis institutis excoleret. Piccino nihil gravius accideret, qui delitescendi contentionem primam habebat, & antiquissimam; sed majorum voluntatem non expugnavit. Utrumque munus ab anno ferè 1600 ita gessit, ut nostris æque, ac externis mirificè satisfaceret. Auditorum numerus eousque redundavit, ut confertæ multitudinis nullum esset capax gymnasium: quare in aula Collegii maxima docere coactus est. Sed qui ad eum consiliorum causà ventitarent, ut prodiit in lucem, & pulverem, tot quotidie numerabantur, summi viri, & aliorum. Ordinum primores, & supremi magistratus, q[illegible]ures, & mentem delassarent. Piccinus tamen omnium horarum homo, ut primum, ita postremum eâdem oris hilaritate, & suavitate orationis, & satisfaciendi cupiditate adhibebat. Nostros verò adolescentes paternà quadam caritate complexus, ingenuà *sibi* bonitate devinxit: confluebant ad eum omnes, nihil occultabant, omnia illi perspecta & aperta esse volebant. Ipse eorum animos accuratissimè pertentabat, intimos explorabat recessus, salutaria adhibebat remedia, fingebat singulorum mentes ad disciplinam, & mores Societatis, injiciebat assiduos pietatis aculeos, & Realini memor institutionis, ac præceptorum Collegium Panormitanum cœlesti igne inflammavit. Unum e pluribus sit documentum. Versabatur tum inter juniores, qui Theologicæ disciplinæ dabant operam, Petrus Acolitus Monregalensis, præclarà indole juvenis, sed disciplinæ non admodum patiens, & ad licentiam nonnihil incumbens. Sed in eo potissimùm delinquebat, quod gulæ deditus, nullo horarum discrimine, furtivis esculentis inaudita voracitate vescebatur: quæ res in frequenti juniorum familia, & fœdam præferebat indignitatem, & exempli contagionem. Plectebatur proinde, & graviter, & assiduè. Animadversiones tamen cautiorem reddebant, non meliorem. Hunc Bernardinus emendandum aggreditur. In amicitiam, & familiaritatem ejus sensim illabitur. Laudat ingenium, extollit animi dotes; dolet, spes maximas exceptione aliqua hebetari, & labeculis frangi, quæ quotidianis obnoxiæ reprehensionibus, perpetuum animi dolorem efficerent, atque ægritudinem. Docet, nullum esse *vitium*, quod tantam habeat, præsertim in juvene, excusationem, & simul accusationem, quantam edacitas, quæ in commune degentibus celari non posset. Rogat, ut pro mutua benevolentia in eo sibi morem gerat, ut extra prandium, & cœnam nihil gustet. Quod si naturæ appetitum irritari sentiret, num-

Domesticæ Juventutis mores accuratissimè excolit.

Illustré rei hujus exemplum.

Digitized by Google

numquid aditus non pateret ad Piccinum suum, qui nihil non esset suppeditaturus, neque eum fame necari pateretur? ad se veniret, confidenter peteret, neque dubitaret, fieri posse, ut jejunus, & vacuus abs se discederet. Accipit Acolitus conditionem; quod in se est, pollicetur: dat fidem, & sanctè servat: neque a Piccino datam redimere negligit: nam identidem eum requirit, neque ullum est naturæ aut gulæ desiderium, quod non expromat. Sed a prodigio nihil abfuit, quod quidquid Acolitus poscceret Piccinus, omnium pauperrimus, qui nihil unquam [redacted] inquam acceperit, statim apponeret, quasi penum [redacted] rebus omnibus ornatissimam, ne iis quidem demptis, quæ domesticus promus, & condus domi nunquam vidisset: condita bellaria, dulces placentas, cupedias, poma lectissima, & alia [redacted]usmodi exquisita cibaria. Tum Acolitus, & [redacted]audacia, & Piccini alacritate invitatus, ab eo petit, ut [redacted] villam deducat, ibique copiam faciat, sua manu legendi, edendique recentes ficus, quantum natura poscceret, & venter caperet. Nil sibi fore gratius, & optatius, ait Piccinus. Veniam a Gambacurta impetrat, rhædam parat, vehuntur ambo dubiâ vix luce, orto nondum Sole in villam perveniunt. Acolitus biferas prægrandes ficus invadit, strenuéque se ingurgitat: Piccinus putamina, quæ ille projecisset, legit, & mandit. Acolitus ea re commotus, se respicit, & quasi cœlesti lumine afflatus: *Vicisti*, inquit, *Pater*, *vicisti tam insigni temperantiâ ingluviem meam*: atque ex eo tempore austeram emendatamque vitam instituit, domi forisque parcus, religionibus deditus, disciplinæ domesticæ servantissimus, & ex obeso exilis, & ita extenuatus, ut alius ab eo qui fuerat, videretur. Exactis studiis, Collegio Panormitano Minister magna cum laude præfuit, æger tamen, & ex macerandi corporis assiduitate exinanitus, sexto ante Piccinum mense, annos natus quinque supra triginta, in Collegio Panormitano macie consumptus est.

De se pessimè sentiens summũ Professorum ordinẽ detrectat.

III. Tantus, & tam illustris Piccini meritorum splendor Aquavivam excitavit, ut hominem virtute, ac doctrina singularem ad summum Professorum ordinem evocaret: scripsit proinde ad Jacobum Dominicum, qui Provinciam administrabat, anno 1605, nè cunctaretur Piccinum ea de re admonere. Incredibile est quàm graviter affectus sit eo nuncio Bernardinus, quòd monstri instar visum fuerit, hominem ignarum, infirmum, inertem, & nullo numero habendum, indignum præterea, quem terra sustineret, ad ejus gradûs conditionem, quem paucissimi attingerent, intrudere. Nihil non movit, atque

ten-

Digitized by Google

tentavit, precibus, lacrimis, litteris, ut Aquavivam ab ea mente depelleret. Homo acutus, & eloquens, ingenium, atque facundiam omnem tergiversando consumpsit, & repulsam ad biennium extraxit: sed non expugnavit Aquavivæ constantiam, qui gravissimis, accuratissimisque litteris cunctantem admonuit, nè diutius obluctaretur, & planè edixit, nefas esse, moribus nostris, eum honorem ut affectare, ita negligere, atque repellere: in utroque esse periculum sive ambitionis, sive contemptùs. Itaque invitus, atque compulsus X. Calendas Majas anno 1607 in *Professorum* Domo Panormitana coram P. Jacobo Dominico, quatuor vota solemni ceremoniâ nuncupavit. Sed ejus honoris accessio Piccini animum tam intimè exulceravit, ut ex eo tempore de Provincia deserenda cogitaverit, quasi injuriam apud nos accepisset insignem, & memorabilem, quòd extaret in Provinciæ monumentis, Professorum ordinis dignitatem in Bernardino Piccino projectam, atque inquinatam fuisse. His accedebant honores, qui in dies auctiores, ac cumulatiores ab externis deferebantur, quos quum ille nauseâ, & odio incredibili aversaretur, eos etiam aversari cœpit, & inimicos, atque infensos putare, a quibus conferrentur. Equidem in Sanctorum Virorum fastis non legi, qui tanto sui suarumque rerum odio flagraret, eoque implacabili, quod nulla unquam ratione leniri potuisset. Qua in re opinari subit, Piccinum nobis a Deo propositum, singulari planè consilio, tanquam maximum maximæ virtutis exemplum. Igitur etsi in Provincia quamplurimis saluti fuerit, & domesticis, & externis, uberrimosque manipulos cogeret, quòd exploratam omnes haberent ejus præstantiam probitatis; maluit tamen Provinciâ excedere, ut alibi ignotus falleret, & obscuro in munere cum pueris versaretur. Quare cum Aquaviva agere instituit, ut aliò mitteretur, ubi nè de nomine quidem cognitus infima latinitatis elementa traderet: neque iterum, atque iterum repulsam passus, assiduis precibus urgere destitit, ut sibi consuleretur. Scripsit denique Claudius Jacobo Dominico, ut Piccini petitionis ratio haberetur, & docendis pueris in infimum Provinciæ Collegium amandaretur. Ille negat, se in Provincia posse consistere, in qua locis omnibus esset notissimus, quum omni ex parte ad eum accurrerent homines, & litteræ mitterentur. Quibus cognitis, rescripsit Aquaviva: *Nolle se Sanctum hominem diutius contristari, atque torqueri: & quando diu flagitatam profectionem ad Indos abs se non impetrasset, placere sibi, ut Chium dimitteretur, ubi arbitratu suo delitesceret, & primo-*

Aquavivæ edicto quatuor vota solemni cerimonia nuncupat.

Domesticos, externosq; honores aversatus, de Provincia deserenda cogitat.

Qua de re cum Aquaviva per litteras agit.

Aquaviva Chium dimitti rescribit.

Digitized by Google

mores litteras puerulis traderet. Ita neque ex Provincia exiret, cui Chiensè domicilium obtemperabat, neque in Sicilia permaneret. Certior factus Piccinus, tanquam votorum omnium summam assecutus, arrepto sacrarum precum codice, ea ipsa horà, paratum se ad conscendendum ostendit. Bernardinus Confalonerius, qui Dominico successerat, obsequendi studium, & proptitudinem commendat; & navigandi opportunitatem disquirendam, & opperiendam docet, sibique eam rem curæ fore pollicetur. Interea tamen, consultis medicis, Aquavivam admonet, non eas esse Piccini vires, & valetudines, quæ diuturnæ, ac periculosæ navigationi committendæ viderentur. Tum Claudius, in eo perseverans, ut Piccini desiderio satisfieret, nè tam eximiæ temperantiæ exemplum Societati deesset, ad ipsum Piccinum humanissimas dedit litteras, quibus eum jubebat Romam ad se venire, ubi voti compotem futurum sperarèt. Itaque, nequicquam reclamante, ac reluctante Provinciâ, magno omnium dolore, atque luctu tanti viri factum est detrimentum. Ipse expeditus, & alacer, nihil imponens præter seipsum, maturat navigare, & reditum augurantibus aperte denunciat, se nunquam amplius in Provinciam remigraturum. Aquaviva, hominem nosse gavisus, quem famà longè majorem comperisset, stetit promissis, & ex complexu suo in Collegium Tyburtinum dimisit, cum mandatis, ut infima ibi latinitatis rudimenta doceret. Quo potissimum anno id contigerit, silent monumenta Provinciæ. Sed non multò ante fatum eveniisse arbitror: idque duo persuadent. Primum est, quòd Piccinus in Collegio Romano penè advena, omnibus certè omnino ignotus extinctus est, quod propter Collegii Tyburtini propinquitatem fieri non potuisset, si plures, ut fertur, annos ibi posuisset, eà sanctitate vir, quæ diu latere non poterat. Alterum est, quòd, quemadmodum infra ostendam, in quibusdam ineditis monumentis, quæ statim post ejus fatum Cascini jussu condita sunt, obiter indicatum reperio, commorationem ejus Tyburtinam brevem fuisse. Et sanè Tyburtini cœli novitas Piccino infirmo, & puerorum docendorum quotidiano labore delassato, fatalis fuit. Ad reliquam morborum colluviem accessit Pulmonum vitium, & gravissimus anhelitus, quòd ejus visceris alæ extremæ intimis costis hærerent, & utrinque adductæ reciprocandi spiritûs potestatem adimerent. Quare in Collegium Romanum delato, dedit Aquaviva negotium P. Joanni Baptistæ Mazzullo Siculo, qui per eos dies Romam venerat, ut de celeri in Siciliam reditu cum Piccino ageret, de-

Viribus periculosæ navigationi non sufficieniibus, Romam evocatur.

In Collegio Tyburtino infimæ latinitatis rudimenta docet.

Tyburi ingravescente morbo, de ejus in Siciliam reditu agitur.

Digitized by Google

desperantibus jam medicis de vita ejus, nisi cœlum, & solum verteret. Testatur Mazzullus, Piccinum ad Siciliæ commemorationem diriguisse; & crebriùs inculcasse, quovis morbo, ac morte tristiores, ac diriores fore sibi honoris, & benevolentiæ significationes, quibus vilissimi capitis adventus celebrandus esset: nolle se cum Societatis ignominia id de se ludicrum dare hominibus; denique obortis lacrimis rogavisse eà nè de re verbum adderet.

IV. Et sanè, nemo crediderit, quàm de se, non solùm parcè, ac modicè, sed pessimè etiam Bernardinus sentiret. Existimabat, quemadmodum auctor est P. Franciscus Rayatus, esse se orbis terrarum perniciem, ac corruptelam, dignumque, quem Deus æternis torqueret cruciatibus: rogatusque paulò ante fatum, ecquid lætus decederet: *Lætissimus*, inquit; *nam exploratum jampridem habeo, non mihi vitam, nisi ad patranda graviora in dies scelera prorogari*. Non audebat prodire in publicum, neque cum nostris unà incedere, neque ad mensam accumbere, nè fratres suos peste afflaret, quam secum gerere sibi videbatur. Mirari proinde non desinebat, & aliorum laudare mansuetudinem, quod non eum lapidibus incesserent. Testis est P. Octavius Cajetanus, Piccinum abs se Collegii Panormitani magistratum gerente identidem ex animo flagitasse, ut potestatem facerat per celebriores vias exeundi cum fatuitatis insignibus, ut nemo nesciret bardum se esse, rudem, & insano proximum: atque ea spe dejectum, secum statuisse, atque aliis enunciâsse, fore, ut a majoribus ad triremes damnaretur. Gaudebat autem re nulla magis, quàm si alii de se sentirent, ut ipse sentiret; quod quum probè nôsset P. Mazzullus, non aliter eum in maximis doloribus morti proximum exhilarabat, quàm in memoriam revocans, eum in Collegio Romano, nè de nomine quidem cognitum esse, quem nonnisi *Patrem Siculum* appellarent: tum enim gestiens, & exultans: *Deo sint laudes*, ajebat; *o me felicem! jam Siculus ille splendor extinctus est*. Quum Lilybœi esset, Drepanum evocatus, quasi magnum aliquid administraturus, quod ad Divinum obsequium pertineret, statim ac eò pervenit, odoratus, ideo se accersitum, ut cujusdam Patritii filiolos graviter ægrotantes miraculo restitueret, tanto est horrore correptus, ut gemens, & contremiscens incubiculum se abdiderit, & noctem fermè totam, in se flagris sæviendo consumserit; seque inde summo manè fugà propuerit. Contumeliis aliquando, nec semel lacessitus, mirificè plaudens, & jucundissima fronte lætus: *nunquam*, ait, *sic locu-*

Quàm de se pessimè sëtiret.

Flagitat, ut fatuitatis insignibus Civitatem lustret.

Aliæ temperantiæ ejus insignia monumenta.

Digitized by Google

tus est homo. In Collegio Panormitano, si qui essent infirmi in deliciis habebat sordidissima vasa repurgare, & servilibus sese officiis involvere. Nullus erat domesticorum, quem non ut majorem vereretur, cui non assurgeret, cui non loco decederet, cujus salutationem non occuparet, tam insigni verecundiâ, atque pudoris ingenuitate, ut quibus esset parum cognitus, non emeritus, & veteranus, sed tirunculus videretur. Hac vivendi, sentiendique consuetudine, omnibus carus, jucundus, & amabilis, invidiam cùm privatam, tum publicam ita fregit, ut nemo esset, sive domesticus, sive externus, qui non maximas ejus virtutes, præsertim verò cœlestem illam temperantiam prædicaret, cui tamen parum debet historia: præclariores enim res ejus gestas occultavit, quarum quæ supersunt subobscura vestigia, utcunque legemus.

Omnibus carus ab omnibus prædicatur.

V. Intimam divinæ caritatis flammam, quæ dies noctesque depasceretur præcordia ejus, plura declarant. Illud in primis, quod nemo eum loquentèm audiêrit, nisi de cœlestibus rebus, & divinum amorem excitantibus, quasi æthereos igniculos ore jactaret, quibus, & domestici, & externi incenderentur. Quo in sermone quum prolixiùs effunderetur, & horam ex hora suavissimè duceret, inusitatam exerebat facundiam, quæ aures hominum cum voluptate detineret. Lilybœo Panormum remeans, apud quosdam amicos ex itinere diversatus, super cœnam in familiari colloquio ad divinæ caritatis suavitatem orationem deduxit; & in ea perseverantem lux oppressit, hospitibus sine fastidio, ac somno attonitis, & plura flagitantibus. Joannes Antonius Tancrida, Medicus Lilybœtanus, qui sæpè infirmum adibat, non tam ut corporis remedia præscriberet, quàm ut animi sumeret, juratus affirmavit, non alium se ex ejus ore sermonem, quàm de jugi, & intimo divinitatis sensu exprimere potuisse. Qui cubiculo ejus assueverant, deprehendebant horis omnibus æstuantem, & divino igne candentem, nec rarò lacrimabundum, atque exclamantem: *Quis te Deus meus non amaret?* Quum in Collegii Panormitani prædio juxta Marinæum, valetudinis causâ rusticaretur, audivit, qui proximè accubabat, noctes integras cum Deo colloquentem, & assiduè vociferantem: *Ubinam es, Domine? Quid est, quod te non video?* Summam, & tesseram amoris ejus erga Deum, suâ manu adnotatam, & eo defuncto, repertam, hanc fuisse comperio: *Semper ad unum: Deum scilicet, & quæ Dei sunt: at foràs, quantum necessitas cogit*. Ex hoc veluti fonte manabant ejus consilia omnia, studiâ, & vitæ actus. Statuebat enim, ne-

Ejus divinæ caritatis flamma commendatur.

Divinæ caritatis inter cœnandum sermonem ad lucem usque perdûxit.

Intimæ ejus mentis, & animi exercitationes.

fas

fas esse sibi quicquam diligere præter Deum, quicquam curare præter ea, quæ Dei essent. Nullum fuit diei, noctisque tempus, quo non Deum cogitaret, & amantissimè alloqueretur. In Panormitana Domo P. Antonium Blandum ea tempestate tironem est percontatus, quot quotidie horas cum Deo transigeret: quumque ille, septem, respondisset: *Quid audio*, inquit, *fili, nunquid non gustasti quàm suavis est Dominus, aut tædium habet convictus illius? Angusta est, si nescis, quavis mensura temporis, quam homines Societatis divinis colloquiis tradiderint, nisi diebus singulis horas viginti quatuor attingat.* Quo satis declaravit, nullam fuisse diei noctisve particulam, quam ipse non supplicando consumeret. Hinc ad mirabilis illa rerum omnium fuga, atque odium, quæ præter Deum amari solent, quem ille unum & solum amoris sui initium, & finem sibi proposuerat. Honores proinde, commoda, divitias, voluptates, & ante omnia se ipsum detestari nunquam sibi quantùm satis esset, videbatur; metuens nè ab his quasi æmulis, qui de ejus amore cum Deo contenderent, aliquid de mente ac voluntate ejus decerperetur. Hinc exquisitum illud, & planè inusitatum corporis, animique frangendi, ac cruciandi studium. Hinc perpetuæ illæ cum iis inimicitiæ, qui honores, & commoda detulissent; hos ut castissima Sponsa, tanquam procos abhorrebat, qui conarentur animum suum a divinis ad humana convertere fallacibus lenociniis. Quare illud quoque a Deo impetravit, ut ne cœlestes quidem delicias in tota vita, neque tiro, neque emeritus delibaret; timebat enim, nè supernæ voluptates amoris sui partem aliquam sibi vindicarent, & a Deo averterent. Ærumnosissimam itaque vitam egit, angustiis cumulatam, timoribus, atque miseriis. Deum existimabat sibi perpetuò iratum atque infensum, se magnopere ingratum, & misericordià indignum: quòd amanti intestinum erat vulnus, & insanabile, ex quo asperrimus, & morte truculentior animi dolor efficiebatur. In eo tamen cruciatu, Deum ardentissimè amabat, neque se amare intelligebat, & amandi desiderio urebatur. Christum proinde in calvario morientem secutus, non aliam novit divinæ caritatis flammam, nisi quæ ligno crucis aleretur: quam omnium perfectissimam, B. P. Ignatius esse dictitabat, utpote tutam, perennem, puram, & a cupiditatum fœce remotam. Eà verò Piccinus tanto impetu rapiebatur, ut non semel inventus sit in secreto conclavi e terra sublimis, & aere in medio suspensus ardentibus oculis, rubente vultu, præcordiis cœlestem ignem anhelantibus; quod & Octa-

Humana omnia detestatus, ad divina se totum convertit.

E terra sublimis, & acre in medio suspensus deprehenditur.

vius Cajetanus, & Acolitus, & Rayatus disertè tradunt. Augebant animi angores assidui corporis cruciatus. Tenuissimi fuit cibi. Neque fraga, neque ficus, neque ullius generis poma unquam gustavit: plures aliquando dies, aquà dumtaxat epotà, toleravit; quandoque nè aquà quidem. Ceterùm nunquam carne, rarò piscibus, plerunque solo pane famem pacabat, causatus stomachi languorem, & nauseam. Ad quotidianam laborantis capitis molestiam accessit ex pulmonum vitio gravis anhelitus, & sicca tussis, item luxati pedis incommodum, qui, & flante euro, & frigoribus summis, & ex ingrediendi conatu, magno cum dolore intumescebat. Summâ hieme manus nunquam veste protexit. Intimum setis contextum cilicium quotidie gestavit, addito etiam ferreo circulo, qui ilia exulceraret. Vestes de nocte nunquam posuit, nisi ut cilicina interdum syndone se involveret, & totum corpus torqueret; ceterùm brevem, & quem natura cœlestium rerum contemplationibus furtim subduxisset, sedens somnum carpebat; inventusque est singulis nocturnis horis ad omnium domesticorum obsequia expeditus, atque paratus. Flagrorum consuetudo diurna, atque nocturna, ulcera interdum exasperabat. Muscas nunquam abegit: pulices, & molestissimam pediculorum familiam studiosè fovebat, nedum aliquando non insectatus est: quod fidos Dei satellites, & aculeis armatos, tanquam scelerum vindices vereretur. Contra tamen, terram, & reliqua accusabat elementa, quòd nefarium hominem sustinerent, & se juvarent rebus omnibus, atque Creatoris sui injurias negligerent, neque *armarentur ad ultionem inimicorum*. Deiparam tanto amoris sensu coluit, ut quamlibet ejus imaginem sine lacrimis intueri non posset. Quum quotìdianus capitis dolor ita ingravesceret, ut sacrificio prohiberetur, a Patrona sua intermissionem petebat, & impetrabat, dum immolaret: nam sacrificio peracto, quod consultò non extrahebat, dolores maximi recurrebant.

Aspèrum vitæ genus, & cruciandi corporis ratio.

Ejus erga Deiparam religio, & pietas.

VI. Manabat ex divina caritate misericordia erga miseros, & egenos, sive animo, sive corpore angerentur. Testis est P. Lucius Banchetius petenti sibi, quod præstare non posset, dixisse Piccinum, paratum se esse lustralibus uri flammis, ut cuipiam gratificaretur: quod si non liceret, vehementiùs repulsà torqueri. Testatur item Medicus ille Tancrida Lilybœtanus, flagitâsse eum, quæ in mensa apponerentur, pauperibus elargiri; & si ea illis sublevandis non essent satis, se ipsum panem esse, quo vescerentur. Lilybœi infirmum hominem, & pestiferà lue tabescentem, publico excluſum valetudinario, & sub porti-

Plura misericordiæ ejus erga miseros, & egenos monumenta.

Digitized by Google

ticibus morientem, Piccini misericordiam usqueadeò commoviſſe, traditur, ut vix cohiberetur, quin ſublatum humeris in cubiculum deferret, & in lectulo ſuo collocaret. Per fidiſſimos amicos, ſi quæ eſſent explorabat, honeſtæ virgines, quæ inopiæ causà non nuberent, & in periculo verſarentur: his dotem corrogabat, ut ſtatim collocarentur: quòd quum manâſſet in vulgus, frequentes ad eum confluebant, qui filiabus dotem poſcerent. Ipſe omnibus pollicebatur, neque quemquam fefellit: nam præſto erant divites, ac nobiles neceſſarii ejus, qui ultro pecuniam profiterentur, & maximo ſibi honori ducerent, ſi ab eo requirerentur. Noverant enim quam ſincerà, atque ingenuà caritate ageretur, quem non ignorabant, nihil ad ſuos uſus convertere. Ajebat autem Piccinus, id eſſe cauſæ, cur externi non omnibus fiderent, quod non omnes ſe illis a cupiditate alienos probarent. Domeſticis infirmis diu, noctuque aderat. Quum ægrotanti Sacerdoti in Collegio Panormitano adverſus aſſideret, & ille ſomno correptus, adultà jam nocte, obdormîſſet, perſtitit Piccinus, nè quieſcentem excitaret, & ſordidis excreationibus toto corpore eſt conſputatus: quod quum æger, qui imprudens fecerat, evigilans animadvertiſſet, ſatis mirari non potuit caritatem ejus, & patientiam. In Marinei prædio graviter decumbenti miſſa eſt Panormo lectica, quà in Collegium veheretur: adduci nullis precibus potuit, ut eam adhiberet, eamque reverti juſſit; aitque, *ſibi ſatis eſſe pedes, aut equum*. Ut cognovit qui Collegio præerat, lecticam eodem remitti imperat, & cum ea fratrem, qui ſuis verbis Piccini contumaciam reprehendat, jubeatque conſcendere. Hæret Piccinus; & fratrem orat, ut: *Quando infirmus lectica vehendus eßet, in eam imponeret pannoſum quendam pauperem amicum ſuum, qui Panormum deferri cuperet, & graviore morbo laboraret. Vires ſibi ad equitandum ſuppetere. In ſe recipere, id majoribus fore gratiſſimum*. Negabat Frater, id fieri poſſe, & mandata inculcabat. Tum Piccinus: *Quando lectica duos reciperet, ſe nunquam conſcenſurum, niſi prius, & loco honeſtiore mendicus admitteretur*. Frater verò conſtantiam ejus non fregit, niſi pollicitus, curaturum ſe, ut pauper ille quàm commodiſſimè Panormum deferretur. In precum ſacrarum codice, ſchedulam appoſuerat, quæ penſi quotidiani locum ſignaret, in qua erat: *Quod ab alio oderis fieri tibi, caveas, nè tu aliquando facias alteri: & quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, facite & vos illis*. Nihil propterea unquam negavit, quod ab aliis præſertim domeſticis pe-

Egenarum Virginum honeſtati accuratiſſimè conſulit.

Illuſtre, ac mirandum ejus patientiæ facinus.

Pauperis cujuſdam valetudinis rationem habere maluit, quàm ſuæ.

Digitized by Google

petereturr: quod si penes se non haberet, omnia movebat, curabatque, ut petenti satisfieret. Quum in Domo *Professorum* Panormitana cupidissimè optaret Christi e cruce pendentis signum aliquod eleganter fabrefactum in cubiculo suo esse, neque, quo ardebat, desiderium cuiquam enunciâsset, reperit inopinatò supra lectulum suum Christi cruci affixi signum ex onyche elaboratum, quod annos quam plurimos in deliciis habuit, tanquam amorum suorum arcem, atque perfugium: cum eo assiduè colloquebatur, & ferè de manibus nunquam ponebat. Quin & nœniis, & cantiunculis noctes cum eo insomnes ducebat, servabatque studiosissimè, tanquam munus cœlesti manu delatum. Ausus est tamen quidam domesticus ab eo petere, ut illud sibi dono daret. Piccinus nihil cunctatus: *Tibi habe*, inquit, *divitias, & summam animi mei*; eoque se abdicavit. Alius postea, abdicationis ignarus, & ad Indos navigaturus, illud idem signum a Bernardino flagitavit; qui liberaliter est pollicitus, sperans ab eo, qui primus abstulerat recipi posse. Sed quum hic negaret, id abs se sine maximo dolore posse extorqueri; distrahebatur in partes mitissimus Piccini animus, & quasi medium scindi visus est, ægerrimè ferens, quòd alteruter eo carere deberet, quod maximè optabat. Desperantibus jam de salute ejus Romanis medicis, solùm nactus noster Sacerdos, Marianos calculos, quibus ipse utebatur, ab eo petîit; ut saltem post fatum, voluntate ejus ad se pervenirent. Piccinus suspicatus, honorificum sibi fore, res suas a quopiam flagitari; respondit, integrum sibi non esse, & quòd alteri promisisset, & quòd magno solatio sibi esset, eam Delparæ tesseram, quàm diutissimè fieri posset, retinere. Sed paulò post facti pœnitens, quòd a gratificandi proposito desciviisset; Mazzullum enixè obtestatus est, ut eos calculos ad Patrem illum deferret, & rusticam Bernardini Piccini tenacitatem excusaret; cui Mazzullus: *Non oportet munusculum repræsentari, quod ille, te defuncto, sibi dari popoposcisset*. Piccinus tamen, *Affer*, inquit, *me vivo; nè præstare videar, quod mors eripuisset: non aliam esse virtutem caritate potiorem*. Immolandi, & in sacrificio diutius immorandi cupidus, modum, quem leges nostræ finiunt, non excedebat, nè adstantibus gravis esset. Quod si primùm faceret sacrum, cui operæ adesse solent; nonnihil properabat, ut & molestiam minueret, & diurno labori spatium non adimeret. Perpetuis, quos diximus, conscientiæ aculeis exagitatus, & suis in rebus inops consilii, accuratissimè cavebat, nè alienis horis, nè prolixis, morosisque cavillationibus, nè uni tantùm molestus esset:

Signum Christi cruci affixi inopinatò reperit supra lectulum.

Quod deinde duobus domesticis petentibus negare non sustinuit.

Aliud liberalis ejus animi exemplum.

Nè esset ulli molestus, vel in ipso sacrificio accuratissimè cavebat.

Digitized by Google

esset; sed jam hunc, jam illum consulebat: neque sic nonnullorum querelas, & repulsas vitavit, qui omnibus, singulis horis, etiam nocturnis, & quieti destinatis, præsto erat. In excipiendis sacrilegorum etiam hominum confessionibus, pœnisque injungendis, nihil eo fieri poterat mansuetius, aut clementius. Ajebat enim vir doctissimus, & in morum doctrina egregiè versatus, nihil esse ab ejus expiationis administratione tam alienum, quàm severam quandam austeritatem, & acrem objurgandi consuetudinem, quæ homines a tam salutari, & necessaria religione deterreret. Recidivos autem, qui sæpè expiati, sæpè etiam eódem relaberentur, neque unquam repulit, neque absolutione privavit; sed rarò admodum, & ipsis non invitis, judicium ampliavit: quin & interdum, ut sæpius etiam expiarentur, imperavit: quòd remedia infirmioribus non subducenda, sed duplicanda viderentur. Se verò experientiâ edoctum, & usu diuturno fuisse satis admonitum asseverabat, ejusmodi homines, præsertim adolescentes, patientiâ magis, & misericordiâ, quàm pœnis, & terriculamentis a culparum consuetudine avocari. Secutus est proinde doctrinæ genus, non arduum, atque difficile; sed lene, ac moderatum, quod & humanæ imbecillitati, & christianæ mansuetudini, & animarum saluti accommodatius cognovisset. Quo factum est, ut quem semel *Piccinus* audîsset, & expiâsset, ei se totum traderet, & amicos, ac necessarios ad eum adduceret, & sanctitatis ejus famam longè, latèque dissiparet: quare ex universa Sicilia ad eum commeabant perditissimi homines, longissimis itineribus, ut expurgarent animi sordes, & eo sequestro cum Christo in gratiam redirent, tanto quidem bonæ frugis emolumento, ut plerique omnes tales permanerent, quales ab eo discessissent. Et sanè quam Piccinus usurpabat in expiationibus administrandis, rationem, de cœlo ratam fuisse, cùm faustus earum exitus declarat, tum præsertim, quòd Deipara non semel quàm longissimè absentes ad eum venire jusserit, ut eo animi duce, & culparum judice uterentur. Auctor est Alphonsus Cajetanus, qui Piccini res gestas accuratè coegit, & adnotavit; accepisse se a nequissimo quodam homine, qui plures jam annos flagitiis omnibus inquinatus vixisset, neque resipiscendi viam reperiret, eum per quietem a Deipara admonitum, ut ad Piccinum Panormum contenderet, eique obtemperaret. Quod quum ille sex dierum itinere fecisset, comperisse dignum esse Piccinum, ad quem a Virgine mitteretur.

Ejus in excipiendis sacris confessionibus mansuetudo, & clementia.

Lenes, ac moderatas morum doctrinas secutus.

Hanc in sacris expiationibus rationem ipsa Deipara comprobat.

VII. Religiosam inopiam impensè coluit, & clientibus suis ma-

magno in honore esse voluit. Quod domi esset abjectum, atque deterrimum, seu pallium, seu vestis, sive cubiculum, sive utensilia, id sibi admirabili ingenuitate, ut optimum, & unicè commodum, atque optatum arrogabat. Si quod esset in domiciliis cubiculum angustum, & subobscurum, quod luminibus obstructum esset, & quod omnes refugissent, illud tanquam idoneum valetudinibus suis sibi optabat; ita in Menenino, ita in Bisbonensi, ac Lilybœtano Collegio, ita ubicunque fuisset, factitatum comperio. Quum in Mamertino Collegio Theologicis studiis daret operam, annum integrum sine scamno, sine scriptoria mensa transegit; eumque, quem in cubiculo contubernalem habebat, enixè rogavit, ea nè de re majores admoneret, quòd sibi lectulus ad officia omnia satis esset; gaudere se expedito, & a quisquiliis vacuo cubiculo, ad excreationis, & deambulationis commodum, atque munditiem. Linteas syndones, & induvia, nisi æger, non adhibuit. Frigoris obtentu femora, & crura crasso, & setoso panno induebat, qui pediculos aleret, quos ipse pauperum pecus falsè dictitabat. Præter pauculos libellos, & imagines papyraceas, nihil præterea penes se retinebat. Nihil unquam, ut minimum, minimique pretii, nisi factâ singillatim a majoribus potestate, neque admisit, neque dedit; nè frustulum quidem panis, quod Mœnis sibi in mensa subtractum, quo tempore fames urgebat, pauperculis discipulis suis impertiebat. Lilybœo cum domesticis aliquot Panormum veniens, multis precibus a comitibus extorquebat, ut liceret sibi in diversoriis, vel in stabulo, vel seorsim in palea cubare, quòd se olidum, diceret, habere corpus, fœtidas animas, quorum odore clauso in loco contubernales offenderentur: ille verò ut cum maximè sibi gratulabatur, quod pauperum more diversaretur, atque quiesceret. His disciplinæ suæ alumnos ad christianam inopiam fingebat institutis, in Collegio præsertim Panormitano, quum eam excoleret juventutem, quam ei Majores commiserant, religiosis artibus informandam. Tantam domesticis adolescentibus paupertatis curam, & amorem injecit suavissimis ratiocinationibus, atque colloquiis, quibus eos adhortabatur, ut nudum Christum nudi sequerentur, tanquam strenui, & expediti in acie milites ducem suum; tantam, inquam, ut nihil elegans, nihil supervacaneum, nihil, quod delicatiores munditias saperet, apud se inveterare paterentur: sed omnia simplicem quandam præseferrent humanarum rerum abdicationem. Et sanè illapsa de cœlo cerneres, aurea illa exorientis christianæ religionis sæcula, cum

Præclarissima religiosæ ejus inopiæ exempla.

Quæ supervacanea sibi videtur, a cubiculo removet.

Ejus temperantiæ, ac contemptionis admirabile documentum.

Ad paupertatis disciplinam domesticos adolescentes mirificè informat.

Quæ fuerit ex his institutis vis atque fructus.

Digitized by Google

cum qui se Christo adjunxerant, res suas projicerent *ad pedes Apostolorum*. Nimirum quidquid esset ornamentorum, quidquid pretiosum, aut curiosiùs expolitum, quidquid omnino non necessarium, aut furtim illatum, libellos aureis lineamentis interlitos, argenteas cruces, pictas Imagines, amuleta, cereos agnos, exquisiti operis calculos Marianos, & alia ejusmodi pia munuscula ad Piccinum deferebant, tanquam de se relatas victorias, præclara insignia, nobilesque manubias, quas ille pecuniâ commutabat, & in salutares usus convertebat.

Constantia Russia per eum constãtem vim lacrimarum assequitur.

VIII. Nonnulla effugerunt ejus in occultandis cœlestibus beneficiis industriam, quæ satis indicarent, Divinitatis in homine residentis virtutem. Constantia Russia nobilis Lilybœtana, quum Piccinum animadvertisset inter immolandum perpetuò flentem, ab eo quæsivit, qua ratione non absimilem lacrimarum vim ea assequeretur: *Cogita*, inquit Piccinus, *Deipara lacrimas, easque divino filio offer*; quod quum illa fecisset, repentè intimo sensu commota, uberrimis manavit lacrimis, quas deinceps ea cogitatio constantissimè eliciebat. Frater Leonardus Bonannus consueverat in Collegio Lilybœtano sacrificanti Piccino per hiemem ante lucem ministrare. Accidit, ut podagrâ correptus, neque consistere, neque ullam in partem moveri posset; quare Piccinum, qui accersitum venerat, ut ad consuetum officium properaret, gemens orat, ut sui ad aram meminerit. Ille pollicetur. Et peracto sacrificio ad infirmum redit: rogatusque nunquid meminisset: *Memini*, inquit, *& Deum obsecravi, ut tuum dolorem in me transferret: meus enim morbus uni mihi molestus est: tuus verò, qui domestica curas obsequia, domum conturbat. Et jam pedes lancinari sentio.* Tum Frater, *equidem te sacrificante, paulatim levatus sum; & dolore jam omnino exemptus, ad officii partes redeo*. Externus Sacerdos Bartholomæus Valentianus Lilybœi gravissimo morbo diu vexatus, & in horas fatum opperiens, Piccinum cogitat, & ejus gratiâ, vitam sibi a Deo donari postulat. Leni sopore comprehensus, Piccinum animo cernit, hilari fronte de salute pollicentem. Evigilat, & extempore convalescit. P. Marcellus Angelus jamdudum articularius, ex dolorum magnitudine, qui somnum averterant, diuturnas passus vigilias, verituque, nè mens emoveretur, & in insaniam labi contigeret; Bernardinum oravit, ut soporem sibi a Deo impetraret: ille secessit, duas horas ante divinam Eucharistiam de genu posuit, & ad Marcellum reversus, eum aqua lustrali resperst, & è vestigio discessit. Marcellus eodem tempore som-

Fratrem Leonardum Bonãnum podagræ laboribus eximit, & in se trãsfert.

Sacerdos graviter decũbens, ejus beneficio convalescit.

P. Marcello Angelo diuturnas vigilias patienti soporem impetrat.

num illabentem sensit, & diu quievit; neque deinceps somno caruit. Ibidem Apollonia Jacalonia dives, & nobilis Lilybœtana, septimum jam annum sterilem nacta thalamum, a Bernardino enixè contendit, ut prolem sibi a Deo postularet. Negabat ille, id è re sua fore, & nè se futurorum præscium ostenderet, dolores, ærumnas, molestias exponebat, quibus in procreandis liberis Matres sunt obnoxiæ; neque tamen illi persuadebat, ut ab ea mente desisteret; reponebat enim se non postulare, ut meliore sit, quàm reliquæ mulieres, conditione, neque communes miserias recusare. Tum Piccinus optimè sperare jussam dimittit, monetque, ut Franciscum conjugem ad se mittat; agit cum viro, accuratiùs docet, nescios homines divinorum consiliorum imprudenter facere, qui nimis contendant, id evenire, cujus exitus perniciem fortè haberet, atque dolorem; hortatur, ut divinæ voluntati acquiescat, cujus superiorum annorum orbitas apertam præferret significationem. Sed neque hunc a liberorum cupiditate deterret, qui excusavit perpetuum uxoris desiderium, cujus ægritudinem animi diutius ferre non posset. Ad ea Piccinus subridens; *Quando*, inquit, *ambo in eadem mente perstatis, estote votorum compotes. Videte tamen, nè id consecuti, quod tantopere flagitatis, vos flagitationis vestræ pœniteat, & vota vestra damnetis; sed quæ, susceptis liberis, in vos irruent fortunæ tela desiderio vestro assignabitis, & patienter sustinere memineritis. Nascituro quamprimùm filio Josephi nomen imponite*. Interpellat Franciscus, quòd jampridem voviſſet a Beato Ignatio nuncupandum. Tum Piccinus; *Vocate ergo Josephum Ignatium*: nam B. Ignatius lubens loco decedet. Paulò post Panormum evocatus, querenti Jacolonio, quod eo absente, spes familiæ interciderent; *Nè dubites*, ait, *fore rata quæ dixi. Sed nolim negligas æquo animo ferre, quæ Deus futura constituisset*. Post annum Apollonia peperit, inditumque puero Josephi Ignatii nomen. Sed filius recens natus parentum gratulationem interpellavit, quòd luscus est deprehensus. Atque id fuit ærumnarum initium, quæ postea, ex ejus ipsius filii contumacia perennibus incommodis familiam perculerunt, & memores Parentes insigni luctu contristârunt. In Collegio Panormitano in Fratrem incurrit, qui ad compescendos veneris impetus cilicium induerat atque: *Pone*, inquit, *fili intimam istam, asperamque tunicam, nam tanti non est fugax illud naturæ desiderium, ut tandiu armatus incedas*. Gravissimè in se consulere apud se constituerat infelix quidam homo, qui Panormi a-

Nobili Matronæ ex prole, quam postulabat, perniciem futuram edicit.

Matrona cum suo conjuge in eadem voluntate persistit.

Impetrata jam Proles vaticinio fidem facit.

Percitum quêdam in se gravius consulentem a consilio depellit.

sa-

sacra expiatione excluſus fuerat, quod ſcelera detuliſſet, quæ nonniſi a Romano Pontifice relaxarentur; neque Romanam profectionem explicare poterat. Ejus periculi Piccinus de cœlo admonitus domo exit, rectà extra portam Civitatis properat, hominem manus ſibi afferre parantem aſſequitur ſolum, & triſtem: elicit blandis verbis mœſtitiæ cauſam, a profectione liberat, a nefario conſilio depellit, Chriſto conciliat. Primarium quendam virum, cujus animum ipſe regebat, pium, & probum, quæ impenderent, procellas docuit; expoſuit ærumnarum Iliadem a familiaribus conflandam: eos nominatim appellavit, qui calumniæ faces futuri eſſent, opportunis conſiliis ad pugnam, & victoriam armavit. Denique non aliis armis, quàm quæ dies, & patientia ſuppeditaret, pugnandum, atque vincendum declaravit. Eventus vaticinii fidem liberavit. Perhibet demum Jacalonius ille, cui Piccinus, quam diximus ſobolem impetravit, eo occultiſſimas animi ſui latebras, & intimos receſſus ſibi enunciante, ut qui oculis mentis arcana perſpiceret, ſe attonitum exclamaſſe: *O virum ſanctiſſimum, & Franciſco Seraphico conferendum!* Tum verò Piccinum, ad terram procubuiſſe, & eam ter exoſculatum, atque pudore ſuffuſum, ſeſe inde proripuiſſe. Ferocientem mulam, quam nemo tangeret, aut accederet, unus Piccinus ſine periculo, ac metu plauſit, atque pacavit. Domeſticum incendium, quo Collegium Panormitanum conflagrare cœperat, ejus unius manus reſtinxit, qua flammis crucem objecit.

Alia hujuſmodi facinora ſtrictim attinguntur.

IX. Quanta fuerit apud omnes ejus opinio ſanctitatis non facilè paucis complectar. P. Marius Berenguccius Senenſis, qui in Provinciæ magiſtratu Piccinum intimè novit, diſertè commemorabat, ſe, qui plures luſtrâſſet Provincias, multoſque conſpicuos pietate, ac religione viros cognoviſſet, neminem comperiſſe Piccini ſimilem, aut æqualem; neminem cui nulla ineſſet anſa reprehenſionis, neminem, qui ab omnibus, & ſine exceptione laudaretur, niſi Piccinum, in quo nihil eſſet humanà fæce concretum, a quo nihil dictum aut factum, quod quiſquam reprehenderet, cujus virtutes ſine æmulatione, aut invidia commendarentur. Idem, ut ex Provincia deceſſit, perpetuos ſecum attulit reliquæ vitæ comites Piccini memoriam, & deſiderium. Ajebat enim, cœleſtem illum vultum, ex quo jucundus quidam pietatis ſplendor eluceret, & candidiſſimos illos mores, in quibus nihil non reſideret aut laudatum, aut laudabile, ex animo nunquam excidiſſe: & ſe quum vellet exſuſcitare intimum pietatis ſenſum, Piccinum cogitare conſuêſſe: neque

Luculentiſſima virtutis, & probitatis ejus teſtimonia.

Ejus memoria P. Berenguciũ ad pietatem cõſtanter excitat.

Digitized by Google

quicquam tam cupere, quàm unà cum Piccino esse, & eum habere vitæ magistrum, rectorem animi, & ducem consiliorum, sive aliis præesset, sive uni sibi vacaret. Et sanè memorabilis fuit, & sine exemplo universæ Provinciæ in uno hoc homine laudando consensus, quin ulla unquam communem prædicationem obtrectatio interpellaverit; quòd uni sibi austerus, atque difficilis; reliquis omnibus jucundus, ac facilis: privatim severus & tristis; publicè facetus, & popularis, dignitatem non ex supercilio, sed ex innocentia, & aperto candore colligeret; & non modò a se culpam, sed omnem culpæ suspicionem amoveret. Bernardinus Confalonerius Mediolanensis, quo Provinciam administrante, Piccinus secessit, ita de eo sentiebat, ut nihil eo sanctius fieri posse affirmaret, nihil emendatius, nihil ad summæ virtutis normam excultius: in eo enim animadverterat inusitatam loquendi, agendique conditionem; nimirum ita temperatam vitæ consuetudinem, ut quum ab eo nil unquam esset astutè factum, aut dictum, omnia tamen ejus singularia simul essent, atque omnino communia, propter ingenuam quandam elegantiam, quæ quotidianos ejus mores quàmmaximè commendabat. In Lilybœtana ejus commoratione gravissimus ætate, ac magistratibus noster Sacerdos, eódem destinari curavit, ut cum eo unà viveret, & ejus consiliis uteretur. Quum ad publicas custodias excolendas, & sublevandas interdum exiret, non secus ac si sacræ Reliquiæ circumferrentur, is erat deducentium, & vestes ejus tangere conantium concursus, ut plerique videndi ejus desiderio superiora loca conscenderent. Testatus est nobilis quidam Patritius, se, cum Piccino familiariter agere solitum, nunquam in ejus vultum oculos conjicere ausum fuisse, quamquam ejus contemplandi cupiditate flagrabat, quòd cœlestem quandam animam sibi adesse divina quasi dignitate fulgentem animo cerneret. Religiosissima quædam mulier, divinis rebus jampridem assueta, cum eo semel, & raptim colloquta, prædicabat, plura se in brevissimo eo colloquio didicisse, quàm ex omnibus libris, & concionibus, aut exassidua, & diuturna summi cujusque viri consuetudine; quare paratam se pedibus Romam ire, ut non absimile cum eo colloquium institueret. Pervulgatissimum erat inter domesticos, auditum non semel in cubiculo ejus cœlestem concentum, quo animi magis, quàm aures recrearentur. Ejusque rei auritum se testem præbuit P. Cæsar Cossus, qui quum Domui præesset Panormitanæ contubernalis ejus fuit. Famà virtutis ejus adductus nobilis quidam Parochus magnis, multisque flagitiis inqui-

Universæ Provinciæ de ejus sanctitate inusitatus consensus

P. Bernardinus Confalonerius præclarissima quæque de P. Piccino sentit.

Incredibilis externorum virorum ad eum concursus.

Nobilis Parochus magnis flagitiis inquinatus Piccino se totum tradit.

qui-

quinatus, Panormum venit, petitque colloquium. Eà primà congressione tantopere captus est, ut se totum Piccino tradiderit, & quæcunque imperâsset, se facturum receperit. Piccinus sibi metuentem consolatur, præsto se futurum pollicetur, hortatur, ut domum redeat, & quæ ad expiationem præmittenda essent, componat, neque vereatur, spatium sibi ante mortem defuturum, qui animi sordes abstergat, & ad sacri Pastoris officium rectè obeundum comparet. Sub idem tempus Piccinus Romam evocatus, quum paucos menses Tybure consedisset, Romano in Collegio extinctus est. Ejus rei nuncius Præsbyterum, qui ejus operam sibi pollicebatur, usqueadeo consternavit, ut noctem flendo egerit, veritus nè auribus data fuissent, quæ Piccinus futura prænunciaverat: *Quis ejus similis pari caritatis suavitate perditis rebus suis mederetur?* In eo doloris, & anxietatis æstu, resonantem in imo pectore Piccini vocem audit, admonentis: *Nè dubitaret, fore de cœlo rata, quæ ille promisisset: non defuturum Panormi è nostris alium, qui opem ferret.* Ea spe excitatus, viæ se committit, & in *Professorum* Panormitana Domo in nostrum incidit Sacerdotem, qui castigatum, emendatumque dimisit.

Parochum ex ejus obitu consternatum intima voce solatur.

X. De Tyburtina ejus commoratione nihil adnotatum reperio, nisi quod, quum infirmas corporis vires, profligatamque valetudinem ad insuetum maximumque puerorum eruciendorum laborem attulisset, tanto oneri impar propediem inventus est, ut ex pulmonum vitio macie contractà, in Collegium Romanum delatus, insanabilem phtisim, solus, & incognitus hilaritate summa menses aliquot pertulerit, mirificè lætus, quod is potissimùm morbus ei obtigisset, quem maximè optâsset; quoniam ea lues contagionem afflaret, & abs se domesticos omnes arceret, Siculos etiam adolescentes, qui studiorum ibi causà versabantur, & ab ejus cubiculo abesse jussi sunt. Ita neglectus, & maximà in solitudine delitescens, nisi quod in proximum ambulacrum aliquando irreperet, supremum vitæ spatium uni Deo vacans collocavit. Distentis utrinque, eo, quòd demonstravimus vitio pulmonibus, quum ægerrimè spiritum moliretur, magna exinde sitis arentes fauces urebat, dederat medicus, sibi ut largiter indulgeret, & eatenus biberet, quoad natura posceret: ille tamen, neque ut potaret, neque ut os abluere adduci potuit, rogabatque valetudinarii custodem, nè gravaretur frigidam interdum afferre, quòd alienus labor sibi gravior accideret, quàm suamet sitis; quin & hiante ore anhelabat, ut siccas fauces creber animarum æstus exasperaret. Stomacho om-

Ejus in ferendis doloribus invictus animus, & temperātia singularis.

Sitim, qua fauces urebantur, relevari renuit.

Digitized by Google

omnia fastidiente, rogatus quid sibi apponi vellet, capita, inquit, & pedes gallinarum, quibus nauseam vehementius excitaret. Muscas, quæ acervatim oculos, aures, nares, & hiantis oris meatum invadebant, neque abigebat ipse, neque ab aliis abigi patiebatur; & quærenti Mazzullo, cur ante mortem, cadaveris instar, corpus depasci sineret, lepidè respondit: *Sinamus, muscas munere suo fungi, & Creatoris sui injurias ulciscì. Numquid æquum est, eas alimento, & suo jure privare?* Graviter decumbentem, ita quidam e nostris, cui erat ignotus salutavit: *Ut vales frater?* Mirùm, quàm exultavit Piccinus! neque gaudium tenere potuit, sed Patri Rosæ amico ejus rem narravit, ut sibi gratularetur. Adfuit morienti Pater quidam Cecotius, qui in Collegio Romano animam agentibus suprema officia administrare consueverat. Hic ignotum sibi hominem juvare aggressus vulgaria verba inculcabat: *Ut Deo gratias ageret, quòd christianus, quòd in Societate, quòd extremis lustratus religionibus in vera Christi fide decederet.* Cui Piccinus: *Perge, Pater quæso, perge, ut cœpisti: quàm mihi places! Ut tua verba me recreant! Rudis sum, & ignarus, atque ad communia hæc, & vulgaria assuetus.* Quæ quum ille verissimè dicta crediderit, eadem renovare non destitit, donec Piccinus placidissimè acquievit, & mirum in modum exultans, quòd vitæ exitum nactus sit humilem, & inglorium, sexto idus Novembres annos natus sex & quadraginta, quorum sex supra viginti in Societate posuerat, quinque a solemnibus votis nuncupatis. Summi hujus viri meminere Riela, Tornamira, Patrignanus, Schinosus, Octavius, & Alphonsus Cajetani, atque passim monumenta Provinciæ. Auditâ Piccini morte Claudius Aquaviva, & funeri ejus interfuit, & luculentum maximis virtutibus testimonium reddidit: nam defuncti corpus sepositò in loco humari jussit, & ejusmodi titulum tumulo inferri: *Bernardinus Piccinus vir insignis humilitate*: quæ res Collegium Romanum admiratione defixit; in quo nonnulli nullius numeri hominem, & Adjutorem Fratrem crediderant; sed præsertim Patrem illum Cecotium, qui suprema verba morientis auribus insusurraverat. Eo usus est animi sui doctore, atque arbitro eximius ille sanctitate, & vaticiniorum glorià celeberrimus Sacerdos Hieronymus a Panormo, qui eà ipsà horà, quà Piccinus e vivis Romæ abiit, Panormi de fato ejus cognovit; & nostrorum aliquibus enunciavit; agenti animam Deiparam adstitisse.

Alia præclare facta & dicta patiétiam ejus, & temperantiã testantur.

P. Bernardinus Piccinus in Collegio Romano diem claudit supremum.

P. Aquaviva Corpus ejus sepositò in loco humari jubet.

XI. Intima Piccini consuetudo salutaris fuit P. Gaspari Federichio, qui eodem, quo ille anno natus, extinctusque est. Ortus

P. Gaspāris Federicii ortus, ingenium, & res optimè gestæ.

Digitized by Google

tus est itaque Messanæ anno 1566, & ibidem Societati aggregatus IV idus Sextiles. Andreæ Ungriæ Tironum magistro paulò ante Piccinum dedit operam, quo deinde vitæ, & morum doctore usus est. Mira in eo eluxit corporis animique concordia: nam ad staturæ proceritatem, & oris elegantiam, altum accessit ingenium; facilis, & candida indoles; aperta, & explicata agendi facultas. Philosophicas, & Theologicas Artes in Collegio Panormitano domesticis externisque auditoribus singulari cum laude tradidit, in disceptandi palæstra, sive propugnaret, sive oppugnaret, apprimè strenuus, & acutus. Mirum est, mentem ejus sublimioribus involutam litteris magnis etiam, assiduisque religionibus fuisse deditam. Ostentum de eo narratur illius simile, quod Patri Ludovico Mansono contigisse demonstravimus ad annum 1610. Flagrabat Federicius cognoscendi desiderio, quà vultus severitate Christus summam feret æterni supplicii sententiam in reos homines ad supremum judicium convocatos. Supplicabat in Panormitanæ Domus Templo ante divinam Eucharistiam solemni religione propositam, quum Christus ex cœlesti illa hostia repentè se ostendit, & acri eum obtutu intuetur; tum quasi fulgure perstrictus obriguit, & parum abfuit, quin exanimatus corrueret; ejus autem ostenti speciem, neque dies, neque curæ obliterare potuerunt, sed altè *insitam* menti, ad summum usque spiritum vitæ comitem sensit. Deiparæ cultum, & pietatem primam habuit. Laudes, virtutes, honores Mariani omnia ejus colloquia condiebant. Ei se alma Virgo non semel conspiciendam dedit; sed tum præcipuè animum ejus cœlesti rore respersit, quum amantissimè ait: *Gaspar, te mihi totum tradito, neque te pœnitebit.* Ex eo tempore qui Virginem antea dilexerat, eam tantopere amare cœpit, ut nil nisi Virginem cogitaret, & loqueretur. In Sacello domestico coram Deipara supplicans amore instinctus exclamavit: *O quàm pulchra es amica mea!* Cui illa: *Quidni ergo me amas?* Ea verba quasi cœlesti quodam telo pectus ejus confodére; tantosque deinceps moliebatur in ea diligenda conatus, ut non semel ex amore langueret, & quum inter domesticos versaretur, excusabat amoris magnitudinem, quòd non alium posset, quàm de Virginis gloria sermonem instituere: & qui ante id tempus horam in genua non consisteret, plures jam continenter horas, Deiparæ beneficio in eo statu permanebat. Supremo litterariæ palæstræ die, quo summa gymnasia ad autumnales ferias quotannis dimittuntur, pro moribus ejus temporis, scholam externi Auditores serico apparatu, & Ca-

Iratum Christi Judicis vultum videre desiderat, ac impetrat

Ejus probitas, & erga B. Virginem religio admirabilis.

Ei se B. Virgo conspiciendam non semel præbet.

Deiparæ religionem ex eo magnopere auget.

Digitized by Google

& Cathedram floribus ornaverant; quam ut Gaspar conscendit, fatalem horam imminere vaticinatus, modicè Christi ad Magdalenam detortis verbis, ait: *Ad sepeliendum me fecistis.* Itaque octavo jam anno, ex quo divinas artes in Collegio Panormitano tradendas susceperat, ad Collegii Catanensis magistratum designatus, morbo tentatus est, in quo quum acerbissimis doloribus angeretur, non alia fuit ejus vox, quàm: *O quàm pulchra es amica mea, dilecta mea, columba mea!* Quibus in verbis ad Deiparam properare cupiens, suavissimè consumtus est tertio nonas Octobres, annos natus sex supra quadraginta, quorum triginta in Societate posuerat: septem verò post edita quatuor Professorum vota.

Admirabile mortis ejus præsagium re comprobatum.

P. Caroli Regii generis, ingenii, atque indolis præstantia.

XII. Peregre vitæ cursum laboriosæ clausit in Romana Domo P. Carolus Regius Panormitanus Petri frater natu secundus: Vir doctrinà, magistratibus, & facundiæ præstantià clarioribus Provinciæ luminibus accensendus. Natus est anno 1538 generosis parentibus, quibus non invitis anno 1553 ætatis decimoquinto, ut contra vulgaria monumenta scribit Matina æqualis, & necessarius ejus (cujus nos fidem sequimur) Societati se addixit. Ingenio fuit alacri, prompto, & supra communem conditionem splendido, atque fœcundo. Indolem sortitus est acrem, reperiendi cupidam, & limæ patientem; item providam, & ad repentinos casus sapienter explicandos maximè idoneam. Omnes in eo floruerunt inclyti Oratoris virtutes, vox, gestus, memoria, & ingenua quædam audacia, atque oris dignitas, quæ plurimùm confert ad agendos auditorum animos, & motus efficiendos. Panormi, Messanæ, Romæ litteris excultus, disciplinam Societatis, & B. Ignatii instituta adeo constanter arripuit, ut & strenui militis, & peritissimi ducis in omni vita partes impleverit. Humaniores litteras, Rhetoricam, Philosophiam, divinas Artes; Christianarum legum, morumque disciplinam Panormi, & Romæ tradidit, ab ingenii multùm acumine, & eruditione laudatus. Gubernationis scientià adeo excelluit, ut omnium Siculorum post Carminatam primus, Matina auctore, domesticæ Reipublicæ in Provincia admotus anno 1574, ætatis suæ duodequadragesimo, Collegii Catanensis magistratum inierit, quo tempore, domestica juventus Collegii Mamertini, sæviente ibi pestilentià, Catanam se recepit cum doctoribus suis, & propter Collegii angustias, in vacuis tum ædibus Catanensis Pontificis aliquandiu consedit. Quæ fuerit eo tempore Caroli institutio juventutis, litteris mandavit idem Matina tum adolescens, & contubernalis, his ferè verbis

Ejus in custodienda Societatis disciplina, constantia.

Societatis munera ab eo præclarissimè obita.

ex

Digitized by Google

ex italico exceptis, atque conversis. *Carolo Regio, exemplis, & crebris adhortationibus præeunte, quarum mira vis erat ad commovendos animos; non hominum, sed cœlestium animarum Collegium videbatur. Quæ omnium sedulitas in frangendis animi motibus, & pacandis cupiditatibus! Quæ in corpore cruciando virtutis contentio! Quæ flagra, cilicia, jejunia! Neque in ipso tirocinio tantus ardor flagrabat animorum in virtutum æmulatione, in disciplina asserenda, in retinenda, & cumulanda innocentia. Nunquam alias vidi tam exquisitam religionum curam, tam exactum obtemperandi studium, tam communem in se negligendo fortitudinem, tam constantem humanarum rerum abdicationem, tantam fraterni amoris concordiam, talem divinæ caritatis abundantiam. Qui adfuerunt, si fieri potest, narrent ipsi, quàm effuso cœlestium voluptatum illapsu, fontes ipsos divini nectaris tum delibavimus. Nec domi tantùm: foris etiam strenuè pugnatum est, & servatum virtutis, & continentiæ propositum. Ad suos infinitimum oppidum cum Sacerdote missus noster adolescens, puellam, quæ de nocte lectulum ejus invasit, & exilientem retinere conabatur, strenuè repulit, seque in Collegium summo mane proripuit. Nostro Sacerdoti insidiata nobilis quædam mulier, cum Carolo egerat, ut ad se negotii causà mitteretur. Submissa est ancilla, quæ socium distineret, & modis omnibus peteret. Sacerdotem in conclave admissum duæ aggrediuntur, quarum una brachium collo injicit, altera manus affert obscœnas. Uterque Jesum exclamat, furias ejicit, & collatis periculis, domum victor se recipit. Duo item Juvenes, quum rure spatiarentur* (quorum unus fuit ipse Matina) *duarum puellarum impetum sustinuerunt, quæ inopinantes aggressæ; e manibus elapsos, & fugientes assequi non potuerunt. Adjuvit Caroli industriam, & navitatem Everardus Mercurianus, qui magistratus sui initio nonnullas edidit, & ad Provincias misit præceptiones, quibus Societatis disciplina augeretur, vel ornaretur. Jussit itaque Everardus, meditationes in singulas Societatis leges privatas institui; in quibus expenderetur: Primò, quemadmodum rectè intelligerentur: Secundò, quæ difficultates usum retardarent, & quibus artibus amoverentur: Tertiò, quæ utilitates, ex earum custodia consequerentur. Peractis autem meditationibus, per mensem, bis in hebdomade, omnes convenirent, & singuli exponerent, quid commentando reperissent. Incredibile autem est, ea exercitatio magnà curà per*

Ejus in excolenda domestica juventute mira sedulitas.

Sedulitatis hujus in Nostris adolescentibus memorabilia monumenta.

P. Everardi Mercuriani præceptiones accuratissimè servandas curat.

Digitized by Google

Carolum administrata, quàm salutaris fuerit, & ad disciplinam excitandam idonea. Emendavit enim mores omnium, & castigatioris vitæ studium ex magno maximum fecit. Initium item habuit apud nos ex Collegio Catanensi, Carolo Regio Rectore, mos Everardi mandato, in Provincias illatus, gerendi talarem interiorem vestem, non ut ad id tempus ante pectus consutam, & clausam, & quæ integras, ac laxiores haberet manicas, quales Monachorum tunicæ cernuntur; sed dissutam, & apertam, quæ ad collum ferreis fibulis clauderetur, & ante pectus duplicaretur, atque ita manicatam, ut extremi manicarum hiatus angusti essent, sed infima ex parte discissi; scissuram verò ferrei unci anulis inserti comprimerent: qualia tum erant talaria clericorum indumenta. Præcepit etiam Mercurianus, ut cœna meridiana jejuniorum nonnihil ampliaretur: quum enim ante id tempus tertio ferculo nonnisi malum aureum adderetur, apponi jussit, & quartum. Quod Carolus accuratè præstandum curavit.

Panormitani Collegii magistratum magna cum laude init.

XIII. Sed pestilentia Catanensium custodiarum diligentiam fefellit, & in Civitatem irrepsit, nostrosque adolescentes cum Carolo Regio Catanà abire coegit, & Panormum venire. Ibi Carolus a Paulo Achille jam sene, & cessandi cupido, primus Collegii Panormitani magistratum iniit, anno 1576 tantæ virtutis, & prudentiæ commendatione, ut nemo Achillis mansuetudinem, & caritatem desideraverit, omnes adjectam Achillis virtutibus dexteritatem, & industriam prædicarent. Auxit navitatis ejus opinionem insignis casus. Ad privata cubiculi officia utebatur Carolus Hipolyto Alberto Januensi, lectissimo adolescente, quem propter ingenii, virtutisque præstantiam, unicè diligebat; in eo enim insignis quædam eminebat pietas, atque religio quum in reliqua vita, tum præsertim, quum sumtà Eucharistiâ, secederet, & tantopere afficeretur, ut cœlesti flammâ genæ incenderentur, manarent ex oculis perennes lacrimæ, divinus horror artus invaderet, quem tremor consequeretur. Quare tanquam singulare probitatis, & innocentiæ specimen digito monstrabatur. Hic repentinà contagione correptus est, & quarto die magno omnium luctu extinctus V Calendas Quintiles anno 1577. Ejus mors Caroli animum supra quam credi potest, perstrinxit, tum propter carissimi, & maximæ spei adolescentis jacturam, tum præcipuè quod metuebat, nè pestilentia quæ in Collegium Panormitanum pedem intulerat, grassaretur, & Provinciæ sobolem interimeret. Erat tum ejus princeps magistratus, qui tam difficili

Carolum Hippolytum Albertum ob eximiâm pietatē, ac religionem, unicè diligit.

In Panormitanum Collegium eo Gubernatore incœpit pestilentia.

tem-

Digitized by Google

tempore, publicæ valetudinis satagebat Joannes Aloysius Regius Caroli pater; qui ut de Alberti casu cognovit, omnes Collegii aditus occludi jussit, & vallo, ac cratibus communiri, nè quis ultro, citroque commearet, excusavitque filio bonum publicum, cujus officium primum esset, & privatæ pietati anteferendum. Carolus animum non despondet. Defuncti cadaver altè infodit, omnia ejus utensilia aperto in loco concremat, cubiculum diligenter expurgat, suffitus salubres tota domo disponit, reliquis consulit; & nè in angusto, & clauso conclavi tædium, & ægritudo ex otio efficeretur, aut mens severioribus studiis delassaretur; disciplinarum administrationibus intermissis, novam, & liberam instituit academiam, in qua Juniores domestici vespertinis horis, amœniores litteras arbitratu suo profiterentur. Itaque hic Genesim, alius Exodum, ille Davidica carmina, alter B. Pauli Epistolas interpretandas sumit. Placuit aliis *historia*, his sacra, aliis profana. Nonnulli ad linguas se convertunt, latinam, græcam, hebræam, hispanicam, italam, gallicam. Seligunt alii poesim, alii matheſim, alii naturæ phenomena, alii Romanarum antiquitatum vestigia. Designantur qui singulis diebus arenæ se committant, & qui ex adverso disputent. Nunquam aliis impensiùs, alacriùs, jucundiùs vacatum est litteris, & peregrinis eruditionibus, quas sibi quisque suo marte, & ingenio traderet. Facta est omnibus copia Bibliothecæ, ut matutinas horas rectè collocarent, & ea congererent, quæ pomeridianis expromerent. Ipse omnibus aderat, & idoneos indicabat codices, & qua ratione argumenta exornarent, exponebat. Destinatum est etiam tempus religionibus, sacrisque colloquiis. Quotidie sermo aliquis in commune instituebatur de divinis rebus, iis ante admonitis, qui facem orationis præferrent. Additæ supplicationes, preces, corporis afflictationes, quæ Deum iratum pacarent, & cladem averterent. Tradit Matina, qui earum rerum pars magna fuit, nè autumnales quidem ferias, & rusticationes, lætiùs, ac libentiùs exigi potuisse, quàm consumti sint illi dies, quibus contagionis suspicio Collegium Panormitanum a communi consuetudine excluserat. Summo autem Dei beneficio, & Caroli industriæ est assignatum, quòd ad diem quadragesimum incolumes omnes perstiterint, quasi pro singulorum salute Hippolytus Albertus suâ vitâ litâsset, eumque habuisset Collegium Panormitanum sospitatis, & valetudinis apud superos deprecatorem. Gessit Carolus eum magistratum usque ad annum 1579, quum habito, vere ineunte, Provinciæ conventu, designatus est

P. Caroli per idem tempus domesticæ valetudini consulentis industria.

Instituta nova, & libera Academia magno litterarum profectu.

Plura etiam adduntur Religionis officia ad eam cladem avertendam.

Ad Romana minora comitia Procurator designatur.

Procurator ad Romana minora comitia, quibus habitis, autumno exeunte jussus est ab Everardo Mercuriano Neapolitanam Provinciam cum potestate lustrare. Eo in munere se memorabilem præstitit, temperantiâ, æquitate, mansuetudine, sed potissimè religione erga Deiparam, quam crebris adhortationibus in Collegio Neapolitano, curâ summâ aluit, & jampridem coalescentem mirificè amplificavit. Persuasit enim domesticæ juventuti, ut eam sibi proponerent, & optarent actuosæ vitæ ducem, & animarum salutis facem, atque rectricem, quæ concionantibus, & congrua orationis lumina, & morum efficientes sententias, & idonea ad vincendum quæcunque vellent, verba suppeditaret. Prope Calendas Majas anni sequentis 1580 magistratu abiit, & Messanam advectus ejus Collegii administrationem suscepit; quâ perfunctus Romanæ postmodum Provinciæ præfuit sub Claudio Aquaviva, a quo demum impetravit, ut ejus continentiæ morem gereret, neque deinceps sacris concionibus deditum, gerendæ reipublicæ curis, involveret: nisi quòd Provinciam Siculam aliquandiu in interregno administravit.

Schinosus part. 1. lib. 4. cap. 14 pag. 384.

In Neapolitana Provincia Deiparæ in primis cultum amplificat.

Orator Christianus lib. 6. c. 22.

XIV. Sed potissima Caroli virtus in oratoris officio maximè enituit, in quo eloquentiæ principatum facilè tulit ea in ætate, quæ summos facundiæ duces aluit, & per Italiam emisit. Primum ea in acie stipendium fecit anno 1572, quum in Collegio Romano, anno ætatis primo, & trigesimo, magistris adhuc daret operam, Theologicæ disciplinæ candidatus. Quum enim Joannes Oliva, Pontifex Theatinus, Societatis Collegium maximè flagitaret, in Sacerdotii sui sede constitui; visum est Hieronymo Natali, B. Francisci Borgiæ absentis Vicario, Carolum Regium eò mittere, ut cujus eloquentiam Romani cupidè, sed raptim delibaverant, sacras ibi maximi jejunii conciones primùm efferret, & Theatini Collegii in Samnitibus, & Marrucinis coalescentia semina excoleret, & cœmenta pararet. Mirum maximè est, quantâ frequentiâ, quo populi motu, quibus lacrimis, quâ morum fruge, quotidie auditus sit. Sed longè admirabilius, quod ad quotidianum concionandi laborem, tot alia accesserint maximarum occupationum momenta, quot plures homines delassarent. Diebus singulis christianæ doctrinæ elementa populo tradidit. Ad sacras etiam Virgines, & singulas Sodalitates, quæ in florentissima Civitate quamplurimæ numerantur, statis diebus, verba semel in hebdomade fecit plena salutis, & pietatis. Eucharistiæ sumendæ desuetudinem amovit. Quater ad cœleste epulum populum invitavit, & ipse sa-

Eloquêtiæ ejus præstantia, & laus planè singularis.

Sacchin. lib. 8. num. 193.

Theaten concionator mittitur, & Collegii jacta jam semina excolit.

Ejus præclara gesta Theatinos ad Collegium condendum vehementiùs inflammant.

Digitized by Google

sacram dapem sua manu dispertivit. Deo publicè supplicandi morem invexit. Quotidie quum illucesceret, jam in hoc, jam in illo diversarum regionum templo, populum convocavit, & cœlestia contemplandi, & precibus Deum colendi rationem edocuit, & se præeunte ad exercitationem proposuit. Instituit, ut primâ noctis horâ, dato signo, pro defunctis comprecatio fieret. Custodias interdum lustravit, verbis, & re juvit, atque salutaribus sacris expiavit. Uni ex Sodalitatibus negotium dedit, ut pauperibus perpetuò consuleret: & octavo quoque die Sodales quatuor designaret, qui ad id corrogarent: ut omnia verbo complectar Theatinorum Civitatem divino igne recusam, & Christo conciliatam, impensius Societati demeruit, & ad Collegii condendi consilium vehementiùs inflammavit. Ex eo tempore Carolus, quadragintà continenter annos concionandi consuetudinem, in magistratus etiam, & disciplinarum doctrinà retinuit, numeravitque eloquentiæ suæ obnoxias, præcipuas Italiæ Civitates; Romam, Neapolim, Mediolanum, Lucam, Januam, Bononiam, Ferrariam, Panormum, Messanam, Catanam, Syracusas, Drepanum, aliasque quamplurimas: sed in Romana *Professorum* Domo consedit, ex quâ quotannis in expeditionem exire consuevit. Commemorabilis illa fuit, qua anno 1601 ab Aquaviva Ticinum, nunc Papiam, missus apud ædem Sancti Theodori, admirabili facundiâ, vitæque elegantiâ Ticinense Collegium, accitis Sociis ad messem, & capturam, inchoavit. Concionum ejus tanta erat vis, & ad populos commovendos facultas, ut miræ mentium conversiones existerent, & omnia religionem, ac pietatem spirarent. Scribit Matina, legisse se litteras, quæ ex remotis Italiæ Civitatibus, & nominatim Januâ, Panormum ad amicos mitterentur, quibus nunciabatur, Caroli vocem tanquam ex Apostoli Pauli ore missam ex auribus in pectus descendere, & animos hominum ita concutere, ut nunquam aliàs tanta morum commutatio sit animadversa. Sed quod ipse Panormi vidit, quo tempore Carolus in Templo Domus *Professorum* sacras magni jejunii conciones habuit, testatur his ferè verbis: *Cerneres summo mane auditoribus stipata subsellia, eo autem concionante, & eadem amplissimam personante, conferta omnia, stantibus, & ex ejus ore pendentibus densissimis civium examinibus, qui ad fores usque, & Templi gradus aditu prohibiti, agglomeratique permanerent. Nemo, qui non adfuit flentium, & ejulantium conclamationes, aut fieri tantas potuisse crediderit, aut quales fuerint animo finxerit. Infinitum esset enumerare, quot puellæ ad sacra clau-*

Concionum ejus vis, & ad populos commovendos mira facultas.

Matina pag. 29. & 30.

Qui fierent ad eum auditorũ cõcursus ex Matinæ testimonio.

Qui ex ejus cõcionibus fructus relatus.

Digitized by Google

clauſtra confugerint, quot adoleſcentes humanis rebus valedixerint, inter quos fuit Franciſcus Lombardus, qui ſe, ſuaque omnia addixit Societati; quot familiæ, quot perditorum hominum turbæ a vitiis emerſerint ad bonam frugem converſæ. Diebus ſingulis in ipſo templo jam quinquaginta, jam aurei ſexaginta cogebantur, quibus egentibus ſubveniretur. Conferebantur inaures, anuli, armillæ aureæ; Matronarum honeſtiſſimæ ſericas pallas, & muliebria ornamenta ibi ponebant; aliæ domum reverſæ inde mittebant, addebantque ſindones, lodices, & omnis generis ſupellectilem inopibus ſublevandis idoneam. Vidi ego pauperrimam anum, quæ quum domi nihil haberet præter lectulum; humeris ſublatum ad concionatorem detulit; & nullis precibus adduci potuit, ut ſibi haberet.

Bibliorum libros inaudita populi frequentia interpretatur.

Supremis ante fatum annis in Domus Romanæ Templo divinorum Bibliorum libros interpretandos ſumſit, inauditâ populi Romani frequentiâ, confluentibus etiam ſacris præſulibus, aderantque dicenti tres ſaltem Purpurati, interdum quatuor, & eo amplius. Inter dicendum morbo correptus, ut ſtrenuus Chriſti miles, paucos poſt dies in acie, & armis extinctus eſt, poſtridie Nonas Octobris, anno ætatis quarto ſupra ſeptuageſimum. Extant Roberti *Card.* Bellarmini ad Carminatam litteræ cum hac clauſula: *Adfui P. Carolo ex eo morbo decumbenti, quo ad æternam requiem eſt evocatus, & magnopere de ſe metuentem comperi, cujus cognitam, & perſpectam habemus ſanctitatem, atque intimam cum Deo conjunctionem. Quid dicam miſer de me?*

Ejus Romæ obitus, & luculentiſſimũ probitatis teſtimonium.

Funeris honorem magnus populi Romani concurſus cumulavit. Idem Bellarminus defuncti manum exoſculatus, ait: *Magnum ſanctitatis lumen extinctum eſt.* Abſtulere plerique ex feretro intimæ veſtis lacinias, barbâ & capillo detonſis. Auctor eſt Matina, Angelum Floridum Romanum colicis obnoxium doloribus, quum iis maximè premeretur, hauſtâ cum ejuſmodi capillorum ſegminibus aquâ, repentè convaluiſſe.

Beneficium e cœlo per reliquias ejus collatum.

Reliquit ingenii imaginem, atque animi ſui, & doctrinæ, ac eloquentiæ teſtem Oratorem Chriſtianum, juſſu Aquavivæ ab eo editum Romæ eo ipſo anno quo extinctus eſt, apud Bartholomæum Zannettum. Tam cupidè is codex propter operis præſtantiam, exceptus eſt, & diſtractus, ut ſequenti anno renovatus fuerit, prælo Colonienſi a Bernardino Gualterio. Cuſtoditur in Bibliotheca Collegii Panormitani ejus ineditum *de Pœnitentia* volumen. De viro eximio commemorant præter Matinam, (qui tradit conſcriptam Romæ vitam ejus, quæ utinam ad nos perveniſſet) Alegambe, Philip-

Scriptores, qui de eximia ejus ſanctitate meminerunt.

pus

Digitized by Google

pus Labè, Riela, Ricciolius, Barlotta, Peregrinus, aliique, quorum loca consignavit eruditissimus Antoninus Mongitore. Sed nullum est luculentius Claudii Aquavivæ testimonio, qui Caroli Regii; quam diximus lucubrationem Provinciis proponit, tanquam rectum oratoriæ disciplinæ specimen, epistolà decimà sextà, quam dedit ad Provinciarum præfectos V Calendas Junias anno 1613, his ipsis verbis: *P. Carolus Regius ad usum, & institutionem Concionatorum Societatis, percommodum, atque uberem nostro jussu librum conscripsit; Pater item Mazarinus, alium ejusdem argumenti tractatum, brevissimum quidem, sed methodo, & præclaris monitis commendabilem: Fuit uterque in munere concionandi apprimè exercitatus: Quocirca faciendum, ut quæ ab utroque scripta sunt, ea diligenter a nostris, atque utiliter perlegantur.* *Tom. 1. Bibliot. Sic. pag. 129.*

XV. Meminerunt & Patris Thomæ Marulli magna cum laude fasti provinciales, Messanæ ortus anno 1558, ibidem in Domo *Professorum* tumulatus est V idus Februarii. Generis excellentiam, insignis temperantiæ basim, & sedem fecit. Theologicæ disciplinæ discendæ admotus, anno secundo studiis se abdicare coactus est; & a quatuor votorum spe depulsus, honoris jacturam magno in honore, ac pretio habuit, maximè lætus, quòd humilioris vitæ conditio ei in Societate obtigisset. *Nihil ei gravius* magistratibus, quos bis in Provincia, ut invitus, ita magnopere ab caritate, & mansuetudine commendatus gessit. Intimam cum Deo consuetudinem unicè coluit, nil mente versans jucundius, nihil suavius ore proferens, quàm quæ cœlestis providentiæ contemplationem alerent, & virtutem, ac sanctitatem declararent. Sibi enim proposuerat tanquam consiliorum, & eventuum ducem, & arbitram divinam voluntatem, in cujus nutu dulcissimè conquiesceret, sive jucunda contingerent, sive adversa. Maximam vitæ partem in Mamertina domo consumsit, nostris æquè, ac externis jucundus, & amabilis, a cupiditatum cœno planè remotus, morum & vitæ magistrum publicè se privatimque præbuit. Parendi, abjiciendi sui, domandique corporis studiosissimus, ante canos vitam ponere flagitavit, nè suis gravis esset, & a Deo impetravit. Morti jam proximus urgere non destitit, ut sibi per majores liceret humi jacere, atque mori; quod indignum videri diceret, infimæ sortis gregarium cubare molliter, qui ducem suum cerneret in cruce morientem. Elatus est inter omnium lacrimas annos natus tres, & quinquaginta. Reliquias ejus & vivi, & mortui, magno studio conquisitas, in pretiosis rebus ha-

P. Thomæ Marulli ortus, & insignis ejus temperantiæ initia.

Ejus intimæ cum Deo consuetudo, & animi æquitas.

Reliquæ ejus in domestica consuetudine virtutes.

Supremum temperantiæ ejus documentum.

Ejus sanctitatē reliquiæ comprobant ægris salutares.

habitas esse, & ægris salutares perhibent domestica defunctorum elogia. Vivere ibidem desiit P. Hieronymus Galitia Syracusanus, senex emeritus, quem oculis captum, secedente Collegio, in Mamertina Domo permansisse narravimus, & Afris excolendis ad supremum usque vitæ spatium egregiam navasse operam. In Collegio Catanensi annos octo permansit, quin pedem unquam domo efferret. Laudatur in eo potissimùm integerrima cum animi, tum corporis innocentia, & in ferenda cœcitatis calamitate perpetua hilaritas. His virtutibus datum fertur, quod jam jam moriturus, cœlestis concentûs suavitate delibutus, mortem in maximis deliciis habuerit. Quatuor votorum sacramentum dixerat, & annum undequinquagesimum in Societate exegerat, vitæ verò quintum & sexagesimum.

P. Hieronymi Galitiæ obitus, & vitæ integritas.

Animam agentem cœlestis cõcentûs suavitate delibutum ferunt.

XVI. Ab junioribus vacaverat tironibus, superioribus annis, tirocinium Mamertinum, quòd eam Domum incoluerant tertiani Patres, qui, confectis studiorum stipendiis, singulis annis secedunt, & menses ferè decem a curis omnibus avocati a litteris, ad exsuscitandas disciplinæ religiones se convertunt. Hi ab exitu anni 1610 ibi consederant. Sed reclamantibus Mamertinis, quod ea res testatorum institutis, & voluntatibus parum consentanea videretur, reditum est ad tirunculos juniores. Verùm nè nova omnino soboles institueretur ex eorum numero, qui deinceps Societati nomen darent, colonia deducta est ex tirocinio Panormitano; & undecim sunt designati, qui annum illic meruerant, Franciscus Scorsus, P. Vincentius Raymundus, Franciscus Burlus, Alexander Manthia, Franciscus Gregorius, Franciscus Biancorosius, Angelus Chiaranda, Jacobus Venetianus, Franciscus Tamitius, Franciscus Rigolinus, Placidus Moletius, qui VI Calendas Septembres hujus anni tirocinium Mamertinum integrârunt. Fervebat per hæc tempora in sociorum animis Provinciæ dissociandæ, ac discludendæ studium, ut ex una duæ constituerentur: neque Aquavivæ repulsa plerosque ab eo consilio deterruerat, sed in eodem perseverabant; & perficiendi negotii vias omnes rimabantur, quod fieri non poterat sine discordia, & perturbatione Provinciæ. Postulati sunt apud Claudium tanquam consilii auctores P. Benedictus Moletius Domui Mamertinæ Præpositus, & P. Jacobus Caribdes, viri probi, & innoxii, quos ille apud se causam dicere, & Septembri mense Romam venire jussit, ut se coram expurgarent. Maturant profectionem, dicam sibi scriptam refellunt, non diffitentur, Provinciæ disjunctionem commodam, & bono publico consentaneam videri; negant tamen, eam

Mamertinum Tirocinium Junioribus Tironibus vacuum, reclamantibus Mamertinis integratur.

Obfirmatus Sociorum animus in Provincia partienda.

Consilii auctores postulati Romam ad se expurgandos vocantur.

Digitized by Google

eam sibi assignari oportere, tanquam faces essent consilii, quod omnibus placuisset, aut negotium ipsi moverent, quod in Provinciæ conventu universi flagitâssent. Excusant commune desiderium, Insulæ magnitudinem, ejus quotannis lustrandæ difficultatem, exemplum aliorum ordinum, quorum alii duas, aliqui tres etiam Provincias in ea haberent constitutas: certissimis testimoniis vincunt, ea de re cum externis nullatenus agitatum; cum domesticis verò, quorum omnes, demptis paucissimis, idem cuperent, sine offensione agitari potuisse: quum præsertim Provinciæ primores consentirent. Claudius accipit excusationem: seriò tamen admonet, nè si quid velint, nimis velint; & Majo mense sequentis anni, indemnes, & incolumes in Provinciam dimittit. Moletius autem ab eo impetravit, ut liceret Marianis Sodalibus utriusque Artificum Sodalitii ter in anno divinam Eucharistiam populo in ipsorum Sacellis proponere, & quadraginta horarum religionem celebrare, additis etiam sacrificiis, quæ per eos dies peragerentur, quemadmodum quotannis, quo die Sodalitii titulus coleretur, fieri consuesset. Mariana Nobilium Sodalitas, cujus interest in Mamertinæ Domùs æde, tribus supremis bacchanalium feriis Eucharisticam hostiam publicè exhibere, auxit hoc anno religionem ligneâ mole, auro, argentoque eleganter distinctâ, quæ sequentibus annis vario opere magnificentiùs illata est. Franciscus Maria Pancaldus Patritius Mamertinus, qui sacrorum Christi Vulnerum religionem, singulis verni jejunii sextis feriis a Carminata repertam, & eò illatam, unà cum Bausii comite ære collato solemni ceremonia curandam susceperat; moriens aureos quindecim testamento annuos legavit, quos ad idem officium hæres quotannis perpetuò solveret. Salimbenius frater, cui hæreditas obvenerat, id oneris cupidissimè amplexus est: & cumulatiùs deinde præstitit, quod splendidè adhuc præstitum fuerat. Non ita Joannes la Rocca item Patritius, cujus familia B. Nicolai Barienſis Pontificis natalem diem jam pridem religiosis honoribus ibidem celebrare instituerat; eo enim sive onere, sive jure se abdicavit, idque ad nobilissimam Costarum gentem transire passus est, cujus hæres Franciscus Antonius Costa U.J.D. aureos decem hoc anno Carminatæ repræsentavit, & deinceps, pro sua liberalitate, & in B. Nicolaum, ac Societatem studio, censum auxit, ut ea religio splendidiùs administraretur.

Excusant apud Aquavivam commune totius Provinciæ desiderium.

In Marianis Sodalitatibus aucta erga Deiparam, & Eucharistiam religio.

Sacrorum Christi vulnerum religioni augendæ census constituitur.

Religio erga B. Nicolaũ Barienſem Pontificem, amplificato censu, augetur.

XVII. Ineunte anno 1613 XV Calendas Februarii P. Pompilius Lambertengus Novocomensis Messanam appulit, ibique 1613

in *Professorum* Domo permansit, ad usque majoris Jejunii exitum. In die Parasceves sacris operatus est, & quod ante id tempus factum non fuerat, Christi necis historiam a B. Joanne conscriptam, ad numeros concinuere P. Erasmus Marotta, P. Dominicus Stella, & Vincentius Bettonius, quorum primus historicum induxit, alter Christum, tertius actores reliquos, quorum verba ea in narratione exhibentur. Rei novitas Mamertinos maximè delectavit, & deinceps ad æmulandum adduxit.

In æde nostra Mamertina Christi necis historia ad numeros primùm Nostri concinunt.

Facit ad institutum insigne facinus, quod Messanæ edidit Sodalis Marianus, honestissimus negotiator, cui quum colaphum publicè inflixisset perditus adolescens, suaderentque necessarii ejus, ut injuriam per sicarios percussoris nece redimeret: *Sinite*, inquit, *honoris mei damnum probrosis remediis sanare velle, Quid mihi Christiano, & Mariano Sodali, cum sicariis, & sanguine? Sarciri non potest accepta publicè plaga clandestinà, privatàque vindicta. Prodire malo in Solem, & pulverem, ut nemo nesciat, & quam, & a quo illatam injuriam, & cui concedam.* Simul, datis vadibus, temerarium adolescentem, qui sibi fugà consuluerat, acciri mandat, & ad templum nostrum deduci. Ipse eódem contendit, & adstante utriusque familia, ac Principibus Civitatis, coram divina Eucharistia, juvenis manum apprehendens: *Amice*, ait, *nulla erat causa, cur me immerentem ignominia afficeres, injuriam nihilominus tibi non imputo; & Christo, qui adest, atque ejus Matri concedo. Quin tibi debeo plurimùm, & gratias ago maximas, quòd per te sum consecutus, ut Christo obtemperare, & honore meo litare possem, ac maleficium pro beneficio habere.* Quibus in verbis juvenem pectori admovit, & arctissimè complexus est, iis, qui aderant, flentibus. Denique adjecit: *Parum est, fili, quod homo hominem læserit; & homo homini ignoverit. Multum est autem, Deum ab homine læsum fuisse, & homini ignoscere. Vide, nè Deum habeas iratum, & quà ratione pacandus sit. Isto ingenio, atque indole, adolescens, remove, quaso, te a malorum consuetudine, quorum exempla, atque consilia nolentem transversum agunt. Nolim tibi persuadeas, ut nunc, ita semper tibi impunè futurum.* Tam illustris pacificatio, quæ tantam ostenderet animi magnitudinem, & christianæ virtutis momentum, publicis commissa tabulis, & legitimis testibus ad fidem judiciorum consignata, magnificis acclamationibus excepta est, & ad Marianæ disciplinæ famam, & gloriam, magnopere commendata.

Sodalis Marianus documentum temperantiæ insigne exhibet.

Injuriam ex inflicto colapho illatam perferre mavult, quã vindicare.

Percussorem complectitur, & ad honestã vitæ rationẽ hortatur.

Marianæ disciplinæ fama ex eo commendatur.

XVIII. Desideratus est V Calendas Quintiles in Collegio Pa-

Panormitano P. Augustinus Floritus Mazarienſis, anno ætatis tertio & trigeſimo excurrente, Societatis decimo ſexto. Inuſitata fuit memoriæ tenacitate in linguis arripiendis. R. P. Joannes Maria Dionyſius, ſive Bronzinus ex familia *Seraphicorum*, quos *Minores Obſervantes* vocant: hæc habet: *P. Auguſtinus Floritus Soc. Jeſu, præter doctrinæ excellentiam, tantum ſortitus eſt a natura ingenii acumen, & memoriæ theſaurum, ut omnes ferè Orbis terrarum linguas didicerit.* Item Rocchus Pirrus: *Auguſtinus Floritus Soc. Jeſu, ſummus Theologus, & Philoſophus; Poëta, & Græcarum litterarum profeſſor, compoſuit plures libros Tragadiarum græcè, & latinè.* Amœniores maximè litteras adamavit, & coluit; domeſticis propterea adoleſcentibus erudiendis egregiè deſudavit. Sed ſpes maximas immaturæ mortis neceſſitas amputavit. Caſtimoniæ ſervantiſſimus nè vocabula quidem noverat malarum artium. Obtemperandi alacritate Florito parem fuiſſe neminem, quandiu Collegio Panormitano præfuit, Octavius Cajetanus dictitabat. Religioſæ ejus inopiæ, ac temperantiæ illud extat argumentum, quòd ſilicem ſibi utilem, de trivio auferre non auderet, priuſquam a majoribus poteſtas fieret. Octavii Cajetani vigilias maximè adjuvit. Græcanica enim quamplurima monumenta, quæ in Vitis Sanctorum Siculorum latinè converſa leguntur, Auguſtino Florito debent operam, quemadmodum in poſthumi ejus operis *proemio ad lectorem* animadvertit P. Petrus Salernus. Ea enumerantur in Siculæ Societatis Bibliotheca, quam reliquit ineditam P. Dominicus Stanislaus Albertus, Provincialis hiſtoriæ Princeps. Diſtracta præcordiorum vena, ſanguinem inſanabili vulnere, diu rejecit, & mira animi tranquillitate, febricula, & macie extinctus eſt, nobiſque anſam præbuit non tam narrandi quid egerit, quàm quid egiſſet conjiciendi, ſi diutiùs vixiſſet.

P. Auguſtini Floriti immatura mors, & memoriæ ſingularis præſtantia

Rocchus Pirrus Sicil. Sacr. tom. 3. tit. de Vir. Illuſtr. Mazarien.

Ejus in Societate res geſtæ, & vita emendatiſſimè inſtituta.

Mira ejus in perferēdo morbo conſtantia.

XIX. Apud Thermas Selinuntias in Collegio nuper publicato, vitam poſuit ſeptuagenarius, ibidem ortus P. Balthaſar Siracuſa, vir apprimè pius, & innocens, qui nullà unquam gravi labe corporis, aut animi integritatem commaculaſſe fertur. Quandiu in Societate meruit, neque ſenio, neque valetudinibus prohiberi potuit, quominus diſciplinam retineret, & illatum ſibi a pueritia bellum continenter urgeret. Militiæ noſtræ muneribus accuratiſſimè deditus, tempus omne a laboribus vacuum, ſilens & latens cum Deo tranſigebat. Parendi cupidiſſimus Collegii Monregalenſis magiſtratum ab anno 1579, invitus & gemens, laudabiliter, & ſummà (ut pauci) omnium

P. Balthaſaris Siracuſæ mors, & vitæ ejus cādor, & integritas ſingularis.

Domeſticæ diſciplinæ accuratiſſimè deditus,

Digitized by Google

gratulatione gessit, eo potissimùm nomine, quòd apud se statuebat, se non disciplinæ modò, & sui juris custodem esse, sed vitæ etiam, valetudinis, famæ, honoris, tranquillitatis eorum, quibus præesset. Itaque ut præfecturas vitaret, concionibus se totum tradidit, quarum perhonorificam habent mentionem monumenta Collegii Drepanitani. Eo ipso momento temporis, quo, adultà jam nocte, brevissimà valetudine peremptus est, pia matrona, quæ Deo supplicans, vigilabat, neque quidquam de morbo ejus audierat, conspicata est e Collegio ad superos evolantem inter cœlestes copias, quæ militari apparatu, atque concentu triumphalem Christi militem deducebant. Vestem ejus partiti sunt inter se Thermitani cives, tanquam pretiosum sanctissimi viri monumentum. Ad Siracusæ Sorores, quæ inter sacras Virgines Bisbonæ consederant, obvenit pileolus ejus, qui ad infirmos delatus, & capiti admotus, morbos abegit. Elatus est XVII Calendas Decembris, incredibili popularium suorum concursu, atque luctu. Adfuit P. Balthasar Siracusa magnificis sacris, quibus P. Jordanus Cascinus, qui erat in magistratu Provinciæ, primum Templi lapidem B. Joanni Baptistæ sacravit Collegii Thermitani, additis etiam nummis argenteis affabrè percussis cum effigie Joannis Baptistæ Perolli conditoris, & ærea tebulà cum hoc elogio.

Eum pia Matrona inter cœlestes copias evolantem conspicatur.

Reliquias ejus partiuntur cives.

D. O. M.

Paulo V. Pont. Max. Philippo III. Hispaniarum Rege, Oxunæ Duce Regni Prorege, Joannes Baptista Perollus U. J. D. Collegii Societatis Jesu Fundator, novo censu attributo, primum extruendo Divo Baptistæ Templo, ac Collegio lapidem jecit Idibus Junii 1613.

Siracusa verò gaudio exiliens, & flens canticum Simeonis inculcabat, quasi mortem lacessens: *Nunc dimittis servum tuum Domine.*

XX. Messanæ VIII Calendas Septembres cum ortu Solis terra movit, tam insigni fluctuatione ædificiorum, ut negarent Mamertini, suà, & Patrum suorum memoriâ, neque diutius, neque vehementiùs, ipsorum Civitatem aliàs fuisse concussam. Perterriti cives ad nos confugiunt, & ædem complent; nostri eo die, qui *Dominicus* incidit, & sequentibus, singulis aures commodant, & populum expiationibus de more lustrant. Panormi nonnihil offensum apud Proregem Oxunæ Ducem, Francisci Basilii, qui Domui præerat, errore quodam, qui in Patris Barnabæ Lermæ Turditani caput recidit. XI Calendas Octobris, Octavius Aragona nobilissimus Eques Panormita-

Mamertini terremotu exterriti in ædem nostram confugiunt.

Panormi apud Proregem Nostri nonnihil offendunt.

nus

Digitized by Google

nus Ducis Terrænovæ filius, qui Siculæ classis Prætor, triremes octo in decem turcicas prope Chium duxerat, & tres fugaverat, septem cœperat, cum captivis triremibus, Panormum appulerat summo mane, & triremibus ante Portam Felicem extra portum ad anchoras subsistere jussis, bacchantibus lætitia civibus, & ad litus effusis, triumphanti similis, comitante Prorege cum Senatu, & regni primoribus, qui in equis militaribus illi apparebant, Civitatem ingressus fuerat. Sed proxima nocte, sub autumnale æquinoctium, de secunda vigilia fœdissima procella classem adoritur, & commune gaudium in luctum, & desperationem convertit. Triremes crebris tormentis, quanto in periculo sint, significant, & opem petunt. Accurrit Prorex, Prætor urbanus, & Principes Civitatis, qui naviculas laborantibus subsidio mittunt cum remigibus, ut triremes conscendant, & contra vim tempestatis remis inhibeant, & fluctus frangant; sed quid per imbres, & tenebras, & furentes undas administrari poterat? Ex triremibus, turcicarum una deprimitur, reliquæ quassatæ omnes. Postridie P. Barnabas Lerma, Basilii missu, alieno satis tempore, ea plagà perculsum Proregem aggreditur, cum litteris planè invidiosis, quas P. Franciscus Plateensis, ex Barbatorum familia, *Seraphicus*, ad Basilium Plateà miserat, cum mandatis, ut eas Proregi reddendas curaret. Accusabantur iis litteris Patriarcha Bizantinus Fr. Bonaventura Secusius Calatahieronensis, Pontifex Catanensis, & regii quidam administri cum Senatu Plateensium, qui omnes Proregi studebant, & ab eo diligebantur, quòd Rempublicam malè gererent, & Prorex admonebatur, Plateenses arma capturos, & ad ultima discensuros, nisi malo publico mederetur. Prorex cui litterarum auctor erat notissimus, ut eas perlegit, in Lermam exarsit, quasi consilii participem, & conscium accusationis, & gravissimis verbis objurgavit: *Quod non vereretur Societatis immemor institutorum alienis sese curis involvere, auderetque publica negotia invadere: nunquid Jesuitæ in Siciliam venissent, quod ea accusatoribus indigeret, aut careret delatoribus? Si qua esset Patriarchæ culpa, in eo esse, quòd Societatis esset amicus, & maximè studiosus.* Lerma vir simplex, & probus, ex classiario milite, nostro numero adscitus, qui aulæ mœandros, & anfractus parum noverat, linguà tamen promptus, hispanico sermone se expurgat; negatque, *Scire se quid litteræ continerent, quæ obsignatæ ad se pervenissent, aut quicquam de Patriarcha audivisse, vel quæstum unquam esse. Testem ipsum esse Proregem, se, qui familiariter cum eo tertium*

Triremes ante portam Felicem fœdissima procella adoritur.

Prorex, & Civitatis Principes accurrunt, ut præsto sint laborantibus.

Postridie P. Barnabas Lerma, postulatorias literas Proregi tradit.

Prorex ex eo Lerma objurgat, quod publicis negotiis se involvat.

Lerma apud Proregem expurgare se nititur.

Digitized by Google

tium jam annum ageret, nullam adhuc adversus quemquam querelam detulisse. Ne suspicatum quidem se, iis litteris quempiam accusari, nedum Secusium Patriarcham, cujus talia essent in Societatem merita, & beneficia. Prorex excusationem non accipit, Lermam ad Doriam purpuratum ire jubet; ipse subsequitur, litteras coram Doria recitat, & Lermam pluribus incusat; Doria, bona fide Lermam, sed imprudenter egisse cognoscit, neque tamen Proregis animum sedare potest. Lerma ignominia affectus dimittitur, & domum reversus Basilium docet, quanto in errore versatus esset, cum dedecore Societatis; additque, se quidem obedientiæ fructum tulisse, & contumeliam lucro apponere: dispiceret tamen ipse, cujus voluntate res perperam gesta esset, quàm sit Societati detrimentosum aliena negotia suscipere, & Principum gratiâ ad aliorum nutum abuti.

Prorex excusationibus improbatis, Lermam ignominia affectum dimittit.

1614 XXI. Postridie idus Apriles anni 1614, P. Carolus Mastrillus Nolanus, ad regendam Provinciam designatus, ante Messanam cum Neapolitanis triremibus appulit, quam de ejus adventu nuncium afferretur. Erat tum Messanæ Pompilius Lambertengus, qui majorem gerebat magistratum, & antequam Jordanum Cascinum de successoris adventu admoneret, Mastrillum Reipublicæ admovit. Quibus cognitis, Cascinus potestate se abdicavit, & paulò post ab Aquaviva Romam evocatus Messanam venit, ac Majo ineunte Romam inde contendit. Mastrillus VIII Calendas Quintiles Panormum properavit. Vir eloquens, magni consilii, & principum virorum officiis assuetus, Proregem, & Doriam facilè sibi devinxit, atque adeo conjunxit, ut uterque eum apud se quotidie esse cuperet; quod ille Principum veritus satietatem, & aulicorum invidiam, fieri posse negabat, excusabatque assiduas muneris sui occupationes. Ægrè tamen, & rarò, singulis ferè diebus vocatus, alterutri ad prandium promittebat: qua temperantia utriusque gratiam & amicitiam constanter retinuit. Provinciæ conventus decimus nonus a Calendis Majis rejectus est ad Novembres Aquavivæ admonitu, qui valetudinibus implicitus, fatum sibi imminere intelligebat, neque faciendum putabat, ut se defuncto, provincialia comitia renovarentur, ut postea accidit; vixit enim usque ad initium sequentis anni. Itaque convenere Patres in *Professorum* Domum Panormitanam, Calendis Novembris, postridie ad acta conscribenda designatus est P. Vincentius Carnava, datusque ei socius P. Vincentius Guerrerius. Ad negotia verò delecti sunt P. Joannes Baptista Carminata, & P. Jaco-

P. Carolus Mastrillus ad regendam Provinciam designatur.

Sui animi dotibus Proregem, & Doriam sibi devincit.

Decimus nonus Provinciæ conventus Panormi coactus.

Digitized by Google

bus Caribdes: triduo interpositò destinatus P. Josephus Raguſa, qui ad Romana Comitia proficiſceretur: & eo fortè prohibito, P. Octavius Cajetanus. Pridie Nonas Rogatum fuit, viderenturne cogenda ſumma Societatis Romana comitia. Cenſuitque conventus, nullam eſſe cauſam, cur cogerentur. Plura ſunt, quæ Patribus viſum eſt, ad Aquavivam deferri oportere. Ea tamen non eſt operæ pretium adnotare, quandoquidem delata non ſunt: dum enim Josephus Raguſa profectionem adornat, auditum eſt de morte Aquavivæ, quæ congruit cum initio ſequentis anni, in quo Provinciæ conventus eſt iteratus, uti tunc oſtendemus.

P. Josephus Raguſa ad Romana comitia deſignatur.

Provinciæ poſtulationes ex Aquavivæ obitu Romam non deferuntur.

XXII. Occubuit in *Profeſſorum* Domo Panormitana XIX Calendas Februarii P. Nicolaus Barbera Melitellenſis, cujus ut infantiam, ita ſenectam, laudabilem fuiſſe comperio. Adoleſcens dedit operam Juriſprudentiæ, & in ea diſciplina publicâ auctoritate doctor eſt appellatus. Annos natus quatuor, & viginti humanis rebus valedixit, & Societati ſe aggregavit, ſecumque attulit idoneum rebus noſtris ingenium, & innocentiam ſingularem. Ex intimis & aſſiduis cum Deo colloquiis ſcientiam ſanctorum optimè didicit, & tam appoſitè tradidit, ut, in ſanandis hominum mentibus, præſcribendiſque cupiditatum remediis, parem non habuerit. Paucis enim verbis, & ad uniuſcujuſque uſum accommodatis, pertentabat animos, & ad virtutis ſtudium adducebat: quare utiliſſimus fuit Collegio Panormitano, cujus domeſticæ juventuti, ſanctiſſimis exemplis, conſiliis, adhortationibus, diu, multúmque præluxit. Quum eo munere fungeretur, anno 1603. Panormum venit Joanna Auſtriaca, Caroli Quinti ex Joanne Auſtriaco neptis, Petræpreciæ Principi, Buteræ Principis filio natu maximo jam pridem deſponſa, quæ Societatis ſtudioſiſſima, Nicolaum Barberam, animi ſui ducem, & ſacræ expiationis adminiſtrum eſſe voluit. Tanta ejus erat opinio probitatis. In aliorum procuranda ſalute laborioſiſſimus, omnibus aderat, quà domeſticis, quà externis, quorum neminem a ſe dimiſit, niſi lætum, atque pacatum. Provinciæ honores, etiam præcipuos conſtanter repulit. Ad Collegii Panormitani magiſtratum deſignatus, valetudinem capitis excuſavit, & in repulſa perſtitit, donec honore exemptus eſt. Sub idem tempus Lilybœtani Collegii adminiſtrationem non refugit: quo cognitum eſt, non ei gravem fuiſſe laborem, ſed honorem. Sed in exiguo magiſtratu magnus fuit. Memorant enim Provinciæ faſti eximiam ejus caritatem, prudentiam, æquitatem, atque admirabilem temperantiam, quibus artibus

P. Nicolaus Barbera Panormi e vita diſcedit.

Hominum animos ad virtutē mirificè adducebat.

Joanna Auſtriaca animi ſui ducem vult P. Nicolaum.

Magiſtratum Collegii Panormitani recuſat, Lilybœtani nō item.

effe-

Digitized by Google

effeciſſet, ut graviſſimi etiam Patres Collegium Lilybœtanum flagitarent. Acutiſſimo capitis dolore, vitâ ferè tota vexatus, neque aliud adhibuit remedium præter inediam, neque jejunia intermiſit, neque a communi labore vacavit: ſed ea ſibi onera, ad conſueta munera adjecit, quæ alii recuſarent. Itaque ejus omnia, ſive inceſſus, ſive ſermo, ſive vultus, ſive intuitus, ſingularem quandam ſanctitatis ſpeciem offerre videbantur. Elatus eſt anno ætatis primo ſupra ſexageſimum. Tradit autem Riela, tanquam ex communi acceptum famâ, corpus ejus ſepulcro illatum, poſt dies aliquot, repertum eſſe nulla ex parte terram contingens, ſed ſublime, atque ita multorum teſtimonio aliquandiu perduraſſe.

In omnibus virtutem, ac probitatem ſingularem præſefert.

P. Gaſparis Sanchez ortus, & prima militiæ noſtræ rudimẽta.

XXIII. E vivis ibidem ereptus eſt annum agens quintum, & ſeptuageſimum P. Gaſpar Sanchez, Hiſpano Patre, Neapolitana Matre, in navi natus, quæ Tripoli in Siciliam curſum tenebat, anno 1538. Anno ætatis decimotertio Societati ſe addixit, & in Collegio Mamertino ſub Cornelio Viſavæo anno 1551 prima militiæ noſtræ rudimenta hauſit. Sed ſtygius hoſtis, qui jam tum præſentiebat, quam inſignes ab eo clades eſſet acceptus, teneræ, pavidæque ætatis opportunitate uſus, cubiculo ejus quadam nocte inſultare cœpit, pulſare januam, mugitibus, & catenarum tractibus terrere adoleſcentulum: qui eam noctem flendo conſumſit, & parum abfuit, quin metu exanimaretur. Suberant interea metuentis animum faſtidia, & tædia ſuſceptæ militiæ, in qua eſſet cum larvis, & ſpectris dimicaturus, cogitabatque qua ratione ex infauſto domicilio ſe ſubduceret. Ut illuxit, fratrem nactus, Viſavæo renunciari mandat, ut ad ſe properare nè gravetur: Viſavæus, qui tum, ut conſueverat, ſummo mane in templo confitentibus dabat operam, ut accerſiri ſe audivit alieno tempore, nuncium occupat, de tironis metu, ejuſque cauſa plura dicere parantem; atque *ad Gaſparem redi*, inquit, *& meis verbis admoneto, nè metuat, neque vereatur cubiculo exire. Nil me latet eorum, quæ apud eum proxima nocte geſta ſunt; adfui enim, & cum furiis pugnavi, ac, nè ad eum accederent, prohibui. Pergat in propoſito permanere. Equidem in me recipio, fugata demum monſtra illi deinceps moleſtiam non illatura.* Eadem paulò poſt inculcavit, & confirmatum adoleſcentem retinuit. Prodiit Gaſpar ex Viſavæi diſciplina vir ſummus, & virtutum omnium gloriâ mirificè ornatus. A natura factus ad eloquentiam, præcipuas Siciliæ, & Italiæ Civitates concionando luſtravit, magna ſemper civium frequentiâ, maximo emolumento. Quum primùm

Stygiæ furiæ ei faſtidium, ac tædiũ ſuſceptæ militiæ pariunt.

Viſavæus tironibus præfectus metuentem confirmat, & cum furiis pugnat.

Ejus eloquentiæ vis, atque præſtantia.

an-

Digitized by Google

anno 1583. Domus *Professorum* Panormitana publicata est, & faustissimis auspiciis instituta, lectissimam eò coloniam deduxit P. Gaspar Sanchez, qui ex omni numero, ab Aquaviva est appellatus, ut primus omnium ei præsideret, & inusitatam in Provincia novi ejus domicilii disciplinam inveheret, ac constitueret. Biennio ferè exacto, in gravissimam incidit valetudinem, ex qua quum diu decubuisset, & lentè convalescceret, ad salubberrimam Rhegini cœli temperiem missus est, ut se ex morbo reciperet, & in eo Collegio tenuissimum magistratum gereret. Sed Homo laboriosus, & concionibus apprimè deditus, atque ab honoribus alienus, confirmatis viribus, reliquum vitæ spatium in sacris expeditionibus posuit, ad quas ex *Professorum* Domo Panormitana exire consuevit. Quotidiana, & omnium horarum fuit ejus cum Deo conjunctio, & intima consuetudo: quotidianus etiam flagrorum usus, & interdum cruentus, *singulis* præsertim sextis feriis, quæ Christi morte, ac cruciatibus religiosæ habentur: nam ad perpetuum eorum dierum jejunium, atque secessum, addidit assiduum Christi funeris luctum, quem in secreto conclavi spineo serto redimitus, gemens, & per pavimentum genua, ac linguam trahens multis lacrimis celebrabat. Ex flendi, & terga cædendi assiduitate ante annum sexagesimum cœcutire cœpit; & supremos octo vitæ annos oculis omnino captus, magna oris, atque animi hilaritate transegit, neque cujusquam operà uti sustinuit, qui ei in cubiculo ministraret: sed omnia per se sibi officia præstitit, quasi oculos haberet in pedibus, atque manibus; quod miraculi loco habitum est: nam legum domesticarum maximus cultor, nullo duce, locis, ac rebus omnibus aderat, & cœcitatis calamitatem non alia de causa molestam sensiebat, nisi quod legere, & ad aram facere non liceret: ceterùm confessionibus audiendis, & consiliis administrandis, cùm externis, tum domesticis omnibus utilem se præbuit. Reliquum tempus silens, & latens Deo, sibique impendit. Inter maximas ejus virtutes ea locum habet, quòd nunquam nè puer quidem, neque seriò, neque joco, neque graviter, neque leviter mentitus est. Suavissimè decessit XI Calendas Martias, anno ætatis sexto & septuagesimo; Societatis sexagesimo tertio.

Primus omniū Domui Professorum Panormitanæ præsidet.

Gravi morbo affectus ad salubriorem Rhegii temperiem mittitur.

Præclarissimæ virtutes ejus, & flagrorum, atque inediæ usus.

Ex flagris, fletuque assiduis oculos amittit.

Eâ calamitate nullius operâ usus, omnia per se sibi officia præstitit.

Omnino nunquam mentitus est.

XXIV. Luctuosum Provinciæ fuit P. Barnabæ Vechiæ funus, etsi inusitatis honoribus cumulatum. Occubuit Bisbonæ V Calendas Septembris ibidem ortus anno 1554. Integram, & nullis sordibus inquinatam extra Societatem traduxit adolescentiam, & initium virilitatis: nam Sacerdos, & insigni Sacer-

P. Barnabas Vechia Messanæ se nobis adjungit.

Digitized by Google

dotio potitus, abdicatis rebus omnibus annos natus septem & viginti, in Tirocinio Mamertino se nobis adjunxit, ibique altissima virtutum omnium fundamenta posuit. Elapsum post annum ad tradenda elementa Grammaticæ Calatahieronem missus, primum ibi anno 1583 coram Carminata, qui Provinciæ præerat, Societatis sacramentum dixit. Bisbonam deinde missus anno 1593 ejus Collegii magistratum per intervalla annos ferè decem tenuit, ibique consenuit. Eo in honore summos temperantiæ, caritatis, religionis fines attigit. Singulis sextis feriis statim a prandio culinam repurgare, lances, & ollas abluere, culinarii munus sibi sumere consuevit, & eo in obsequio horam collocare. De nocte, quiescentibus aliis, pistori aderat, & subigendæ farinæ, calefaciendo furno, abstergendis lixivio linteis manus afferebat. Quod & in alieno Collegio hospes, & viator feciſſe traditur. Quotannis, vere appetente, quasi rusticaturus, domestica prædia obibat, quo tempore ad quævis villicorum, & agricolarum officia se demittebat, gaudebatque sua manu serere, & inserere arbores, repastinare vineas, glebas movere, purgare segetes, & diurnum sibi victum, qui pane, ac vino nitebatur, comparare: ad communia christianorum jejunia, ferias adventùs omnes, pridie festorum Deiparæ, ac Sanctorum tutelarium, item Sabatha, & sextas ferias addebat. In die *Parasceves* apponi sibi jussit sordidam aquam, quà lances ablutæ essent, neque aliud gustavit, nisi panem, in ea maceratum. Alimenti appetens, modico cibo usus est, eoque vulgari, & insulso, neque unquam pacavit stomachum, neque famem sedavit, neque poma recentia delibavit, nisi rarò, & ea vilissima, ac putrescentia: curavit tamen summo studio communem mensam, nè quid esset inconcinnum, aut insulsum, aut sordidè administratum. Statuebat enim ad frugalitatem, & disciplinam, præsertim verò ad conjungendos Societati suorum animos plurimùm facere, non ea modo habere domi voluntarios milites, quibus natura carere non potest; sed ea etiam quibus neque carere vult, neque debet: quoniam liberis, & a servorum conditione remotis non necessaria dumtaxat, sed commoda quoque alimenta esse oportere, abstinentiam verò liberam, & voluntariam, qualem majores nostri esse voluerunt. Infirmo, & nauseanti apposita est bubula, usque adeo corrupta, ut odoris gravitatem adstantes ferre non possent: ipse nihil unquam avidiùs comedit; neque quicquam reliquum fecit, quod vitium indicaret; rogatusque, nunquid ea caro olidum quid exhalaret, respondit, satis bonam fuisse.

Bisbonense Collegium plures annos magna cum probitatis laude administrat.

Ad domestica quæque officia se inclinat.

Asperrimè se, commodissimè domesticos tractabat.

Nauseà laborans olentem carnem avidissimè comedit.

Sed

Digitized by Google

XXV. Sed in suorum morbis, nulla fuit tam sedula, & studiosa mater, quæ accuratiùs, & amantiùs remedia sua manu adhiberet, cibaria per se coqueret, diu, noctuque adesset, & ad sordida etiam officia se inclinaret. Olidum, ac paralyticum fratrem, & jamdiu lecto affixum, ad quem pœdore fatiscentem nemo nisi ægrè accederet, assiduè invisebat, longos cum eo instituebat sermones, tristem, & solum cœlestibus colloquiis recreabat, pediculos, naturà & morbo gignentis tondebat capillum, resecabat ungues, modis omnibus sublevabat. Fratribus ad quiescendum, vel spatiandum quàcunque vellent dimissis, domestica obsequia sibi interdum imposuit: templum scopis purgare, servare januam, coquum, & pistorem agere. Quibus rebus effecit, ut nemo esset, qui laborem recusaret, nemo qui non jubenti morem gereret. Vexandi corporis contentionem primam habuit. Octavo quoque die semel & iterum cruentis in se flagris animadvertit, diebus reliquis ærea catenula, & remotis, ac secretis in locis, nè strepitus exaudiretur. Cilicinum indusium, cingulo ferreo adjectum nunquam posuit, nisi infirmus, & jussus. Per æstatem humi jacuit, per hiemem nudis assseribus. Mansuetudo ejus tanta fuit, ut nemo unquam iratum viderit, aut severum; sed parcè subridens hilarem facilitatem ostendebat adeuntibus, & quæ humanà potior crederetur. Pauperes *præsertim*, ad se confugere, opem petere, confidenter poscere, & quasi jure suo agerent, ab se quidvis contendere, jucundissimis in rebus habuit; neque quemquam a se vacuum, aut tristem discedere, passus est. Quod si humanà potestate majora postularent, divinam sibi virtutem adesse sensit, quæ misericordiæ suæ causam susciperet. Erat Catharinæ Nicolæ filiolus fœdissimè porriginosus, dolebatque insanabile sanguinis vitium, quod nullis remediis vinci potuerit. Non tulit Barnabas Matris dolorem, & ab ea nè requisitus quidem, puerum ad se deferri jussit, depilatum caput liquidà cerà inunxit, & linteolo contexit, monuitque, ut postero die pileolum amoveret; quòd quum illa fecisset, repertus est repentè obortus capillus, & porriginis nullum vestigium, quin & linteolum siccum, & mundum. Contristabatur Collegium Bisbonense crebris funeribus, quòd insalubri loco situm esset. Barnabas primis litteris ab Aquaviva impetravit, ut aliò transferretur: novas ædes comparavit, atque lustravit: ex eo autem tempore, ad annos quamplurimos, nemo est desideratus: quòd precationibus ejus est assignatum. Tanta autem erat apud domesticos fama caritatis, ac probitatis ejus, ut ante etiam, quàm ea commigratio fieret,

Domesticos infirmos amantissimè curat.

Domestica obsequia sibi interdum imponit.

Mira vexandi corporis contentio.

Externos erga pauperes misericordia.

Catharinæ Nicolæ filiolum porriginosum prodigio sanat.

Bisbonense Collegium ex insalubri loco ad salubriorem transferri impetrat.

certabant plerique, ut Bisbonam mitterentur, quos invitaret magis paterna hominis pietas, quàm insalubritas, & periculum deterreret.

Divinis rebus contemplandis castissimè inhæret.

XXVI. Deo supplicandi studium perpetuum in omni vita retinuit. Tres, ut multùm, horas quieti dabat; reliquum noctis spatium vigilabat, & animum in cœlestia transferebat. De die tres, ut minimum, horas, secedebat, & divinarum rerum contemplationi inhærebat, quibus quidquid otii ex curis redundaret, adjicere consuevit. Ex divinorum colloquiorum familiaritate absconditam hausit futurarum rerum scientiam.

Mulieri maximas calamitates impendère prædicit.

Honestam mulierem; postquam omnes superioris vitæ sordes apud eum expiavit; admonuit, ut paratum haberet animum, ad ærumnas perferendas; futurum enim, ut fortunæ diriperentur, necaretur maritus, ipsa, & liberi ejus magnis, & diuturnis morbis afflictarentur. Quæ omnia, labentibus annis, eventus a falsitatis suspicione liberavit. Ortum deinde vaticinium ex vaticinio: quoniam eadem mulier, post longam animi, & corporis, quam Barnabas prænunciavit ægritudinem, luminibus assiduo luctu amissis, graviorem reliquis calamitatem apud eum querebatur; ille mœrentem consolatus bono animo esse jubet, & fore, ut dies reluceat oculis, pollicetur: neque secus factum est. Domesticum Fratrem gravissimà valetudine laborantem, & de medicorum sententia certissimè moriturum confirmavit, recepitque, fore, ut convalesceret. Et sanè convaluit. Eidem aliquot post annos levissimè, & absque periculo ægrotanti, edixit, ut sibi consuleret, & ad vitæ exitum se compararet, eo namque morbo perimendus esset; & stupentibus medicis, qui nihil tale suspicabantur, peremptus est. Prædidicit etiam, & prædixit, altero quàm contingeret mense fatum suum: nam quum in surditatem incidisset, & ea de causa ad Thermas Selinuntias proficisci juberetur, ut aquis calidis, & sulphuratis guttatim in aures infusis juvaretur, ante discessum apertè edixit, obtemperaturum se quidem, sed paulò post reditum ex remedio potiùs, quam ex morbo periturum. Reversus totius vitæ erratorum summam diligenter curavit expiationem; & Catharinam Nicolam ultimò expiatam admonuit, ut alium sibi optaret, qui aurem ei commodaret. Portenderunt etiam finis ejus propinquitatem pauperum greges, qui inusitatis agminibus, ad eum confluebant, quasi properarent misericordiæ ejus beneficio uti, qui propediem efferendus esset: neque ille cuiquam deerat; nemo autem reperiebat, quemadmodum fieri posset, ut e penu sua singulis satisfaceret, qui pauperrimi domicilii patrimonium

Domestico Fratri gravissimè ægrotanti sanationem, levissimè mortẽ prænuntiat.

Imminentis sibi mortis vaticinium.

Pauperes per idem tempus turmatim confluentes ab eo sublevantur.

ad-

Digitized by Google

administraret. Itaque miraculo est imputatum, cujus posteris fidem fecit Frater Josephus Fatius, qui quum sæpè eum adiret, & pauperum preces afferret, qui januam, & templum obsiderent, animadvertit, quoties Barnabas loculum aperiret, in quo pecunia servaretur, candidissimam inde columbam evolare, quæ cubiculo ejus, expansis alis perlustrato, eodem revertebatur, antequam arcula clauderetur: atque eo ostento declarari ferebatur, quantum pecuniæ erogatum esset, tantundem inferri; nè quæ aliis prodesset, detrimentosa esset Collegio Bisbonensi misericordia.

Facilitatis, & abundãtiæ ejus erga inopes ostentum.

XXVII. Barnabas itaque inediâ, vigiliis perpetuo corporis cruciatu, præsertim verò ex eo, quod diximus remedio, cujus vi cerebrum affectum est, febrim concepit lentam, atque tabificam, ex qua die quadragesimo, quasi leni somno consopitus vitâ exemptus est XV Calendas Septembres quum annum ætatis numeraret sexagesimum; eo ipso momento temporis, quo efflavit animam, magnum puerorum agmen ad januam repertum est, qui nullo adhuc dato signo mortis ejus, magno ejulatu exclamârunt: *Mortuus est Pater noster, mortuus est.* Parentatum est ære publico magnis honoribus, laudavitque defunctum Seraphicorum Fratrum, quos *Reformatos* vocant, Præfectus, magno cum luctu nobilitatis, & civium, qui certatim, *quæ* circa ipsum essent abstulerunt, quibus admotis assiduæ ægrorum curationes sunt consecutæ, sed ea illustrior, quâ absens convaluit animo P. Salvator Susa Bisbonensis, amicus & familiaris ejus, qui anno 1591 Sacerdos a Societate desciverat, & ad eandem regressus hilarioris vitæ rationem, & ferè licentiam sequebatur; sed sub id tempus, quo Barnabas decessit, in Collegio Melitensi versabatur. Huic mœrens, & flens, atque eâ macie extenuatus, qua in vivis agere solitus est, videndum se præbuit, & in eum intendens minaces oculos exclamavit: *Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!* Quibus verbis magna voce pronunciatis, dicto citius evanuit. Susa ostento perterritus, ac penè exanimatus, quum de Barnabæ fato postea cognovisset, deductis animi sui rationibus, castigatioris vitæ formam inchoavit, & ad mortem usque retinuit, quam Bisbonæ nactus est, magna cum laude probitatis XI Calendas Februarii anno 1619, quartum ferè post annum, ex quo a Patre Barnaba fuit objurgatus, cui ille acceptum referebat, impetratum sibi a Deo vitæ spatium, quo se respiceret.

P. Barnabas febri tabificã cõsumtus obit.

Funus honorificè celebratũ, & beneficia ex reliquiis consecuta.

P. Salvatori Susæ videndum se præbet mærentem, ac flẽtem.

Susa ostento perterritus castigatioris vitæ formam instituit, & constanter tenet.

XXVIII. Commemorandus est etiam P. Cæsar Lauricella Agrigentinus, qui quum in Collegio Panormitano, anno jam se-

P. Cæsaris Lauricellæ Panormi fatum.

Digitized by Google

secundo Theologicæ facultati arripiendæ daret operam annos natus duodetriginta, Nonis Octobris e vivis abiit, postquam dimidiam vitæ partem in Societate posuerat. Nihil eo fieri poterat elegantius, nil castigatius, nihil ad domesticas leges conformatius. Nihil erat quod reprehenderes, nihil quod non imitareris, nihil quod non amares. Inter ejus virtutes maximè enituit, animi candor, pudor ingenuus, morum facilitas, & innocentia singularis. Tam emendatè in frequentissima juventute vixit, ut digito monstraretur, & tanquam priscæ probitatis exemplum proponi, consuêsset. Sed quàm longissimè absunt divina ab humanis judicia! Biennio elapso, ex quo vivere desierat, condiscipulo, ac contubernali suo, quo vivens familiariter usus fuerat sese de nocte ostenderunt manes ejus, & apertè significârunt, lustralibus se adhuc uri flammis, ab eoque infimis precibus petierunt, ut piacularia sacrificia, pietatis opera, religiosas precationes & præstaret ipse, & ab amicis corrogaret, sibique concederet, ut eo veluti pretio longiorem pœnam redimeret. Quod quum ille accuratissimè effeciisset, vidit iterum lætissimos manes, cœlesti luce perfusos, qui quum maximas egissent gratias, ad superos evolârunt. Quis non tam insigni eventu admoneri se sentiat, quàm sibi sit de se metuendum, cujus non eadem sit vitæ integritas, neque similis vitæ elegantia, neque tam exquisitum religiosæ studium disciplinæ?

Emendatissimam in Societate vitam instituit.

Manes ejus lustralibus devoti flammis piacularia opera petunt.

Iis præstitis operibus, ad superos evolantes se ostendût.

XXIX. Agmen claudit illustrium hujus anni virorum P. Vincentius Regius, Petri, & Caroli frater natu minimus, quibus eloquentiâ aliquantò inferior habitus est, virtute par, doctrinæ præstantiâ longè superior. Ortus est Panormi anno 1544, & Societati aggregatus postridie Calend. Quintiles anno 1559. Studiorum gratiâ Romam missus, Philosophiæ ibi tradendæ adolescens admotus est, antequam Theologicas artes audiret: quibus deinde arreptis, eas Viennæ anno 1580, in Austria docuit, & publicè propugnavit. Sed inclementes Germaniæ hiemes, gracili corporis habitudine, quum persentiret, in Provinciam remigravit, & in ea annos fermè decem Theologiam Messanæ tradidit, eximiis commentationibus, & disceptandi gloriâ conspicuus. Tanta fuit ejus in veritatis indagatione mentis contentio, ut venæ capitis intumescerent, quarum quæ media per frontem inter supercilia descendit, quum adolescens Romæ vehementiùs libris immineret, aliquando dissiluit, & guttatim sanguine manavit, qui libros ipsos infecit. Litterarum diuturna exercitatione delassatus ex Mamertini Lycæi palæstra revocatus Collegio Monregalensi præfectus est. Collegium

P. Vincentii Regii ortus, virtutes, & munera obita.

Mentis ejus contentio in veritatis indagatione supra modum vehemés.

Digitized by Google

gium deinde Mamertinum semel, & iterum rexit. Agebatur anno ferè 1595 de publicanda Mamertina Academia, quam Beatus Pater Ignatius a Paulo III. P.M. impetraverat: quumque ea res ad exitum perducta videretur, insignitus est Doctoris laureà P. Vincentius Regius, quem Aquaviva publici Gymnasii Rectorem designaverat. Sed tam salutare consilium nonnullorum calumniâ distractum est: quare Vincentius ad *Professorum* Domum administrandam Panormum evocatur anno 1596, XVII Calendas Majas. Nunquam satis se commendâsse, putat Matina, ejus in magistratu prudentiam, mansuetudinem, temperantiam, integritatem, & boni publici studium: quum enim Petro Gambacurtæ succederet, qui ob ingenii acerbitatem familiam abalienaverat, gaudiis omnibus exceptus est, quòd ab eo recreatum iri Socii intelligerent. Vicit tamen eorum spem Vincentii suavitas, & paternus quidam amor, cujus abundantiam nemo ante ipsum tam liberaliter exprompserat. Ait enim Matina: *Nunquam aliàs tanta fuit universæ familiæ gratulatio, quòd ducem nacta fuerit, tot tantisque virtutibus instructissimum, ornatum litteris, sobrietate, ac religione, fratribus suis Petro, & Carolo parem; sui contemptione, & frangendarum cupiditatum studio præclarum, nec tamen minùs in asserenda disciplina suavissimè fortem, atque constantem. Viximus sub ejus auctoritate, & secum, & inter nos dulcissima caritate conjuncti; neque exempla ejus desideravimus, qui nihil præciperet, quod non ipse cumulatè præstiterit. Itaque non aliud fuit tempus, in quo vel emendatior fuerit familia, vel ad munera Societatis obeunda alacrior, atque ferventior. Sublevavit Deus tam intimi amici sui gratiâ, rei familiaris angustias: ad nos enim, eo præside, ex testamento nobilissimæ Matronæ Virginiæ Barresiæ aurei mille pervenerunt, quibus as alienum est dissolutum, & supellex domestica reparata.* Sed Josephus Blondus, qui Provinciæ præerat, magistratûs ejus cursum interpellavit: nam in gravem morbum implicitus, Puteolos navigaturus, Provinciæ regimen Vincentio commendavit, qui, ut auditum est de morte ejus, jurisdictionem, jampridem imperio vacuam, lustrare instituit, quo in magistratu quum industriam suam auctoritate potiùs, & clementiâ, quàm potestate, Provinciæ probaret, offendit austeros nonnullorum animos mitissimæ gubernationis consuetudo, quasi nimia ejus materna magis, quàm paterna indulgentia disciplinam everteret. Eâ querelâ Romam perlatâ jussit Aquaviva, ut Provinciam lustranti succederetur, & Carminatæ manda-

Academiæ Mamertinæ primus Rector designatur.

Panormitanam Professorũ Domum administrat.

Eo in magistratu suavitas, & amor ejus paternus.

Matinæ eà in re præclarissimũ testimonium.

Provinciæ regendæ præfectus, eam mitissimè gubernat.

Nimiæ indulgentiæ apud Aquavivam accersitus, ab officio removetur.

Digitized by Google

davit, ut summum iniret magistratum, quo Vincentius, nihil quæstus, & reclamantibus universis, id jure factum contendens, illico se abdicavit. Ex eo tempore regendis Collegii Panormitani litterarum, & artium majoribus studiis addictus, sacrarum morum disciplinam unà tradidit ad annum usque 1608, quò, translato Drepanum cum doctoribus lycæo, eódem profectus, iisdem muneribus perfunctus est: ubi annum commoratus, Panormum cum lycæo remeavit. Quanti eum Provincia faceret, bis declaravit; nam semel, & iterum ad Romana Vincentium comitia destinavit, ut suis in locis est demonstratum. Quàm fuerit parcus & sobrius, vel ex eo intelligi facilè potest, quod consueta jejunia, etiam senex, & viribus defectus ampliavit, & ad Christi adventum, & religiosos Deiparæ dies prorogavit, cui etiam, quotquot edidit libros nuncupatos voluit. Frugalitatis, & inopiæ tenax, imagine unica, & papyracea contentus fuit, ante quam preces funderet. Tali fuit verecundia, ut a Sororum quoque intuitu oculos temperaverit. Cujus rei documento sit; quòd Benedictà Sorore, magna cum sanctitatis fama, defunctà, quum pictor vultum ejus delineâsset, & coloribus expressisset, rogâssetque Vincentium, num imago videretur Sororis faciem ad vivum reddere, ingenuè confessus est, se os ejus nunquam vidisse. Morienti adfuisse traditur Beatus Pater Ignatius, qui carissimum disciplinæ suæ alumnum ad cœlestem Patriam deduceret. Mortales posuit exuvias in Collegio Panormitano, eo, quo prædixerat die, ante Calendas Januarias decimo octavo, annum vitæ agens septuagesimum, Societatis quinto, & quinquagesimo. Elatus est domesticà ceremonià, sine funebri pompa more majorum. Sed funeris honores, verissimos, & minimè ambitiosos præstitere omnium ordinum cives ad feretrum ejus confluentium, & sanctitatem ejus magno consensu acclamantium; præsertim verò cœlestia beneficia, iis largè collata, qui reliquias inde relatas, tanquam morborum, & ærumnarum remedium adhibere non destiterunt. Exposuit virtutes ejus luculentà oratione P. Claudius Seripandus, qui quum hactenus narrata commemorâsset, percrebuisse inter domesticos testatus est, Vincentio Christi infantiæ, & Deiparæ studiosissimo, & Filium, & Matrem, dum viveret, se identidem ostendisse, & emeritum senem nihil jam nisi cœlestia cogitantem, suavissimis colloquiis recreâsse. Edidit: *Theses de Ss. Trinitate Viennæ propositas.* Item *Evangelicarum dilucidationum libros octo tomis tribus.* Scripsit *Enchiridion Evangeliorum libris octo.* Necnon *Commentaria in*

Sobrietatem, ac parsimoniâ constantem retinuit.

Ejus verecundiæ insigne monumentum.

P. Vincentii obitus, & funeris honores præstiti.

Fama est, Christum, & Deiparam Vincentio se identidem ostendisse.

Ejus opera edita, & inedita.

Joan-

Digitized by Google

Joannem, librum de Sacramentis, & Logicam, quæ inedita extant in Bibliotheca Collegii Panormitani. De Vincentio Regio, tanquam de Viro illustri diserte meminerunt, Franciscus Baronius, Nadasi, Alegambe, Labbæus, Joannes Rho, Hippolytus Maraccius, Augustinus Inveges, Franciscus Baudus, Matina, Riela, Agliata, Tornamira, Albertus, & Antoninus Mongitore, apud quem in Bibliotheca Sicula, eorum loca sunt adnotata.

Scriptores, qui de eo meminerunt.

XXX. Unà cum nuncio amissi Claudii Aquavivæ, allatæ sunt Martio anni 1615, appetente, P. Ferdinandi Alberti litteræ, quem ille ante obitum Vicarium in interregno designaverat, cum mandatis, ut Provinciæ conventus haberent, & suffragatores suos ad summa Societatis Comitia, pridie Nonas Novembres Romæ esse juberent. Carolus Mastrillus, qui Provinciam gerebat, vigesimum Provincialem conventum pronunciavit, ad quarto Nonas Majas, in Mamertina Domo cogendum: quare postridie ejus diei, eò convenerunt, quibus suffragandi jus esset; & P. Alexandrum Nævolam actorum scriptorem appellârunt, eique officii adjutorem addidere P. Vincentium Guerreram. Ad negotia deinde seligenda, de quibus ad conventum referri liceret, sunt nominatim adlecti P. Joannes Baptista Carminata, & Jacobus Caribdes. Nonis, qui unà cum Mastrillo Romam irent, magno consensu nominati sunt idem Carminata, & P. Josephus Ragusa, quem in superiori conventu ad Romana Procuratorum comitia, nequicquam designari contigerat. Tres item sunt destinati, P. Jacobus Caribdes, P. Franciscus Basilius, P. Alexander Nævola, qui, illis casu aliquo a Romana profectione prohibitis, eorum partes susciperent. Reliqua, quæ sequentibus diebus, usque ad quinto idus, quo dimissus est conventus, agitata sunt, nil singulare habent, quod posteros scire oporteat.

1615

Mortuo Aquaviva, vigesimus Provincialis Conventus pronunciatur.

In Mamertina Domo instituitur.

P. Joannes Baptista Carminata, & Josephus Ragusa ad summa Societatis comitia designatur.

XXXI. Domus denique Plateensis in Collegium migravit. Jam ab anno 1611 ab Aquaviva impetratum fuerat, eam conversionem per eum fieri licere, quoniam benemerentissima Civitas ad superiorem munificentiam tredecim adjecerat aureorum millia ex ære publico, quibus accesserant privatorum quamplurimæ largitiones, quæ idoneum pecuniæ caput conficerent, quà collocatà, justus, & pinguis exinde census rediret. Itaque rebus interea compositis, concinnatoque ædificio, quod litterarum doctores reciperet, XV Calendas Novembres Collegium est publicatum, & reserata gymnasia, magno plausu, lætitiâ, & concursu Civitatis, quæ tandiu laboraverat prorecta

Collegio Plateensi condendo census idoneus constituitur.

Reseruntur gymnasia magno civium concursu.

Digitized by Google

juventutis in pietate, ac bonis artibus institutione; permansitque in magistratu P. Josephus Grillus Panormitanus, ex *Præpósito* Rector. Admirabili celeritate, celebratum est Calendis Januarii Collegii Netini Templum, primores cujus lapides anno superiore jacti fuerant, quinto idus Aprilis. Habuit ea ædes S. Caroli Borromæi religionem, & titulum, ut conditoris nomen Caroli Giavantii, ejusque memoriâ quodammodo consecraretur. Publicatum est ejusmodi fanum, satis amplum & elegans, magnâ ceremoniâ coram principibus Civitatis, & magnâ civium frequentiâ, quibus jucundissima accidit, operis cùm forma, tum festinatio. Sed nunquam satis dolendum est, pulcherrimum & Collegii, & Templi ædificium anno 1693 terræ motu eversum, & unà cum oppido aliò translatum fuisse, ac humiliori formâ inchoatum.

Collegii Netini templum magnâ ceremoniâ, & Civitatis frequétiâ celebratum.

XXXII. Incidit in hunc annum idibus Aprilis Joannis Baptistæ Perolli, Collegii ad Thermas Selinuntias auctoris, fatalis exitus, quum annum vitæ numeraret quartum supra quinquagesimum. Quinto die, ex quo decubuit, testamentum condidit, & coram P. Francisco Puccio ejus Collegii Rectore, & testibus legitimis recitari jussit. Puccius, ut cognovit, nuncupari hæredem Collegium Thermitanum, antequam tabulæ obsignarentur, interpellavit, & surgens: *Perolle*, inquit, *nolim putes grave nobis fore, si consanguineis, pauperibus, valetudinariis, templis, religiosis familiis largiùs legaveris. Nihil erit jucundius, quàm liberalitatis tuæ quamplurimos habere participes. Amplifica, quæso te, propinquorum legata; esto pauperum, ut vivens, ita moriens Pater, & altor. Placet nobis quàm maximè plures te habere apud Deum deprecatores, qui manes tuos sacrificiis, & religionibus sublevent.* Ea res adstantes admiratione defixit, & Perollum magnopere gestientem, quòd tam gratos hæredes instituisset, commovit: auxit necessariorum legata, addiditque singulis religiosorum Ordinum domiciliis aureos quinque, & viginti, qui, se mortuo, semel penderentur. Postridie Christianis sacris lustratus inter Nostrorum comprecationes, & lacrimas, magno cum desiderio cœlestis Patriæ, suavissimè acquievit, horâ post meridiem secundâ. Elatus est maximo omnium ordinum comitatu, & in magnifica exequiarum ceremonia, qualem nunquam aliàs spectaverant Thermitani, laudatus est in Templo Societatis a P. Hieronymo Platamonio, ibidemque tumulatus. Censâ hæreditate, reperta sunt aureorum admodum millia sexaginta, dempeis legatis. Postero die grati animi causâ, curavit Puccius,

Joânes Baptista Perollus Thermitanum Collegium hæredé nuncupat.

Collegii Rectoris ante tabulas obsignatas ad Perollum oratio.

Perolli obitus, & magnificæ exequiarũ ceremoniæ.

Nostri piacularibus operibus Collegii auctori se gratos ostendunt.

cius, ut in singulis templis Civitatis, sacrificium cum funebri concentu pro Perolli manibus fieret, & Sacerdotibus omnibus pro eo immolantibus honorem habuit. Jussit etiam, ut singulis pauperibus, qui eo die confluxissent, argentea pecunia impertiretur, nihilque prætermisit, quo se beneficii memorem ostenderet.

Christianæ religionis veritas memorabili exemplo comprobatur.

XXXIII. Anno ineunte in Templo Domus Panormitanæ, magnà ceremonià coram Prorege Oxunæ Duce, Petro Leyva Siculæ classis Præfecto, regiis administris, & optimatibus, sacro Fonte lustratus est nobilissimus quidam Othomanorum princeps, equitum alæ præfectus, quem Leyva Zacintho cum classe Panormum secum advexerat anno superiore, non captivum, aut obsidem, sed liberum, & sua sponte cum familia, & liberis ad Christiana sacra suscipienda ex Peloponneso profectum. Quemadmodum id contigerit, dignum est, ut propter rei novitatem strictim exponam, Matinæ secutus auctoritatem, qui *ab* ipso Turca rem accepit, & purificationi ejus interfuit. Erat in barbarorum Peloponnesi præsidiis prope Patras, magna in exercitu auctoritate magister equitum, Mahumedana quidem superstitione pollutus, sed probus, & sobrius, ac justitiæ servantissimus, quem æternæ salutis cura diu noctuque torquebat, & totus erat, in vestiganda veritate religionis: nam Mahume*dana* fœditas, & turpissima intemperantia falsitatis suspicionem *injecerat*. In eo contrariarum æstu cogitationum, Græcorum Antistitem Basilianæ familiæ alumnum, qui universæ Provinciæ Christianis sacris præerat amicum, ac necessarium suum rogat, ut apud se esse velit, & diem dicit. Sermo super mensam de religione instituitur; multa in utramque partem disputantur. Aperit Turca incertæ mentis fluctuationem, quòd utriusque Sectæ doctores, suam utrique veram prædicant, & necessariam, extra quam nulla sit spes salutis. Tum Græcus Pontifex, Deo instinctus, rem, ait, ostento committamus. Duos aquæ puræ cyathos statuamus, quorum unum Christianæ religioni, alterum Mahumedanæ assignaveris: tum qui cyathus aquam in lac mutaverit, assignatam sibi religionem esse veram declarabit. Visa est æqua conditio. Condicunt diem crastinum, & Basilitarum Cœnobium, cujus Abbas, ut de certamine cognovit, Antistitem objurgavit, quòd tanto periculo Christianæ religionis veritatem, apud barbarum hominem objecerit. Ille se expurgat, quòd non putasset acceptum iri conditionem; eà tamen acceptà, Deum fore vadem consilii, & fidei, quam imprudens obligasset. Itaque noctem cum Cœnobitis sup-

Nobilis quidam Othomanus de Mahumedana religione suspicatur.

Matina Hist. Dom. Prof. Panormit. pag. 88, *et seqq.*

Cum Antistite Græco sermonem de religione instituit.

Antistes religionem veram ostento declarandam committit.

Aquâ pro christiana religione in lac convertitur.

ſupplicando conſumit. Dubio jam die, adeſt Tribunus: Pontifex vivo ex fonte aquam haurit, & duos chriſtallinos implet calices, & ſupra altare collocat: deinde, remotis arbitris, coram Turca ad ſacrificium prodit; inter immolandum ſigno crucis adhibito vaſa luſtrat, & in utrumque conſecrati olei guttam infundit: ſimul Turcam monet, ut deſignet animo calicem, quem pro Mahumedo ſtare velit, alterum Chriſto relinquat: quod quum feciſſet, vidit olei guttam in Mahumedano calice aquæ ſupernatantem, in Chriſtiano, contra naturam elementi deprimi, & ad ima deſcendere: deinde ex ea gutta prodire candorem, qui momento temporis aquam infecit, & in lactis ſpeciem convertit. Ille, cui oculi vix fidem facerent, guſtare voluit, & lactis ſaporem, atque odorem deprehendit. Tum verò oſtento vehementer perterritus, & divinam virtutem planè præſentem admiratus exclamavit: *Vera eſt Chriſti religio, & abſque ea non eſt ſalus*. Quare navem nactus, quæ Zacinthum, Venetorum Inſulam, & Civitatem tranſmittere properabat, eam conſcendit, & familiam impoſuit, uxorem, & quatuor liberos. Nihil fuit eâ navigatione truculentius, aut ærumnoſius; nam ſtygiis omnibus conſpirantibus furiis; procellæ, ſyrtes, pyratæ, fames, & quidquid eſt periculorum, & metuum, atque dolorum navigium invaſit, atque jactavit. Dira omnia metuentem Deus oſtento confirmavit. Vidit per ſpeciem amœniſſimum campum oleis lætiſſimis conſitum, cujus ea erat elegantia, is ordo, & forma plantarum, ea baccarum ubertas, ea ruris ſuavitas, & pulchritudo, ut in veris beatorum eliſiis ſe ſpatiari non dubitaret. Animadvertit tamen intermiſſum olearum ordinem, & ſex numero deſiderari arbores, quas quum ille ponere, & accuratè depangere laboraret, in ipſo conatu ſibi redditus, facilè intellexit, eâ ſpecie oblatam ſibi Chriſtianam religionem, in qua familiam ſuam, quæ ſex capita numeraret, conſeri oporteret. Ejuſmodi auſpiciis recreatus denique Zacinthum appulit, & uno tempore eódem cum Sicula claſſe applicat Petrus Leyva Præfectus ejus, qui cognitâ hominis fugâ, & conſiliorum ejus ratione perſpectâ, eum ad ſe venire juſſum in Prætoriam cum familia recipit, & Panormum convehit, trophæum ſanè magnum, & memorabile Chriſtianæ religionis: ubi a noſtris hominibus divinarum rerum elementis cum uxore, ac liberis imbutus eſt, & Chriſto aggregatus, dictumque ei nomen *Petrus Oxunæ*; ut & Petri Leyvæ, & Oxunæ Ducis, a quibus maximis honoribus, atque muneribus affectus eſt, clientelam præferret. Eam deinceps familiam multos continenter annos ex

Turca rem admiratus, ad Chriſtiana ſacra ſuſcipienda proficiſcitur.

Navigantem ſtygiæ furiæ multis periculis objectis exterrent.

Metuentem per ſpeciem ei oblatam Deus confirmat.

Panormum fortè convectus in noſtro Templo ſacro Fonte luſtratur

pu-

Digitized by Google

publica misericordia nostri juverunt rebus omnibus, & ad christianæ pietatis officia accuratè finxerunt, admirante Civitate novitiam eam coloniam, quæ veteranis virtute, ac religione præstaret.

P. Vincentius Raymūdus Sodalitatem Marianam Mortificatorum Messanæ excitat.

XXXIV. Orta est in Domo Mamertina Patris Vincentii Raymundi Catanensis operà, Sodalitas Mariana, cui nomen a Virginis Pietate factum est, & *Secreta* etiam, atque *Mortificatorum* nuncupatur. Austerioribus enim obtemperant legibus, quarum ea summa est, ut quàm emendatissimè vivant, humanas frangant cupiditates, virtutum apicem assequi studeant, assiduis religionibus dent operam. Conveniunt singulis sextis feriis, matutinis horis, quas christianæ pietatis officiis, & piis corporis animique exercitationibus impendunt, quæ ad comprimendos naturæ impetus, modicéque de se sentiendum plurimùm valeant. Sodales accuratissimo delectu adsciscuntur, quorum probitas spectata sit, & diuturnis probata documentis. Numerus etiam sub lege est: tres & triginta omnium Ordinum honesti cives, Sacerdotes, & minoribus sacris initiati duodecim Sodalitium perpetuò conflant; neque alius, nisi ad eum numerum supplendum adlegitur. Denique cautum est, nè quis enunciet, quæ in conventibus inter se transigunt. Ex hac insigni Sodalitate alia pullulavit. Idem P. Raymundus pauperes, qui per Urbem corrogando vagantur, & cultu nullo vivunt, magnam oppidò turbam, per *Mortificatos* Sodales congregavit, & factà a Mamertino Pontifice potestate S. Nicolai ædiculam illis attribuit, quò octavo quoque die convenirent, & appositis concionibus excolerentur: & nè tam salutare opus, mendicandi excusatione dilaberetur, constituit, ut in ipso conventu singulis panis impertiatur, cum tribus minuti æris denariis. At semel in mense quarto quoque die *Dominico*, quum longo agmine bini, ad cœlestem mensam in Mamertinæ Domus Templo accedunt; ad consuetam largitionem quartus additur denarius. Sodales autem *Mortificati* eam stipem dispertiunt. Viget utrumque Sodalitium, non vulgaribus auctum incrementis.

Sodalitatis institutiones, & leges.

Alia Pauperum per Urbem vagantium Sodalitas instituta.

Ex ea Sodalitate Pauperum animo, & corpori commoda.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Duo Mulierum Cœnobia Platea excitata. Thomæ Stillintonii, Bartholomæi Valditari, P. Joannis Baptistæ Carminatæ, aliorumque mors. Collegii Narensis, item Ennensis, & Thermitani ad Aquas Himerenses Ortus. P. Pompilius Lambertengus Provinciæ præficitur, deinde P. Hieronymus Tagliavia, aliæque res gestæ ad annum 1620.

1616

Gynæcei Plateensis altiora initia recensentur.

EXortum est anno 1616 in Plateensi Civitate nostrorum operâ, & studio, Sacrarum Virginum Gynæceum, cui a Beatæ Anna religio, & nomen inventum est. Ejus originis narrationem exequitur Scriptor rerum gestarum Andreæ Trigonæ, lectissimi, probatissimique Sacerdotis, qui nostrorum admonitu, ad eas Virgines alendas patrimonium contulit, & earum instituendarum dux, & auctor fuit. Ea autem est hujusmodi. Petrus Calascibetta, Patritius Plateensis, non tamen æquè dives, ac nobilis septem filiarum Pater, quarum tres sacris Sanctæ Agathæ Virginibus jam pridem addiderat, quatuor reliquas natu jam grandes, & indotatas domi habebat; ætate gravis, & planè septuagenarius, vicem suam coram filiabus maximè dolebat, quòd fortunis exhaustis, fato proximus, eas esset propediem relicturus, sine dote, sine spe, sine censu, quo vitam, etsi non pro generis conditione, honestè tamen tolerarent. Ea de re in luctu esse, & infelices canos ad communem exitum deducere querebatur. Prudentissimæ Virgines senem confirmant. Nullam esse causam cur doleat. Habere se dotem satis pinguem in secedendi proposito, sponsum omnium nobilissimum, atque ditissimum reperisse Christum, qui ipsas *de rore cœli* aleret, & *de pinguedine terræ*. Paternam domum pro Gynæceo fore, censum se inveniisse pinguem, & quolibet vectigali majorem, domesticam parsimoniam, & idoneas operi manus: non defuturos familiæ Patres Societatis, quorum consiliis, & opibus niterentur. Petrus eà spe recreatus Gynæceum domi inchoat: humanis rebus se abdicat, Sacerdotio initiatur, coram filiis in proximo Sanctæ Annæ quotidie immolat, festis diebus in templo Societatis; ubi eas cœlesti epulo impertit, reliquum diei spatium cum filiabus, assiduis in religionibus collocat, & statis horis labori concedit.

Petrus Calascibetta quatuor filiabus indotatis fato se concessurum dolet.

Honestas, ac parcas sortitus filias, Domum pro Gynæceo constituit.

In-

Inter hæc lætus moritur. Suscipiunt Patres Societatis negotium, & ei, quem diximus, Trigonæ persuadent, ut consilii particeps, ac negotii esse velit. Trigonæ, perspectâ Virginum innocentiâ, & inusitatum in divino obsequio processum admiratus, Patris loco futurum se pollicetur, alimenta suppeditat, domum amplificat, supellectilem auget, Sanctæ Annæ Sacellum ex parvo magnum facit, & ædificio continuat, alias æquè illustres atque probatas aggregat virgines, pecuniam corrogat, fortunas omnes testamento legat, nostrorum consilio leges condit, & puellarum nobilissimis certatim flagitantibus, ac confluentibus, propter disciplinæ, ac eximiæ virtutis opinionem, cavit nè Virgines, demptis servitiis, adlegerentur ultra vigesimam. Statuebat enim, numerum infensum esse disciplinæ, & integerrimis moribus, paucitatem verò idoneam esse virtutibus, quæ paucis inesse solent. Ex his initiis ad eam prodiit, quâ nunc maximè pollet, amplitudinem Beatæ Annæ Ascæterium, cum universæ Insulæ amplissimis, nobilitate, opulentiâ, & sanctimoniâ conferendum. Sub idem ferè tempus Collegii Plateensis Socii, per Patrem Gasparem Paraninfum, lumen ejus ætatis splendidissimum, summâ ope contenderunt, ut mulierculis a turpi quæstu deterritis receptus non deesset, ad quem, tanquam ad tutam, atque munitam continentiæ arcem se conferrent. Itaque Plateensium misericordiâ, & pietatis abundantiâ, excitatum est mulierum confugium, quas *Ripentitas* appellant, conflatusque deinde census, quo perquàm commodè vitæ subsidia constarent.

Parente mortuo, Andreas Trigona domũ amplificat.

Gynæceum ex integro condit, & leges instituit.

Item Ripentitarum mulierum Confugiũ per P. Paraninfum excitatur.

II. Sexto idus Octobres exoneratum est, propter rei familiaris difficultates Tirocinium Panormitanum, & ad Mamertinum uno commeatu transmiserunt tirones duo, & viginti, in quibus erant P. Cæsar la Grua, & Joannes Scorsus, ut sub Patris Demetrii Licandri disciplina erudirentur. Neque tamen omnino cessavit, retenti enim sunt ferè duodecim: nam & hoc anno, & duobus consequentibus, nonnullos comperio, qui primum Societatis Sacramentum in Tirocinio Panormitano dixere coram PP. Vincentio Romano, Antonino Filippatio, & Carolo Rosso. Septembri mense in Collegio Drepanitano, quod angusta æde utebatur, sacrâ celebritate lustratus est, & jactus primus lapis novi templi, quod inter præcipua Provinciæ locum habet, & lege, & elegantiâ operis, & ornamentorum præstantiâ. P. Natalis Masuccius Messanensis, eximius architectus, cujus operâ P. Cæsar Cossus in ædificio Templi, ac Domûs Panormitanæ usus fuerat, quum annos unum & triginta in Provincia me-

Tirones aliquot e Panormitano ad Mamertinum tirocinium transmissi.

P. Natalis Masuccius a militiæ nostræ albo expungitur.

Digitized by Google

meruisset, in Collegio Calatanixetensi ad custodiam datus, ferè quinquagenarius exauctoratus est, & a militiæ nostræ albo expunctus, ingratissimus erga B. Patrem Ignatium filius. Hic Romà in Provinciam superioribus annis remeans in piratas offenderat Africanos, a quibus captus, & in vincula conjectus, dum in Africam cursum tenebat, sævissimà jactatus tempestate, proximus erat naufragio. Tum a B. P. Ignatio, quando captivus jam libertatem amisisset, mortem deprecatus est, nè fluctibus hauriretur, non enim tam mortem horrebat, quàm mortis genus: iis in precibus quum diutiùs immoraretur, clementissimi Parentis vocem audiit, clarè pollicentis, eum neque naufragio peremptum iri, neque in servitute futurum. Ostento confirmatus, sedatà procellà, prope Lopadusam, in navem longam incidit Melitensem, quæ piratas subegit, & ipsum B. Ignatii beneficio a captivitate, & naufragio vindicatum, Patriæ incolumem reddidit. Sed homo levis, & immemor, ut anno 1611 Jordanum Cascinum, cujus erat amicus, familiaris, & beneficiarius, Provinciæ clavo admotum audiit; invidiâ exarsit, & nè illi obtemperaret, dividendæ Provinciæ auctor, & fax esse cœpit: nihil non movit: atque tanquam parum fuisset, in gravissimos, & innoxios homines; Moletium, & Caribdem (quos ea de causa ab Aquaviva Romam evocatos diximus) ejus consilii invidiam derivare; Senatum etiam Mamertinum Societatis studiosissimum, falsis criminationibus, in Jordanum usqueadeo incendit, ut ei denuntiari curaverit, nè Messanam, Provinciam lustraturus accederet, nisi vellet cum ignominia discedere: Jordanus mitissimi vir ingenii furentem Masuccium officiis potius ad sanitatem adducere conatus est, quàm pœnâ coercere, ut in vita ejus plenius, & uberius demonstrabimus. Sed Mastrillus ut in Provinciam venit, & certissimis indiciis de Masuccii temeritate cognovit, debacchantem hominem cohibendum ratus, Messanâ evocatum, & coram se causam dicere jussum, neque tergiversantem, sed planè confitentem, & prodisclusione Provinciæ, tanquam pro aris, & focis acerrimè dimicantem; Calatanixetam ablegavit, atque in custodiam conjectum, ac quàmdiutissimè detentum, Mutii Vitelleschi auctoritate, eliminari jussit, & a nostro numero excludi. Dimissus acerbissimas, Deo vindice, Jordano Cascino pœnas dedit; nam in Patriam reversus ad incitas redactus est, atque ab amicis, & propinquis, propter linguæ intemperantiam, & naturæ immanitatem desertus, in publico valetudinario miseriis omnibus coopertus diem suum obiit, memorabile divinæ ultionis spectaculum.

Romà in Provinciâ remeàs, ab Africanis Piratis capitur.

B. P. Ignatius naufragio proximum Patriæ incolumè reddit.

Dividendæ Provinciæ fit auctor.

A Mastrillo in custodiam conjectus, tandem e Societate eliminatur.

Suæ immanitatis pœnas luit.

Fu-

III. Funera hujus anni non mediocrem habent luctum, quòd plerosque optimæ spei juniores Provincia desideravit. Perpaucos seligam, quorum virtutes exemplo non carent, & dignæ sunt, quas imitatione complectamur. Anno ætatis undetrigesimo in Panormitano Collegio, eo ipso anno, quo Sacerdotio est insignitus, studiis nondum emensis, morbo consumtus est P. Andreas Traina Panormitanus. Nulla fuit animi, aut corporis laus, quæ illi non deberetur. Inerat adolescenti splendidum & acutum ingenium, memoria vasta & fidelis, vox, & quælibet summi Oratoris virtus, candor animi eximius, pudor altus, & ingenuus. Disciplinæ, ac religionibus maximè intentus, & flagris in se quotidie acriter animadvertere, & nunquam nisi intimo cilicio indutus, ad immolandum prodire consuevit. Has tam insignes castigati animi dotes uni Deo devoverat, & inter barbaros expromere destinaverat: quare indicam peregrinationem vehementer flagitavit, & flagrantissimum ejus desiderium ex febre delirans jactavit, & feretro intulit. Elatus est XIII Calendas Februarii, assiduis nostrorum lacrimis. Decimo post die Trainam secutus est Melchior Sanctorus, Monregalensis, æqualis, familiaris, & contubernalis ejus, neque ingenii ac morum similitudine ab eo valde discedens. Hic quum spectâsset amici exitum, & funeri interfuisset, apertè pronunciavit, se ad eum properare, quocum conjunctissimè a pueritia vixisset. Paulò post eodem morbi genere tentatus, & diuturno delirio jactatus, quæ sanus & valens animo agitâsset, exeruit; nihil loquens, nisi conciones, custodias, triremes, valetudinaria. Magnum sui desiderium Provinciæ reliquit, & spes secum extinxit maximas, quum Theologicis artibus daret operam, anno secundo, ætatis trigesimo, Societatis duodecimo, III Calendas Februarii. Flevit etiam Provincia P. Jacobum Scrignum Drepanitanum, qui doctrinâ, & gubernationis scientiâ conspicuus, in primo honorum cursu, quem a Collegio Menenino exorsus est, eo in magistratu immaturâ morte sublatus est, annos natus tres & quadraginta. Rerum agendarum prudentiam, & in tractandis animis dexteritatem mira cum innocentia, & disciplinæ studio conjunxit. Probitatis ejus, & divinæ virtutis in eo residentis testimonium edidere mali genii. Christianis enim execrationibus lemures facilè expulit, & lymphatos homines, inusitatâ animi constantiâ a furiarum potestate vindicavit. Deiparam unicè coluit, atque ejus religionem, & cultum modis omnibus augere studuit: meruit proinde, eodem, quo ipsa, die mortalitatem exuere: nam Calendis Sextilibus febri

P. Andreas Traina Panormi vitam ponit.

Ejus mentis, atq; animi dotes cursim attactæ.

Melchior Sanctorus suũ exitum non obscurè significat.

Immaturè obit, magno sui desiderio relicto.

P. Jacobi Scrigni Menis obitus.

Ejus probitas, ac erga Deiparam cultus singularis.

correptus, die decimoquinto vivere desiit, quum quatuor ante annis summum in Societate Sacramentum coram Jordano Cascino Plateæ dixisset.

1617

IV. Initio anni 1617 P. Carolus Mastrillus, qui Provinciæ præerat, quanquam senio, & podagrà affectus, animi tamen viribus, corporis imbecillitatem, magnà omnium admiratione superavit: nam domesticæ Reipublicæ jampridem admotus, quum concionandi consuetudinem, multos jam annos intermisisset, dolentibus maximè omnibus, quòd tantæ vocis præconem graviores curæ silere coegissent, ab Alofio Vinancurtio Jerosolymitanorum Equitum Magno Magistro, qui Societati multùm studebat, summis precibus excitatus est, ut in proximo veris jejunio Melitam transmitteret, & sacras ibi conciones expromeret. Eò quum venisset, & in Sancti Joannis Templo auream illam, resonantemque eloquentiam coram Principe, & summi, infimique Ordinis Equitibus, atque Civibus, quotidie pro suggestu exercuisset, animos omnium ita expugnavit, ac Christo, & inter se conciliavit, ut nunquam aliàs Melitensium memoriâ, tot editæ sint conversarum mentium significationes. Mulieres a quæstu corporis revocatæ quamplurimæ, & ad secessum compulsæ. Restitutus templorum nitor, instaurata religionis officia, compositæ simultates; & quod maximè omnium in votis erat, mutua inter ipsum Magistrum, & Equitum proceres reconciliata gratia, cujus non vulgares fructus ad Melitense Collegium pervenere. In Provinciam regressus succedi sibi crebris litteris a Mutio Viteleschо flagitavit, a quo de adventu P. Pompilii Lambertengi certior factus, & Messanæ Neapolitanas nactus triremes, die decimo ante appulsum Lambertengi conscendit, & Neapolim versus solvit, quò prosperà usus navigatione, biduo pervenit. Lambertengus XII Calendas Quintiles Messanam appulit, a Romanæ Provinciæ magistratu. Ejus adventus, in Provincia cogniti, quam anno 1613 cum potestate lustraverat, & optimis institutis ornaverat, gratissimus omnibus fuit. Messanæ consedit usque ad Calendas Septembres. Tum cum Prorege, Taurisani Duce, qui anno superiore Oxunæ Duci successerat, Siculæ classis Prætoriam conscendit. Agathyrnum prætervectus promontorium, hodie *Caput Orlandi*, Eurus sævire cœpit flatu gravissimo, qui triremes in altum rapiebat. Hæ autem, neque ad anchoras vim venti ferre poterant, neque vela expandere obliqua, quin eversæ deprimerentur: itaque magno in periculo diu versatæ, diuturno remorum conatu, prope Rasigerbium Promontorium, eatenus

se

P. Mastrillus Alofii Vinancurtii precibus Melitam concionator transmittit.

Quàm inusitato Christianæ disciplinæ incremento fuerit auditus.

In Provinciæ magistratum succedi sibi impetrat.

Lambertengus Provinciæ clavo admovetur.

Cum Prorege Prætoria conscendens periculosissima navigatione usus est.

Digitized by Google

se ad littus applicant, quoad Prorex, & Principes nobilitatis phaselis, & lintribus utcunque excepti, apertum in littus evaderent. In his fuit Lambertengus, qui nauseâ debilitatus, ardente Sole, euro furente, coactus est plurium horarum iter pedibus conficere, dum in proximum Cœphaledii oppidum se reciperet, quo Prorex, cum proceribus convenerat, qui hospitia omnia occupaverant. Vir gravis, & senex, neque labori assuetus, lassitudine propemodum exanimatus ad oppidi januam consedit, nescius quò se verteret. Sed divino consilio factum est, ut a quibusdam prætereuntibus Seraphicis fratribus ex genere Calceatorum sit agnitus, & mirâ officii abundantiâ in Cœnobium deductus, unà cum Sociis aliquot, in quibus erat P. Vincentius Guerrera; qui omnes cœnâ, & lecto sunt recreati; nè prætermissâ quidem calidâ, cum odoratis herbis, quâ pedes incredibili caritate abluerent, & ab itinere delassatos reficerent, atque foverent. Quæ quum Matina adnotâsset adjecit: *Nos quoque Patres, Fratresque carissimi, præclarissimum hujusmodi exemplum amulemur. Nobis etiam cordi sit, horum similia caritatis officia impendere hominibus, quicunque sint, quemadmodum, & majorum nostrorum instituta, & Christiana disciplina misericordia, præscribunt: potissimùm verò religiosis viris, qui nos ut tempore, ita virtutibus, & caritate præcedunt.* Lambertengus hospitibus suis animam se debere professus, & memorem se fore pollicitus, piscatoriâ naviculâ Panormum appulit quinto Idus Septembris, magnâ omnium gratulatione, & quòd erat optatissimus adventus ejus, & quòd a tam gravi periculo incolumem recepissent.

Pene exanimatus in proximũ Cœphaledii oppidum se recipit.

A Seraphicis Fratribus comiter, lauteque acceptus est.

Panormum magna omniũ gratulatione se recipit.

V. Accidit per id tempus non leve incommodum: quum Domùs Panormitanæ Patres, Fratresque omnes, demptis perpaucis, aut ægris, aut senibus diem rusticationi dedissent, quòd quater in anno facere consuêssent, finitimi Sanctorum Quadraginta Martyrum Sodales, quorum Sacellum ædificio nostro adjacet, nacti silentium & solitudinem, subitario opere turrim excitârunt adeo altam, & amplam, ut & luminibus nostris obstruerent, & despectus pateret in atrium, & cubicula. Visa est ea moles domui injuriosa, & molesta. Jacobus Dominicus, qui magistratum gerebat, rem non negligit; & Sodalibus diem dicit, atque apud Franciscum Ribam Panormitani Purpurati Pontificis Vicarium in jus vocat. Riba causam cognoscit, locum explorat: censet, contra fas, irrogatam nobis injuriam fuisse, & turrim affligi jubet, quod paucos intra dies factum est. Siculæ classis Præfectus Eldæ Comes ex Brundusina expeditio-

Domui Panormitanæ finitimi injuriosam, & molestam turrim excitant.

In jus vocati, molem affligere jubentur.

Digitized by Google

ne, in quam hac æstate contra Venetos exierat, ut cum eorum classe dimicaret, retulit inter captivos insignis formæ Asiaticum juvenem Mahumedanum, domi nobilem, ac prædivitem: qui vixdum annum ætatis attigerat vigesimum, sed ingenio erat maturo, & perspicaci, ac supra barbarorum conditionem ingenuo, & facili. Hic quum omnia nostra tacitus exploraret, & secum christianæ religionis elegantiam, & sanctitatem, item sacræ cæremoniæ ornatum & majestatem, cum fœdis & inhumanis Mahumedis legibus, turpissimisque superstitionibus accuratè componeret, sponte suâ christianum velle se esse significavit: quare nostris ad erudiendum traditus, eò impensiùs Christi instituta verebatur, & ad salutem maximè facere intelligebat, quò subtiliùs enucleata sese menti offerebant, & apertiùs veritati consentanea. Interea redduntur Patris literæ in quibus erat, se ingentem Venetiis curâsse pecuniam, quam & Panormi repræsentari mandâsset, ut in libertatem asserereretur. Properaret itaque Venetias contendere, & exinde ad suos remigrare. Sed strenuus Christi Candidatus neglexit pecuniæ conditionem, maluitque captivus, & inops Christo servire, quàm liber, & opulentus ad sordida Mahumedis castra remeare. Tanti animi celsitudo cùm Cives omnes, tum præsertim Eldæ Comitem ita cepit, ut adolescenti Patris loco esse voluerit, & ne Mater deesset, Cullæ Dominam designavit, quæ materna officia præstaret. Itaque ad sacræ Lavationis cæremoniam dictus est dies VI ante Calendas Octobres: quo die in Domùs templo eleganter ornato, inter symphoniacorum choros, & musicorum concentus, frequentissimâ nobilitate, initiatus est ritu solemni, proque eo spopondere Eldæ *Comes*, & Cullæ Domina, a quibus est in fidem, & clientelam acceptus. Injectus est torques aureus collo ejus; & ad lætitiæ significationem, dispersa sunt pro templi foribus condita bellaria, quæ confertissimus raperet populus, & sacræ inaugurationis religionem celebraret. Lustrali aquâ initiatus adolescens, in genua provolutus, perfususque jucundissimis lacrimis, Deo gratias egit suavissimo animi sensu, quòd ex captivitatis ærumna tam insigne retulerit beneficium. Deinde ad Eldæ *Comitis*, & Cullæ *Baronissæ* pedes accedit; & jam hanc, jam illum, tanquam filius parentes veneratus est.

Nobilis Mahumedanus nostrorum probitate perspecta expiari petit.

Nostris erudiendus traditur.

Redemptionem a Patre curatam abnuit.

Eo documento cives, & Eldæ Comes capiũtur.

Sacræ expiationis cæremoniæ solemniter præstitæ.

VI. Jam pridem in Provinciæ domibus inoleverat, Romæ ab anno 1611 reperta religio, populum convocandi, ut certo singulorum mensium Dominico die ad cœlestem mensam accederet, præmissis concionibus, quibus divini epuli fames excita-

Cœlestis mensæ religio mirificè amplificatur.

ta-

taretur, & Sacerdotibus, qui confluentibus aures commodarent, & sacram expiationem impertirent. Sed ex eo potissimùm tempore mirificè est amplificata, quo Paulus V ad sacrum epulum concurrentibus plenissimam pœnarum culpis debitarum gratiam fecit, cujus litterarum exemplum hoc anno in Provinciam delatum est. Adjuvit Panormi tam salutare institutum nova Sodalitas Mariana, quam hoc ipso anno in Collegio invenit P. Carolus Romanus, vir planè summus, & rerum gestarum gloriâ inclytus, de quo hæc historia non silebit. Hujus Sodalitatis, quæ ad hanc ætatem maximè valet, ea erat disciplina, ut præcedentibus diebus magno agmine Sodales prodirent, vias lustrarent, nunc has, nunc illas, obvios cives ad sacrum convivium poscerent: ipso die cum funalibus in Domùs templo adessent, & quæ usus esset, administrarent, dum Romanus assiduis conciunculis, ad Christi amorem, ad erratorum detestationem, ad melioris vitæ frugem incitabat: symphoniaci verò suavissimis modulationibus cœlestis patriæ, ac cœnæ desiderium commovebant. Hæc eadem officia *Eucharistica* religionis Messanæ præstabat Marianus ex opificibus lectus conventus, vetustus jam, & emeritus, qui superioribus annis coaluerat. Dicta ea sunt Sodalitia *Missionis*, ad instar Romani; quòd Sodales menstruo labore circummitterentur, qui Civitatem de proxima religione admonerent.

Ea de re P. Carolus Romanus Sodalitatē Marianam Panormi instituit.

Eadem religionis officia Messanæ præstita.

VII. Offert Tirocinium Mamertinum memorabile funus Thomæ Stilintonii Angli, quem majores nostri, tanquam cœleste munus Provinciæ divinitus datum semper coluerunt. Natus est Londini Luterano Patre anno, 1594, sed patrui curâ de religione rectissimè sentientis, optimis artibus imbutus, Leodii in Belgio, latinas, græcasque litteras, Rhetoricam, Philosophiam inter summa ingenia, summus apprimè didicit. Meruit ibi morum innocentiâ, & insigni erga Deiparam studio ad Societatis castra ostento evocari. Quum precibus a Deo contenderet, ut sibi declararet, quo potissimùm vitæ genere divinam voluntatem assequeretur; media inter Beatos Ignatium, ac Xaverium ei se per speciem, Deipara ostendit, quæ manum ejus apprehendens, per avia, & longa itinera in amplissimum, & elegantissimum templum deduxit; atque *Hæc est*, inquit, *Societas Jesu, in qua tibi est permanendum*, tum ad Ignatium conversa, *hunc tibi trado*, ait, *adolescentem, ut Patri filium; quem tuo numero adlectum tuearis velim, & benevolentiâ tuâ dignum putes*. Thomas sensibus, & corpori redditus, ineundæ Societatis votum concipit, cujus ut compos fiat, nostrorum

Thomæ Stilintonii ortus, ingenium, & navata litteris opera.

Deipara media inter B. Ignatium, & Xaverium ad Societatem eum vocat.

Romam contendit, & Aquaviva mores, ac ingenium ejus periclitatur.

Digitized by Google

rum consilio Romam contendit, anno 1614. ibi Aquavivam senio, & morbis affectum, ac morti proximum reperit, qui peregrinum, & ignotum adolescentem humanissimè exceptum, in Collegio Anglicano hospitem primùm, deinde contubernalem, & alumnum esse jussit, ut ante ingenii, ac morum specimen ederet, quàm nostro in numero esset. In ea litterarum, & bonarum artium palæstra, Thomas Anglicanam juventutem facilè superavit: nam in disceptando acutus & alacer, atque in vincendo quidquid oppugnaret strenuus, in Philosophiæ arena primas tulit ingenii; nec minus eloquentiæ in Rhetorum disciplina: tragœdiam enim latinè elucubravit, quæ in autumnalibus feriis data est, in qua & ipse actor fuit, atque præ reliquis omnibus spectatorum aures, atque oculos implevit: erat enim decorà facie, candidus, non sine sanguine, præterea linguà promptus, voce plenà, & suavi, incessu gravis, & elegans, gestu acer, & parcus. Celebrârunt theatrum illud certatim Romani Cives cum principibus curiæ, & ejus famà commoti sacrorum, & fori Antistites cum Purpuratis quamplurimis, quibus Stilintonii virtus in pretio esse cepit. Ejus fabulæ plausus, tantà acclamatione manavit, ut ad Pauli V. P. M. aures pervenerit, qui accuratè perlectam vehementer probavit, atque laudavit. Aquavivà defuncto, Mutius Vitelleschus, successor ejus, flagitantis Thomæ rationem habendam esse duxit, & initio magistratûs, velut insigne sui erga Provinciam amoris pignus, eum tirocinio Mamertino destinavit. Nihil accideret pio, ac verecundo adolescenti jucundius, cujus animum nonnihil Romæ offenderat celebritas nominis sui: quare secedendi, ac delitescendi opportunitatem, quam loci absentia offerebat, in quo peregrinus, & nulli hominum cognitus futurus esset, lubenti animo amplexus est. Itaque in Siciliam venit, & Messanæ, Demetrio Licandro Doctore, religiosæ vitæ tirocinium posuit, sexto idus Maji superioris anni; quam tamen non ut tiro, sed ut scientissimus veteranus ad Septembris dimidium hujus anni produxit.

Ibi in Collegio Anglicano ingenii sui specimen edit.

Tragœdiam elucubrat, & agit acclamatione planè singulari.

A Mutio Vitelleschio ad Societatis castra admittitur.

Messanæ Tirocinium ponit.

VIII. Anno ætatis secundo & vigesimo Mamertinis tironibus aggregatus, quasi non ad arripienda militiæ nostræ elementa, sed ad ea apud nos usu expromenda venisset, summa virtutum omnium fastigia, se jampridem assecutum initio ostendit. Quum de se quàm fieri potest vilissimè judicaret, magnopere studuit, ut nemo dissentiret. Ut in tirocinium pedem intulit, percunctantibus de genere, de litteris, de studiis suis, non modò familiæ nobilitatem, & doctrinæ præstantiam occul-

Stilintonii temperantia mirũ in modum insignis.

Digitized by Google

cultavit, sed verbis, ac re, plebejum se, & idiotam, ac litterarum planè expertem jactavit; atque omnibus fidem fecit. Ajebat enim Heterodoxo se Patre natum, & populari, nonnihil latinitatis, & politioris humanitatis puerulum delibasse; sed prædurà jam ætate Societati adjuncto, & planè rudi, satis esse, si utcunque primores morum disciplinæ difficultates attingeret, ut rusticorum peccata exciperet, Sacerdotio initiatus, Elegantissimo characterum genere utebatur, quod aliis norma esset; dissimulavit tamen describendi peritiam; & majusculas notarum formas unà cum tirunculis, quibus id genus exercitationis injungi solet, imitari conabatur, & magistro, quem rectiùs doceret, morem gerere. Mos est nostris tironibus, quæ in domesticis cohortationibus a doctore acceperint, memoriâ excipere, atque inter se invicem conferre, & recitare. Thomas ut ruditatis opinionem foveret, tanquam linguæ, memoriæ, ac mentis inops, iis in congressionibus perpetuò silere, & ad ejusmodi exercitationis sese ineptum ostendere. Ceterùm servilia obsequia, ut ad ea factus, accuratissimè obibat, & eò libentius, quò humiliora, ac sordidiora haberentur, Majores, quemadmodum Dei Vicarios, impensè coluit, neque eos tantum, eorumque nutus, sed res etiam, quæ ipsorum essent, aut ipsi contigissent, tanquam religiosas verebatur. Quum valetudinis gratiâ rusticaretur, ibique Licandri codicillos accepisset, nonnisi aperto capite, chartam exosculatus, & de genu legit; idemque fecit, quum reversus, rogatus est a contubernalibus, ut eas litteras de scripto recitaret, quas ut sacrum quid diligenter contectas asservaverat. Quum, defectis jam ex pulmonum gravitate viribus, ægerrimè gressum moliretur, jussus est a Licandro in summam speculam conscendere, quæ in pomærio tirocinii clivo adjacet, & amœnissimos habet despectus in Urbem, in portum, in fretum, & in finientes Italiam Apenninos. Ille obtemperat, & anhelans conatur; sed in ipso conatu exanimatus concidit: accurrunt Sodales, sublevant, hortantur, ut in cubiculum se recipiat, & conquiescat; sed non ei persuadent, qui mori se potiùs velle, ait, quàm a majorum præscripto quicquam discedere: itaque tantisper recreatus, ire perrexit arduo ascensu, nec nisi in specula conquievit. Stomacho langueſcente, gravissimà nauseà tentatus, nullum fuit remedium, nullum alimentum, quod recusaret, modò de obedientia moneretur.

Se planè rudem, ac litterarum expertem jactat.

Memoriæ & mentis omnino inopem se ostendit.

Insignis ejus in majoribus colendis consuetudo.

Memorabile ejus in obtemperando documentum.

IX. Christianam inopiam in charissimis rebus habuit. Nihil illi jucundius, quàm ad mendicandum, & ostiatim corrogandum mitti. Imis precibus a Licandro impetraverat, ut intima

Christianæ inopiæ singulare studium.

tima, extimaque indumenta, quæ vetustissima essent, & ab usu remota, uni sibi darentur. Christi, dum inter mortales ageret, pauperiem ob oculos semper tulit, dulcissimum veluti commentationum suarum argumentum; & magno in honore semper habuit, tanquam vitę ac mentis magistram: consuevit autem, si quid a Deo peteret, per Christi inopiam flagitare; quod quum Licandro narraret, adjecit, nunquam sibi negatum, quod, ejus gratiâ, poposcisset. Oblatum est morienti aureum Christi signum: ligneum maluit, & commune, quòd diceret, eam auri speciem nihil sibi, ad pietatem & religionem facere, quòd solitus esset in Christo maximè inopiam adamare. Elucebat ex vultu ejus cœlestis quidam pudor, & intimi candoris imago, quæ intuentium oculos raperet, & pietatis sensum injiceret. Quo tempore, pro tironum consuetudine, ad vernam peregrinationem missus est, quum Tauromenii sacrificio adesset, oculosque in eum nonulli conjecissent, neque avertere se posse dicerent, peracto sacrificio, a comitibus ejus percontabantur, quisnam esset ille adolescens, inusitata cujus modestia, & oris serenitas, latentem in corpore cœlestem animam indicabat; auditoque, eum esse Anglum Societatis tironem: *O vos Beatos*, exclamaverunt, *qui via habetis comitem, non humanum, sed cœlo delapsum, juvenem, planè divinum!* In cruciando corpore tantùm sibi non indulsit, quantùm per Licandrum non licuit, a quo, quum non impetraret jejunia, vigilias, flagra, & brevem requiem, atque excubandi ratione molestam, a Deo impetravit dolores acerrimos, quorum qui maximus, & acutissimus, in ea pectoris parte consedit, & ad mortem usque sæviit, in qua Christus lancea confossus est. Ceterùm quod in se erat, famem, ac sitim nunquam pro naturæ desiderio pacavit, nihil unquam extra communem mensam gustavit, oculos a spectaculis semper prohibuit: muscarum aculeos patienter tulit; quas infirmus & jacens ab aliis flabello abigi noluit. Cœlestium rerum contemplationi, non horas, non dies, non menses, sed vitæ spatium dedit omne: nunquam enim non Deo vacabat, & intima ejus consuetudine tanto amoris sensu ferebatur, ut interdum languere cogeretur. Ea supplicandi assiduitas, occulta veluti lima, corporis vires exedit, & valetudinem labefactavit, quod quum Licander, etsi serò, animadvertisset, vetuit, nè præter horam, mentem delassaret. Amavit Deiparam, ut filius Parentem, ut miles ducem, ut cliens Patronam, & columen rerum suarum. Ejus religione tantopere movebatur, ut neque liber saperet, neque colloquium, quod non esset Virginis laudi-

Præclarum inusitatæ ejus modestiæ, & pudoris testimonium.

Afflictandi corporis studium, & assiduitas.

Cœlestium rerum contéplationi totum se dedit.

Stilintonii erga Deiparam, religio, & mutuus eorum amor.

dibus, aut commemoratione conditum. Deipara vicissim Thomam filii loco habuit; & quem ad Societatem in Belgio evocavit, in Societate versanti nunquam defuit. In ea, quam diximus, peregrinatione, erat ex itinere in oppidulo pernoctandum, quò quum ante meridiem perveniſſet, & cum comitibus diem consumpsisset ostiarium corrogando, ut aliquis eos hospitio dignaretur, nemo fuit, qui ignotos adolescentes non repelleret. Appetente jam nocte, & uno ex comitibus valetudine affecto, torquebat Thomæ animum ea repulsa, quòd sub dio esset quiescendum. Itaque in proximum templum ingressus ad Deiparam se convertit, eamque rogat, nè patiatur, infirmum, & tenerum adolescentem tecto, ac lecto carere: quum ecce tibi in ipso templi vestibulo, exeuntibus occurrit medicus, qui paulò ante obvios nè salutationis quidem officio impertiverat; comiter eos ultro appellat, orat ut penes se esse velint, hospitio recreat, cœnâ & lecto juvat, ægri venas explorat, & somno levatum iri pronunciat. Ipse cum familia aliò sê recipit, vacuam, & liberam tironibus domum relinquit. Tam inopinata, atque effusa hospitalitatis officia Deiparæ beneficio, & Thomæ precibus imputavit ipse Licander, qui tamen humanissimo medico gratias egisse se scribit.

Cum comitibus in oppidulo pernoctans a nemine in hospitium recipitur.

Deiparæ beneficio eos ultro medicus appellat, & hospitio recreat.

X. Sed Stilintonii virtutes ad præmium properabant. Contaminatis intimâ tabe pulmonibus, assiduam febriculam, atque tussim contraxit, quam tamen diutiùs neglexit, & occultavit; nè delicatiùs haberet, & disciplinæ deesset. Quum verò acerrima tussis morbum proderet, & contubernalibus, publicis præsertim in locis molestam esse intelligeret, a Deipara exoravit, ut excreandi necessitas uni sibi noceret, & iis parceret temporibus, in quibus cum aliis versaretur. Quare tam certa tussiendi intermissio miraculo est assignata. Ut ei Licander de proxima jam morte nuntiavit, prodiit ex vultu atque oculis intimæ lætitiæ sensus, quo animus ejus affectus est: quanquam enim se tironem, & in tirocinio Mamertino decessurum ante incolumis enunciâsset, quàm morbo tentaretur; & eo jam correptus, suadentibus medicis, ut ad auræ Neapolitanæ saluberrimum haustum mitteretur, Licandro edixisset, frustra id consilium iniri, quòd exitum non haberet; monitus, quem tantopere optabat, vitæ finem adesse, modis omnibus animi gaudium significavit. Itaque apud Licandrum universæ superioris vitæ maculas expiavit, quarum nullam fuisse gravem testatus est ipse Licander; deprehendit enim, primævum illum innocentiæ nitorem, qui in lustrali lavacro infanti esset infusus,

Assiduam tussim occultare obtinet a Deipara.

Proximum mortis nuncium animo libentissimo accipit.

Vitæ candorem, & innocentiam constanter asservavit.

ad eum diem permansisse maximis auctum incrementis. Priusquam supremi Olei cæremoniâ lustraretur, tironibus lectulo adstantibus, flens Licandrum oravit, ut sibi ignosceret: *Quòd in terra Sanctorum iniquè egisset: quòd Deo, Deiparæ, ac B. Ignatio maximè ingratus; in ea virtutum palæstra, neque quicquam profecisset, neque commilitonibus suis exemplo fuisset, nisi malo, pravoque, neque quicquam boni nisi ad speciem, & probitatis simulationem, fecisset.* Petiit: *Quando macie afflictus jaceret, neque jam locus esset humanæ in corpus ejus animadversioni, nè sustineret, impunes e vita abire manes ejus, juberetque eos corpore solutos lustrali igne biennium cruciari.* Cui Licander, & ipse flens cum reliquis omnibus: *Tanti non esse suam potestatem, qua vitæ finibus clauderetur, ut eam pœnam imponeret; quin curaturum se cum suis, ut, si post fatum eo cruciatu dignus inveniretur, placaretur Deus, & liberationem indulgeret: cæterùm se, suaque omnia Deo committeret, & ab eo pœnam, aut præmium expectaret.* Non acquievit Thomas, & magnis obtestationibus urgere cœpit: *Nè morienti, & flagitanti id solatii denegaret. Legisse se in vitis Patrum, eam a majoribus pœnam inflictam; rogare se, ut potestatis suæ, quacunque illa esset, copiam sibi, & gratiam faceret, quam fortè Deus ratam haberet.* Neque Licander diutiùs obstitit, quòd contristari eum intelligeret, nisi fieret voti compos. A Licandro requisitus, ut fratribus suis valediceret: *Lubenti animo*, inquit: *Valete Fratres, & morienti credite: Nihil est in vita periculosius, aut metuendum magis, quàm a majorum voluntate discedere. Ea in re me deliquisse confiteor, qui temeritatis meæ pœnas luo, festinatè morte occupatus, quòd leviuscula quædam imperata neglexerim. Nihil vobis antiquius sit Christianâ, ac liberâ inopiâ. Hanc retinete, atque diligite, tanquam fidissimam propositi vestri custodem, & humanarum cupiditatum arbitram, atque rectricem.* Post hæc Oleo intinctus salutari, quærenti, dimissis reliquis, Licandro *Ecquid valeret?* videbatur enim non nihil recreatus, & plures etiam victurus dies: *Benè*, respondit, *sed cras vobiscum unà non erimus*: neque secus factum est; nam postridie, diuturnis, maximisque doloribus, sine gemitu, sine questu, quin & summâ oris & animi jucunditate toleratis, dictoque primo Societatis Sacramento; paulò ante meridiem suavissimè exinctus est, XVII Calendas Octobres, ætatis anno vigesimo tertio, & quod excurrit. Persuasum est omnibus, interogatam a Licandro pœnam de cœlo ratam non fuisse: audito enim

Temperantiæ ejus ante mortem præclara dicta.

A Licandro contendit, ut biennium lustrali igne cruciari jubeatur.

Ejus ad Fratres ante exitū oratio.

Eo quo prædixerat die, jucundissimè obit

Thomæ Stilintonii sanctitatē nostri omnes testantur.

Digitized by Google

enim signo mortis ejus, nemini in mentem venit pro defuncti manibus funebres preces fundere; sed ea omnium mens, atque vox fuit, habere se jam apud superos cum Deo regnantem deprecatorem, atque patronum. Extincti facies insigni quadam pulchritudine, & hilaritate, satis declarabat, cœlestis animæ sedem fuisse corpus ejus. Utensilia, & quæ circa ipsum essent; etsi pestifero morbo peremptus est, nemo adhibere timuit: quin & certatim, raptimque capiebantur, tanquam malorum remedia, quibus admotis, auctor est Tornamira, repentinas esse consecutas morborum curationes quamplurimas. Mirum etiam fuit, demortui corpus nè pavidis quidem, & maximè meticulosis horrorem de nocte, & in tenebris obtulisse: nam soli, & ad multam noctem apud feretrum versati sunt, & manus, ac pedes ejus exosculari non verebantur. Perquam honorificè de Thoma Stilintonio tradiderunt Riela, Tornamira, & Demetrius Licander, cujus extat epistola, data postridie mortis ejus, quæ virtutes complectitur.

Quæ ejus fuissent, certatim auferuntur, & salutaria fiunt.

XI. Quum annus appulisset 1618, magnum Domùs Panormitanæ Socii retulere fructum, & laudem institutionis suæ. Puella, quæ templo nostro assueverat, & P. Vincentio Rao doctore, atque animi duce, christianæ honestatis disciplinam arripuerat, humillimis orta natalibus, sed oris elegantiâ omnium formosissima, insidiatorem nacta est, generosum atque prædivitem adolescentem, qui vias omnes scrutabatur, ut pudorem ejus deliberet: quam quum neque muneribus, neque pecuniâ, neque magnis pollicitationibus, quamvis inopem, atque pupillam expugnaret, ad dolos ac vim descendere statuit, ut eâ potiretur. Itaque per anum quandam Aphrodisiam, quæ lenocinium exercebat, ei tetendit insidias, ut si non se ultro dederet, eam prædæ loco haberet, suique juris, per injuriam, & nefas faceret, ac vi comprimeret. Itaque Aphrodisiam præmittit, quæ per occasionem simulati negotii virginem in secretam, & solam domum ex condicto deducat; ipse cum Sicario subsequitur, & domum invadit. Aphrodisia, ut erat edocta, inde se proripit, fores claudit, & rei eventum, pactamque pecuniam opperitur. Adolescens Sicarium jubet secedere; paventem, & nihil tale suspicantem puellam blandis primùm verbis aggreditur, vetustum amoris sui vulnus aperit; ingentem auri signati vim ostendit; annuam pecuniam, honestas nuptias, maria, & montes pollicetur. Illa flens, & clamans: *Pluris se quàm opes, & regna*, respondit, *pudorem facere, quem abs se nemo extorquere speraret, dum viveret.* Instat ille, & quidquid est blanditia-

1618

Fructus e nostrorũ institutionibus Panormi relatus.

Puellæ inopis pudori adolescẽs insidiatur.

Lenæ operâ puellam in secreta domo aggreditur.

Illa adolescentis impetum virili fortitudine sustinet.

rum, & precum adhibet, neque constantiam frangit: tum viribus cepit contendere, & ad eam complectendam irruit. Puella sese non deserit, sed virili fortitudine impetum sustinet, eludit conatus ejus, manus repellit, vitat amplexum, modis omnibus obluctatur, neque sinit, se ad terram affligi, quemadmodum ille conabatur; qui cum solus solam opprimere desperaret, Sicarium vocat: ambo, mirà dexteritate elabentem tenere student, puella utrumque removet, jam hunc, jam illum declinat, corporis flexu alterum fallit, alterum arcet, utriusque genas unguibus scalpit, & sauciat, utriusque manus a maleficio prohibet. Dignum sanè superis, & cœlo spectaculum, quod agna cum lupis exhibuit, integra, & incolumis, Deo audaciam, & vires suppeditante. Duas, ut minimum horas, lucta obtinuerat; quum puella diuturno conflictu delassata, ac propemodum exanimata: *Sinite*, inquit, *fessam tantisper requiescere, equidem in vestra sum potestate, neque obseratis foribus, spes mihi est ulla evadendi. Hic me anima destituet nisi cessatis.* Neque illi abnuunt, tum quòd & ipsos pugna delassaverat, tum quòd præda in tuto erat, tum præsertim, quòd poscentem inducias, victam, & deditioni proximam arbitrabantur. Erat in eo conclavi, puteus altus, & multà ex imo scatens aqua. Hunc puella, quum oculis adnotasset, ut paulisper conquievit, repentè consurgit, Jesum, & Mariam vocat, crucem ante pectus manu significat, eò properat, in caput volvitur, seque magno aquarum strepitu in puteum agit præcipitem, eosque attonitos, atque defixos relinquit: qui consilii inopes fugam arripiunt, & Aphrodisiam pro foribus expectantem de rei exitu docent. Hæc vicinam convocat; ad puteum accurritur; puellam vocant, vivam comperiunt, scalis, funibusque demissis, salvam, atque integram recipiunt; rogant qua ratione factum esset, nè mergeretur; respondit, adfuisse sibi Deiparam, quæ demersam continuò sublevasset, & altissimis aquis extantem detinuisset. Ut facinus est evulgatum, Susannis ac Teclis dignum, nullo negotio puella sponsum, atque dotem satis amplam invenit. Ea tamen Rai consilium secuta, secessit, & inter virgines sese Deo mancipavit, eique servatum miraculo virginitatis florem devovit.

Admirabili consilio adolescentis vim eludit.

In puteum altum, & aquâ scatentem se præcipitat.

E puteo eam recipiunt, salvam, & integram Deiparæ beneficio.

XII. Datus est in aula Collegii Panormitani tertio Nonas Februarii tragico carmine *Pelagius Martyr*, ex familia Castrorum (qui victima castitatis a Cordubensi Rege necatus fuit) flagitante Prorege Francisco Castro, qui gentilitium *Martyrem* theatro, & scenis inferri magnopere cupiebat. Fabulam edidit Fabritius Spucces, domestici filius medici, Hieronymi

Pelagius Martyr tragico carmine Panormi actus.

Spuc-

Spucces, e majori Baleari, nobilissimo genere oriundi, qui liberos admodum quinque Societati addiderat, lectissimos adolescentes, moribus & ingenio in Provincia commendatos, quorum non vulgaris erit historiæ commemoratio. Adjecta sunt carminibus elegantiâ, & venustate mirâ compactis theatralia episodia, cum musico Syrenum concentu, & exquisitis ad numerum saltationibus, quæ omnia digessit, & concinnavit P. Erasmus Marotta musicæ artis peritissimus, qui septem ante annos humanis rebus nuncium remiserat, seque Societati aggregaverat. Summa fuit Proregis gratulatio, incredibilis curiæ, procerum, civium concursus, inauditæ acclamationes: non tamen sine consuetis eorum querelis, quibus præ multitudine, & confluentium tumultu subselliorum copia defuit. Maxima erat Panormi, propter anni superioris sterilitatem, & excurrentis siccitatem annonæ difficultas. Quoniam verò superioribus annis agrorum publicas lustrationes, quæ Romani Pontificis auctoritate administratæ magnâ ceremoniâ fuerant, uberrimæ messes fuerant consecutæ, adnitente Prorege, qui Legatus Romæ fuerat, eadem religio Pauli V litteris est instituta, Calendis Aprilis, quam tamen post idus Martias præcesserat liberatio culparum, quibus expiandis sexaginta nostri Sacerdotes insigni defatigatione in Domùs Templo insudarûnt. Non absimili ceremonia est peracta lustratio in reliquis insulæ oppidis, quorum quæ Societatis Collegiis utebantur, parem nostris obtulere lassitudinis, & defatigationis voluptatem. Claruit P. Vincentii Rai castigatissimi viri industria in augenda christianæ doctrinæ frequentia, atque cultu: egit enim cum externis ludimagistris, ut singulis *Dominicis* diebus auditores suos in Domûs Templum a prandio deducerent. Creavit doctrinæ Principem nobilissimum adolescentulum, qui publicis præsideret exercitationibus. Instituit dialogos, & eruditas concertationes, quæ delectationem efficerent, & memoriam adjuvarent: addidit puerorum concentum, edoctis ad id adolescentulis, qui in Pupillorum Collegio aluntur, quos Panormi *Dispersos* vocant: omnia excogitavit, quæ ad tam salutarem institutionem amplificandam, ornandamque idonea essent. Quo factum est, ut amplissimum Templum omni ex parte densis ordinibus stiparetur, & spectatoribus redundaret.

Fabula incredibili acclamatione excipitur.

Nostrorum labores in excipiendis sacris confessionibus Panormi impensi.

Idem in reliquis Siciliæ oppidis labor consumtus.

Christianæ doctrinæ religio a P. Vincentio adaucta.

XIII. Debebatur P. Vincentii Rai meritis Franciscus frater natu maximus, qui supremas vitæ horas in Societate collocavit, nostro numero adlectus, quum ex supremo morbo decumberet. Hic Tauromenii clarissimo sanguine editus, inter summa ævi sui

Francisci Rai ingenium, & honores ei in foro, & curâ præstiti.

sui ingenia jurisprudentiæ principatum tenuit. Adolescens Societatem adamavit: sed quum juvenili ardore ad percurrendos honores, fortunâ blandiente, raperetur, ab ea mente ita desscivit, ut acres ejus adeundæ stimulos in foro, & curia retinuerit. Constanti nondum ætate Reipublicæ admotus, subsellia judicum omnia tanta cum justitiæ, atque doctrinæ gloria implevit, ut paulò post annum quadragesimum summus Curiæ Prætor sit appellatus, quem magistratum *Magnæ Curiæ, & Justitiæ Præsidentem* Siculi dicunt: atque id muneris annos sex & triginta, nunquam satis laudatus gessit. Fidelissimus Astrææ interpres, custos, atque sequester vulgò habitus æquales legum scientiâ vicit, cum majoribus integritate certavit, posteris æmulandi curam injecit. Tanquam e nubibus delapsum priscæ probitatis, ac frugalitatis exemplum, ea justitiæ, & æquitatis laude jus dixit, quam nulla unquam, aut cujusquam gratia, aut pecunia variaret. Nullum fuit propterea civile negotium, quod non ejus consilio summè Insulæ Prætores gererent, nulla ejus sententia, quam non Reges haberent ratam, & cupidè amplecterentur. Pristinæ vitæ consuetudinem, conservavit invariatam in magistratibus, in quibus oportere statuebat, non cultu atque luxu, sed innocentiâ, ac sapientiâ reliquos antecedere; & magnum habere censum in parsimonia constitutum. Ceterùm satis lautum familiæ patrimonium, ut a majoribus acceperat, neque amplificatum, neque imminutum posteris reddidit, quibus nihil adjecit præter gloriam, & dignitatem. Publicas autem virtutes privatis cumulavit. Pauperes perpetuò aluit, & fovit; quorum, quemadmodum & viduarum, & pupillorum, in jure administrando, partes ut privatus potiùs & patronus, quàm ut judex suscepit; & causas, in quibus essent inferiores, secare maluit, quàm pro lege definire. Religiones maximè coluit cum publicè, tum privatim, neque a jejuniis, assiduisque flagris abstinuit, ac vitæ suæ rationes ita composuit, ut Societatis deceret non candidatum modò, sed alumnum. Quamplurima ejus in nos beneficia numerantur, quorum illud maximum, atque præcipuum, quod afflictis etiam, & jacentibus rebus nostris, Societatem amare nunquam destitit, atque tueri. Septimo antequam vitam clauderet anno, uxori superstes, de magistratu abdicando seriò cogitavit, seque in Societatem recipiendi, tanquam ad perfugium, & sedem amoris sui, ac requiem laboriosissimæ senectutis voluntatem concepit: quare a P. Ferdinando Albero, quo tempore, Aquaviva defuncto, Vicarius ab ea nuncupatus, interregnum inierat, nostrorum numero adlectus est:

In Reipublicæ Magistratibus laudatissimè se tractat.

Summa virtutum ejus capita notantur.

Singulare ejus in pauperibus sublevādis studium.

Nostrorum numero adlectus commeatum abs Rege non impetrat.

Digitized by Google

est; sed Prorogibus Oxuna, & Castro obsistentibus, commeatum abs Rege non impetravit, quòd ejus secessio ad ultimos casus provecti, Reipublicæ infensa, nobis parum utilis futura esset. Itaque, ut erat conductum, extremo tentatus morbo; pridie mortis ejus Societati adscitus est, & coram Pompilio Lamberto ego primum militiæ nostræ sacramentum dixit, & aureos quingentos Domui Panormitanæ unà pensione legavit. Extinctus est octogenarius XVIII Calendas Januarias; & nostris amictus indumentis in Domùs Templum, multâ jam nocte, elatus, posteri nostri ad justa persolvenda convocatis, domestico tumulo illatus est.

Fato proximus Societati adscitur, & vota nuncupat.

XIV. Præerat nobilium Sodalitati Pr. Franciscus Rajatus, vir sanè doctus, & probus, qui Panormitanam nobilitatem, & Principes Civitatis, Regnique proceres ita sibi devinxerat, & Marianis Sodalibus conciliaverat, ut nullibi florentiores, frequentioresque essent conventus, quasi Christiani non haberentur, qui eam Deiparæ religionem non colerent. Nomen etiam dederat rei militaris gloriâ, terrâ, marique notissimus Petrus Leyva, qui duobus ab hinc annis a Siculæ classis ad Neapolitanæ præfecturam gradum fecerat: sed Oxunæ Duci, qui Neapoli cum imperio erat, vehementer offensus, (quòd spurium duodennem filium classi imposuerat, quasi præfectum erarii, sed revera, ut ad Octavii Aragonæ nutum classiarii respicerent, quem ille puero custodem addiderat) classe relictâ, Panormum secesserat, seque religionibus totum involverat. Hic nobilium Sodalitio præpositus publicum Christianæ misericordiæ triumphum excogitavit, & collatis cum Rajato consiliis, Marianis Sodalibus persuasit, ut epulum Custodiis apponerent, & ipsi deferrent, ac discumbentibus ministrarent. Prodierunt ex *Professorum* Domo XVII Calendas Septembres, qui dies in Cœlum Assumptæ Virginis Festum proximè subsequitur, magno agmine per viam maximam, bini laureatam cistellam cum ferculis manu ansis tenentes. Hic erat ordo agminis. Præibant Sodales Sacerdotio initiati, inter quos erat Vincentius Brancifortius Buteræ Principis filius. Post hos Petrus Leyva Sodalitii Præfectus, quasi dux agminis: sequebantur titulis insigniti Sodales; in quibus erat Montalti Dux, qui æger pedibus adesse voluit, & apertâ sellâ gestari, canistrum præferens cum mensarum instrumento. Hos excipiebat reliqua nobilitas, quam claudebat Rajatus, cistulam & ipse gerens. Ibant silentes, demissis oculis, & tantam præferentes religionem, ac pietatem, ut defixam, & attonitam habuerint Civitatem, cujus oculis tam jucun-

Marianæ Nobilium Sodalitatis aucta religio.

Epulum custodiis publicis Sodales deferunt.

Ordo, quo in custodias Sodales perrexerint

cun-

cundum, ac salutare spectaculum, nunquam antea oblatum fuerat. Custodiis accumbentibus ipsi fercula apponere, miscere pocula, vacuas amovere lances, plenas subvehere, omnia administrare. Fuit epulum adeo splendidum, & opiparum, ut reliquiæ triduì alimenta præbuerint.

Custodiis accũbentibus Sodales ipsi ministrant.

XV. Insigne memoratur hoc anno funus Bartholomæi Valditari Messanensis, qui natali die fatum invenit, VIII Calendas Apriles, qui dies ab *Annunciata* Deipara, religiosus habetur. Natus est honestis parentibus anno 1600, & accuratissimè domi educatus, anno ætatis decimotertio humaniores didicit literas in Collegio Mamertino. Difficile autem fuit judicare utra major fuerit, ingenii laus, an innocentiæ: utraque enim omnes facilè superavit æquales. Philosophiæ admotus, sublimioribus parem disciplinis, doctoribus suis sese ostendit. Corporis, animique integritatem, quam ad Marianum attulit Sodalitium, Deiparæ cultu auxit, & cum Sodalibus communicavit, qui in moribus, & vultu ejus cœlestis candoris imaginem intuebantur. Sortitus est, naturæ beneficio, animi cupiditates adeo compositas, atque sedatas, ut nihil ferè virtuti relictum sit, quod frangeret, atque emendaret. Quare ad domandi corporis studium, dolorem refugientis, se convertit; & jejuniorum, flagrorum, vigiliarum, ferreorum aculeorum consuetudinem nunquam nisi jussus, aut valetudine prohibitus intermisit: Deo supplicandi religionem in deliciis habuit, & ad singulas diei horas, assiduâ cœlestium rerum cogitatione jam obiter, jam per otium provexit; silentium atque secessum ita adamavit, ut nullam tamen rusticitatis acerbitatem præseferret, & omnibus se amabilem ingenuâ quadam comitatis abundantiâ præberet. Quibus rebus effectum est, ut conspectum ejus æquales verentur, colloquium captarent, & accedentem conspicati, nugas abjicerent, seque ad modestiam, & gravitatem componerent. Quòd si quicquam excideret in familiari consuetudine, quod inane esset, aut minùs cautè prolatum, ipse admirabili dexteritate orationem ad salutaria colloquia detorquebat, vel ad dialecticam disceptationem derivabat. Quum Societatem diu exoptasset, & candidatus petiisset, ampliatumque esset rogantis desiderium, & alii, se posthabito, prælati essent, negligi se patienter tulit, & suam potiùs indignitatem, quàm aliorum injuriam accusavit; & deinceps Deum magis, quàm homines fatigare cepit, precibus, & assiduis obtestationibus, quibus aditum sibi patefecit IX Calendas Novembres, quum annum ætatis ageret decimum octavum, qui fuit supremus vitæ ejus. De-

Bartholomæi Valditari ingenii æque, ac innocentiæ præstantia.

Ejus in domando corpore assiduitas.

Deo supplicandi diuturna cõsuetudo.

Societatem constantissimis precibus petit.

me-

metrius Licander, cujus probatissima ferebatur in Tirocinio Mamertino juventutis institutio Valditarum complexus est, non ut tironem, sed ut emeritum, & divinis in rebus quàm maximè exercitatum: metuit proinde, ut vitalis foret, qui ad perfectam quandam virtutis maturitatem adolescens evectus esset, neque in præsagio cæcutire visus est: nam Valditarus dum inter tirones ita versaretur, ut propter virtutum omnium præstantiam, & suavitatem ingenii æquè se salutarem, & carum singulis ostenderet, tertio mense, distractà intimà pectoris venà sanguinem tussiendo excreavit, & copiosè rejecit; neque intestinum vulnus, ullis remediis cicatricem obduxit. Aperuit is morbus, oculisque subjecit, admirabilem christianæ fortitudinis, ac temperantiæ palæstram. Jucundum erat spectaculum, tam inusitatam maximorum dolorum, summæque hilaritatis conjunctionem, bimestri spatio in adolescente intueri. Divini amoris victimam cerneres cœlesti igne æstuantem, rubentibus oculis, candente vultu, ore Deum anhelante; quæ verba! quæ suspiria! quæ æternæ vitæ desideria! Vidisses cœlestem animam, cœlesti corpore clausam, non jam nisi de effugio loquentem, & de libertate cogitantem. Audisses interdum suavissimè concinentem, & divinà voluptate delibutum divina patientem. Ea species nedum tironibus, sed veteranis etiam, tantam cœlestium rerum curam attulit, ut ex eo tempore noster Sacerdos se respexerit, & castigatioris vitæ rationem inierit. Magni proinde ad eum domesticorum concursus: omnesque ab ejus colloquio divinà flammà correpti digrediebantur, propediem redituri. Sed quum Martiæ idus appeterent, apertè pronunciavit, adventare jam diem exitùs, qui idem, ac *Annunciatæ* Virginis, futurus esset: quare supremis lustratus est religionibus. Aderat jam Martii dies quintus, & vigesimus; negabantque Medici parùm abesse fatalem horam, quin & vitam ad dies quamplurimos productum iri, arbitrabantur. Tum Licander: *Lætari se*, inquit, *quod in die mortis prænunciando falsus vates fuisset*; cui Valditarus: *Nondum elapsus est dies*. Itaque prope noctem quasi sopore correptus, paulò graviorem repentè reddens anhelitum, ore leniter hiante, exanimatus est; sub Deiparæ auspiciis ortus & mortuus; annos natus decem & octo; mense ab inita Societate quinto, nullius unquam, nisi levissimæ culpæ conscius, creditum sibi cœlestis gratiæ depositum sanctè servavit, & magnis amplificatum usuris feretro addidit.

In Societatem receptus Messanæ tirociniũ ponit.

Inusitatâ fortitudine, ac tẽperantiâ maximos dolores excipit.

Suum exitum jam adventare prædicit.

Eventus vaticinio congruit.

XVI. Domui Mamertinæ duæ adjectæ sunt ex integro institutæ Marianæ Sodalitates, quarum unam juniores artifices,

Marianæ Sodalitates Messanæ ex integro institutæ.

sub titulo *Præsentata* Deiparæ, conflavere, alteram a Virgine in Cœlum *Assumpta*, Scribæ, atque Causidici, qui ut idoneum sibi sacellum constituerent, finitimas ædes tribus aureorum millibus redemerunt. Ad laxandam item domum, & Nobilium Sodalitatis Sacellum amplificandum, collatà utriusque pecuniâ, quinque millibus emptæ sunt ædes proximæ, quas Eleonoræ Roccæ testamento ad Collegium Mamertinum pervenisse demonstravimus. P. Decius Striverius Catacensis Neapolitanæ Provinciæ alumnus, Domui Mamertinæ Mutii Vitelleschi auctoritate præfectus est, eamque, magnà omnium gratulatione exceptus, pari cum laude administravit: magistratus sui initio insignes Beatæ Catarinæ Virginis, & Martyris Alexandrinæ Reliquias Templo attribuit: quibus ornandis, & decenter custodiendis, P. Bartholomæo Petracio adnitente, Marianus Mercatorum conventus argenteum loculum, Brachii instar, elegantissimo opere elaboratum, liberaliter contulit. Quum ad lustrandam amplissimam jurisdictionem exiret Andreas Mastrillus Pontifex Mamertinus, cujus maxima erant in Domum Messanensem, propter perpetuas largitiones, & in Societatem merita, quòd ejus homines magno in honore haberet, & rebus omnibus adesse vellet, duos e nostris Sacerdotibus flagitavit, quibus negotiorum consultoribus, & sacræ potestatis administris uteretur.

P. Decius Striverius Mamertinam domum magna cũ laude administrat.

Mamertini Pontificis in Nostros studiũ.

1619 XVII. Ad postridie idus Aprileis primum & vigesimum Provinciæ conventum dixit Pompilius Lambertengus, anno ineunte 1619 in Panormitana *Professorum* Domo habendum: ad quem quum eo die Patres convenissent, postero die dictus est actorum scriptor P. Vincentius Guerrerius, datusque est ei Socius, & adjutor P. Livius Trigona: designatique ad negotia, de quibus eorum arbitratu in conventu agi oporteret, P. Jacobus Dominicus, & Decius Striverius. Post triduum delectus est P. Jacobus Dominicus, qui Procuratoris nomine Romanis adesset Comitiis, appellatusque est P. Octavius Cajetanus, qui, si fortè Dominicum prohiberi contingeret, ei succederet. Postridie censuit Conventus, summa Societatis Comitia cogi non oportere, quòd nulla esset probabilis causa cur cogerentur. Plura sunt, quæ Conventus Procuratori mandavit, de quibus ad summum Societatis Antistitem Romæ referret. Duo delibaverim, quorum alterum mores habet, alterum narrandarum deinceps rerum ansas, & seriem. Primum est, placuisse Patribus, ad confovendam mutuam inter Provincias caritatem, & consuetudinem, & Societatis doctrinæ opinionem alendam, atque

Primus, & vigesimus Provinciæ conventus Panormi coactus.

De mutua confovenda inter Provincias caritate convẽtûs postulatio.

que commune solatium assequendum, petere ut ex hac in alias Provincias, & ex aliis vicissim in hanc, aliqui ex insignioribus ultro, citroque concionatores mitterentur. Vehementer laudavit Mutius Provinciæ studium in retinenda communione Provinciarum; pollicitusque est, magnæ sibi curæ fore, ea ut pro præsenti copia, quàm maximè valeret. Alterum erat. Rejectam ab Aquaviva ad aliud tempus, quod opportunius videretur, dividendæ Provinciæ postulationem, eo jam defuncto, censuisse Conventum integrari; ut Mutius ea de re cogitaret, & sedulò dispiceret, num amplitudo Provinciæ, quæ uno vix anno lustrari poterat, auctus Sociorum numerus, & exaggerata negotiorum moles, quibus unus Provinciæ Rector ægrè consuleret, opportunum tempus adduxerint; statueretque, quod communi bono conducentius arbitraretur. Sapientissimè rescripsit Mutius: *Re diligenter inspectà, & cum PP. assistentibus pertractatà, omnino videtur in Domino, nullo modo e re Societatis fore, ut Provincia dividatur. Quin potiùs existimamus, Patresque ut existiment, etiam atque etiam rogamus, gratissimum Deo fore obsequium, si prorsus omni divisionis cogitatione depositâ, conjunctis animis, & opibus, uti optima Provinciæ virtus pollicetur, in animarum auxilia, & commune bonum incumbant.* Sed optimis Mutii institutis, nescio quo fato, Provincia non acquievit: nihil enim eà repulsà a divisionis consilio deterrita, in iis qui proximè consecuti sunt conventibus, urgere non destitit, dum voti, malo suo, compos fieret; coacta est enim, usu ipso edocta, illa eadem retexere, ac recantare, quæ tandiu maximopere flagitaverat, ut ad annum 1626.

Postulant item Patres Provinciæ partitionē.

Mutius rescribit, & Patrum consilium improbat.

Patres in sententia consistūt

XVIII. Duorum Collegiorum sobolem hic annus numerat, Narensis, & Ennensis, de quibus singulatim. Est Narus mediterranea non procul ab Agrigento Civitas, æquè ampla atque vetusta, cujus originem mensores orbis terrarum, & antiquitatis amatores a Motyo manâsse perhibent, quod est oppidum Diodoro notum, Agrigentinorum armis, & Ducetii Siculorum Regis, oppugnatione celebratum: nam vetustatem ejus non indiserte testantur Graii Scriptores ante Strabonem, & Diodorum, & sedem fuisse Gygantum non obscurè declarat effossum omni ex parte oppidum, & altissimæ intra mœnia specus, in quibus humana eximiæ magnitudinis ossa, nostrà etiam memoriâ, & ætate effodiuntur. Ortus est in ea Civitate P. Gaspar Paraninfus, magnum Provinciæ jubar, qui cùm anno 1596; & ex quo exierat vigesimo, in Patriam remeâsset, eamque salu-

Collegii Narensis initia

P. Paraninfi salutares conciones, cives ad Collegium condendum excitant.

taribus concionibus ad Christianæ vitæ consilia traduxisset, tantum popularibus suis inferendæ Societatis studium attulit, ut Pontifex Agrigentinus & Principes Civitatis, collatis opibus, atque consiliis, non unas ad Josephum Blondum, qui tum gerebat Provinciam, dederint litteras, quarum autographa penes me habeo, atque hæc erat summa: *Excitatam Paraninfi orationibus Civitatem contraxisse pecuniam, quæ collocata, annuus mille aureorum census rediret, quem condendo Societatis Collegio destinâsset. Orare, atque obtestari, ut Narum Socios, quantociùs mitteret, qui conatus eorum perficerent, & opus inchoarent. Huic summæ adjectum iri ære publico aureos ferè ducentos: designatosque ex equestri Ordine cives, qui Domum, Templum, & domesticum instrumentum curarent. Confectas de iis omnibus legitimas tabulas, scribam ipsum perferre, qui eas litteras redderet.* Sed eà tempestate miravalebat repudiandorum Collegiorum, Patrum consensio. Quare Paraninfo nequicquam reclamante, rescriptum fuit: *Ea de re cum Aquaviva agi oportere, cujus esset animus, a novis Collegiis alienus, & ad vetera nonnulla delenda satis propensus.* Quibus cognitis, Narenses eà spe dejecti, urgere desinunt, & ad alia omnia eam pecuniam convertunt. Paraninfus verò, & amplificandæ Provinciæ, & juvandæ Patriæ studiosus a Deo precibus, & lacrimis cœpit contendere, de quo fuisset ab hominibus recusatum. Itaque anno 1610. Quum Nari sacras verni jejunii conciones, magno cum motu Civitatis, peregisset, & altero Pentecostes die ad populum verba faceret, plena salutis & sapientiæ, divinâ flammâ incitatus repentè exarsit, & cives suos lenissimis verbis accusavit: *Quòd bonum publicum negligerent, & excitandi Collegii consilium abjecerint. Nunquid repulsam excusarent superioribus annis relatam, ea quum de re agatur, cujus sua ipsorum magis, quàm Societatis interesset: quod vel ex eo intelligerent, quod repulsam passi essent? Ampliatas etiam, & ad aliud tempus rejectas amplissimas Civitates, Plateensem, Termitanam, Netinam, Muticensem, consecutas denique quod magnopere, constanterque flagitâssent. In eo perspectam esse Societatis integritatem, & fidem, quòd ultro delata Collegia recusaret, nisi adolescentes etiamnum Provinciâ, idoneos quos destinaret, & lectos haberet homines, qui sustinendis cum dignitate, & civium emolumento novis domiciliis, sine veterum detrimento, ut virtute, ita numero pares essent.* Tum ad Christi e cruce pendentis signum conversus: *Quod in me est*, inquit, *quum omnia*

jam

Ea de re litteræ ad P. Josephum Blondū missæ.

Blondus rescribit, rem totam ad Aquavivam rejiciendam.

Narenses excitandi Collegii consilium abjiciunt.

Paraninfus e suggestu civiū mutatum consilium incusat.

Digitized by Google

jam Patriæ meæ pietatis, & caritatis officia persolverim; abscedo equidem. Valete Cives mei, quibus ego abs te, Christe, bona ac fausta omnia, ut absens, precari non desinam. Tu ex divinis istis vulneribus effunde cœleste jubar, & populariorum meorum mentes, animosque compelle, ut aliquando sapiant; quod e republica futurum est, dispiciant, ad salubriora consilia se convertant, neque fallacibus malorum hominum naniis capiantur, quibus veternus Civitatis ingravescat. Quæ quum flens diceret, & a flentibus audiretur, ita expugnavit eorum animos, ut e suggestu descendenti Principes Civitatis occurrerent, & de excitando Collegio pollicerentur, atque datam fidem sanctè servaverint. Privatis enim largitionibus, collata sunt octo ferè millia aureorum, partim præsenti pecuniâ, partim fide publicâ. Contraxit eam pecuniam, & collocavit Antoninus Bandinus Narensis Sacerdos, maximæ fidei, spectatæque virtutis, ad annum usque 1615, quo Mutius Vitellescus inchoandi domicilii potestatem fecit, missique eò sunt nostrorum aliqui, quorum nomina vetustas hausit. Conflatum est interea Collegii patrimonium, magno consensu Civitatis: quæ concilio coacto, annuos quinquaginta supra ducentos Collegio decrevit, tertio Idus Sextiles anno 1618. Atque ut id Senatûs consultum perpetuitatem haberet, Paraninfus strenuè laboravit: nam & Panormum, & Proregem adiit Franciscum de Castro, qui hominis canos, & sanctitatem veritus: *Nè contristemus*, ait, *senem optimum, pro Societate, atque Patria flagitantem*; quare decretum Civitatis publicis litteris ratum habuit. Auxit eum censum Antoninus Bandinus, a quo annui centum accessere: totidem ferè contulit Nobilissimus Patritius Joannes Cajetanus; octoginta ferè item annuos Mons Pietatis. Sed Antoninus Lucchesius omnes liberalitate antecessit: nam duo ingentia prædia, *Albiatam*, & *Favaram* Collegio addixit, & aureorum septem ferè millia, numeratâ pecuniâ, unicâ pensione erogavit, quibus redemptæ sunt ædes, inter quas ea erat, in qua Paraninfus natus est, in ea quoque moriturus. Cumulavit Lucchesii in Societatem merita Franciscus Lucæ, & Deliæ Marchio filius ejus, qui & Patris munificentiam confirmavit, & annuos centum de suo addidit. Censu ita constituto Pompilius Lambertengus, & Gaspar Paraninfus Narum veniunt, ibique pridie Calendas Novembres hujus anni, legitimis tabulis Narense Collegium instituunt, summa cum gratulatione, & lætitia Civitatis, quæ Agrigentino Pontifice non abnuente, vetustam ædem a Deiparæ *Conceptione* nuncupatam nostri juris esse voluit,

Hortatur ut data fidem servent: & tandem expugnat.

Privatis largitionibus Collegii census incohatur.

Civium erga Narense Collegium munificentia.

Collegium legitimis tabulis instituitur, & publicatur.

luit, nobisque perpetuò attribuit. Triennio in ædibus adornandis, & instruendis consumpto, publicatum est Narense Collegium anno 1622, primusque ei præfuit P. Antoninus Blandus, qui inter gravissimos Provinciæ Patres numerabatur. Litteræ tamen Mutii Vitelleschi, quibus probatur institutio, & Antonino Luccheſio Conditoris prærogativa indulgetur, datæ sunt VI Calendas Majas anno 1624.

De Collegio Ennensi condendo præsagium.

XIX. Prænunciatum est Ennense Collegium cœlesti præsagio. Condiderat sibi sumtuosas ædes Antonius Rotundus Ennensis Patritius, quarum faciem, quum solus contemplaretur, cogitaretque, quo loco nobilissimæ familiæ insignia figeret, obtulit se peregrinus incredibili formâ juvenis, qui silentem ultro compellans: *Ecquid est*, ait, *quòd tantopere defixus hæres?* Cui Rotundus; *Meditor*, inquit, *quo potissimùm loco in harum ædium fronte, stemma generis mei gentilitium collocari oporteat.* Tum ille: *Nulla est causa, cur ea in re tibi sit laborandum. Nobiliora enim, & longè illustriora, neque pluribus ab hinc annis, sunt his ædibus insignia præfigenda*; quæ quum dixisset, cœlestis nuncius oculos ejus fefellit, neque ampliùs visus est. Oraculi fidem implevere initia Ennensis Collegii, quod in Rotundi est ædibus ortum, quibus stemma Societatis, Sanctissimum Jesu Nomen præfixum est. Habita semper est Enna numero planè magno inter præcipuas Insulæ Civitates, opibus, amplitudine, nobilitate. Sedem oppido sternit æquissima planities, in quam desinit mons altissimus, quem a tribus maximis insulæ promontoriis æquè dissitum, Siciliæ umbilicum Tullius dixit, Poetarum fabulis, & scriptorum historiis celeberrimum. Adjacet monti, qui præruptos habet scopulos, atque dejectos, ager adeo ferax, & aptus frumentationibus, ut aristas ibi, ferente nemine, in novalibus suâ sponte provenire, compertum sit. Atque ea soli ubertas, quod cum quinquagesimo, nec semel cum centesimo extuliſſe traditur, Cereris Siculæ Numen, ac religionem reperit; & filiæ Proserpinæ raptum, & sacra, a qua proximus Lacus nomen sumsit. Magnum erat Ennæ Paranimfi nomen, qui Civitatem non semel concionibus emendaverat, & expurgatam religionibus, Christo conciliaverat. Sæpè superioribus annis actum fuerat, & accuratè deliberatum de Societate adsciscenda. Sed Ennensium vota interpellaverat censùs difficultas, cujus constituendi ratio explicari non poterat. Sed spes denique affulsit certa, pridie Nonas Septembres anno 1614, quum Franciscus Rotundus Antonii filius, paterni memor præsagii, Matrem Constantiam moriens, scripsit,

Ennæ dignitas, amplitudo, ac situs describitur.

P. Gasparis Paraninfi, erga eam Civitatem merita.

Ennensis Collegii condendi census constitutus.

Digitized by Google

scripsit hæredem, eà conditione, ut duodeviginti aureorum millia domicilio Societatis excitando conferret: ea autem prope exitum sequentis anni non mediocrem legati partem contulit, & anno 1618 hæreditatem omnem addixit, quam nostri hoc anno adiere. Advenientibus, Constantia vacuas Antonii Rotundi, mariti sui ædes reliquit, & aliò se recepit. III Calendas Junias anno 1620 Mutius tabulas acceptionis legitimas confici jussit, designavitque primum Ennensis Collegii Rectorem P. Thomam Aquosam, qui adjudicatis Societati ædibus augustissimum Jesu Nomen appingi curavit, & significatum Antonio Rotundo oraculum, eventu ratum fecit.

P. Filippatius Marianâ Mortificatorum Sodalitatem Syracusis excitat.

XX. Erat in magistratu Syracusani Collegii P. Antoninus Filippatius Bisbonensis vir strenuus, & valde laboriosus, qui apud Indos junior diu, multumque sudaverat, gravesque contraxerat valetudines, quibus curandis ad nativi cœli temperiem remeare coactus est. Ejus operà inventa est Mariana Sodalitas, severis quibusdam instructa legibus, quæ magna esset christianæ disciplinæ palæstra. Nomen dederat pleraque nobilitas, adscitique sunt lectissimi cives, qui singulis sextis feriis convenirent, & tres matutinas horas in excolendis, frangendisque corporis, & animi cupiditatibus secretò collocarent; quare *Mortificatorum Congregatio* dicta est. Ea salutaris institutio emendavit Civitatem, & alios mores invexit, qui a nobilitate in reliquos cives manavere. Paulò ante repertam disciplinam insignis quidam casus Civitati probavit, & magnopere commendavit. Propè Sextilis exitum appulit Syracusas Sicula classis, quæ apud *Sigilem* malè pugnaverat, exposuitque saucios quamplurimos milites, & classiarios, quibus neque receptandis, publicum valetudinarium satis esset, neque medendis ulla esset præsens copia Civitatis. Prodit cum Filippatio, nostrisque Fratribus, ac Sacerdotibus. Mariana *Mortificatorum* Sodalitas, & collatis cum Syracusano Pontifice, qui plurimùm ea in re laboravit, opibus atque consiliis, tria ex asseribus apertis in locis, valetudinaria instituunt, pecuniam, cibaria, lintea, culcitas, stragula vicatim corrogant, & comportari jubent. Vulneratos fovent, & rebus omnibus juvant, chirurgos, medicos, famulos, stipendio adducunt, cibos ipsi linteati apponunt, medentibus adsunt, omnia etiam humilia christianæ misericordiæ obsequia per se administrant: magnum, & inusitatum exhibent Civitati fraternæ caritatis spectaculum, quòd classiarios etiam Duces, atque Præfectos admiratione defixit. Pauci ex vulneribus interiere, quibus nostri Sacerdo-

Ejus Sodalitatis disciplina insigni casu probatur.

Sodalium, ac Nostrorum officia infirmis præstita.

tes

tes ſuprema ſalutis, & exequiarum officia præſtiterunt. Plerique omnes ſunt reſtituti, qui ſe vitam, & incolumitatem Societati, ejuſque alumnis *Mortificatis* Sodalibus acceptam referre prædicabant. Ex Africana illa expeditione incolumes reverſi ſunt P. Benedictus Moletius, P. Melchior Incofer, P. Martinus Monacus, & P. Petrus Saccus, quos e Mamertina Domo evocatos ſecum adduxerat ſummus Hiſpanæ claſſis Præfectus, Sabaudiæ Princeps Philibertus, ut claſſiarios excolerent, & chriſtianis ſacris juvarent, quod magna cum laude, & Principis commendatione perfecerunt. Eorum teſtimonio compertum eſt, ex claſſiariis, hiſpaniſque militibus, eos dumtaxat, re malè geſta, interiiſſe; aut vulneratos fuiſſe, qui ſacram expiationem neglexerant; reliqui ad unum omnes, integri, ac ſine vulnere ex prælio diſceſſerunt. Eldæ Comes Siculæ claſſis Præfectus, pridie Calendas Sextiles, qui dies B. Ignatii funere religioſus eſſe ſolet, ſacrificium Mamertino in littore coram ejus imagine peragi juſſit, & purpureis vexillis ornatâ claſſe tormenta explodi, claſſiariis interdum nautico celeuſmate B. Ignatii nomen conclamantibus.

Noſtri in Africana expeditione claſſiarios excolunt.

XXI. Signavit Paulus V Pont. Max. VI Calendas Novembres publicas litteras, quibus Franciſcum Xaverium Beatorum faſtis adlegeret. Ejus rei rumor Panormum perlatus eſt, & certiſſimis nunciis confirmatus. Sed Purpuratus Pontifex Panormitanus, negavit, ſe paſſurum, eam inaugurationem, tertio Nonas Decembres, (qui dies fuerat ei attributus) ſolemni ceremoniâ celebrari; niſi legitimum earum litterarum exemplum afferretur. Allatum eſt autem paulò ante Calendas Decembres. Quare dictus ceremoniæ dies imparatos oppreſſit. Et quidem fatetur Matina, non alibi tam modicè honores habitos, quàm Panormi fuiſſe, in Domo præſertim Panormitana, cujus nihilominus Templum elegantiſſimè ornatum, & funalibus magnis, ac denſis omnis ex parte diſtinctum, Beati Franciſci Xaverii argenteum Simolacrum in altari magnificè propoſitum tum primùm publicavit. Adfuit Prorex cum curia, Senatu, Magiſtratibus, & Primoribus Civitatis ſolemni Sacrificio; quod eſt magno cum concentu peractum, & Xaverii laudibus; quas P. Joſephus Scamacca, cujus tum erat clara eloquentia, pronunciavit. Ejus diei celebritatem, evulgatam edidit P. Vincentius Gariglianus. Collegium verò Panormitanum ſpatium nactus, octavo die litterarios honores expromſit; nam extimum atrium, & porticus infimas, atque ſummas magnifico apparatu inſtruxit, ibique ſingulæ gymnaſiorum claſſes ſingulas

Xaverii Beatis adlecti inauguratio celebratur.

Honores eidem in Domo Panormitana habiti.

In Collegio etiâ Panormitano litterariæ elucubrationes exhibitæ.

na-

nationes peregrinis indumentis adumbrabant, quas Xaverius peragrando lustraverat, quæ alternis carminibus efferebant laudes ejus, & virtutes exornabant. Tum Michael Bononia summus latinæ linguæ doctor, publicè in aula coram Doria Pontificè, virisque omnium ordinum litteratissimis, Xaverium prosâ oratione laudavit: auditusque est miro silentio, ac voluptate, propter sermonis præstantiam, & eloquentiæ virtutes, quarum nemo ullam in adolescente desideravit. Majora longè sunt, quæ reliqua præstitere Provinciæ Collegia sacræ gratulationis officia, præcipua quorum laus Syracusano impertienda, pro singulari in nos studio inclytæ Civitatis: nam & ignibus lusum est, & noctes facibus illustratæ, & omnium ordinum supplicationes institutæ, & Nobilitas magno agmine in equis phaleratis oppidum perlustravit, ac exquisitissimo concentu nostro in Templo magnâ ceremoniâ est immolatum, nihilque est prætermissum, quod publicam lætitiam ostenderet & incitaret. Verùm qui Messanæ Beato Francisco Xaverio delati sunt toto triduo sacri honores, Romanis quodammodo triumphis conferri possunt. Non enim Domus tantùm Mamertina, sed universa Civitas in iis apparandis laboravit. Templum magnificentissimè exornandum sibi sumsit Joannes Lanza ærario præfectus. Quatuor in choros distributus concentus symphoniam edidit, ab ea memoria inauditam. Militaribus in equis Nobilitas argenteo B. Xaverii signo apparuit, sequebatur maxima supplicatio, quâ antè id tempus non alia fuit frequentior, aut splendidior. Qui tormentorum totâ urbe strepitus, quod tubarum, tibiarum, cymbalorum melos, quæ nocturnæ faces, quæ gaudia Civitatis! Laudavit Xaverium P. Paulus Casatus Mediolanensis, summus orator, qui ad Domùs Panormitanæ Templum designatus, ex itinere Messanam venerat, & ex tempore tam appositè dixit, tam ornatè, ac luculenter, ut nihil reliquum fecerit ad eloquentiam. Universæ ceremoniæ narrationem litteris complexus est P. Antonius Jannopolis, & prælo Mamertino commisit Petrus Brea: plurima ibi per eos dies a Deo collata, Xaverio deprecatore, cœlestia beneficia, quibus religionis ejus est aucta majestas, atque lætitia. Illud tamen præcipuum, ac memoratu dignissimum, quod quum Octavius Aragona Neapolitanæ classis Præfectus, sub Xaverii auspiciis in expeditionem exisset, & in jonio mari diu jactatus prope Leucadem versaretur, ac prope noctem classis hostium se ostendisset, ipso die, quo Messanæ Xaverio honores haberentur, seque fuga subducere conaretur, quam tenebræ maximè tegerent;

Syracusani Collegii sacræ gratulationis officia, quæ etiam præstant Provinciæ Collegia.

Ampliores autem honores Messanæ Xaverio deferuntur.

Nobilitas in equis prodit, eamque Maxima supplicatio sequitur.

Beneficia per eos dies e Cœlo per Xaverium collata.

ipse Xaverio instinctus, reclamantibus omnibus, & inanem laborem detrectantibus in hostes ire perrexerit: Othomanorum Prætoriam, Xaverio cursum dirigente ante lucem assecutus, vi capit; turcas sexaginta prælio superstites in vincula conjicit; captivos Christianos sexaginta supra centum in libertatem asserit, & prædam, fervente etiamtum Xaverii solemni ceremoniâ, triumphanti similis Messanam invehit.

Turcarum Prætoria Xaverii beneficio capitur.

XXII. Quinto Calendas Novembres Panormum appulit P. Aloysius Albritius, Melitam navigaturus, ut in Sancti Joannis Templo, per proximum Christi Adventum, & magni jejunii ferias sequentis anni, sacrum præconium faceret. Sed ejus fama eloquentiæ usqueadeo Panormitanorum animos occupaverat, ut nil tam cuperent, quàm ejus ætatis facundiæ facilè principem apud se retinere. Prorex, flagitante Doriâ Purpurato cum Senatu, & Regni Optimatibus, rem suscipit, & Lambertengum requirit, ut Albritium, appetente jam Christi Adventu, Panormi esse jubeat, & earum feriarum conciones expromere. Negat Lambertengus, id Albritio licere, nisi magnus Melitensis Magister acquiescat; addit, daturum se operam, ut per Rectorem Collegii Melitensis ea res transigatur. Interim Albritius Calendis Novembribus, & pridie Nonas in Domûs Templo, audiente Prorege, Purpurato Pontifice, & universâ Nobilitate, tantâque civium frequentiâ, quantam ampliſſimi Templi spatium ægrè contineret, bis verba fecit, & novum eloquentiæ genus exeruit, fusum, & elegans, magno cum delectu verborum, crebris sententiarum luminibus illustratum, atque ut mirificè copiosum & efficax, ita grave, ac dignitatis plenum, atque consilii: quæ orationis virtutes, etsi nostrâ hac ætate in scriptis ejus vulgò editis, non satis elucent omnes: eluxisse tamen eâ tempestate tradiderunt Scriptores optimi, quòd recitantis memoriæ ubertas, pronunciantis vox canora & resonans, contendentis prolixus spiritus, exclamantis laterum firmitas, agentis gestus acer, & parcus, non sine corporis proceritate, & oris elegantiâ, oculos ita impleret, aureſque hominum, ut animus etiam sibi persuaderet, nihil jam superesse, quod in ipsa sermonis potestate optandum præterea videretur; nisi fortè id rectiùs dixero, habere eloquentiam quoque ætates suas, atque vices, & variis etiam ingeniis, temporibusque servire. Id certè fuit Albritio dicente silentium, ut confertissimum, maximumque templum, solum, ac vacuum crederes, nisi quum perorantem acclamationes universorum consequerentur. Itaque quum maximè arderent omnes, ejus iterum atque

P. Aloysius Albritius Melitæ concionator designatur.

Panormum appulit, ibique eloquentiæ suæ vim exerit.

Inusitatus ad eum audiendũ Civium cõcursus.

que iterum audiendi cupiditate, rescripsit P. Nicolaus Cusmanus, qui Melitensis Collegii magistratum gerebat: gravatè tulisse Jerosolymitanæ militiæ Principem, id a se esse petitum, quod ullatenus petendum non fuisset. Quòd si cujuspiam officiis acquiescere cogeretur, id se nostris artibus assignaturum, qui diuturnis precibus ægrè abs se impetratum Albritium arcere, atque distrahere conaremur. Iis litteris commotus Lambertengus, qui erat Proregi carissimus, tandem ex eo esculpsit, ut Albritium discedere pateretur. Profectus est terrestri itinere Syracusas, VII Calendas Decembres: neque Melitæ visus est nisi post idus, *Adventu* ferè exeunte. Quum Albritius Panormi versaretur, dies incidit menstruus Eucharistiæ sumendæ dictus: hæsitque defixus quum infinitam cerneret multitudinem, & penè incredibilem. Accesserunt eo die ad cœleste epulum hominum millia septem supra viginti. Sed mense superiore numerata fuerant millia quatuor supra triginta.

Magnus Melitensis Magister gravatè fert de retinendo Panormi Albritio postulationem.

XXIII. Claudit hujus anni res gestas P. Joannes Baptista Carminata, cujus funus etsi satis maturum, luctuosum tamen Provinciæ accidit. Moriens obsignatum reliquit chirographum, eo sepulto legendum, quod prima vitæ ejus lineamenta ostendit, & sanctitatem declarat, quod ex latino autographo accuratè descriptum erat hujusmodi: *Bono, ni fallor, spiritu in hanc cogitationem veni, ut totius vitæ meæ statum, quàm brevissimè, & quasi compendio, huic scripto manu meâ consignarem, eo animo, ut quum mortalis hujus vitæ consummaverim cursum, quicunque legerint, misereantur animæ meæ, eamque orationibus juvare meminerint, & simul etiam Dominum universorum laudent, & benedicant, qui fecit mecum misericordiam suam, tam magnam, quam verbis explicare nullâ ratione possim. Natus sum Panormi ultimo Maji anno Domini 1536, regeneratus sancto Baptismo, tertio Junii; natus inquam honestis, & bonis parentibus, licet pauperibus, a quibus, confiteor, sortitus sum bonam educationem, sed meâ malitiâ, & ignorantiâ, involvi me peccato carnis: & quidem confitebar in Paschate, non verâ contritione cordis, ignorans prorsus gravitatem peccati. Sumebam Eucharistiæ Sacramentum nullâ devotione, nullâ veteris vitæ mutatione. Statim revertebar, ut canis ad vomitum suum, & tanquam sus in volutabro luti. Væ mihi, si sic mori contigisset! periissem utique. Sic vixi usque ad annum circiter decimum sextum. Apparuit autem benignitas Salvatoris nostri Dei, adventu Patrum Societatis in Urbem: apertæ sunt publicæ*

Prima ejus vitæ lineamenta chirographo ab eo obsignato exponuntur.

Schola, accurrit multitudo puerorum, & adoleſcentium, accurri & ego. Exceptus pro meo captu in Scholam Grammaticæ ſub Patre Juvenali, cujus ſanctitas nota eſt omnibus, qui eum noverunt. Iſte bonus Pater, & magiſter, tanquam filium amantiſſimum me habuit. Aſcendi paulatim ad Scholam Humanitatis, moderatore P. Rogerio Gallo, qui non minùs amanter in litteris, & bonis moribus me erudivit. Tandem promotus ſum in Scholam Rhetoricæ ſub P. Petro Ribadeneira, qui ſupra ceteros amore me proſequutus eſt ſingulari. Hoc tempore feliciſſimè mihi contigit, ut de more ſcholaſticorum confiterer P. Jacobo Laynez, poſtea Generali iſtius Ordinis. Vir erat doctiſſimus, & ſanctiſſimus: me beatum! tunc quidem cœpi aperire oculos mentis, ad cognoſcendam gravitatem peccati, cujus eouſque ferociam penitus ignoravi. Poſt non multum temporis dignatus eſt Dominus pro immenſa ſua benignitate, & miſericordia, nullis meis bonis meritis, imò meis meritis malis, & multis, illuminare mentem meam, ut cogitarem de mutatione ſtatùs, & communi in religioſum, in Societatem. Non laboravi pulſans. Statim exceptus ſum apertis ulnis, pro amore, quo me omnes proſequebantur, & licet invitis, & renuentibus parentibus, qui tamen, ut erant pii, & timentes Deum, conſenſum præbuerunt, ſuſtinentes privationem filii, & unici. Vixi cum Patribus in habitu ſæculari, quo fueram ingreſſus; (ſic enim tunc mos erat Societatis probare novitios) ſic moratus ſum, menſes circiter ſex. Sed me infelicem! Vicit amor carnis, præſertim matris, oblitus divini beneficii, & mannà, quo veſcebar, reverſus ſum ad cepas, & alia Ægypti, ſummo Patrum omnium dolore. Verùm non reliquit me Dominus, nec permiſit, me ingredi vias priſtinas malas, ut merebatur levitas, & inconſtantia mea. Frequentavi Scholas, ut ſolebam ante ingreſſum, neque Patres averterunt a me faciem, quin imò ſereno, & placido vultu me aſpiciebant eodem amore, & affectu ſe ipſos exhibebant, quod ſignum fuit in me divinæ providentiæ. Poſt aliquod tempus iterum recordatus eſt mei Dominus meus: excitavit torpentem ſpiritum, ut cogitarem de priſtina vocatione in religionem: cogitavi, & pœnitens facti, inſciis parentibus, navigavi Neapolim, ſolo uno conſcio ex condiſcipulis, qui eamdem vocationem ſequi conſtituerat. Simul itaque Neapolim venimus, eo animo, ut ſimul in Societatem admitteremur: & ecce vix poſt duos, aut tres dies, iterum tentatus a diabolo, recordatus paternæ domùs navem conſcendi: reverſus ſum

Pa-

Panormum, cum admiratione omnium, qui noverant de tam brevi confecto itinere, eundo, & redeundo. Neapoli autem neminem nostrorum Patrum, nè vidi quidem. Duo in facto commisi delicta, & quidem gravissima: unum levitatis, & inconstantiæ, contra inspirationem divinam; alterum verò occasionem præbendo condiscipulo deserendi vocationem. O me miserum! dignum omni cruciatu, & pœna. Ad scholas iterum reversus, nullo rubore, nullà verecundià, exceptus rursus a magistris amantissimè. Adhuc tertiò rogavi Patrem meum, ut mecum veniret Messanam, ubi sperabam, me in Societatem ingressurum, & perseveraturum. Fuimus simul Messanæ, bonus pater, & ego: pernoctavi in Collegio, & iterum facto mane, mutatà voluntate, redii ad Patrem, qui ut unicè me amabat, acquiescebat facilè voluntati meæ, & inclinationi, nolens me contristare: sic reversi sumus Panormum, & ego iterum ad scholas. O levitatem, & inconstantiam animi, plusquam novam! Hæc omnia, ut opinor, noverat Beatus Pater noster Ignatius, cui tunc singula scribebantur, quæ nostris contingebant; noverant reliqui Patres; & mirum valde videri debet, quod non minuebatur amor eorum in me, quum debuissent me penitus abhorrere, & detestari, sic disponente Domino: noverat enim quod futurum erat. Tandem anno vigesimo ætatis meæ, ingressus sum in Societatem cum multa consolatione nostrorum, & per gratiam Dei, & immensam ejus misericordiam, usque huc constantissimè perseveravi. Hinc intelligant omnes, quanta fecerit mihi Deus, & quàm magna: quantùm debeo ejus profusissimæ liberalitati, & meminerint unà mecum gratias agere. Quid autem dicam de reliquo tempore a vigesimo usque ad octogesimum primum annum completum? Quis enarret peccata commissionis, & omissionis, in votorum custodia, in regularum, & constitutionum nostrarum observantia? Quantùm deliquerim in tot exercitiis per Societatem fidei meæ commissis, deliquerim, inquam, mortaliter, an venialiter, vel in utroque modo; noverit Dominus, qui scrutatur interna cordis: hoc novi expertus, & quotidie experior, quòd carnis incendia patior gravissima, vehementissimos stimulos, plusquam credi potest; bellum satis molestum, & periculosum: & quum ingravescente ætate extingui, vel minui saltem deberet; illud vehementiùs insurgit. Infelix homo, bellum patior duplex, unum ex doloribus corporis continuis, & meo judicio, acutissimis, propter vulnera in tibiis: alterum ex carnis incendio

ut

ut frequenter dubius hæream, num Deum meum offenderim graviterne, an leviter. Sic vivo tristis, timens futurum judicium, præsentari ante tribunal sine appellatione, reddere rationem quacunque fecerim, sive bene, sive malè. Unum me consolatur, & recreat, Sanguis Domini mei Jesu Christi, fusus pro peccatis meis abundantissimè. Ipse sit mihi propitius. Amen. Amen. Panormi, 1 Augusti 1617.

Joannes Baptista Carminata servus minimus Societatis, indignus pane, quo vescor.

Insignis ejus temperantia eo ex chirographo expromitur.

XXIV. Dignum erat, quod non interiret, doceretque posteros tam insigne temperantiæ, & Christianæ abdicationis documentum, quod veluti basis est, & tanquam prora, & puppis vitæ ejus: nam de se puero octogenarius senex, biennio ante fatum scripsit. Adnotatum tamen reperio in vetustissimis Matinæ commentariis, Carminatam ea in Scheda, ambiguitate quadam usum, plus æquo indulsisse infamiæ nominis sui, quum dicat: *Involvi me peccato carnis*; & paulò post: *Statim revertebar, ut canis ad vomitum, & tanquam sus in volutabro luti; ve mihi, si sic mori contigisset: periissem utique.* Inserit autem Matina clausulam P. Petri Notarbartoli litterarum, quas pridie Nonas Januarii anno 1621, ad se dederat, quæ erat ejusmodi: *Quod de Carminata quæris; scito, ex ejus ore me didicisse, adhuc venerem inexpertum eum obiisse: quum enim omnes mihi animi sui latebras assiduè panderet, & in suprema vitæ parte, superioris vitæ maculas omnes apud me expiâsset, nihil audivi quo teneros pueritiæ, aut adolescentiæ annos, pollutos intelligerem.* Quæ quum Tornamira exponeret, adjecit, majorem nobis facere fidem, Carminatæ privatim, quàm publicè se accusantis, & de se confitentis testimonium: quoniam secretum expiationis judicium nudà, & apertà veritate nititur, neque recipit simulationem, quam sanctos viros deprimendi sui studio extra sacram confessionem, interdum usurpâsse comperimus: nam quæ alia est via, quà de perpetua bonarum mentium innocentia, cognoscere mortales possumus; nisi quod eorum testimonio acquiescamus, qui intimarum causarum cognitores, & judices, ab iis ipsis acceperunt, quos reos esse, & simul accusatores ac testes non ignoramus? Ceterum rem satis incertam, & minimè necessariam, divinæ scientiæ integram præstat committere, quàm disputando scrutari.

P. Notarbartoli de virginali Carminatæ innocentia testimonium.

Quæ fides ei chirographo sit habenda.

Carminata Societatis disciplinam mirifico studio arripit.

XXV. Sed qui in capessenda Societatis disciplina tertiùm titubaverat; quartùm denique non eam modò retinuit, sed tanto studio arripuit, & tam strenuè in suos mores transtulit,

ut

ut biennio nondum exacto, tanquam veteranus, docendi munus susceperit, & Grammaticas, Rhetoricasque præceptiones, magna cùm ingenii, tum navitatis laude tradiderit. Quoniam verò ad summam eloquentiæ gloriam natum, factumque, & naturæ beneficio, & virtutis doctrinâ sese majoribus ostendit; ut ad concionandum cum dignitate prodiret, anno ætatis tertio, & vigesimo, Romani Pontificis decreto, ad Sacerdotium, Domenechio flagitante, evectus est, admodum singulari nostros inter homines exemplo. Ex eo tempore propter insignem judicii maturitatem, sanctissimo viro Paulo Achilli in magistratu Collegii Panormitani, officii monitor adolescens datus est, & Philosophiæ operam navare jussus. Sed Laynius, cui perspecta erat Carminatæ indoles, & magnarum rerum capax ingenium Panormi cognoverat, anno ineunte 1561 eum ad divinas addiscendas artes in Collegium Romanum venire jussit, ibique annum vix commoratus, quum qui conciones festis habebat diebus, fortè abesse cogeretur; ei suffectus est: quo in munere orandi facultatem Romanis eo usque probavit, ut sequenti anno 1562 annos admodum natus sex & viginti in Templo Romanæ Domùs; primus omnium esurialium feriarum religionem singulis diebus, concionando illustraverit: nam ante id tempus, eo in Templo id nemo fecerat. Erant orationes ejus nudæ, erectæ, vehementes, quibus plus nervorum, quàm phalerarum inesset; ceterùm eruditæ, plenæ, & salutares, magna cum vocis, & actionis contentione: populum Romanum usque adeo commoverunt, ut inusitatæ mentium, morumque conversiones sint consecutæ, & plaudentium significationes Neapolim usque auditæ. Ejus rei famâ adductus P. Alphonsus Salmeron, qui Neapolitanæ Provinciæ negotia cum potestate Tridenti absens curabat, Carminatam eò mitti postulavit, ut in Templo Societatis eloquentiæ usuram faceret, apperente jam verno jejunio. Quare anno 1563, eò venit, & famam superavit: nam longè resonantiores extiterunt Neapoli infiniti ejus populi motus, lacrimæ, voces que acclamantium. Salmeron tam fausto eventu lætus, Carminatam retinet, quod etiam tum absens Tridenti a Laynio impetravit, ut Festorum dierum religionem ibidem augeret, & cupientibus civibus satisfaceret. Advexerat eo anno secum Neapolim Franciscus Avalus, Piscariæ Marchio, Bernardinum Realinum Carpensem legum doctorem, qui quum in Carminatam concionantem incidisset, Paulum sibi audire visus est, cœlesti potiùs, quam humana vi de salutis ratione disceptantem. Ejus oratione intimo animi sensu

P. Paulo Achilli in magistratu, officii monitor adolescens datur.

Romam a Laynio evocatur.

Ejus dicendi ratio, & fructus.

Neapoli magna cum laude in nostro Templo concionatur.

Ejus concionibus Bernardinus Realinus capitur.

captus

captus ad familiaria etiam colloquia irrepsit, flagitaque vitæ maculas apud eum deponere. Carminata festinantem amplia vit, eique persuasit, ut dierum aliquot secessum præmitteret, vacaretque æternarum rerum cogitationibus, quarum ipse argumentum, ex B. Ignatii *Spiritualibus Exercitiis*, depromtum quotidie suppediaret. Itaque dies octo illum exco luit, & novam mentem, novos mores, novam cogitandi, ac sentiendi normam penitus insevit, ac Christo flens flentem, conciliavit. His Realinus imbutus elementis Societatem flagitare cœpit. Carminata desiderium ejus ad biennium fere distulit, nec nisi exercitum, & purgatum Salmeroni obtulit candidatum, atque tertio idus Octobres, anno 1564 ad Tirocinium deduxit, ab eo quoad vixit, parentis loco habitus, & tanquam animi sui auctor, & rector assiduis litteris intimè requisitus. Atque hic est ille Bernardinus Realinus, inclytum Societatis lumen, qui sanctitatis, & prodigiorum opinione clarissimus inter summos Dei amicos, aris jam proximus numeratur, Carminatæ eloquentiæ filius, ut virtutis alumnus.

Familiaritatem cum Carminata contrahit, & Christo conciliatur.

Novis moribus imbutus Societatem petit, & impetrat.

XXVI. Salmeron Tridento reversus, duos item annos Carminatam secum esse voluit, neque ab se divelli passus est, nisi victus Mamertini Senatus contentione, cujus voluntati acquiescere, propter perpetua ejus in Provinciam merita, dignum fuit. Igitur anno 1567 Siciliæ redditus, Messanæ in Templo Principe, facundiæ virtutes omnes Civitati ita probavit, ut certatim Cives adessent, & ex ejus ore penderent. Magno impetu vitia insectatus cum publica, tum communia; miratus est, neminem invenitum esse, qui non æqui, bonique duceret, nedum quicquam in malam partem acciperet. Atque ut omnia paucis complectar, Civitatem explavit universam, & cives inter se, atque Christo conjunxit. Eadem sequenti anno 1568 Panormi præstitit, auditus pro suggestu (ut ait Matina) tanquam alius Joannes Baptista Christi præcursor; plaudentibus lacrimis commotæ Civitatis, magna cum trepidatione de salutis remedio laborantis. Eodem anno, ipso Christi natali die, qui erat ætatis suæ secundus supra trigesimum, coram Paulo Achille, qui tum Provinciæ præerat, primus omnium Siculorum, summum Votorum quatuor sacramentum dixit, jussu B. Francisci Borgiæ, qui virtutis potius quam ætatis rationem habuit. Biennio Panormi consumto, Messanam remigravit, ibique in Templo Societatis, anno 1570 novam concionum seriem, majore etiam frequentia, atque auditorum emolumento pronunciavit. Inde Catanam profectus, in maximo S. Agathæ Templo concionatus

Carminata universam Mamertinam Civitatem suis cōcionibus expiat.

Idem Panormi præstat.

tus

tus est. Confederat tum Catanæ Hispanorum ala peditum, qui militari licentiâ diu, noctuque Civitatem infestabant magno cum pudicitiæ, & publicæ tranquillitatis detrimento. Carminata ab Senatu, & optimatibus multùm interpellatus, eam denique fœditatem pro concione perstrinxit, & pluribus accusavit, quòd qui civium tranquillitatis custodes dati essent, Rempublicam perturbarent, & hostibus deteriores, cum christiani nominis ignominia, humana, divinaque omnia fœdarent. Alæ præerat quidam Capicius, ingentium sibi scelerum conscius, cujus indulgentiâ, & exemplo milites abutebantur. Hic in se dicta interpretatus, quæ pro suggestu jactata essent, furiis omnibus actus in Carminatam ita succensuit, ut ad eum trucidandum, qui apud Pontificem habitabat, cum manu militum convolaverit. Socius, id quod erat suspicatus, negavit Carminatam domi esse: Capicius magnis clamoribus jurejurando affirmavit, non ei impunè futurum, qui sibi contumeliam irrogâsset: simul publicè jactare cœpit, vel concionantem in ipso templo, & suggestu necatum iri Carminatam. Nemo ignorabat trucem hominem, & iracundum, plura etiam, quàm jactâsset, patraturum. Iratum animum, & furorem anhelantem, inhiantemque Carminatæ sanguini non pacant principes Civitatis: quare ad Carminatam paulò post lucem pavidi accurrunt, periculum exponunt, orant nè truculentum de se spectaculum præbeat Civitati, & modis omnibus obtestantur, ut postero die templo, & suggestu abstineat, dum Capicii furiosa consilia conquiescant. Tum Carminata nihil perterritus, excelsâ quadam fortitudine animi, æditimum, qui fortè aderat, concionis signum dare jubet, quòd nisi pareat, se daturum; cœlesti deinde quasi flammâ incensus, ad inimicos magnâ oris, atque vocis constantiâ conversus, ait: *Nunquid nescitis, Deum esse in rebus, & ejus nutu ac potestate omnia administrari? Nulla est causa cur de me metuatis. Equidem vobis recipio, me cras sine noxa concionaturum, & Capicium concioni non adfuturum.* Mirum est, ea res quàm sollicitam habuerit Civitatem. Sed magnam tanti eventus expectationem inopinatus quidam casus intercepit, nam eâ ipsâ nocte, dum aleis ludit Capicius, per occlusæ januæ rimas, ab inimico ejus plumbeâ glande, tormento emissâ confoditur, & in vulnere exanimatur: ea nex, quam Carminata, ut vates subobscurè indicaverat Civitatem terrore affecit, & Carminatæ sanctitatem magnoperè declaravit. Ejus rei auctor est Matina æqualis ejus, & P. Erasmus Patti, vir magnæ fidei, ac probitatis, qui

Catanæ militarem Hispanorum licentiâ e suggestu insectatur.

Militum Præfectus Capicius ob id Carminatam trucidare contendit.

Carminata de periculo admonetur, sed nihil perterritus ad concionem redit.

Capicii mortem subobscurè prænunciat.

Capicius plumbeâ glande cõfossus vaticinii fidem liberat.

ab iis, qui interfuerunt, se susceptisse testatur.

XXVII. A Provinciæ conventu anno 1571 Romam missus, & in Provinciam post annum ferè regressus, anno 1573 Collegii Mamertini magistratum iniit. Incertum est autem inter Carolum Regium, & Carminatam, uter primus Siculorum in Provincia magistratum gesserit, hic Messanæ, ille Catanæ. Certè ante Carminatam Siculorum nemo Collegium Mamertinum administraverat. Eo Rectore, anno 1574, & 1575 pestilentia Messanam afflavit, & tanto impetu invasit, ut ad sexaginta hominum millia interiisse tradat Auria. Tanta autem erat Senatus Mamertini, Carminatæ virtutis, & prudentiæ existimatio, ut ad Carolum Aragonam Terrænovæ Ducem, qui tum Prorege præerat, scripserit, communis Messanensium salutis interesse rerum summam uni Carminatæ committi. Prorex, qui hominis singularem industriam probè nôrat, laudavit consilium, & alteras ad Carminatam, alteras ad Senatum dedit litteras, quarum hæc summa erat: Carminatæ mandavit, ut quæ ad publicam salutem pertinerent, ipse summa cum potestate curaret. Senatum certiorem fecit, velle se communis negotium valetudinis ad unum Carminatam respicere, cui non secus ac sibi omnes obtemperarent. Carminata admirabili sedulitate rebus, ac locis omnibus aderat; Valetudinaria instituit, custodias disposuit, medicos, & remedia contraxit, per se suosque morientibus adfuit, Civitati benemerentissimæ saluti fuit. Posthæc Mamertino tirocinio condendo adjecit animum, & conata perfecit, ut ad annum 1576 latè narravimus. Magistratu perfunctus jussus est a Mercuriano Melitam navigare, ubi concionibus ea movit, de quibus ad annum 1578. Reversus in Siciliam Mercuriani litteras reperit, quibus ei Provinciæ administratio mandabatur, annos nato duos & quadraginta. Fuit ratio gubernationis ejus sedula, laboriosa, sagax, plena æquitatis, ac maturitatis: sed nonnihil ad austeritatem proclivis, quam tamen in se magis, quàm in alios adhibuit. Provinciam pedibus lustravit: magnis itineribus fessus, & extenuatus nonnisi communia fercula admisit, domesticis colloquiis, atque sermonibus disciplinam sive jacentem sublevavit, sive erectam confirmavit, & mirificè auxit. Exquisito usus est delectu in iis appellandis, & proponendis, quibus domestica potestas crederetur; statuebat enim, eam esse summam provincialium magistratuum. Concionandi laborem in magistratu non dimisit; & anno 1580 Civitatis Calatahieronensis erga Societatem memor meritorum, sacras ibi in jejunio orationes quotidie recitavit:

Siculorum primus Collegio Mamertino præficitur.

Vinc. Auria in Chronol. Prorēgū ad an. 1575

Carminata Prorogis jussu, ea quæ ad publicā salutē spectant, curat, & Civitati saluti est.

Siciliæ præfectus eā strenuè administrat.

Provinciam satis amplam, pedibus lustrat.

Eo in Magistratu concionandi munus non intermittit

vit: item singulis festis diebus, sextisque feriis familiares habuit sermones de doctrina Christi, deque ejus cruciatibus. Quo die de Christi morte erat verba facturus, adeo intimè commotus suggestum conscendit, ut ante lacrimæ erumperent, quàm voces, & loqui conantem fletus interpellaret: quare ad Christi signum conversus orare cœpit, ut lacrimarum vim tantisper cohiberet, liceretque de eo potiùs dicere, quàm pro eo flere: sed hæc ipsa verba singultus intercludebant, alternantibus lacrimis: tam inusitata species auditores, supra quàm credi potest, affecit. Itaque communis exsuscitatus est luctus, & ejulatus adeo gravis, & resonans, ut etiam extra mœnia exaudiretur, accurrerentque cives ad insuetum spectaculum, neque in confertissimo templo aditum reperirent, miscerent tamen & ipsi lacrimas. Itaque perfusa est pietate, ac religione Civitas, & magnis expiationibus ritè lustrata. Inauditæ frugis abundantia vel ex eo intelligi potest, quod ex minutis largitionibus contracta sunt ad pios usus aureorum quinque millia, totidem redhibita ex pecuniis furto ablatis.

Lacrimarum ejus vis magna, auditores ita affecit, ut extra Mœnia ejulatus exaudiretur.

Uberrimus fructus ex ejus concionibus relatus.

XXVIII. Mercuriano extincto, Carminata pro magistratûs sui jure, ad summa Societatis comitia Romam anno 1581 profectus est, in quibus Aquavivæ creationem adjuvit: ipse tamen, se inscio, inter candidatos habitus est, cui suffragatores non defuere. Aquaviva, gemente tum ab *Hæreticis*, præsertim Calvinianis Poloniâ, eò Carminatam cum potestate legavit, ut Provinciam Societatis lustraret, & *Catholicis* doctrinâ, atque eloquentiâ opem ferret, quod ille navitate præstitit singulari: nam non domestica modò negotia, Poloniâ, Lituaniâ, Russiâ, Daciâ pedibus peragratâ, composuit; sed Heterodoxis bellum indixit, quorum nonnullos ad religionis fidem compulit, alios disceptando fregit, publicis, privatisque sermonibus. Cracoviæ tanta fuit apud Polonos Carminatæ fama justitiæ; ut duo germani fratres, alter Calvinianus, alter *Catholicus*, qui perpetuas inter se habebant de religionis veritate controversias, compromiserint arbitrio ejus acquiescere. Carminata, auditis fratribus, uno colloquio Calvinianum strenuè cavillantem vicit, & Christo conciliavit. Questi sunt Varsaviæ apud Carminatam *Catholici*, quod Heterodoxus quidam Luteranus, per lemures familiares, quos in phiala clausos penes se retineret, *Catholicorum* occulta disceret, eosque præstigiis, & fascinationibus, dies noctesque vexaret: Carminata stygias larvas, & spectra nihil veritus, polliceatur se veneficia dissoluturum, si phialam, quavis mercede receptam ad se perferrent. Ille per fidos homines sub-

Romam petit ad comitia Societatis, & Provinciâ Polonam cum potestate lustrat.

Cum hæreticis pugnat, & plures Christo cõciliat.

Veneficia, & fascinationes mirâ in stygios hostes animi magnitudine dissolvit.

subductam defert, & in ea duos fœdissimos scarabæos, qui intrinsecùs versabantur. Carminata, adultà jam nocte, in Collegio Societatis coram nostris, & externis phialam & scarabæos igni devovet. Sed eodem momento temporis tota vicinia ad Collegium convolat, magnus fit ad januam tumultus, nuntiant ardere extrinsecùs omni ex parte Collegium, & flammis involvi. Præsenti animo Carminata se non deserit, trepidantes metu solvit, ludibrium id esse oculorum constanter docet, turbam arcet, Patres convocat, & luculentam habet orationem de stygiorum monstrorum fallaciis, vecordiâ, imbecillitate; quibus artibus refellantur, exponit; monet infernos genios, per se infirmos, nostro metu audaces fieri atque terribiles. Hortatur ad strenuè pugnandum, ut Christi milites decet; ex attonitis confirmatos, ad quietem dimittit. Sed stygius hostis eà nocte in Carminatam impetum fecit: quum enim in cubiculum se reciperet, & fenestram occludere pararet, ex ea præceps actus est in subjectam viam, insigni altitudine. Ille in ipso casu *Jesum Christum* exclamat, & excipit se in pedes, atque incolumis in Collegium statim regreditur: mirantibus omnibus, quemadmodum id contigisset, respondit: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te &c.*

Incendium a stygiis hostibus excitatum, docet esse ludibrium oculorũ.

Stygiâ fraude e fenestra dejicitur, sed incolumis servatur.

XXIX. Carminatæ apud Sarmatas rerum gestarum gloriâ paucos post menses earum regionum Optimates, Pontifices, Principes excitavit, ut hominem caritate complecterentur, & magno in honore haberent, eumque *Justum Siculum*, dictitarent. Quin & Andreas Batorius Purpuratus, & Anna Regina, & Rex Stephanus virtutem ejus, & sapientiam tanti fecerunt, ut de gravioribus Regni negotiis cum eo interdum communicarent, & quæ ad mores, & religionem referebantur, ejus consilio transigerent. Ex pluribus Regis ad eum litteris, unæ ad nos pervenerunt, quarum exemplum ex latino autographo verbatim exceptum dedero, quod est hujusmodi:

Quæ fuerit ejus apud Sarmatas probitatis, & sapientiæ opinio.

Stephanus Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniaque &c. Princeps Transilvaniæ.

Venerabilis Pater, devote, nobis dilecte.

Quum nobis plurimorum prædicatione perferatur, quâ curâ, diligentiâ, fide ac pietate, Paternitas tua in visitandis nostrarum ditionum Collegiis Societatis Jesu versetur, non possumus ea ex re, pro nostra pietate, voluptatem non capere singularem. Hortamur verò Paternitatem tuam, ut

Stephani Poloniæ Regis ad Carminatã litteræ.

quam

quam curam, & diligentiam in Regno nostro Poloniæ adhibuit, eandem quoque ad visitationem Transilvaniæ nostræ, cùm eò pervenerit, afferat, de qua nos pietas nostra, & caritas patrii soli cogit plurimùm laborare: Venerabilem P. Paulum Campanum regni nostri in Societate effectum esse, gratum nobis fuit; cognitam enim habemus viri doctrinam, ac pietatem, quem quum ad Paternitatem tuam, dum in Italiam proficiscitur, & per Poloniam iter faciet, perventurum non dubitemus, dedimus hoc illi negotii, ut Paternitatem tuam de rebus omnibus, quæ ad nostra studia promovenda nostris in ditionibus, præsertim in Russia, & Livonia, tum ipsa Transilvania, Ecclesiæ Catholicæ pertinent, reddat certiorem; quòd quum faciet, ut Paternitas tua illi fidem habeat, etiam, atque etiam postulamus. Bene valeat Paternitas tua. Ex castris nostris ad Plessoviam die 12 mensis Octobris: anno 1581. Regni verò nostri anno sexto. *Stephanus Rex.*

Rex, quæ suæ ditionis sunt, eidem committit.

His & subnectam, quas *Palatinus* Nicolaus Michlezchi, amoris, & officii plenas ad eum dedit.

Reverende Pater in Christo, Frater carissime.

Litteras hasce ad Paternitatem tuam mitto, nunc primùm paratas. Habeo gratiam Paternitati tuæ multis nominibus, primùm pro labore itineris, mihi valde opportuno, quem causâ meâ susceperas, ut domum meam venires: deinde pro illo sermone, quem mecum habuisti, mihi jucundissimo simul & utilissimo, quem tamen ego puto Paternitati tuæ, utpote ex itinere fesso, non sine aliqua molestia tunc accidisse; postremò gratias ago Paternitati tuæ, de ejus in me indulgentia, quâ vestris domum meam interdum ventitandi potestas concessa est: sed velim, nè tempus illud vestrorum apud me commorationis tam restrictè accipiatur, ut nè quid anticipari omnino, vel etiam ad aliquos saltem dies produci ulterius possit. Interea rerum efficere poterit Deus, ut quum Paternitas tua Romam feliciter pervenerit, Pater Generalis, cognitâ aquitate postulationis meæ, ampliorem facultatem concedat vestris, inserviendi animabus, quæ sunt domi meæ. Bene valeat Paternitas tua, cui precor unà cum Sociis præsens iter feliciter evenire, quò magis propagetur, summa cum utilitate omnium, Verbum Dei purum, & Ecclesia Christi. Datum in Grodech, die 15 Januarii Anno 1582.

Poloniæ Palatinus litteras ad Carminatã mittit, amoris, & officii plenas.

Tempus commorationis nostrorum apud suos produci flagitat.

R. P. tua *Amantissimus*

Nicolaus Michlezchi a Meliz

Poloniæ Palatinus.

Ex

XXX. Ex Sarmatica expeditione redux, ab Aquaviva in Provinciam cum potestate remissus, anno 1582 abeunte, Panormum venit, & sequenti anno 1583 *Professorum* ibi Domum tum primùm a Collegio sejunctam publicavit. Quum esset in Provinciæ magistratu esurialium dierum conciones anno 1584 Calatahierone iterum exprompsit; Anno 1585 apud Rhegium Julium, Anno 1586 denuo Panormi in Templo Societatis. Inter hæc Carolus Aragona Terrænovæ Dux, cui Mediolani Provincia obvenerat, Carminatam eò evocavit, ut & conciones in jejunio haberet, & sibi consiliis, & auctoritate adesset in gerenda republica. Mediolanensium ejus concionum illud est specimen, quòd extremi judicii luctuosam tragœdiam tantâ facundiâ exposuit, ut auditores attonitos, & pallentes dimiserit, in quibus fuit Senatorii ordinis jurisconsultus, qui quasi non dicenti Carminatæ, sed Christo judicanti, & ferenti sententiam adfuisset, quum summi ejus diei luctuosam imaginem diu, noctuque mente versaret, ad insaniam adactus est. Peractis tamen summâ, ut solebat commendatione concionibus, quum Aquaviva Laurentium Magium Italiæ *Assistentem* misisset in Gallias ad gravissima Societatis negotia cum Rege transigenda, Carminatam Magio suffecit, ut sibi in Italiæ negotiis Romæ præsto esset: quod Dux, qui in ejus sapientia, & judicii altitudine conquiescere solitus erat, supra quàm credi potest, acerbè tulit; parumque abfuit, quin Aquavivæ amicitiam abjiceret, atque eum injuriarum postularet. Sed Carminatâ deprecatore atque sequestro, qui Aquavivæ causam strenuè suscepit, sedatus est Ducis animus, & ad æquitatem deductus. Ut Magius post biennium a Gallica legatione Romæ, & muneri suo se reddidit, Carminata ad Venetam Provinciam ex auctoritate invisendam, est designatus anno 1590. Iter confecit pedibus, & summâ hieme: ad reliquam lassitudinem accessit, quòd insuetus viarum, errans, & sudore diffluens, nocturnâ aurâ conceptâ, Bononiam graviter læsus attigit, ibique colicis ad necem doloribus tentatus est. Remediis omnibus cupidè, sed frustra adhibitis, tum demum se respexit, & homo divinarum rerum peritus, planè cognovit, quanto in errore versatus esset, quòd in præsenti periculo, remediorum potiùs, quàm cœlestis præsidii fiduciâ niteretur, remotis arbitris, ad Christi Simulacrum conversus, flens, & gemens orare cepit, ut sibi ignosceret, erratique gratiam faceret. Tum puer Jesus, cujus infantiam singulari religione coluerat, ei se sublimis, radiisque perfusus, amabili ac jucundâ specie videndum præbuit. Cui Carminata: *Domi-*

Terrænova Duci Carminata a cõsiliis adest, & Mediolani in jejunio conciones habet.

Italiæ Assistens biennium designatur: deinde ad invisendam Venetam Provinciam mittitur.

Pedibus iter conficit, morbo tentatur, & nõ. nisi miraculo convalescit.

Puer Jesus ei se videndum præbet, & statim morbus omnis evanuit.

Digitized by Google

mine, si vis, potes me mundare. Jesus verò subridens, & manum ducens, crucemque significans, evanuit, & cum eo Carminatæ morbus omnis; qui statim cœlesti gaudio delibutus surgit incolumis: rei novitatem demiratus Frater Franciscus Lavia Catanensis, quo Socio ad intima officia Carminata utebatur, rogare non destitit, quid rei esset, quòd tam gravi affectus valetudine, sibi non parceret, & frigidissimo anni tempore stratum relinqueret, contra quam jussisset medicus, & morbi gravitas postularet? Carminata diu tergiversatus, importuno fratri, & urgere non desinenti, rem denique, ut erat narravit, cavitque nè cuiquam enunciaret. Ex eo tempore Christi infantiam impensiùs vereri cœpit, & ejus religionem modis omnibus exornare, ut consentaneis in locis ostensum est.

XXXI. Venetà optimè gestà Provinciâ, ad Romanam administrandam evocatus, extraordinario primùm honore, *Visitator* est appellatus, deinde ordinario *Præpositus* Provincialis, atque in eo magistratu quadriennium ferè posuit, & S. Aloysio Gonzagæ morienti adfuit, cujus virtutum testis, & intimus cognitor fuerat; magnam item contraxit cum Roberto Bellarmino, qui Collegio Romano præerat, familiaritatem; vixerunt enim conjunctissimè; neque publica tantùm negotia communibus gessere consiliis, sed intimos etiam animi recessus mutuo amoris, & fidei vinculo alter alteri aperiebat; eamque deinceps necessitudinem invicem absentes ita crebris litteris aluerunt, ut nonnisi Carminatæ mors diremerit, quæ Bellarmini exitum triennio antevertit; atque eam conjunctionem nihil tam conciliavit, quàm morum similitudo. Sed tanti magistratûs curæ Carminatæ magnitudinem animi non impleverunt. Requisitus maximis officiis ac precibus, ut in Vaticana B. Petri Basilica per jejunii ferias concionaretur, tantoperè placuit, & auditoribus profuit, ut non modò viginti ferè quotidie Purpurati, & summi fori, curiæque *Antistites* ad eum confluerent, sed ei labori, & secundus, & tertius continenter annus accesserit, auditusque in jejunio triennium, eandem Basilicam singulis annis, magno semper Romanorum, & procerum concursu, & gratulatione concionibus illustravit. Id autem eò majorem habet admirationem, quò liberiores erant, & in vitiis accusandis acriores, ejus declamationes. Quum enim nihil esset astutè cogitatum, nihil ab eò versutè dictum, sed mirâ ingenuitate, & publici boni studio flueret oratio ejus, nemo erat, qui non hominem vereretur, atque diligeret: quæ quum Matinâ scriberet, addidit, dicere solitum Sabellium Purpuratum, gravissimi

Romam ad administrãdam eam Provinciã evocatur, & S. Aloysio Gonzagæ morienti adest,

Singularis ejus cum Bellarmino Purpurato familiaritas.

In Vaticana B. Petri Basilica concionatur

Liber, & in accusandis vitiis acer, plausu tamen semper excipitur.

se

se piaculi loco abiturum, si uni ex Carminatæ concionibus non adesset. Ardebant interea implacabiles inter magnum Jerosolymitanæ militiæ Magistrum, & Pontificem Melitensem controversiæ, distractis in partes equitibus. Expetitus est votis communibus Carminata, qui propterea eò missus est ab Aquaviva, anno 1597, ut per occasionem concionum iratos sedaret animos, & ad pacificationis consilia traduceret. Quàm jucundus Melitensibus, & ad concordiæ conciliationem opportunus Carminatæ fuerit in Insulam reditus vix credi potest. Ejus enim adventu valuerunt pacis conditiones, & quàm celerrimè coaluerunt. In ea Melitensi commoratione, quod olim instituerat selectorum Equitum secessum, & contubernium nonnihil inclinatum, in pristinas leges, moresque restituit, ac mirificè ornavit, & auxit. Exactis cum jejunio concionibus, in Siciliam reversus Provinciæ Conventui interfuit, cujus magno consensu, ad *Procuratorum* comitia Romam missus, & prope exitum ejusdem anni 1597, ad Panormitanæ Domùs magistratum inde remigravit, quem iniit pridie Nonas Decembres, tenuitque usque ad XIII Calendas Septembres sequentis anni; quamvis enim XIII Calendas Junias anni 1598 Provinciam tertiùm administrandam suscepisset, Domùs tamen magistratum non abdicavit, sed tres item menses retinuit. Sed quo tempore Domui præfuit pro suggestu in jejunio quotidie dixit, insolito motu Civitatis, quæ eloquentiam ejus, animis moribusque conversis, & piis largitionibus maximè commendavit. Annumeratus est piis largitoribus Joannes Platamonius, qui ut in loco demonstravimus, Collegii Panormitani censum amplificavit, & ejus conditor Carminatæ operâ, appellari meruit.

Melitam evocatus gravissimas ibi controversias feliciter componit.

Romam mittitur, remigrans Domui Panormitanæ, & tertiùm Provinciæ præficitur.

Consueta eo in Magistratu munera obit.

XXXII. Provinciæ præpositus, Syracusanis, qui quàm diutissimè flagitaverant, concionum suarum officium præstitit, anno 1599. Sed quum eò, Februario appetente, navigaret, & aurâ secundâ placidoque mari uteretur, putabant nautæ, Catanæ se ante noctem futuros. Negavit Carminata, jussitque navem applicare, quâ promontorium Xiphonium propè Gigantum scopulos, commodam aperit stationem, & ad naves subducendas idoneam: querebantur nautæ quod prosperam tempestatem præterire cogerentur. Sed hominis auctoritatem veriti in sententia permanentis, morem gerunt. Vix terram attigerant, navimque subduxerant, quum repentè eurus, qui sinui Catanensi, fatalis habetur, magno impetu erumpit, & fluctus ciet, adeò immanes, & truculentos, ut naves quamplurimas dissecerit, & ad scopulos compulerit, aliarum antennas fregerit,

Syracusas navigans, futuræ tempestatis cladem prædicit.

Digitized by Google

rit, omnes magno in periculo, ac metu habuerit. Tum verò nautæ alieno malo admoniti comperiunt, Carminatam futuræ tempestatis casum de cœlo didicisse. Syracusis, omnium ut maximam, eloquentia ejus, opinionem superavit, neque unquam visa est ea Civitas tantopere commoveri: nihil enim sibi reliqui ad pietatem, & religionem fecit. Auxit facundiæ ejus existimationem admirabile ostentum. Consueverat Carminata, ubicunque concionaretur, Beatæ Annæ, cui erat addictissimus, movere religionem, & cultum invehere. Idem fecit, & Syracusis, ejusque laudes, atque virtutes copiosè exornavit. Vetustam atque insanabilem jampridem contraxerat formicationem Hieronymus Chrisaurus, splendido insignitus Sacerdotio, qui serpente in dies ulcere, morboque ingravescente, somnum amiserat, & ad vitæ exitum properabat: quare ut rebus suis consuleret, Carminatam amicum suum accersiri jussit; qui ægrum, & lugentem familiam consolatus: *Quin*, ait, *ad vetulam meam B. Annam confugitis, votisque ei devovetis. Equidem pro certo habeo, beneficio ejus, & recreatum iri infirmum, & familiæ luctum sublevandum*. Parent omnes, & communibus votis, ac precationibus B. Annam orant, ut Carminatæ pollicitationem ratam habeat. Quum ecce tibi postridie ad fores Anus incognita, & peregrina, humilis quidem cultu corporis, sed facie gravis, & venerabilis, quæ a domesticis rogata quid peteret, audisse se, ait, ægrotum domi esse, quem visere cuperet. Admissa, ut de morbi conditionibus accuratè percunctando cognovit: *Spero*, inquit, *fore ut convalescas, si quod præscripsero remedium adhibueris. Contusos amygdalarum nucleos, & concreto ex arundinibus melle subactos ulceri admoveto*: atque e vestigio discessit. Risere omnes inusitatum unguenti genus. Sed non defuit inter domesticos, qui ut famulus ad malè scabiosum Principem Naamanum Syrum, admoneret: *Si rem grandem dixisset tibi, certè facere debueras; quantò magis &c.* Itaque ad vetulæ præscriptum, remedium conficitur, & adhibetur: salus consequitur. Chrisaurus B. Annam, sub anùs specie sibi adfuisse arbitratus, beneficii memor, diem ejus quotannis, dum vixit, solemni apparatu, magnàque ceremoniâ, ac piis largitionibus, præmisso familiæ jejunio, sanctè coluit. Ostenti hujus fides penes Matinam est, qui certis auctoribus se comperisse tradit, Carminatæ administratione patratum. Sed in edita Remigiæ Scammaccæ Vita, P. Josepho Scammaccæ tribuitur, non satis rectè: pluris enim faciendum est Matinæ testimonium, qui utriusque æqualis fuit, & domesti-

Syracusanos ejus eloquentia vehementer cõmovet.

Sacerdos gravi ulcere cõfectus B. Annæ opem implorat.

D. Anna sub anùs specie ægrotum visit, & morbo liberat,

Ostenti hujus fides ex Matina.

sticarum rerum scientiâ, neminem parem habuit.

XXXIII. Provinciæ magistratu quum abiisset anno 1601. tertium Messanæ concionandi munus exercuit, incredibili gratulatione Civitatis, quæ non libentiùs redeuntem Paulum excepisset. Duo sunt, quæ per id tempus Carminatæ eloquentiam, ac sanctitatem celebrârunt. Primum est, quod quum amplissima Civitas inopiâ summâ propter annonæ difficultatem premeretur, Carminata pro suggestu populum bono animo esse jussit, admonuitque, Deiparam cujus in clientela Civitas esset, non passuram carissimam sibi plebem fame necari: sciret, proximas esse naves, quæ frumentum importarent, civesque recrearent. Postero die frumento onusta navis se ostendit, & reliquas non procul abesse nunciat. Quæ res oraculi vaticinium præseferre visa est. Alterum fuit, quod quum Carminata, anno superiore Panormo ejiciendos curâsset histrionum greges, qui obscœnas producerent mulierculas, reperisletque eos ipsos actores, Messanam se recepisse, in eos tantis clamoribus inter concionandum exarsit, ut audientes exterruerit; & eorum nonnihil incusaverit indulgentiam, quorum interesset, corruptricem juventutis pestem amovere. Inventus est, qui ad Pontificem Mamertinum deferret, minùs cautè ac reverenter egisse Carminatam, qui eum publicè notare ausus esset, & negligentiæ postulare. Pontifex acerbam parat conquestionem. Quibus cognitis Carminata, pro concione, exclamavit: *Esse se Christiani Gregis non Pastorem, sed canem, quem Christus quotidie immolantem cœlesti pane aleret, eà conditione, ut lupos latraret. Quis autem cani vitio verteret, quod Pastoribus quiescentibus, latratus ederet maximos, quibus & lupos arceret, & Pastores exsuscitaret?* Tum ad Christi Simulacrum orationem convertens: *Te Christe*, ait, *scelerum vindex, obsecro, & ex animo obtestor, ut si in eo quicquam deliqui, quòd ea reprehenderim obscœna spectacula, quæ tuâ cavetur lege, nè edantur; hoc ipso momento temporis, linguæ ac vocis usum amittam. Quòd si rem tibi gratam, & christiano oratore dignam feci, oro te, ut ii perpetuò sileant, & obmutescant, qui mihi obtrectant, & iniquis delationibus malum publicum alunt, ac fovent.* Accidit autem, ut sub id tempus delator, qui Pontificem adversùs Carminatam incenderat, pestiferâ febri correptus, faucibus intercluſis, nullam ampliùs vocem ediderit, & non expiatus decesserit. Optimus verò Pontifex, re accuratiùs exploratâ, Histriones facessere jussit, & misit qui Carminatæ gratias ageret, quòd silentibus omnibus, pu-

Messana inopia premitur, & Carminatæ vaticinio recreatur.

Naves frumentum importantes vaticinio fidem faciunt.

Quorumdam in admittendis histrionibus indulgentiam acriter pro concione incusat.

Ea de re Pontificis Mamertini conquestiones, quas Carminata inter concionandum diluit.

Carminatæ adhortationem Deus prodigio ratam habet.

publicam causam suscepisset, & divinum obsequium solus, & oppugnatus constanter propugnâsset; atque ut benevolum in eum animum publicè declararet, effecit, ut qui in Templo principe concionabatur, Carminatæ facta, & dicta omnia, atque hominem ipsum laudaret.

XXXIV. Robertus interea Bellarminus, cujus Purpuræ amplissimum accesserat Sacerdotium Capuanum, Carminatam anno 1603 ad se Capuam evocavit, ut in jejunio ad populum verba faceret, fecitq; magno Capuanorum concursu, atque proventu, quàm diutissimè ibi retentus. Messanæ deinde redditus anno 1605 Hieronymo Contio morienti, auctor fuit, ut Mamertinæ Domùs conditor esse vellet, cui postea regendæ primus omnium est adhibitus anno 1608. Sed ante id tempus anno 1606 a Provinciæ Conventu ad Procuratorum comitia Romam legatus; in iis pro summo Societatis cogendo conventu, contra quàm Provincia censuerat, laboravit, & tanto studio, atque facundiâ suffragium tulit, ut titubantes plerosque in suam sententiam adduxerit, idque coram amicissimo Aquaviva, quòd bonum publicum privatis necessitudinibus anteferendum statuebat. Provinciis Romam convocatis, Sicula anno 1607 in primis Carminatam appellavit, qui in summis Romanis comitiis operam suam Aquavivæ strenuè probavit; nam in eo tuendo multus fuit, & optimæ ejus administrationis causam acerrimè propugnavit, docuitque, ideo se Societatem convocari maluisse, ut rectissimæ, emendatissimæque gubernationis auriti, oculatique testes ii præsentes essent, quibus absentibus facilè imponeretur. Itaque magnus ille consensionis in Aquavivam globus Carminatæ potissimùm dissensione distractus est, & ad æquiora consilia deductus. Ut in Provinciam remeavit, anno 1608 eum cepit, quem diximus tum primùm institutæ Mamertinæ Domùs magistratum, sed statim de eo abdicando cogitavit, quòd dubitaret, recténe aliis regendis daret operam; eaque de re Bellarminum consuluit, qui septimo idus Septembres ita rescripsit: *Quod scribis subvereri te, istumne magistratum probè geras; utinam ea dubitatio multorum mentes Antistitum, & summum sacrorum Principem agitaret! quoniam non mediocrem exinde utilitatem cùm sibi, tum aliis conciliarent. Tu verò, cujus tantus est usus in istis muneribus, tanta sedulitas, tanta integritas, nulla est causa cur tibi, aut de te metuas. Ceterùm unum sit nobis solatium, assiduus gemitus, perpetuique ad rerum Dominum hujusmodi clamores; respice, & miserere.*

A Bellarmino Capuam concionator evocatur.

Instat, ut summus Societatis conventus cogatur.

A Provincia Sicula ad ea summa comitia destinatus, Aquavivæ administrationem acerrimè propugnavit.

Mamertinæ domùs tū primum institutæ magistratū init.

Bellarminus Carminatæ sedulitatem in magistratibus gerēdis laudat.

XXXV. Denique anno 1611 ulceribus per crura erumpentibus, vacatione usus est tam ætatis, quàm valetudinis; & suadentibus medicis, ut ad patrii cœli temperiem se reciperet, in Panormitana Domo consedit, ejusque administrationem cupidè ab Aquaviva delatam obfirmatè recusavit, ulcera causatus, quæ acutissimis doloribus crura depascebantur: non tamen septuagenario major concionandi consuetudinem intermisit, sed constanter retinuit, quoad suggestum conscendere ulcera non prohiberent, quod supremis duobus vitæ annis usuvenisse comperio. Ceterùm senem octogenarium, & infirmum, neque vox, neque memoria, neque dicendi alacritas destituit; sed ut adolescens, ita senex auditorum aures tenuit, & in animos, mentesque dominatus est. Ossunæ Dux vir non illitteratus, neque mediocriter eruditus, sed magnus summorum virorum & æstimator, & cognitor, cujus Siciliæ Prætura in supremos Carminatæ annos incidit, ut eum semel dicentem audivit, iterum atque iterum audiendi cupidus, Patri Barnabæ Lermæ negotium dedit, ut quoties Carminata esset concionaturus, se præmoneret, quòd nefas duceret non adesse. Aquavivà extincto, Provinciæ conventui, quem Carolus Mastrillus Messanæ egit, officiis omnibus adesse coactus est, quod absque ejus consilio, & auctoritate, nihil rectè, & cum dignitate, eo vivo & absente, gestum iri videretur. Itaque magno consensu destinatus est ad summa Romana comitia octogenarius, & æger; in quibus anno 1615 Patrum omnium natu maximus, & Professorum antiquissimus, tanquam unus ex primoribus B. Ignatii Asseclis, magno in honore habitus est, & insigni reverentiâ observatus. Visit eum humanissimè, qui Romæ tum erat Bellarminus; sed Carminata digrediens, nescio quo casu, commeatum non petiit; quod quum datis Neapoli litteris excusaret, latinè respondit Bellarminus, V Calendas Martias amantissimè, ut sequitur: *Admodum Reverende Pater, verè non fui dignus, ut Reverentia vestra intraret sub tectum meum, & ideo Deus abstulit illi memoriam: alioqui valde cupiviſſem, ut Reverentia Vestra restitueret mihi visitationem, & benediceret mihi, antequam discederet. Spero tamen nos brevi simul futuros in Patria. Reverentiam vestram ex meritis suis; me autem ex sola gratia, & misericordia Dei: quamvis enim peccator sim, sum tamen bonorum servorum Dei amicus, & frater. Libenter orabo Deum nostrum pro felici itinere R. V. in Siciliam, & postea tempore suo ad regnum Dei. Idem vicissim prome faciat Reverentia Vestra, ut ego quoque prosperum*

Domùs Panormitanæ administrationē recusat, sed a concionibus licet doloribus confectus non se abstinet.

Luculentum de Carminatæ eloquentia testimonium.

Quanti universa Provincia Carminatā faceret, & quo in numero Romæ haberetur.

Roberti Bellarmini de Carminatæ sanctitate testimoniū.

Digitized by Google

rum iter habeam ad domum Patris, & Domini nostri. Amen.

XXXVI. Postremum vitæ biennium cœlestium rerum meditationibus dedit, & atrocissimis doloribus cruciatus, quòd crura ardentibus quasi carbonibus diu noctuque urerentur, manaretque acerrima sanies, sulphureis concreta igniculis, ac liquido, candentique plumbo non absimilis, in cubiculo abditus uni Deo, ac sibi vacare instituit; nisi quòd ad se confluentes domesticos, & Provinciæ optimates consilio juvare nunquam destitit. Fuerat inter intimos Carminatæ amicos Frater Bonaventura Secusius, Patriarcha Bizantinus, Pontifex Mamertinus primùm, deinde Catanensis, qui, & coram, & assiduis litteris, gravissimis in negotiis eum consulebat, & ab eo interdum ultro admonitus, requiri, ac reprehendi patiebatur. Hic anno 1618 gravissimà implicitus est valetudine, & Martio ineunte tristia de ejus salute Panormum nuntiabantur. Quod ut cognovit Carminata, de eo mirè sollicitus, P. Erasmum Pactium interdum rogabat, ut valeret Secusius. Allatæ denique sunt ad ipsum Erasmum litteræ, in quibus erat, Secusium, Leonardi Boscarelli Calatahieronensis Medici, eà ætate clarissimi, popularis ejus operà, convalescere: quo nuncio lætus ad Carminatam properat, & certiorem facit: sed tristem, ac madentibus oculis senem offendit, IV Calendas Aprilis: miratusque, quòd nihil gratularetur lætiora nuncianti, tandiu scitari, quid rei esset, perseveravit, donec Carminata, tergiversari jam desinens; *Mortuus est*, inquit, *Secusius Patriarcha*. Tum Erasmus: *Quî scire potes, Pater? Nunquid recentiores ad te litteræ, aut nuncii?* cui Carminata flens, & mœrens: *Quid quæris? ipse mihi triste attulit nuncium. Hoc ipso mane post consuetam supplicandi horam obtulit se mihi Secusius, ut ego nunc te præsentem cerno, flammis involutus, & hæc ipsa verba pronunciavit.* Malè procedunt res meæ: magnis versor in laboribus: *Neque mihi per contandi spatium reliquit, sed e vestigio videri desiit. Itaque maximo sum in metu salutis ejus. Sed certè vità functus est, manes ejus enixè Deo commendemus.* Tertio ab inde die nuntiatum est, Secusium IV Calendas Apriles, quum illuxisset, extinctum esse. Carminata tamen, ut de Patriarchæ morte publicè auditum est, Erasmum sedulò admonuit, eam nè rem planè gravissimam, cuiquam enunciaret, addiditque: *Fortè enim fuit illud aurium & oculorum ludibrium, nam tanti viri probitas, atque innocentia, ad spem salutis faciendam, pluris est, quàm qui ex amoris magnitudine sese metus ostendit.* Carminatà adhuc vivo, & fortasse hoc ipso anno 1618,

Cœlestium rerũ meditationi postremos duos vitæ annos dedit.

Mutua inter eum, & Mamertinum Pontificem officia.

Ejus Pontificis mortem manifestat, antequã nuncium afferretur.

Consueta supplicandi horã manes extincti flammis involutos vidit.

Fran-

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE BIBLIOTECA HERECA

Digitized by Google

Carminatæ adhibita epistola hominem dolore dentium omnino liberat.

Franciscus Prosimus medicus Mamertinus amicum ex acerrimo dentium dolore insaniæ proximum, quem nullis remediis sublevare potuerat, adhibitâ Carminatæ epistolâ repentè recreavit; adjicitque P. Petrus Notarbartolus, qui hoc anno ea de re ad Matinam perscripsit, non ampliùs eum, præter consuetudinem, dentium dolore tentatum. Anno demum 1619 Himara Santapau Buteræ Princeps, Matrona religiosissima, Majo mense, jam moriens, Carminatam, primum animi sui ducem, atque magistrum videre flagitavit, ut ei supremum valediceret, & ipse ei bene precaretur. Delatus est gestatoria sellâ: quem Himara ut vidit, vehementer gavisa: *O quàm metuo*, inquit, *Pater, Christi judicis tribunal!* tum ille: *Equidem festinabo, te sequi, neque multos post dies eodem coram judice causam dicam. Spem foveamus, in divina sitam clementia, & servatoris nostri Jesu misericordia, qui nobis sanguine suo opem feret.* Ex quibus verbis sumtum est vaticinium properantis jam mortis ejus, quæ post mensem est consecuta.

Ante mensem mortem suam vaticinatur.

XXXVII. Nam tertio Nonas Junias, quum ad prandium accederet, contractis repentè nervis, stupore correptus est, & in terram, animo relictus defluxit, vocemque amisit, neque ampliùs recepit. Per manus lectulo impositus ultimum laboriosissimæ, honestissimæque vitæ actum tredecim ipsos dies admirabili patientiâ edidit, retentis sensibus, quantum ad acerbissimos dolores sentiendos, & perferendos satis esset. Supremis religionibus ritè, sanctéque expiatus, magnis se terroribus exagitatum ostendit: vultu enim, atque oculis miserandum in modum significabat, summo se salutis metu torqueri, & ab iis, qui aderant, opem petere. Quod quum animadvertisset P. Erasmus Pactius, rerum ejus conscius, blandè admonere cœpit attonitum, & morientem, nè timeret, quoniam deprecatorem haberet, præter Deiparam, quam ipse semper summâ religione coluisset, cum Ignatio, Xaverio, & Aloysio, Bernardinum Realinum jam vitâ functum, concionum suarum filium, & disciplinæ suæ alumnum, cujus interesset præbere se memorem parenti suo. Carminata, qui reliqua alienatus non intellexerat, audito Realini nomine exhilaratus est, & modicè subridens, quasi præsentem intueretur, & in ejus conspectu, ac fiducia conquiesceret, extinctus est XVI Calendas Quintiles, anno 1619, anno ætatis tertio supra octogesimum. Elatus est frequentissimâ nobilitate, & principibus Civitatis, magna cum acclamatione virtutis, & sanctitatis. Tradit Matina, accepisse se ex P. Rutilio Scirotta laudatissimo viro, visos fuisse manes

Summo salutis metu, morti proximus torquetur.

Realini audito nomine exhilaratus fato subridens concedit.

ejus

Digitized by Google

ejus ab Ignatio, Xaverio, Gonzaga, & Realino, luce scintillantes in cœlesti Patria ad Christum deduci. Qui ad corpus exosculandum accessere, testati sunt, comperisse se, manus ejus, ut vivi hominis tepentes, atque flexibiles. Direptum est pia æmulatione feretrum, & quæ circa ipsum essent certatim distracta. Cohonestatum est funus ejus cœlestibus beneficiis, quorum illud maximè fuit salutare. Adfuit Carminatæ exequiis vir, qui vivum cognoverat, & concionantem audierat, sed venereis sordibus adeo inquinatus, & involucris irretitus, ut multos jam annos nullis adhortationibus flecti potuerit ad culparum expiationem, & scorti fugam. Ut tamen vidit extincti faciem, exsuscitata est memoria concionum ejus, quà nonnihil commotus, vestis ejus particulam pectori admovit, oravitque ut quem vivus ad bonam frugem non adegerat, compelleret mortuus. Eo contactu excitata est cœlestis flamma, quæ profanam extinxit. Urere cœpit præcordia acerrimus culparum dolor, & uberrimæ manabant lacrimæ, quibus superioris vitæ labes confitendo expiavit, scortum ejecit, & castigatè vivere instituit.

Manes ejus divinâ luce circũfusi inter superos ad cœlũ deduci videntur.

Manus ejus mortui tepentes, atque flexibiles cõperiuntur.

Vestium ejus particula pectori admota, veneris involucris irretitum liberat.

XXXVIII. Priusquam ad præcipuas virtutes ejus accedam, prodigium referam, cujus quum Matina tempus non adnotâsset, extra ordinem meminisse, necesse fuit. Narrabat itaque Frater Blasius Amorius, qui Sarmaticæ peregrinationis ejus comes fuit, & cum eo ex Sicilia Romam navigavit; immani correptam tempestate, in consentino mari, navim qua vehebantur, magno in periculo fuisse, fluctibus omni ex parte furentibus, quorum tanta vis fuit, ut avulsum sedibus suis clavum abriperent, remosque detergerent. Tum Nauclerum, ad Carminatam conversum; *Conclamatum est, Pater, pereundum est*, exclamâsse. Carminatam verò, vitam omnium a Deo precibus impetrâsse: nam & costernatos nautas confirmavit, & trepidanti nauclero clavum ultro appropinquantem ostendit, & ut strenuè caperet, aptaretque hortatus est, & secuturam tranquillitatem, & incolumes fore omnes in se recepit: neque vanum fuisse vaticinium, exitus docuit: quoniam paulò post ventus concidit, & mare conquievit.

Tempestas navim, qua Carminata vehebatur, jactat: sed ipse sequuturã tranquillitatem pollicetur.

XXXIX. Singulari fuit temperantiâ: nunquam nisi invitus aliis præfuit, & in ipsis magistratibus, amicos rogabat, ut se admonerent, & castigarent: quod quum illi rarò, & parcè præstarent, neque ejus in se odio satisfacerent, satisfaciebat ipse sibi, dabatque de scripto, quæ ab se perperam commissa viderentur, ut super mensam publicè recitarentur. Sed illustrius ejus rei testimonium attulimus numero 23, ubi documentum

Singularis ejus tẽperantiæ monumenta.

ex-

exscripsimus, quo levitatem, inconstantiam, imbecillitatem accusat suam, & Augustini confessionibus digno exemplo, productum a pueritia ad summos usque canos ex naturæ desiderio, intestinum incendium, nimiâ quadam virtutis abundantiâ, plusquàm veritas patiatur, expromit. Propter inveteratam de se demissè sentiendi consuetudinem, illud familiare habuit Realini dictum: *Deus bone, quando bonus ero?* quod quum animo sæpè versaret, ad Bellarminum scripsit, ut quid ita interroganti respondendum videretur, indicaret. Cui Bellarminus, in ea etiam virtutis palæstra exercitatus, postridie Nonas Januarias anno 1609: *Ad ea Realini verba*: Deus bone, quando bonus ero? *Nihil habeo quod respondeam, nisi absolutè nunquam: quia nemo bonus, nisi unus Deus; quantùm creaturæ possibile est, in Patria, ubi sanabuntur omnes languores nostri: secundùm quid, & imperfectè, ille bonus est, qui ex corde dicit*: Deus bone, quando bonus ero? *Sed tu hæc rectiùs, quàm ego, calles, quoniam ea expertus didicisti*. Hinc perpetuum illud frangendi corporis studium, a quo depravatæ naturæ cupiditates cùm pullulant, tum vires sumunt. Quotidie in se flagris, usque ad sanguinem animadvertit, & intimum cilicium nunquam posuit. Inediam modico cibo, & potu intermisit, atque assiduis jejuniis cumulavit; quam consuetudinem ad lautissimas etiam virorum Principum epulas invitatus retinuit, nec nisi parcè, ac viliter jejunium fregit, inter delicatiora fercula, quæ convivis apponebantur. In Sarmatica expeditione, infirmo & peregrinanti Frater Blasius Amorius valetudinis ejus custos, & comes itineris, gallinas clanculum paravit, & sine arbitris, in silva prandenti appposuit: Carminata ut aves vidit, non secus ac si monstrum videret, exhorruit, in fratrem exarsit, jussitque, ut scrobe depressà, eas terræ infoderet, & humo contegeret, ut nè nidor quidem ad nares perveniret. Tam insigni abstinentiâ, qua sibi in cultu corporis, sive aliis subesset, sive præesset, imperavit, eam facilè sustinuit severitatem, quà in magistratibus, domesticis lautitiis infensus fuit, & parsimoniam maximè propugnavit. Quum Provinciam lustraret, & in Collegio versaretur, cujus rector consueta communis mensæ fercula nonnihil abraserat; non defuit qui communem causam susciperet vir gravis, & sobrius, & ad Carminatam deferret, pluribus contendens, ut eam rem quasi paternæ caritati inimicam, quæ filiorum animos exasperaret, & a Societatis amore multùm averteret, auctoritate suà, sedulò emendaret, & ad pristinum morem restitueret. Ipse diu perorantem patienter audivit, & tri-

Quàm demissè de se sentiat, Bellarmino per litteras significat.

Frangendi corporis ratio, & assiduitas.

Memorabile ejus abstinentiæ exemplum.

Domesticis lautitiis infensus in suis magistratibus parsimoniam propugnat.

Digitized by Google

tribus hisce verbis frægit: *Ne faveamus carni*, & in iis inculcandis perseveravit, neque tamen Collegium magnoperè contristavit, quod nullum nisi commune obsonium sibi apponi passus est. Religiosæ inopiæ retinentissimus, nihil unquam a consanguineis accepit, nihil ex concionum laboribus ad se pervenire sustinuit, nihil in perpetuis, summisque magistratibus ad privata commoda transtulit, nihil a viris Principibus ultro delatum, & ne a Bellarmino quidem non recusandum putavit. Quare eo defuncto, nihil in ejus cubiculo, præter communia utensilia repertum est. Frugalitatem, & temperantiam etiam in aliis adamavit, neque quicquam magnificum, aut sumptuosum, aut in publicis ædificiis, aut in privata supellectili passus est esse. In fratribus verò, quibus domesticarum rerum administratio committitur, paupertatis studium, & fidem esse summam voluit: atque fratrem, qui ex alieno cubiculo clepsydram surripuerat, e Societate dimittendum curavit. Ceterum habitus vitæ ejus adeo fuit emendatus, & gravis, ut neque nutus, neque obtutus, neque gestus, neque incessus a virtutis norma aberraret; esset autem aspectus ejus, vel silentis, summæ imago gravitatis, & elegantiæ.

Religiosæ inopiæ retinentissimus nec dona, nec stipendia unquam admisit.

In fratribus, quibus domestica officia cõmittuntur, paupertatis studiũ summum esse curavit.

XL. Quanti Carminatam fecerint Viri summi, satis hactenus est demonstratum. Sed Bellarmini de eo testimonium, cujus ad eum extat fasciculus litterarum, nondum exhausimus. Proinde non abs re futurum arbitror unas Bellarmini litteras ex autographo italico exceptas referre, quæ utriusque intimam necessitudinem, ac sanctitatem abunde declarant.

Quanti Carminatã viri summi fecerint.

Admodum Reverende Pater.

Pax Christi

Miratus sum meas, tibi non fuisse redditas litteras, quas ferè quinque meâ manu ad te dedi. Earum jacturam prolixioribus his reparavero. Quod ad me attinet, impositum mihi purpura onus perferre studeo, quantâ maximâ fieri potest rectitudine, animique integritate. Sed planè confiteor, magno me esse in metu, atque periculo, quum familiam modò habeam satis florentem, & splendidam, videamque tot homines, qui meum nutum intuentur, uni mihi, & perquàm accuratè inservire; & non pauca sint commoda, quæ honores consequuntur, quibus etsi non studeo, fruor tamen. Vereor enim, nè mihi meritò dicatur: Recepisti mercedem tuam, *& in eorum numero sim*, qui in labore hominum non sunt. *Itaque inops consilii, & quid agam nescius, intimis Dei servis, atque amicis me totum trado, atque commendo, ut eorum con-*

Bellarminus litteris ad eum datis Carminatæ sanctitatem declarat.

tubernio, ac consuetudine indignum, & ad cœleste regnum per me consequendum, non satis idoneum, ipsi secum raptent in æterna tabernacula. Est mihi quidem recta voluntas, certumque consilium, atque propositum, nè Deum ladam, nè consanguineos locupletem, aut extollam, nè supervacanea, & minimè necessaria penes me habeam, nè ampliorem affectem dignitatis gradum, sed totis viribus refugiam, si fortè deferatur, nè pravo in re aliqua sim exemplo, nè quotidiano sacrificandi more abstineam, ut adhuc feci. Sed hæc non esse satis intelligo. Quàm sapissimè in mentem venit, ut purpurâ me abdicem. Sed quâ ratione id assequar, non expedio: nam & inanes fore conatus sentio, & astutè potiùs, quàm ingenuè me agere putabunt homines, & nescius certè sum, placeatne Deo, ut id repudiem, quod ejus voluntate admittere coactus sum. In habitu verò, & cultu corporis, vel extenuando famulorum numero, inusitatam afferre ad hunc Ordinem vivendi conditionem, magnam & ambitiosam præseferret novitatem, quam, qui inter Purpuratos castigatissimi habentur, & probatissimi, neque sequuntur, neque laudant: necessarius est enim, ut tradit S. Antoninus de statu Cardinalium, moderatus quidam splendor, quo sacri hujus Ordinis dignitas, apud vulgares etiam homines aliquo in honore sit, atque numero. Equidem maximè enitor, ut hunc ipsum purpuræ nitorem, & gradùs, in quo sum, quàm fieri potest, castigatissimè expromam, & inter collegas, qui neque sumptuosi, neque magnifici sunt, sed mediocritatem sequuntur, splendidam tamen, & elegantem; infimum munditiæ locum teneam, atque intra decoris, ac decentiæ fines, tantùm non sordidè prodeam. Quoniam verò hæc eò pertinent, ut a te tanquam ab animi mei duce, arbitro, atque magistro, si quid fortè peccaverim, admonear, & adrectiora consilia, te auctore, me convertam; singula diligenter exponam. Decem mihi ministrant ad honestiora officia viri nobiles, quorum plerique singulos bini habent famulos, pauci singulos singuli. Ad inferiora obsequia quatuordecim alo famulari veste, infimæ sortis homines. Universa familia capita ferè triginta non excedit. Hos singulatim præmonitos, domum meam iis non patere, qui perjurio, aut venere, aut quavis gravi culpâ polluti inveniantur, octavo quoque die convoco, & sedulò adhortor ad pietatis, & religionis officia. Consuetas sacrarum precationum horas, ut antea, servo. Singulis quartis, & sextis feriis, quæ privatus jejunia instituveram, non intermitto. Non facilè patior, quenquam a me pauperem vacuum,

aut

aut tristem discedere; sed qui modico in are sum, modicè tribuo: si lautiùs possidere contingat, juxtâ Tobiæ consilium, lautiùs dedero. Certè peculium congerere non est animus. Rem verò, atque pecuniam nunquam amavi. Quæ ad corporis domandi studium pertinent; cilicio uti, humi, aut nudis cubare asseribus; pane, & aquâ vitam tolerare, atque hujusmodi alia, quibus florente ætate, prohibitus non assuevi, familiaria mihi jam seni minimè sunt: vereor enim, ut inclinatis viribus, devexaque ætati idonea sint, & diu perferenda: propero enim ad sexagesimum vitæ annum, mediocri valetudine, & tantùm non infirmâ. Ceterùm si vir pius, & sapiens mihi auctor sit, ut ea denique aggrediar, paratus mihi videor ad asperum id vitæ genus suscipiendum; nisi fortè meus erga me amor mihi imponit, & miserrimè illudit. Initio institui unam dumtaxat habere rhedam: sed usu ipso edoctus sum, alteram proculdubio necessariam esse, quæ honestos vehat familiares, sine quibus Pontificis Maximi Sacellum, aulam, curiam adire non licet. Quamvis enim confluentium ad negotia amicorum rhedæ præsto sint, quæ familiam, & comitatum excipiant, nobis exeuntibus, discedunt tamen, ut ad Vaticanum ventum est; & redeuntibus deesse solent. Indignum est autem nobiles domesticos adigere, ut domum pedibus se recipiant. Domestico utor apparatu, quàm fieri potest, modico & simplici. Generis stemma neque aulæis, neque ostiorum velis, neque scamnis appingi passus sum. Sedes non adhibeo, nisi alutâ contectas, quatuor exceptis, villoso serico ornatis, quas in admittendis ad colloquium Purpuratis, Regum legatis, virisque Principibus admoveri necesse est. Reliquum est instrumentum vulgare, & minimè ambitiosum. Abest a corporis indumentis, sive intimis, sive extimis sericum, nec nisi laneas patior vestes, easque minimi pretii. Hæc ideo ad te perscripsi, ut consilio, & auctoritate tuâ cunctationem meam subleves, & quid mihi agendum sit apertè significes. Sed uni tibi pro intima nostra necessitudine commissa, nolim enuncies. Deferebat ad me Beatissimus Papa summum Patriæ meæ Sacerdotium, eâ tamen conditione, ut Româ non abessem. Accipiendum non putavi: quoniam non ignorabam, quàm periculosum sit, Sacerdotio potiri, & Sacerdotio non adesse. Quod si concederet non abesse, a Sacerdotii administratione non abhorrerem. Id enim munus majorem habere videtur pietatem, fructum, religionem, & a periculo magis abesse, quàm solius purpuræ officium, quod etsi sacrum est, & reli-

gioſum, non tamen eſt a republica, & civilitate alienum. Non ignoro, quanto in periculo, & difficultate verſentur, quibus aliena ſalutis cura incumbit: ſed quando Deus ad publicum hoc vitæ genus me evocavit; non ſequi oportet, quod tutiſſimum eſt: obtemperare ſcilicet, quemadmodum Seraphicus ajebat Franciſcus: In obedientia lucrum, in prælatione periculum; *ſed quod minus habet periculi, Deoque eſt gratius. Ignoſcas velim litterarum prolixitati, meque Deo enixè commendes: optima tua expecto conſilia: & ut mecum in cœleſtem Patriam vel invitum trahas, etiam, atque etiam rogo. Vale.*

Romæ XVII. Calendas Sextiles 1599. Servus in Chriſto
Rob. Card. Bellarminus.

XLI. Reſcripſit ad ea Carminata, nihil habere ſe quod adderet, aut reprehenderet in ea, quam inſtituerat quotidianæ vitæ conſuetudine, ſed confidenter admonuit in eo deſiderari agendi alacritatem. Cui Bellarminus pridie idus Sextiles, ejuſdem anni: *Mihi gratulor, quòd aliquando ab te exculpſi juſtiſſimam reprehenſionem. Nihil eſt tam verum, quàm indole meuti, lentà, frigidà, & adinertiam proximà, tum præſertim, quum mihi obſiſtitur, & quod ego ſentio, oppugnatur. Certè mihi aſſentantur, qui hanc ipſam ingenii lentitudinem ad virtutem detorquent, & jam lenitatem, jam manſuetudinem, jam modeſtiam, vocant. Sed proculdubio anguſti & parvi animi vitium eſt, quam ego ſocordiam, & timiditatem rectius dixero, quam, ſi valeret in me divina caritas, fortiter frangerem, juxta illud:* perfecta caritas foras mittit timorem. *Quin tu Pater Deum obſecra, ut cœleſtem in me ignem exuſcitet.* Non acquievit Carminata, ſed alteris litteris hortatus eſt: *ut iniis, quæ ad Dei obſequium, ac religionis emolumentum, & gloriam pertinerent, non reticeret, ſed vocem attolleret.* Cui iterum Bellarminus pridie Calendas Octobres anno 1605: *Hortaris, ut vocem attollam. Audio, quid velis. Sed memineris, P. Stephanum Tuccium, quòd vocem ſuſtulerit, ad præproperè ſecedendum, adactum eſſe. Si voci, & linguæ temperâſſet, fortè diutiùs locutus fuiſſet, & utiliùs. Ego ipſe ad loquendum olim invitatus, quod vocem exerui, coactus ſum ſolum vertere. Iterum per hos dies, cœpi nonnihil vocem attollere, ſed ita reſponſum eſt, ut intellexerim lentè feſtinandum. Quod mones, nè conſanguineos penes me domi habeam, eiſque ita largiar, ut ſit ſpecies miſericordiæ, ne egeant, non ut diteſcant; morem geram, tibique gratias ago maximas, quod optimis tuis conſiliis rectam mihi ſa-*

Aliæ Bellarmini litteræ.

salutis semitam indicas. Adjuva me, quaso te tuis apud Deum precibus, ut ea arripiam, & accuratissimè exequar.

XLII. Sed nullum est Carminatæ virtutis luculentius testimonium, quàm quod ei reddunt instituta ab eo opera, quæ propter insignem viri prudentiam extant omnia. Condidit, & publicavit *Professorum* Domum Panormitanam, & Mamertinam. Collegio item Panormitano, per Joannem Platamonium patrimonium constituit. Mamertinum Tirocinium a fundamentis excitavit, censumque auxit. Erexit Melitense Collegium, ibique secretum extudit Equitum contubernium. Præter privatas Sodalitates, quas Messanæ coëgit, coaluit ejus operâ Panormi Societas S. Thomæ, cujus est institutum ægris in valetudinario ministrare. Item S. Leonardi Sodalitas, cujus munus est, eis qui in fidei quæsturæ custodiis decedunt, exequiarum, & sepulcri officium persolvere. Denique mulierum cœnobium, a turpi quæstu revocatarum, quod Laynius ponendum curaverat, restituit, & Himaræ Santapau, Buteræ Principi persuasit, ut quingentorum aureorum legato censum ejus augeret. Servantur in Bibliotheca Collegii Panormitani novem ejus Volumina inedita, quorum titulus est: *In omnia Quadragesima Evangelia ad concionatoris munus obeundum opportuna Volumina*. Carminatam laudavere Scriptores inclyti. Franciscus Baronius, Placidus Samperius, Joannes Rho, Joannes Nadasi, Dominicus Stanislaus Albertus, quorum loca accuratè adnotat Antoninus Mongitore. Item ejus meminere Jacobus Riela, Josephus Matina, Silvius Tornamira Chron: Collegii Messan:, Franciscus Schinosus, Rocchus Pirrus, Paulus Pellizerius, & Monumenta Collegii Melitensis, quorum loca, qui desiderat, cõsulat indices. Nobis satis est eorum nomina indicâsse, quòd non tanquam testes appellantur in re nova, vel ambigua.

Plurima ab eo opera instituta, & amplificata, referuntur.

Scriptores qui de Carminata meminerũt recensentur.

Biblioth. Sicula part. 1. pag. 325.

XLIII. P. Pompilius Lambertengus anno 1620 triennio exacto, crebris litteris a Mutio impetravit, ut sibi statim succederetur: quare VIII Calendas Quintiles Romà Messanam attigit P. Hieronymus Tagliavia nobilissimus Thermitanus ad aquas Selinuntias, quem Collegii Rectorem Panormitani Mutius, Oxunæ Duci, & Doriæ Purpurato, propter graves controversias, quæ in Regni comitiis de augendis vectigalibus ortæ sunt, invisum, anno 1616, ad se venire, & Collegio Romano præesse jusserat; ubi hominis integritate, ac sapientiâ coram exploratâ, atque perspectâ, Provinciæ hoc anno reddidit, ejus magistratu insignitum. Optatissimus fuit adventus ejus, quòd gubernationis scientiâ clarissimus, & antiquis moribus

1620

P. Hieronymus Tagliavia Lãbertẽgo in Provinciæ magistratu succedit.

Digitized by Google

bus præditus animi fortitudinem tantâ ingenii lenitate, & verborum suavitate temperavit, ut nihil eo esset in asserenda justitia tenacius, nihil in caritate administranda mitius, & clementius. Redeuntem Doria, & ejus gratiâ exulare coactum, humanissimè complexus est vir summus, & sapiens, qui in ipsa contentione, & simultate virtutem ejus cognoverat, & æstimaverat, atque ab homine causam sejunxerat, neque ut hanc, ita illum parum probaverat. Sed Tagliavia diuturnis morbis implicitus laboriosissimum magistratum vix ad sesquiannum produxit, & ultro dimisit. Antequam Pompilius Lambertengus ex Provincia decederet tertii etiam Collegii fundamenta posuit ad Aquas Himerenses, præter Narense, & Ennense anno superiore constituta. Est in ora Siciliæ boreali quatuor & viginti passuum millibus ad orientem Solem Panormo dissitum, nobilissimum Oppidum, quod post excisam ab Annibale Carthaginiensium Duce Himeram, in clivosa peninsula Himerenses ad meridiem condidere, prope calidas, & saluberrimas aquas, quæ loco nomen fecere Thermarum Himerensium. Flagitaverat jam pridem amplissima Civitas Societatis domicilium, neque tamen explicaverat. Obtulit aggrediendi negotii facultatem Michaël Marinus clarissimus genere, atque virtute Thermitanus, qui non orbus, aut senex, sed ætate florens, & duodecim liberorum pater, tertiumdecimum filium esse voluit Collegium Thermitanum, eique condendo, & inchoando, anno 1615 decem aureorum millia legitimis, publicisque tabulis contulit; eâ tamen conditione, ut intra quinquennii spatium Societas Thermis haberet domicilium constitutum: quod si secus fieret integrum sibi esset, vel hæredibus eam pecuniam ad alios usus convertere: ipse post triennium anno 1618 extinctus est. Exacto jam quadriennio, quum Civitas Thermitana probè intelligeret Marini pecuniam ad justum Collegii censum non assurgere, & spem omnem e manibus dimitti, nisi ipsa subveniret, de Collegio instituendo agitare cœpit. Adjuverunt conatus ejus Franciſci Castri Proregis ad Magistratus Thermitanos litteræ, quibus vehementer excitavit Principes Civitatis, ut eam rem strenuè aggrederentur. Gerebant tum Thermitanos honores Paulus Bonafides, Hieronymus Marsiglionius, Pompilius Ruffinus, & Cæsar Amfusus. Hi cives convocant, de Societatis Collegio excitando referunt pridie Nonas Januarias hujus anni 1620. Nemo unus dissentit, decernuntur aureorum millia tredecim alendis patribus, extruendoque domicilio, quibus adjectæ annuæ etiam ex portoriis pensiones. Mittitur ad Pompi-

Collegii Thermitani ad aquas Himerenses initia.

De eo excitando consilia, & idoneus census constitutus.

Digitized by Google

pilium Lambertengum Senatûsconsulti exemplum. Pompilius dat negotium P. Jacobo Dominico Thermitano, ut eò coloniam deducat. Dominicus nihil cunctatus Thermas festinat, præmissoque, qui domum idoneo loco conduceret, ipse subsequitur, & pridie idus Apriles cum PP. Josepho Grillo, & Bernardino Lanfranco, item Fratre Vincentio Cardo, magnâ civium acclamatione in Patriam gratulabundus pedem infert. Erat tum Thermis Jannettinus Doria, Purpuratus, & Pontifex Panormitanus, qui postridie solemni ceremoniâ, depressâ jam altè sectură, aureum nummum jecit, eique primum Collegii lapidem imposuit, plaudente Civitate, clangentibus tubis, & magno tormentorum boatu, arce ac mœnibus personantibus. Auxit hoc anno Messanæ cœlestis epuli, quod menstruum exhibetur, frequentiam, & religionem Franciscus Castrus, quarto jam anno Siciliæ Prorex, nulli secundus, qui commemorabili exemplo, subsequente curiâ, & Principibus Civitatis, ad sacram Eucharistiam in Domûs Templo publicè sumendam accessit: quod quum gestiente coram populo eximiâ pietate feciſſet, miratus est, tantam civium multitudinem, ad viginti hominum millia singulis mensibus, nostrorum operâ, atque labore expiari. Panormi etiam prope exitum Januarii, ut mestruo cœlesti convivio recrearentur, confluxere ad ædem Societatis hominum *millia* duo, & triginta, qui fuit ad hanc diem numerus omnium *maximus*: auctus est autem mense Majo: numerati sunt millia quatuor, & triginta, qui divino pane refecti sunt, inter quos Proregis liberi duo: adfuturum se & pater unâ cum uxore edixerat, sed prohibitus est valetudine. Per jejunii ferias in Panormitanæ Domûs æde concionum suarum magnam expectationem in maximam admirationem convertit P. Paulus Casatus, nobilis Mediolanensis; cui amplissima Civitas eloquentiæ principatum detulit, & tantâ adfuit frequentiâ, quantâ ante ipsum nemini, Matinâ teste, qui magnopere etiam commendat domesticam hominis verecundiam, temperantiam, & pietatem. Sed qui alios facundiâ vicerat, se ipsum planè superavit, quum prope jejunii exitum de Christi nece, & cruciatibus disseruit, coram Prorege, uxore, & liberis, Senatu, curiâ, & omnium Ordinum civibus confertissimis: tantopere enim affectibus dominari visus est, ut teneret nemo lacrimas, & uberrimi fletus omnium sint consecuti. Perditæ mulieres receptæ quàm plurimæ, & ad honestatem traductæ; secessere adolescentes non pauci, seque claustris abdidere, piis largitionibus inopes sunt recreati: restituta pietatis, & religionis obse-

quia,

Nostrorum Colonia, Jacobo Dominico duce, Thermas deducitur.

Ad menstruum cœleste convivium frequentia, Proregis exemplo augetur.

P. Paulus Casatus in sacræ eloquentiæ munere plurimùm valet.

Quem fructum conciones ejus Panormi retulerint.

Digitized by Google

quia, relata sunt bonæ frugis emolumenta cum publica tum privata.

P. Honuphrius Verme negotia a Societate aliena suscipit.

XLIV. Decesserat Panormi anno superiore XIII Calendas Septembres Antonius Columba Eldæ Comes, Siculæ classis præfectus. Adfuerat morienti P. Honuphrius Verme Lylibœtanus, quo ille usus fuerat animi sui duce, vir audax & loquax, qui & testamenti particeps fuerat, in quo cavebatur, ut extincti exuviæ Honuphrio conditæ traderentur, Eldam, quod Valentini Regni est oppidulum, ab eo transferendæ, cui etiam nonnulla credidérat, Eldæ cum familia transigenda: atque ut per Majores nostros Honuphrio liceret tam insuetum, alienumque munus suscipere, eodem testamento executores fiduciarios appellavit, & deprecatores adhibuit Castrum Proregem, & Doriam Pontificem, qui Honuphrio impensè studebant. Ab his requisitus Lambertengus, repugnandum non putavit, datoque commeatu, Mutium certiorem fecit, qui sapienter rescripsit, P. Honuphrium Vermem id itineris alieno tempore, & causa, suscipere non oportere, deditque ad Proregem, & Purpuratum officiosissimas litteras, quibus repulsam excusabat, seque expurgare conabatur. Sed Honuphrius id, quod futurum erat veritus, maturavit profectionem, nè eum litteræ Panormi occuparent, quæ post ejus discessum redditæ sunt. Additus ei comes fuerat Frater Claudius Viscosus Bisbonensis, quem annos viginti culinariam fecisse ferunt, vir pius, probus, laboriosus, Deo plenus, & virtutum omnium laude præclarus, qui ex Hispania redux postridie Nonas Junii, Honuphrii morum, & levitatis pertæsus, itinerumque defatigatione, & maximis incommodis exinanitus, Romæ diem suum invenit anno 1620, ætatis undequadragesimo. Mutius Honuphrium probè castigatum in Provinciam remisit. Sed vir ambitiosus, & nugax, qui ejus peregrinationis veniam, ad captandam virorum principum gratiam extorserat, & infulas, atque purpuras jam animo devoraverat; ut in Provinciam venit, Filiberto Sabaudiæ Principi Messanæ se propinavit. Itaque quum aulicæ potiùs, quàm religiosæ vitæ daret operam, exauctoratus est, & Societatis disciplinâ solutus, abstulit aliquando infulatum Scalæ in Brutiis, sed tenue Sacerdotium: magnas ibi contraxit inimicitias, & parum abfuit, quin, hausto jam veneno, necaretur, nisi antidotis sibi consuluisset: quare, ut inimicorum insidias effugeret, voluntario exilio, se e Sacerdotii sede subduxit, eaque de causa a Romano Pontifice est ei sacris interdictum; & in ea pœna extorris, & egens extinctus est.

Mutius cum Prorege transigit, ut ab iis Honuphrius eximatur.

Castigatus tandem dimittitur, & in maximas incidit calamitates.

Ar-

XLV. Ardebat sub id tempus bellum civile Bohemicum, quod Heterodoxi adversus Ferdinandum Cæsarem conflaverant, cupiebatque Rex Philippus affinis, & cognatus ejus laboranti pecuniâ subvenire, quam quum ex regnis omnibus contrahere necesse esset, æquum erat, ut Siculum partem aliquam penderet; & saltem decies centena aureorum millia gratuitâ liberalitate conferret. Scripsit proinde ad Castrum Proregem, ut eam rem strenuè susciperet, & eam pecuniam ita Civitatibus imperaret, ut vis omnis abesset, ac metus, & suâ voluntate Siculi solverent, quod ab invitis capere nollet: quare auctoritate potiùs ageret, quàm potestate, & memorem fore Regem polliceretur. Prorex Senatui Panormitano Regis voluntatem exponit, hortatur, ut largitionis princeps esse velit, ac reliquis exemplo sit, & Regis gratiam primus, & abundantiùs demereatur, deferatque vigesimam summæ partem, quæ aureorum quinquaginta millibus contineretur. Erat tum Prætor urbanus Alvarus Ribadeneyra: Senatorii autem ordinis, Pompilius Plaja, Jacobus Luccheſius, Vincentius Landolina, Gaspar Bellacera, Franciscus Lanza, & Vincentius Rosa. Hi ad Jacobum Dominicum, qui Domui præerat, & Alexandrum Nevolam convolant, & in re nova, quæ dubios reciperet casus, & exemplum haberet, ac sobolem, consilium petunt, quæruntque, liceatnè, iis de causis, quas Prorex enunciaverat, id oneris, populo imponere, eaque de re ad concilium referre. Dominicus, & Nevola, integri doctique viri spatium, ac diem sibi dari postulant, inter se deliberant; respondent: *Non licitum modò esse, sed necessarium petenti Regi obsecundare; quoniam petendi causa, justa esset, communis, publica, religiosa. Hæreticorum victoriam fore cruentam, impiam, & propter Germaniæ propinquitatem Italiæ periculosam. Religionis tuendæ gratiâ vel liberos opponere, ac vendere, laudabile ducitur, & animam profundere, gloriosum. Ignominiosum fore Siculis de libero, ac gratuito tributo recusare, quod omnes cupidissimè penderent nationes, ac Civitates: nam quod attinet ad Societatem, scripsisse Mutium ad Ferdinandum, & crebris nunciis inculcâsse, nè vereretur, si belli usus posceret, quotquot in Germania essent Collegiorum census, ac patrimonia fisco addicere, oppignerare, & ut collibuisset distrahere; se suis alendis præsto futurum; neque grave fore Societatis hominibus religionis causâ precario vivere, & victum sibi ostiatim mendicando comparare. Quid si posset Senatus nullo populi incommodo, aut detrimento Regi satisfacere? In magnis, atque*

Siculis Civitatibus pro bello Bohemico pecuniæ largitio indicitur.

Senatus Panormitanus Nostros de imposito onere consulit.

Nostrorum ea in re deliberanda singularis prudentia.

vetustis esse nominibus Civitatem, malè redemptis urbanis superiorum annorum vectigalibus, & nunquam redimendis, propter debitorum potentiam, qui in libera Civitate plurimùm valent. Ea nomina Regis ærario concederent, atque imputarent: eos debitores fisco addicerent; qui a regiis administris de certis nominibus appellati, populum molestiâ liberabunt, neque audebunt apud ærarios Regis præfectos tergiversari, & mala nomina diutiùs esse. His rationibus magnâ gratulatione exceptis, & ad concilium delatis, summo omnium consensu, Senatusconsultum latum est, quo Civitas quinquaginta aureorum millia, unà pensione ad bellum Bohemicum Regis ærario decrevit, eâ conditione, ut regii exactores, eorum quæ diximus nominum versurâ uterentur, remissis tamen usuris. Secutæ sunt Panormitani Senatûs exemplum reliquæ Insulæ Civitates, & admirabili celeritate, ante anni exitum decies centena millia contracta sunt. Quibus cognitis, Prorex & Senatui, & Nostris, quorum operam gratissimam habuit, gratias egit; justitque quinto Nonas Octobris, ex ea pecunia, quam Civitas contulisset, aureos mille ad Domûs Panormitanæ domesticas difficultates explicandas designari: qua de re perquam honorificum Provinciæ decretum edidit, atque in acta Senatûs referri mandavit. Sed Dominicus, & Nevola accipiendum non putabant, nè privatam causam egisse viderentur, si ea de summa quicquam delibarent. Prorex eorum pudore, ac fide collaudatâ, eam pecuniæ abdicationem ratam habuit; quam tamen per alios tramites ad nos pervenire curavit.

Senatus consultum de pecunia solvenda.

Prorex Nostrorum latis consiliis gratum se ostendit.

Octavii Cajetani ortus, & res gestæ.

XLVI. Postridie Nonas Martias desideratum est, florente adhuc ætate, magnum Siciliæ lumen, P. Octavius Cajetanus, qui & Patriam, & Provinciam, & Societatem, & Siculam religionem illustravit. Ortus est præclarissimo sanguine Syracusis, X Calendas Majas. Ad oris, & corporis elegantiam attulit summum ingenium, excelsum animum, & mores candidissimos, quos intemeratos, atque impollutos cum vita clausit. Adolescens Societatis ædem ingressus, quum Christi in cruce pendentis Simulacrum intueretur, vidit in ejus Capite ardentem flammam, cujus specie excitatus Societatis adeundæ votum concepit, & XII Calendas Junias, anno 1582 explevit, tirocinio Mamertino additus, quum annum ætatis numeraret decimum sextum. Societatis disciplinâ probè excultus, & litteris optimè imbutus, ad altiora studia in Collegio Romano exercenda missus est: quibus emensis, Aquaviva, magnus ingeniorum, atque virtutum cognitor, Sacerdotio paulò ante

Mirabili ostento ad Societatem vocatur.

inau-

Digitized by Google

inauguratum, anno 1597 ætatis primo, & trigesimo ad Collegii Mamertini magistratum designavit; quem tamen, nescio quo casu, Octavius non adiit, sed Panormitanum suscepit. Fuit ejus ratio gubernationis in frangendis acribus adolescentium ingeniis severa, & efficax; sed in mitibus regendis, mitissima: Religionibus maximè afficiebatur, atque in iis cum litterarum studio conjungendis, quum in se, tum in aliis totus fuit. Nullam potestatis partem ad privatum commodum, aut cupiditates convertit; sed nihil ex honore cepit, præter laborem, & sollicitæ vitæ molestiam: nam in satisfaciendo accuratissimus neminem a colloquio dimisit, nisi pacatum, sibique conjunctum. Asserendæ disciplinæ causà perpetuas, & graves sustinuit controversias, nec rarò simultates, invictâ semper constantiâ, & fortitudine: obtrectatoribus tamen suis æquum se præbuit, atque benevolum, modò a virtute non aberrarent, quòd vitia se insectari diceret, non homines. Præfuit etiam Collegio Mamertino, anno 1603, & Catanensi anno 1607, & iterum Panormitano, anno 1608. Item Domui Panormitanæ, anno 1614, quem magistratum iniit Nonis Septembribus, quo die, quum epulum Patribus, Fratribusque ejus gratiâ daretur, adesseteque Pompilius Lambertengus Provinciæ præpositus; ipse cum reliquis non accubuit, sed humi sedit, ut palàm significaret, eo se honore, neque lætum, neque dignum esse. Et sanè Octavio Sanctorum Siculorum res gestas e vetustissimis antiquitatis ruderibus effodienti potiùs, quàm scribenti, grave fuit, laboriosum capere magistratum, qui animum, & mentem curis involveret, otium eriperet, & stylum averteret. Sed Aquaviva, cui nihil erat antiquius, quàm ejus vigilias adjuvare, excitatus tamen clamoribus Panormitanæ Domûs, quæ obruta ære alieno propemodum conturbaverat, & crebris litteris inculcabat, alium non esse præter Cajetanum, qui inopiæ mederetur, coactus est, contra quàm ipse mandaverat, eum obtestari, ut id oneris subiret, & scribendi contentionem nonnihil intermitteret. Porrò eventus ostendit, Octavii adventum Domui salutarem fuisse: nam ejus opinio probitatis, & interioris disciplinæ custodia, quæ contubernales incitavisset ad Societatis munia cum dignitate obeunda, piis amicorum largitionibus viam stravit; ex quibus ante Calendas Januarias decem aureorum millia contracta sunt, & æs alienum magna ex parte dissolutum, & reparata supellex, & auctum domesticum instrumentum. Biennio nondum elapso, instructam rebus omnibus domum reliquit; & Collegio Panormitano, anno 1616 tertiùm præfectus est, P. Hiero-

Panormitani Collegii magistratum suscipit.

Regiminis ejus fortitudo, & constantia.

Memorabile ejus temperantiæ exemplum.

Domui Panormitanæ inopiâ laboranti, præficitur.

Eam sublevat, & rem familiarem auget.

aymo Tagliaviæ ſuffectus, quem Mutius Romam, ut demonſtratum eſt, evocaverat. Novi magiſtratùs initio in adverſam incidit valetudinem, adeo gravem, ut moriturus crederetur: ſed ipſe a Sanctis Siculis per quietem admonitus, prorogari ſibi ad quadriennium vitæ ſpatium, ut inſtitutum opus abſolveret; amicos, & vigiliarum ejus amatores metu liberavit, brevique convaluit.

Cajetanus perditam mulierē emendare aggreditur.

XLVII. Profectò Octavii Cajetani vitam Deo curæ fuiſſe plura declarant; ſed illud præcipuè, quod P. Jordanus Caſcinus diſertè commemorat. Eſt autem ejuſmodi. Octavius perditæ mulierculæ emendandæ cupidus, quæ juventutem depravaret, & ad inſaniam adigeret, crebris eam colloquiis hortabatur, ut Dei, & futurarum rerum memor ſe reſpiceret, & aliquando peſtis, & ſentina Civitatis eſſe deſineret. Sæpe etiam admonebat, ut animadverſionem magiſtratuum ſibi caveret, & præſertim Doriæ Pontificis, qui ſeriùs, ociùs, reclamante jam Civitate, non pateretur, eam impunè graſſari. Verſuta mulier, quæ non ignorabat, quanta, & quàm intima Octavii eſſet cum eo Purpurato familiaritas, ab eo ſibi timere cœpit, quaſi delator futurus eſſet, ea niſi reſipiſcere velle ſe, oſtenderet. Quare ſimulat coram a ſordibus emergendi propoſitum, ejuſque ſpem vaferrimè alit,

Illa perdendi ejus ſcelus animo concipit, & inſidias parat.

& diutiùs trahit; ſed interea perdendi ejus ſcelus animo concipit, & perficiendi conſilii locum, & tempus captare ſtudet. Itaque Sicam pallà tegit, & prope noctem templum adit Panormitanæ Domùs; Octavium vocari jubet, & per colloquii ſimulationem aliquandiu detinet, diſcedentem a tergo adoritur, & ſicam intentat. Sed B. Ignatius adeſſe viſus eſt, qui conantis manum prohibuit, & a maleficio deterruit: Octavius incolumis,

B. Ignatii beneficio Octavius incolumis ſervatur.

& inſidiarum neſcius ſeſe inde recepit. Illa tamen in incepto perſeverat, muliebris animi infirmitatem accuſat, ſeque exſuſcitat; atque idem facinus opportunis temporibus iterum, atque iterum incredibili temeritate aggreditur: ſed in ipſo conatu defecta viribus ſtupet, & re infectà diſcedit: neque verò ab incepto remittit animum; ſtygias appellat furias; adſunt; eis ſe tradit, ac devovet, Octavium modò interficiant; pollicentur; poſtulant tamen, ut mercedem ſtupro repreſentet: illa corpus permittit, urgetque pactam octavii necem. Furiæ demum impotentiam excuſant: quòd viribus valentior Ignatius filios ſuos ſtrenuè tuetur, ſed præſertim Octavium illi cariſſimum. Mulier non demittit animum, & longè graviores nectit inſidias. Puellam, vixdum puberem, præſtanti facie, magnà mercede parat, eamque lemuribus tradit; in Octavii cubiculum adultà jam nocte in-

Mulier aliâ viâ Octavium interfici curat.

Digitized by Google

inferendam, quam sive ille corrumperet, sive integram rejiceret, eà in conclavi exclamante, & Octavium accusante, quòd injuriam intulisset, aut fraude malà invectam opprimere conatus esset, calumniam infamia subsequeretur. Puella diligenter edocta lemuribus committitur, qui ante lucem ad mulierem tristes redeunt, nuntiantque, eos ab Ignatio aditu prohibitos, jam a cubiculi janua, jam a fenestra repulsos, & conclavi exturbatos fuisse. Ea ad puellæ domum advolat, ejusque matrem sceleris conscium, flentem reperit: ipsam verò puellam, linguæ impotem, deformatam, ambustam, membris captam, & monstri similem: quæ rogata, ut ejus noctis casum enunciaret: non aliud verbum exsculpere ex ore potuit, quàm *Ignatius, Ignatius*: itaque maximis cruciata doloribus duodecimo die lymphata periit. Mulier tamen doli artifex, quæ ineffabilis fuit Dei clementia, tot, tantisque perterrefacta ostentis, in se descendit, & facti pœnitens ad Octavium ipsum confugit, quæ gesta essent narrat, peccata apud eum expiat, & honestam vitam instituit. Octavius rei magnitudine commotus fidem ejus suspectam habet: sed occultis percunctationibus, ex puellæ matre de filiæ casu, & morte cognoscit, ac vera esse comperit, quæ mulier exposuerat.

Puellam præstanti facie in cubiculum ejus inferre per stigios hostes, intentat.

Per B. Ignatium, Cajetanus tertiùm liberatur, ex quo doli artifex resipiscit.

XLVIII. Collegii Panormitani magistratu, ut ad Sanctorum Siculorum Historiam, eo quadriennio, curis solutus, mentem omnem converteret, post annum se abdicavit, & cum cœlestibus illis animis supremum vitæ triennium accuratiùs transegit: coëgerat ille quidem superioribus annis, & infinito propemodum labore Historiæ instrumentum digesserat, & ordinaverat, in ipsis etiam magistratibus, quo tempore subductas quieti nocturnas horas scribendi studio concedebat: nam auctor est Cascinus æqualis ejus, accepisse se ex probatæ fidei, atque virtutis Virgine, quæ anno 1608, prope exitum Octobris Octavio immolanti aderat, quum ipse altero Panormitani Collegii magistratu fungeretur; visum abs se cœlestium animarum chorum, quæ latus ejus tegerent, & aram stiparent: visam & Deiparam, de cujus etiam imaginibus scribere instituerat, quæ Jesulum infantem Octavio traderet, quum ille divinam Hostiam pro more sumeret; Jesum verò in Octavii amplexum se dedisse, & in genis ejus suavissimum fixisse osculum. Addit Tornamira, prodiisse ex ejus ore sacrificantis Sanctorum agmina, qui per universam Siciliam se diffunderent, & Siculas cœlestes Virgines in cubiculum ejus ventitâsse, atque scribenti adstitisse, & maximas egisse gratias, quòd tantopere de earum glo-

Ad Sanctorum Siculorum Historiam scribēdam se convertit.

Deipara, & cœlestes Virgines videndas ei se præbent, & scribēti adstāt.

gloria laboraret: idque religiosissimi hominis indicio cognitum esse, quem ego P. Antoninum Blandum, præclarissimæ virtutis virum fuisse suspicor; extant enim ejus litteræ III Calendas Quintiles Messanæ datæ, anno 1616, quibus eam rem utpote sibi exploratam testatur, designatque cubiculi locum, & tantùm non declarat, se eum esse, qui Virgines illas, ultro citroque commeantes cernere meruisset. Sed opus latinis litteris inchoatum elegantiam desiderabat, & concinnitatem, quam otium afferret, & supremæ limæ assiduitas. Quare cubiculo abditus, & curis omnibus vacuus, plenum triennium ea in re collocavit, conflavitque duo ingentia volumina, quæ etiam animadversionibus illustravit; sed non omnino ornatioribus litteris ex adversariis, & commentariis exscripserat, quum supremus morbus curam ejus inrercepit. P. Jordanus Cascinus, qui tum Panormitani Collegii gerebat magistratum, sacras precationes pro salute ejus indixit: quod quidem Octavio humillimè de se sentienti, & ut ab aliis non secus sentiretur quàm maximè cupienti, grave accidit. Cascinum proinde rogavit, nè frustra Deum, & superos fatigaret. Adfuisse sibi cum B. Ignatio Deiparam, qui quum eam de genu adoraret, peteretque ut communibus Provinciæ votis se condonaret; Virginem manu significasse, satis consultum esse Siculorum Sanctorum annalibus: neque ullam esse causam, cur vita diutiùs duceretur. Ceterùm se laborem suum nihili facere: non defuturos se doctiores, & meliores, qui operi jam pœnè ad coronidem adducto summam manum imponant, & adscribant: *Hæc facientem mors oppressit*: vel qui ex integro accuratiùs, & elegantiùs recudant. Moriens domesticos, qui aderant, & flebant adolescentes, supremis sacris, magnà religione ita est adhortatus: *Nunquid fletis, quòd votorum meorum summam attingam, quæ nunquam alia fuit, nisi ut in Societate vitæ exitum invenirem? Intueminipotiùs in hoc meo casu humanarum rerum inanitatem: Una, & potissima sit vobis cura, divino studere obsequio: post hanc summum sit studium tuendi famam Societatis, quam a majoribus vestris florentissimam accepistis. Hanc vobis, ut ex animo possum commendo. Vos modò estis spes Provinciæ, vos aliquando eritis ejusdem vindices, atque rectores; estote, quæso vos, veri Societatis amatores, & filii. Curate, & efficite, ut eam ornetis litteris, & virtutibus augeatis.* Relicto mortale corpus, & a Deipara, B. Ignatio, Siculisque Superis in cœlestem Patriam deducti sunt manes ejus, anno ætatis quarto, & quinquagesimo, & ex quo quatuor votorum sacramentum di-

Labor eo in opere, concinnando impensus.

Per Deiparam, & B. Ignatium de proximo fato edocetur.

Ejus ad astantes domesticos ante fatum oratio.

Digitized by Google

dixerat, decimoseptimo. Auxit funeris honorem universa Nobilitas, & vultus ejus forma; quæ cœlestem quamdam speciem intuentibus ostendebat.

IXL. Postridie mortis ejus laudatus est super mensam a P. Carolo Romano, qui recitavit virtutes & merita erga Provinciam, & Societatem, quorum hæc erat summa. Vir fuit insigni pietate, ac religione; cœlestium rerum contemplationi maximè intentus, nihil frequentius, aut libentius, quàm cœlestia loquebatur, sive cum externis ageret, sive cum nostris. Deiparam impensè coluit, consuevitque ejus laudes nonnisi rorantibus oculis audire. Pridie eorum dierum, qui ejus cultu religiosi habentur, nihil præter panem, & aquam gustavit; atque ea parcissimè, seque cruentis flagris cecidit. Cibo utebatur modico, atque communi, cœnam herbis ducere solitus, prandium uno, & altero obsonio. Lectulum duobus compactum assetibus angustum & brevem, præterquàm æger, non adiit, nisi indutus. Domesticarum legum retinentissimus, disciplinam, quàm tiro arripuit, veteranus, & in magistratibus invariatam asseruit. Animi cupiditates usqueadeo pacaverat, ut iratum nemo unquam viderit, calumnias sine querelâ tulerit, contumelias ab inferioribus irrogatas silentio dissimulaverit. In iis, quas laudavimus litteris, tradit P. Antoninus Blandus, tantam ex piis amicorum largitionibus ab eo pecuniam Societati collatam, ut plura Collegia condi potuissent: ipse verò inopiæ studiosissimus nè hilum quidem ad privatos usus redire passus est; neque quicquam in ejus defuncti cubiculo repertum est præter libros, & cerea quædam amuleta, quæ paulò ante frater ejus Româ dono miserat, quæ plerisque rem aliquam, quâ ille usus fuisset, religionis causâ flagitantibus sunt impertita. Innocentiam, quam infans ex sacro Fonte hauserat, maximis cumulatam virtutibus, moriens retinuit: impavidus propterea in periculis, subitisque casibus, nunquam mortis metu commotus est. Ex Pactensi Sacerdotio Panormum redux cum P. Antonino Blando piscatoriam naviculam conscenderat, qua in altum provectâ, repentè exortus est Boreas, in ea Siciliæ plaga truculentissimus, qui cymbæ malum, vela, umbraculum deterſit, & nautarum etiam pileos magno impetu abripuit: horrida tempestas est consecuta, cujus vi navicula fluctibus hauriri cœpit, & undas omni ex parte irruentes excipere: trepidis, ac flentibus nautis; & de salute desperantibus, Blando etiam, qui rem postea narravit, metu exanimato, unus Octavius mirâ tranquillitate, & fortitudine animi eventum opperiebatur quemcunque Deus destinâs-

Cajetani virtutes super mensam P. Carolus Romanus recitat: ejus orationis summa.

Religiosam inopiam ingenti studio coluit.

Primævam innocentiã maximis cumulatam virtutibus moriens retinuit.

Fœdam tempestatem, & jam naviculam opprimentẽ unus Octavius impavidus sustinet.

Digitized by Google

nâsset. Perventum est denique ad litus, neque dubium fuit nautis, quin Octavii meritis, ac precationibus a præsenti, certoque naufragio erepti sint, cujus sanctitatem ex ipsa oris in tanto periculo hilaritate conjecerunt.

Sacra Virgo per Cajetani reliquias ex diuturno morbo omnino convalescit.

L. Cohonestatum est Octavii funus cœlestibus beneficiis. Unum asseram, quod reliquis testimonium reddit. Annum jam graviter jacebat sacra Virgo in S. Joannis Rilionis Cœnobio, quæ ut audivit, quæ vulgo jactabantur, per Octavii Cajetani reliquias patrata prodigia, ad eum spem omnem, animumque convertit, rogavitque, ut tam gravem, ac diuturnam sibi a Deo valetudinem deprecaretur. Octavo die, ex quo preces instituerat, recreatam se repentè sensit: surgit, adit Antistitam, salvam se, atque integram, Octavii beneficio prædicat. Accersitur Laurentius Natalis Cœnobii medicus, qui febrim abiisse pronunciat, & nullum supersse gravissimi morbi vestigium, neque id sine miraculo fieri potuisse declarat, si constantia subsequatur. Sed virgo in dies confirmatior omnino convaluit, & ad pristinum salutis habitum rediit. Ea de re confectæ sunt litteræ ad Alphonsum Cajetanum; quibus subscripsere Polidamia Valguarnera Cœnobii Antistita, Joanna soror ejus & Angelica Maria senior. Restat ut bene, optiméque precemur manibus ejus, quòd ex amoris erga Societatem abundantia, domesticarum antiquitatum, & rerum scientissimus, quamplurima accuratè adnotaverit, ex quibus hujus Historiæ conflatum est instrumentum. Atque utinam optimè meriti scriptoris res gestas aliquis alius, grati saltem animi causâ, diligentiùs, & uberiùs consignâsset! dolendum nobis non esset, quod quum in nostra scripta pervenerit, vicem ei reddere non licuerit: tanta fuit indiligentia, atque jejunitas, quâ de eo commemoratum comperio. Obsecramus proinde cœlestem animam, ut nobis ignoscat, si pauca exornavimus, etsi quamplurima, quæ oblivione hausta interiisse facilè deprehendimus, industriam nostram effugerunt, gratumque animum fefellerunt. Edidit, si vivo, orationem italicam in funere Philippi Secundi, quater prælo redditam, ab anno 1601 ad 1617. Item Opusculum *De die natali S. Nymphæ* V. & M. Panormitanæ, anno 1610. Denique *Ideam operis Siculorum Sanctorum*, anno 1617. Eo defuncto, prodiit Tomus primus, & secundus complectens *Vitas Siculorum Sanctorum*, anno 1657, quibus adjectum est Opusculum *De Deiparæ in Sicilia Templorum originibus*; quod anno 1663 recusum est, & anno 1664 a Thoma Tamburino italicè conversum. Anno denique 1707 P. Joannis Andreæ Mas-

Cajetani erga Societatem, & Provinciam Siculam merita.

Quæ ediderit, opera, recensentur.

Massæ curis emissa est *Isagoge ad Historiam sacram Siculam.*

Auctores, qui de Cajetano sûma cum laude meminerunt.

De Octavio Cajetano magna cum laude meminerunt Bollandiani Scriptores, Bibliotheca Societatis, Nadasi, Tornamira, Marracius, Pirrhus, Franciscus M. Maggius, Placidus Reina, Franciscus Scorsus, Philippus Paruta, Joannes Ricciolius, Felix Gerardus, Petrus Salernus, Josephus Perdicarus, Philippus Labbeus, Antonius Natalis, Jo: Andreas Massa, Michaël Judex, & Antonius Ignatius Mancusus, & omnium accuratissimè Anominus Mongitore, qui superiorum Scriptorum indicat loca, & voluminum titulos.

P. Petri Bellonii virtutes, & munera in Societate obita.

LI. Octogenarius in Panormitana Domo vitam posuit P. Petrus Bellonius Messanensis, sexto idus Apriles. Inter egregios Provinciæ concionatores, quum ætate valeret, annumeratus, universam ferè Siciliam peragravit, & salutaribus concionibus ad Christiana officia deduxit. Flagrorum, & induendi quotidie cilicii consuetudinem ad extremos vitæ canos attulisse traditur. Intimam cum Deo conjunctionem, quam tiro cum Societatis disciplina hausit, in dies auxit, & tantopere coluit, ut dies noctesque in cœlestium rerum cogitatione defixus hæreret. Quod quum jucundissimè faceret, & divinâ suavitate imbutum animum oculi proderent, manantibus perpetuò lacrimis, ex

Ex flendi assiduitate oculorum aciem amittit.

flendi assiduitate, annos natus quinque supra sexaginta oculorum aciem amisit, & luminis orbitatem annos admodum quindecim, magnâ oris & animi jucunditate tulit, maximè lætus, quod nulla jam humanarum rerum species a Deo mentem averteret. Matutinas horas in templo collocabat, & nisi sacras exciperet confessiones; sacrificiis aderat: vespertinas vocalibus dabat precibus, & Deiparæ præsertim laudibus, quas positis nunquam marianis calculis numerabat. Reliquum diei spatium, eo dempto, quod curando corpori impendere necesse erat, divinis meditationibus, atque colloquiis conferebat, silens, &

De proxima morte Cœlitus admonitus sanctissimè obit.

flens. Postremò adesse jam vitæ finem de cœlo admonitus, ut qui peregrè iturus esset, amicis valedixit, & apertè enunciavit, parum abesse diem suum, quem prope verni jejunii exitum; paulò post plenam illam, summamque culparum, & pœnarum remissionem, quâ Paulus V Pont. Max. in Bohemici belli periculo, Deum ubique terrarum propitiandum curavit; sanctissimè obiit, meritorum & lætitiæ plenus, quum Marianos tenens, & exosculans calculos, Deiparæ laudes recitabat. Trium votorum sacramentum coram Leonardo Capano Drepani dixerat anno 1588.

LII. Extinctus ibidem est XVI Calendas Sextiles P. Fran-

P. Franciſci Baſilii ſingularis vitæ integritas.

ciſcus Baſilius Politienſis, qui integram, & incorruptam puerí-tiam Deo in Societate libavit, & non abſimilem in ea egit adoleſcentiam, virilitatem, & ſenectutem: cum Deo enim nunquam in gratiam rediit, nunquam ab amicitia defecit. Provinciæ in paucis utiliſſimus, nullum fuit Societatis munus, quod non exerceret, nullum, quo non maximè laudatus fungeretur: nam & humanas divinaſque artes egregiè tradidit, & ſtudiis præfuit, & præcipuas Siciliæ Civitates concionando luſtravit, cupidiſſimè auditus, ac expetitus, & ſapientiſſimè magiſtratum geſſit, quum valetudine prohibitus, reſonantem eloquentiam dimittere coactus, & Nobilium Sodalitatem, ut nemo alius laudabiliter rexit. Ingenium nactus eſt beneficio naturæ, jucundum, mite, candidum; quod doctrinâ virtutis elaboratum, ad ingenuam quandam gravitatem deflexit, quæ nihil ambitioſum præſeferret, nihil aſtutum. Jucunditas familiarium ſermonum ejus cùm domeſticos, tum externos uſqueadeo delectavit, ut nulla ejus oratio, aut ſatietatem attulerit, aut non breviſſima putaretur. Quum ad Panormitanæ Domùs præfecturam elatus eſt, interceſſerunt Nobiles, quibus præerant Mariani Sodales, neque pacari potuerunt, niſi Baſilius utrique muneri operam ſe daturum polliceretur, idque accuratiſſimè præſtitit. In Domùs magiſtratu temperantiæ, & manſuetudinis ſtudium in pudorem & verecundiam evaſit, quæ privatorum virtus eſt, & poteſtati non admodum conſentanea: quare & diſciplinæ ſplendor nonnihil eſt inclinatus, & petendi difficultas cum alendæ familiæ neceſſitate conjuncta, ad conflandum grande æs alienum adegit, quod diſſolvere nunquam potuit, habituſque eſt malum nomen, de quo tamen nemo auſus eſt cum appellare. Ille tamen minus lentitudinem, quàm audaciam reformidavit; quod eam virtuti propiorem exiſtimavit. Juniori inſidias paraverat obſcœna mulier, quas ille ſemel & iterum ſapienter declinavit, & demum ſtrenuè fregit; quòd frangere ſeipſum didicerat: corpus enim aſſiduis jejuniis, & flagris, ferreiſque aculeis etiam ſenex, & infirmus vexare nunquam deſtitit; eamque in ſe ſæviendi diſciplinam ex Chriſti cruciatibus, quos in ore, & oculis ſemper habuit, diligentiſſimè hauſit. Nihil denique prætermiſit, quo Deiparæ amorem, & in ſe excitaret, & aliis conciliaret. Nihil cogitanti, aut loquenti ſuavius occurrebat, quàm Dei Matris Nomen, atque virtutes. Itaque magna cum opinione probitatis, & innocentiæ, diuturnâ valetudine, maximis cruciatus doloribus interiit, annos natus quatuor, & ſexaginta, ſplendidoque funere a Sodalibus Marianis, caſui ejus illacrimantibus, elatus eſt.

Munera, quæ in Societate ſũma cum laude geſſit.

Ejus ingenium mite, & candidum: ſermo jucundus, omnes allicit.

Panormitanam Domum ſingulari prudentia, & manſuetudine adminiſtrat.

Corpus flagris, & jejuniis etiã ſenex, & infirmus vexavit; & Deiparam maximè coluit.

Maximis doloribus cruciatus vitam clauſit, & a Sodalibus Marianis elatus eſt.

In

LIII. In Domo Mamertina parentatum est Jacobo Carybdi, ut Patri Patriæ, quarto Nonas Sextiles. Messanæ illustribus anno 1550 ortus natalibus, duos post se natu minores fratres Societati addidit, Philippum, & Alphonsum, cum quibus præclariora Societatis munera partitus est. Ipse enim singularem docendi peritiam, Philippus regendi, Alphonsus dicendi exprompsere. Anno ætatis undevigesimo Societati se adjunxit, in qua Stephanum Tuccium amœniorum litterarum doctorem nactus est, a cujus disciplina, ejus quàm simillimus prodiit: nam in carminibus pangendis, & latinè scribendi gloriâ inter æquales excelluit, neque majoribus multùm concessit. Supersest ejus rei specimen in oratione, quam *de Christi morte* coram Xisto V. Pont. Max. anno 1586 recitavit, & edita Romæ est anno 1641, inter *quinquaginta orationes a Patribus Societatis in Pontificio Sacello habitis*. Quum Theologicæ disciplinæ addiscendæ daret operam, propter ingenii præstantiam, & insignem docendi facultatem, jussus est extra ordinem Philosophicas artes tradere, quas in Romano Collegio iterum professus est, ubi domesticos adolescentes sortitus est auditores adeo præclaros, ut tantus illustrium virorum concursus exemplo careat. Ait enim Pellizzerius: *Pro miraculo notatum, e Romana ejus Schola, tanquam ex equo Trojano prodiisse, tres, qui diversas Societatis Provincias non semel, nec uno in munere administrarent, concionatores duos, magistros in omni arte alios, alios scriptores, eximios omnes*. Collegii Monregalensis magistratum, primùm gessit, anno 1590: dein Mamertini, anno 1606 quinquennium, & iterum anno 1614 annum ferè. Eo in munere, quamquam acri erat ingenio, & ad iracundiam proclivi, mansuetudini tamen, & temperantiæ ita studuit, ut singulare paternæ caritatis exemplum se præbuerit inferioribus; majoribus obedientiæ: neque facilè judicaveris, utrum majori cum laude subesse consueverit, an præesse. Accidit, ut quum disciplinæ causâ iratum sibi juniorem, & contumacem flectere paternis artibus nullo modo posset, in genua provolutus, omnem in se culpam derivaret, peteretque supplex, ut sibi ignosceret, & pedes ejus osculari tentaret: quo facto, attonitum, & pudore suffusum fregit, & sibi, ac Societati de defectione cogitantem conciliavit, atque majoribus dicto audientem reddidit. Reliquum vitæ spatium in litteris posuit: nam utrique Theologiæ tradendæ multum operæ collocavit, & studiis præfectus est; & quum Messanæ de Academia instituenda, & Collegio Societatis inferenda transactum esset summus ejus moderator, sive

P. Jacobi Carybdis, & duorum ejus fratrũ eximiæ dotes.

Ejus ingenii præstantia, & insignis docendi facultas.

Collegio Monregalensi præfectus insignia temperãtiæ monumenta præbet.

Juniori contumaci ante pedes se dejicit, & exosculatur: ex quo illum sibi, & Societati conciliavit.

Cancellarius est designatus, & ob id doctoris laureà publicè insignitus: eum tamen honorem dumtaxat meruit, & reampliatà non adiit: quo tempore tanta fuit fidei, prudentiæ, & doctrinæ ejus opinio Mamertinorum, ut nihil eo inconsulto deliberarent, nihil statuerent. Inventis Messanæ Sanctorum Martyrum exuviis, Romam ad Paulum V Rom. Pont. anno 1611 legatus est, ut ad eum annum fusè commemoravimus, qui eorum causam Romanæ Curiæ probaret. Addendum modò supereſt, maximum illud negotium, & difficultatibus impeditum, & a magnis adversariis oppugnatum, & antiquitatis parietinis involutum, non tam Caribdis doctrinà, & navitate, quàm religione, & ostento, duorum mensium spatio fuisse explicatum, atque confectum. Quum enim videret Jacobus, fieri non posse, ut unus, & advena contra torrentem brachia dirigeret, aut quicquam extricaret, Beatos Christi milites obsecravit, nè sibi deessent, & suam ipsi causam tuerentur. Neque id facere neglexerunt. Designatus erat Vincentius Gonzaga Purpuratus, Dux deinde Mantuanus, qui ea de re in Senatu Purpuratorum referret. Is pridie ejus diei, qui dando Senatui dictus erat, acerrimis ilium doloribus gravissimè tentatus, remediis omnibus frustra adhibitis, ad Sanctos Martyres se convertit, quorum causam postridie acturus esset, ut si vera essent, quæ Carybdes de eorum gloria, & nece exponeret; de cœlo significarent, seque atrocissimo cruciatu eriperent. Quod si facerent, id eorum sanctitatis, atque victoriæ certissimum fore argumentum, quo vincerent, ut sacri eis honores haberentur. In ipsis precibus dolores repente silent, & evanescunt: ille incolumis, & integer, ut illuxit, coacto Senatu, de Sanctis *Martyribus* retulit, quæ sibi contigissent, enunciavit, cœlesti quadam eloquentià judicibus eorum causam probavit, omnes in suam sententiam adduxit. Honores sunt decreti: Carybdes sapientiæ, & religionis fructum tulit, & voti compos Messanam remeavit. Inter maximas ejus virtutes eluxit summa cum Deo conjunctio; cupiditatum sedandarum perpetuum studium: alienus ab obtrectationibus, quas neque ab aliis, se audiente, expromi patiebatur. Quare meritis, & ætate maturus, annos natus septuaginta, quorum unum & quinquaginta in Societate consumpserat, unum, & triginta post quatuor votorum sacramentum in Romana Domo coram Aquaviva dictum; pridie ejus diei, qui Messanæ a repertis Sanctorum Placidi, & Sociorum exuviis, religiosissimus habetur, vità functus est, & coram Principibus Civitatis amplissimo funere, multisque lacri-

Studiis præficitur singulari apud omnes doctrinæ opinione

Pro veritate reliquiarum SS. Martyrum Romam legatur.

Vincentius Gonzaga Mantuæ Dux, per SS. Martyres atrociſſimis cruciatibus eripitur.

Mirabile ostentum litem dirimit, & Martyrū reliquiis honores decernūtur.

Carybdes Messanam remeat, et in Mamertina Domo religiosissimè moritur.

mis

mis tumulatus. Scripsit *Officium SS. Placidi, & Sociorum a S. Congreg. approbatum*. Item Admonitionem pro Epistola Mariæ Virginis ad Messanenses apud Paulum Bellum. Glor. Messan. lib. 1. cap. 17. pag. 337. Denique Orationem *De vera hominis felicitate*, habitam in aula Collegii Panormitani coram Senatu, anno 1585. De Jacobo Carybde cum laude commemorant Bibliotheca Soc., Placidus Samperius, Placidus Reina, Paulus Bellus, Philippus Labbæus, Benedictus Chiarellus, & Antoninus Mongitore, qui accuratè loca consignat in Bibliotheca Sicula pag. 298.

LIV. Presbyteros denique duos, Drepanitanos ambos, quos ætate florentes Indorum regionibus Provincia addixerat, mors intercepit: quorum primus P. Andreas Carus in Manilano Philippinarum Collegio, post egregiè navatam barbaris, Deo, & Christo conciliandis, operam, anno ætatis duodesexagesimo, VIII Calendas Octobres e vita migravit, magnis perfunctus laboribus, atque periculis. Maximas ejus fuisse virtutes, pietatem, religionem, obedientiam, temperantiam, maximumque de se reliquisse desiderium, summatim Manilanæ testantur litteræ: sed singulas res gestas, vel antiquitas oblivione delevit, vel locorum distantia interpellavit. Alter verò P. Josephus Alferius eà mente, anno 1586 Societati se mancipavit, ut barbarorum saluti totum se devoveret. Sed Provincia maximæ spei adolescente carere noluit, & quàmdiutissimè obstitit, nè voti compotem Aquaviva faceret: præclarissimo enim ingenio præditus, eà erat morum innocentià, ut alii Aloysio Gonzagæ, alii Stanislao Kostkæ eum componere auderent. Sed Romam studiorum causà missus, indicam ab Aquaviva peregrinationem prolixis precibus, obtestationibus, lacrimis impetravit; & laboriosissimà navigatione Goam appulit, ubi dum ad barbaros erudiendos linguarum doctrinà se comparat, immaturo est fato occupatus, incerto mense, ac die, sed certissima opinione eximiæ probitatis, atque virtutis, cujus illud extat non vulgare documentum, quod corporis, animique pudicitiam Deo puer sacramento obligavit, & intemeratam feretro obtulit.

P. Andreæ Cari Manilæ fatum, et virtutes cursim perstringũtur.

P. Josephus Alferius Indicam peregrinationẽ impetrat.

Goæ magna probitatis opinione immaturo fato occupatus, decedit.

CA-

CAPUT IV.

Convocatur vigesimus secundus Provinciæ conventus. P. Hieronymus de Alexandro Provinciæ magistratum adit. Sacri honores BB. Ignatio, & Xaverio inter Sanctos relatis habiti. Pestilentia Provinciam invadit. Inmorientium obsequiis desiderantur Nostrorum quamplurimi. S. Rosaliæ exuviæ reperiuntur, & Nostrorum operà ei Virgini assignantur: item Quisquina antrum. P. Hieronymi de Angelis, P. Gasparis Paraninfi, P. Cæsaris Cossi, P. Caroli Romani, aliorumque Virorum illustrium exitus. Vigesimus tertius Provinciæ Conventus, cum iis, qui incidunt, eventibus usque ad annum 1625.

1621

F. Bernardini Lasiricæ res gestæ.

REcensetannus 1621 insignia quædam funera; & in primis Fratris Bernardini Lasiricæ, qui anno ætatis sexto, & octogesimo in Panormitana Domo, magna cum opinione virtutis vitam clausit. Ortus est Pugnadæ prope Miletum in Brutiis, anno 1535: & vigesimo secundo ætatis a Salmerone Neapoli nostrorum numero aggregatus, atque P. Philippo Casino, anno 1567 in Provinciam venienti comes datus, apud nos inveteravit, nisi quod anno 1574 Calendis Maji in Collegio Neapolitano coram Alphonso Salmerone *Coadiutoris formati* gradum iniit; quod quemadmodum contigerit, non reperio. Ut ad omnia domestica obsequia idoneus; paratusque inveniretur, qui ab adolescentia sarcire didicerat, Sutorem etiam, & fabrum lignarium, atque murarium in Societate egit: neque his contentus laboribus ad infima quæque officia indefessus, ut ad propria convolabat. Quotidie post prandium, & cœnam annos ferè sexaginta pateris repurgandis, & abluendis, labore nunquam intermisso, dedit operam; cujus tanta erat gloriatio, ut scopulam ex cingulo pendentem perpetuò gereret, tanquam insigne muneris sui. Quum autem senem, ad ultimos jam canos provectum, & fatiscentem, Majores beneficio ætatis uti vellent, juberentque ab eo labore vacare; ipse, visus repuerascere, non secus ac si infanti carissimum aliquid ereptum esset, in lacrimas abiit, & ejulatus; neque destitit, quoad illi misericordià commoti, nè benemeritos canos diutiùs contristarent, eòdem reverti passi sunt. Deo supplicandi studiosissimus, nocturnas horas somno ademptas, summa cum vo-

Ad infima quæque obsequia descendit.

Per lacrimas impetrat, ut laboribus restituatur.

Digitized by Google

voluptate cœlestium rerum cogitationi tribuebat: Divini autem epuli desiderio tantopere flagrabat, ut ei potestas facta fuerit, sacræ diebus singulis sumendæ Eucharistiæ. Quadratum pileum, quod insigne est *Clericorum*, etsi licebat, nunquam adhibuit: communi dumtaxat usus est, & uno eodemque, detrito, & sordido, annos ferè sexaginta: nam quem ex Neapolitana attulit Provincia, vetustate satis emeritum, nullis precibus adduci potuit, ut dimitteret. Vestes nunquam novas admisit, sed ex veteribus vetustissimas, & quas nemo jam indueret: Domo nunquam egressus est, nisi jussus, nunquam animi causâ, semper ad pietatis officia. Summum vitæ biennium solus, & abditus uni sibi, ac Deo impendit. Erupit tamen e latebris ejus fama sanctitatis; ea enim fuit latentis, & hominum conspectum refugientis omnium existimatio virtutis, ut ægrotantium plerique cùm domestici, tum externi eum sibi adesse flagitarent, & invitum ad se erepere cogerent, quòd nonnulli ejus ad Deum precibus sublevarentur. De Provincia, & præsertim Panormitana Domo laboribus, & exemplis benemerentissimus, obiit VI Calendas Junias, quem & vivum & mortuum, magnis debiti virtutibus honores sunt comitati.

Ejus in habitu, cultuque corporis demissio.

Nostri, & externi sanctitatē ejus plurimi faciunt.

II. Peregrè interiit P. Julius Mazarinus, majoribus Januensibus Panormi anno 1544 genitus, qui supremis vitæ annis Bononiæ consedit, ibique apud S. Petronium, anno ætatis septimo, & septuagesimo mortem nactus est. Eloquentiâ maximè claruit, & inter summos ævi sui oratores nemini de principatu decessit. Nulla fuit præcipua Italiæ Civitas, quæ facundiam ejus magnis deprecatoribus non expeteret, & semel auditum non etiam atque etiam requireret, ac flagitaret. Quadragies in majori jejunio concionatus est extra Provinciam: sed quo fructu, & christianæ frugis compendio, ex eo potest existimari, quòd Panormi, eo per jejunii ferias concionante, tam inusitatus extitit Civitatis motus, ut Matina non reperiret cum quo Mazarinum componeret; neque qui tantopere Panormitanos delectaverit, & concionibus juverit. Magno proinde fuit in honore atque gratiâ apud summos etiam Principes, & Dynastas, quòd inter clariores ejus sæculi homines numeraretur; nam in familiari quoque consuetudine, ita jucunditatem orationis gravitate, & eruditione condiebat, ut colloquium ejus omnes captarent; ipsum verò inter necessarios habere vellent. Nobiles etiam sub Mercuriano primùm, deinde sub Aquaviva gessit magistratus, Januensem, Ferrariensem, & Domûs Panormitanæ; sed non eadem acclamatione virtutis, & sapientiæ,

P. Julius Mazarinus eloquentiæ laude singularis.

Ejus in dicendo, suavitas, fructus, & acclamationes.

quæ

In aliis regendis acre, & vehemens exeruit ingenium.

quæ facundiam ejus commendavit. Acre enim in poteſtate, & vehemens exerebat ingenium, quod nullæ cujuſquam rationes, preces, officia mollirent. Januam deſtinatus, ut P. Gaſpari Loarti anno 1573 adoleſcens ferè ſuccederet, probatiſſimæ virtutis viro, qui Mamertino Collegio tantà cum probitatis, & prudentiæ laude præfuerat: tum verò eà Januæ ſanctitatis gloriâ floreret, ut nobilitas omnis nutum ejus intueretur, & matronarum Nobiliſſimæ nullo alio conſilio regerentur. Mercurianus autem Mazarino in mandatis dederat, ut Loartem perquàm honorificentiſſimè in Hiſpaniam remitteret. Mazarinus triremes nactus, quæ propediem ſolverent, Loartem monet, eam nè opportunitatem navigandi prætermittat. Sed Conſtantia de Carretto Januenſium matronarum præſtantiſſima, vidua, & opulenta, quæ Loartem animi ſui ducem, ut cœleſtis ſapientiæ oraculum verebatur, & Januenſe Collegium maximis cumulaverat beneficiis; ut de Mazarini adventu cognitum eſt, magnis univerſæ Nobilitatis, matronarum præſertim clamoribus, excitata, & per ſe Loartis retinendi cupidiſſima, ad Mercurianum ſcripſerat, ut pro ſuis erga Societatem meritis, Loartem ſibi concederet, & flagitanti Januenſium Reipublicæ magnoſque, ac potentes amicos deprecatores addiderat, neque fore dubitabat, ut Mercurianus obſecundaret: quare ut de proxima Loartis profectione audivit, Mazarinum precibus omnibus obteſtata eſt, nè Loartis urgeret navigationem; expectare ſe Mercuriani reſcriptum, qui ſi non concedendum putaret, curaturam ſe, ut Loartes quàm commodiſſimè navigaret: repulſam tamen retulit triſtem, & gravem: negavit enim Mazarinus, licere ſibi a Mercuriani præſcripto diſcedere. Quibus cognitis, Joannes Andreas Doriæ Princeps, Conſtantiæ cognatus, & affinis, Mazarinum adit, ſpatium enixè petit, dum Mercuriani, triduo, aut quatriduo reddantur litteræ; pollicetur, remoraturum ſe triremium profectionem, vel aliam triremem commodaturum, ut Loartes tutò, ac commodè ſuis redderetur, ſi Mercurianus in ſententia perſtaret. Mazarinus obſtirmatè reſpondet, integrum ſibi non eſſe; & mirà jejunitate verborum in eodem perſeverat. Tum Princeps: *Equidem efficiam, ut triremium nulla Loartem excipiat.* Cui Mazarinus: *Ego verò meritoriam navim quovis pretio conducam, & profectionem Loartis repræſentabo.* Quibus verbis perculſus Princeps, nihil addidit: ſed terga vertit, & Mazarinum è veſtigio reliquit, Mercurianum incuſans, quòd tam inurbanos, & ruſticos homines Collegiis præficeret: ſimul ad Conſtantiam reverſus

Mercuriani præſcripto P. Loartis profectionem parat.

Conſtantia de Carretto Mercurianum per litteras precatur, ut Loartem ſibi concedat.

Andreas Doria enixè petit, ut Loartis profectio producatur.

Mazarinus interim obſtirmatè ejus profectionem urget.

ſe-

seriò admonuit, nè Societatis deinceps homines colloquio, aut intuitu dignaretur: non defuturos alios, qui salutis iter ostenderent, sibique præsto essent. Illa dolore ardens æde Societatis ex eo tempore abstinuit, seque ad præclarissimum Cajetanorum Patrum, quos Theatinos dicunt, ordinem convertit, singulari planè Dei consilio, qui eam tragœdiam excitavit, ut caram sibi, & de christiana religione benemeritam familiam Januæ, ac Neapoli sublevaret; nam utrobique Constantia maximis largitionibus, eorum domos locupletavit: ejusque exemplo commotæ reliquæ Januenses matronæ, quæ repulsæ indignitatem ad se etiam pertinere arbitrabantur, idem fecerunt. Allatæ deinde sunt Mercuriani litteræ, quibus liberalissimè tribuebat, ut Loartes Januæ permaneret: sed litterarum adventum discessio ejus præcesserat. Quare Mercurianus de Mazarini pervicacia certior factus, eum magistratu abire jussit, & ad conciones reverti. Sed Aquaviva, post triginta ferè annorum vacationem, sexagenario existimavit allatam ab annis mansuetudinem; atque anno 1601 mandavit, ut Domui præesset Panormitanæ. Porrò Mazarini iracundia indolis erat, crimen non ætatis: naturæ autem vitium, quod ratio, & virtus non castigaverit, nulla dies, aut pœna emendat. Venerat anno 1603 Panormum ad nuptias satis splendidas Joanna Austriaca, de qua aliàs commemoravimus, quam Mazarinus Neapoli viderat, ejus interdum colloquio, & familiaritate dignatus: putabatque, pro vetusta necessitudine, non alium fore magis intimum animi ducem, & consultorem. Ea tamen P. Nicolai Barberæ famâ commota, eum ex Collegio evocavit, selegitque erratorum judicem, & christiani officii monitorem: ad Mazarinum verò misit, qui rogaret, ut alium ex Domo Sacerdotem designaret, qui ad familiam excolendam, & expiandam accederet. Destinavit ille nescio quem, sed paucos post dies renunciari jussit, nullam esse causam, cur non familiâ in ædem Societatis ventitaret, quam nobilissimæ Panormitanæ Matronæ, & Regni Principes frequentare non gravarentur. Misit illa Vincentium Brancifortem mariti fratrem, & Buteræ Principis filium, qui Mazarinum doceret, Caroli Quinti neptem, Societatis studiosissimam, & prope filiam, ejusmodi ferre repulsas non consuêsse. Vincentius officiosissimas preces de suo adjecit, & nil non movit, quo ejus animum expugnaret; neque tamen vincere potuit: quare asperrimis utrinque verbis in ipso æstu colloquii, magnà contentione jactatis, iratus discessit. Joanna ut fit, unius culpam in omnes derivavit: neque ampliùs ulli nostrorum ad se adi-

Magnum proinde in odium Societatem vocat.

Constantia, aliæque nobiles Matronæ æde Societatis abstinent; & Cajetanos Patres fovent.

His cognitis Mercurianus magistratu abire jubet, & ad conciones reverti.

Per Aquavivam iterū Collegii Præfectus, eamdem ingenii duritiem exhibet.

Anna Austriaca e nostris aliquem ad familiam excolendā a Mazarino poscit.

Mazarinus negat; & Joannæ odium in Societatem omnem derivat.

aditum patere voluit. Mazarinus Aquavivæ animadversionem veritus, duobus ferè ante triennium mensibus, magistratu se maturè abdicavit, & paulò post Idus Octobres, Romanas nactus triremes, conscendit, neque deinceps in Provinciam remeavit. Hac cum exceptione laudatus est Mazarinus, omnium ceteroqui consensu, eximiis animi & corporis dotibus, inter præcipuos ejus ætatis homines relatus: nam extra magistratum nihil eo fieri potuit mitius, æquius, amabilius. Itaque Bononiam senectutis suæ sedem quum sibi optâsset, & plurimùm ibi Societatem, concionibus, consiliis, & perpetuo nobilitatis concursu illustrâsset, tertio Nonas Novembres, apoplexiâ extinctus est (sive XI Calendas Januarias: nam utrumque diem, & mensem in diversis codicibus adnotatum reperio.) Ex P. Julii Mazarini fratre orti sunt toto terrarum orbe notissimus Julius Mazarinus, & Michael frater ejus S. R. E. Purpurati. Edidit P. Julius Mazarinus italicà oratione quamplurima volumina, quæ ævi sui eruditorum oculos quàm maximè tenuerunt: quorum indicem contexuit Bibliotheca Societatis. Laudavere Julium Mazarinum, Franciscus Baronius, Hippolytus Maraccius, Joannes Baptista Marinus, Secundus Lancellottus, Joannes Clessius, Michael Justinianus, Augustinus Oldoinus, Joannes Baptista Ricciolius, Philippus Labbæus, Ludovicus Morerius, Joannes Mollerus, Felix Gerardus, & Antoninus Mungitore, qui codices & loca tradit in Bibliotheca Sicula pag. 414.

Magistratu abdicato, Bononiæ ætate, & apoplexiâ confectus obit.

III. Syracusis vivere desiit Frater Michael Florius Catanensis, quem adjutores Societatis, tanquam laboriosæ, religiosæque vitæ exemplum meritò sibi proponerent. Virilitati jam proximum, & nihil tale cogitantem vir ignotus, & specie gravis in Collegium Societatis deduxit, & ad militiam nostram petendam compulit. Nostro numero adscriptus anno ætatis duodetrigesimo, nihil tam studuit, quàm sibi quotidie bellum indicere, & strenuè gerere: nunquam nisi corporis ægritudine cogeretur, jacens somnum carpebat; sed sedens, & indutus. Cruento se flagello singulis noctibus verberabat, atque ut vulneribus ducendæ cicatricis spatium concederet, jam hanc, jam illam corporis partem flagro appetebat: neque utranque torquendi sui consuetudinem octogenarius dimisit. Rusticis curandis prædiis, admotus, vitam rure egit silvestrem, Deo conjunctam, & innocentem. Viridarium in suburbano Syracusano, & pomarium, exquisitissimis plantis diuturno labore consevit. Ipse nullum ex iis arboribus lectum pomum gustavit unquam.

F. Michael Florius prodigio ad Societatem vocatur.

Torquendi sui consuetudinem instituit, nec unquam dimisit.

Quan-

Digitized by Google

Quanquam nullas noverat litteras, ex assiduâ tamen cœlestium rerum contemplatione, intimâ quadam scientiâ eruditus, de christianarum virtutum disciplina tam copiosè, ac disertè familiarem sermonem instituebat, ut viri etiam docti colloquium ejus requirerent, & plura se ex ejus ore, quàm ex eruditis codicibus didicisse prædicarent. Religiosæ inopiæ servantissimus nova indumenta ita refugiebat, ut alii vetustissima: & quidquid deterrimum domi esset, id uni sibi reservatum, ac debitum existimaret. Nè domesticorum cuipiam molestus esset, summis a Deo precibus impetravit, ut quàm brevissimo morbo absumeretur. Pudicitiam in carissimis rebus habuit, eaque de causa senex cum infantibus, & puerulis cupidissimè versabatur, quòd eorum innocentiâ majorem in modum delectaretur. *Eucharistiam* tantâ religione sumere consueverat, ut qui divinam ei dapem ministraret, cœlestis hominis faciem sibi intueri videretur. Supremæ valetudinis impetum stans, & ad consueta officia discurrens, admirabili sustinuit fortitudine, nec nisi ægritudine exinanitus, & morti proximus lecto se dedit, & eodem, quo decessit die, cruento flagro se cecîdit, anno ætatis secundo & octogesimo, nonis Novembribus. Eâ ipsâ horâ, qua efflavit animam, visum est de quarta vigilia ardere Collegium procul intuentibus, & accensis quasi facibus, magnâ luce circumfundi: tam insigni ostento declaratum est civibus, Florium obiisse, & ad superos evolâsse. Elatus est magno Civitatis concursu, & acclamatione sanctitatis, & quæ circa ipsum essent, religiosâ quadam cupiditate distracta; quibus admotis, ægri quamplurimi statim convaluisse feruntur.

Ex assiduâ contemplatione virtutes Christianas ediscit, & alios juvat.

Ejus erga divinam Eucharistiam religio.

Eo mortuo magna luce Collegium circumfunditur.

IV. Messanæ pridie Calendas Sextiles, quo die in æde Societatis annui B. Ignatio honores habentur, Beatum ipsum egregiè laudavit Naxensis Pontifex, qui per eos dies ibi versabatur, auditusque est incredibili gratulatione: Beatum verò Xaverium in die natali ejus; Philiberto Sabaudiæ Principi, qui a sacris erat confessionibus, ex inclyta Prædicatorum familia orator planè summus, cui adfuit Philibertus idem cum Senatu, & Principibus Civitatis, tulitque singularis eloquentiæ fructum, Xaverii religionem. Auctus ibidem est menstruus ad sacrum Epulum concursus, confertâ accedentium multitudine ab initio diei, ad primam a meridie horam: fuitque non semel inter convivas, qui publicè cœlestem celebravere mensam, Philibertus Princeps, quem nobilissima familia est subsecuta: item Marchio Sanctæ Crucis, Siculæ classis Præfectus, magnusque Dynastarum comitatus. Quæ, res mirificè populum delectavit,

Menstruus ad cœleste epulum concursus Messanæ augetur.

& ad eam religionem amplificandam maximè incendit. Plurimùm tum Messanæ valebat P. Cæsaris Cossi septuagenarii, & cæcutientis fama sanctitatis. Quare quum ægrotaret, Marchionis Sanctæ Crucis filius natu maximus, & de salute ejus medici desperâssent; Pater, qui maximæ spei adolescentem, sibique carissimum lugere cœperat, P. Cæsarem Cossum acciri jussit. Adfuit ille, qui quamvis jampridem se domi contineret, & uni Deo vacaret, benemerentissimo Duci negare non potuit: ut puerum languentem videt, venas tentat, Patrem bono animo esse jubet: spem vitæ facit: Deo se supplicaturum pollicetur. Puer eà ipsà nocte convaluit, & brevî se recepit, admirantibus medicis, quòd conclamatam pueri salutem, cui nullis remediis subveniri potuerit, Cossus tam facilè restituerit.

P. Cæsar Cossus conclamatam salutem puero restituit.

1622

V. Gravi, ac diuturnà valetudine, lecto Panormi affixus P. Hieronymus Tagliavia, qui Provinciæ præerat, quum provincialis conventus indicendi tempus adventaret, a Vitelleſco petiit, ut alium subrogaret, qui eam curam susciperet, & conventui Messanæ agendo præsideret. Designatus est P. Jacobus Dominicus, cui Mutius reliquam Provinciæ administrationem permisit, donec Tagliavia convalescceret. Dominicus itaque conventum dixit ad XII Calendas Majas. Sed eo adversà valetudine Calatahierone detento, ampliatus est dies ad Calendas ipsas Majas, quo die publicatus est Messanæ conventus. Postridie Patres Actorum Scribam optârunt P. Livium Trigonam; eique adjutorem dederunt P. Josephum Castelnovum: lectique sunt PP. Benedictus Moletius, & Alexander Nevola, qui cum Dominico, quæ ad conventum referenda viderentur, probarent. Quarto Nonas designatus est communi suffragatione ad Romana Procuratorum Comitia P. Alexander Nevola, & ejus loco, si fortè prohiberetur, P. Demetrius Licander. Pridie Nonas, censuit conventus, summa Societatis comitia convocari non oportere, quòd nulla esset causa, cur tantæ molis negotium moveretur. Tribus, quæ consecutæ sunt, actionibus, plura Nevolæ demandantur cum Mutio transigenda, quorum duo decerpam, quæ ad historiam, & rerum scribendarum seriem referuntur. Primum est: quod ad partiendæ Provinciæ propositum, etsi non satis apertè, pertineret. Petebant Patres, quoniam accidisset, Provinciam singulis annis, pro ejus amplitudine, lustrari non potuisse; & jam biennium, jam triennium exactum, quin Provinciales *Præpositi* ad remotiora Collegia accesserint: dispiceret pro sua prudentia Mutius, quà potissimùm ratione gravissimo incommodo omni ope occurreret.

Provincialis Cõventus Messanæ publicatur.

Patres partiendæ Provinciæ consilium aliàs rejectum movent, & Mutio cautè proponitur.

Mu-

Mutius rejectum scindendæ Provinciæ consilium cautè moveri animadvertens, rescripsit: *Non tam magnitudine Provinciæ, quàm imbecillitate Provincialium factum est, ut annua visitationis fructu, quædam Collegia interdum caruerint: sunt enim quædam Provinciæ, vel majores, vel aditu difficiliores, quæ tamen quotannis visitantur, & istam aliqui non incommodè visitârunt. Erit igitur nobis cura, ut eos Provinciales deligamus, qui tum aliis donis, & adjumentis, tum virium firmitate, muneris sui laboribus cum divina ope sufficiant; ac nominatim extimulabimus, ut justam illam, & sæpenumerò necessariam consolationem toti Provinciæ suâ præsentiâ exhibeant.* Alterum est: quum superioribus annis jam Claudius, jam Mutius, pro varia temporum, & Provinciæ ingeniorum conditione, potus nive refrigerandi solatium jam excludi, jam admoveri jusserit, jam semel in anno, jam certis quibusdam temporibus non negari: visum est Patribus, Mutium rogare, ut eam rem cogitandam sumeret, si fortè pateretur, eam refrigerationem calidioribus in locis, atque temporibus, qualia sunt maritima, & æstiva adhiberi, præsertim si medici præscriberent: in mediterraneis verò regionibus indulgeri, celebrioribus diebus, & summâ æstate; si nivem ab amicis contingat dono mitti: absonum non esse, rationem haberi Provinciæ, quæ Italiæ omnium maximè australis sit, & in qua modicus, aut nullus sit vini usus, & ex ingenio regionis aquæ parum frigidæ manent. Sed tanta fuit ejus ævi Societatis disciplina, ut Mutius concedendum non putaverit; respondit enim: *Re multum, diuque coram Domino consideratâ, cumque PP. Assistentibus consultatâ, (quamquam nihil exoptamus ardentiùs, quàm ut fideles servi, atque adeo dilecti Filii Dei, ac Domini nostri, quibus hunc ipse nobis famulatum commisit, & vitam habeant, & abundantiùs habeant) tamen respicientes commune bonum Societatis, & naturam exemplorum reputantes, quæ modicis inclinationibus lapsa, ita serpunt, ut nec facilè sit, justos ei terminos definire, nec ferè intra definitos contineri queant; divino obsequio, & S. P. Ignatii menti congruentius existimamus, ut primi omnino retineantur mores Provinciæ, ac nulla vel levis species præbeatur, quâ pristinus disciplinæ vel remissus ulla ex parte vigor, vel infuscatus splendor videatur.* Quo in rescripto quanta sit, & in præcipiendo dignitas, & in satisfaciendo diligentia, satis admirari non possum. Non multò post dimissum conventum, Tagliavià non convalescente, successorem ei dedit Mutius P. Hie-

P. Mutii ad eam postulationem rescriptum.

Potum item nive refrigerâdum postulant.

Mutius primos Provinciæ mores retinendos respondet.

Tagliavià non convalescente, Mutius P. Hieronymum de Alexandro successorem dedit.

ro-

Mutii ſententiam de non inferendo nivis uſu Provinciæ per litteras declarat.

ronymum Alexandrum Neapolitanum, qui III Calendas Quintiles Meſſanam appulit, & Nonis Decembribus publicas ad Provinciæ Collegia dedit litteras, quibus ex Mutii ſententia, & voluntate mandavit, nè cuiquam liceret nivis uſum inferre, qui eà tempeſtate inter delicatiores lautitias habebatur. Poſtmodum verò ita eſt pervulgatus, ut ad infimam plebem pervenerit, neque hieme ſummâ intermittatur.

Honores BB. Ignatio & Xaverio inter Sãctos relatus præſtiti.

VI. Exhilaravit Provinciam optatiſſimus nuncius, quo Mutius denunciabat, adjectos denique Sanctorum numero à Gregorio XV quarto Idus Martias, BB. Ignatium, & Xaverium, jubebatque, ut communibus ſtudiis, atque conſiliis, neque induſtriæ, neque pecuniæ parceretur, quò ſacri honores inſtituerentur quàm maximè fieri poſſet, illuſtres atque magnifici; tantùm nè in Collegiis opus ſcenicum daretur ullum, quo perſonæ inducerentur, quæ res eorum geſtas adumbrarent, & in pulpitis ederent: id enim cautum eſt, nè ullà ratione fieret. Itaque Panormi nihil ad pompam, & majeſtatem factum eſt reliqui. Compertum eſt in negotio quanti Societatem faceret ampliſſima Civitas, quæ ſuis veluti commota, & effuſa ſedibus, quidquid eſſet apparatûs, ſupplicationum, pegmatum, curruum, funalium, ignium, tormentorum, concentuum, acclamationum exeruit: neque facilè judicaveris Domuſne, an Collegium Panormitanum primas magnificentiæ tulerit. Utriuſque apparatûs narratio edita Panormi eſt, Domûs, apud Joannem Baptiſtam Maringum anno, 1622 Collegii, apud Decium Cirillum eodem anno. Extat & tertius libellus, qui utrumque complectitur, typis Maringanis anno item 1622. Sed quæ Meſſanæ lætitiæ, publicæque munificentiæ ſignificationes expromptæ ſunt, ut æqualium vicere expectationem, ita fidem ſuperaverint poſterioris ætatis. Princeps Philibertus, qui adfuit, & honorum fuit pars potiſſima, affirmavit, ſe, qui in præcipuis Europæ ludis maximis interfuiſſet, nihil unquam ſpectâſſe, quod Mamertinis hiſce triumphis conferri poſſet, quorum hiſtoriam litteris commendavit P. Antonius Jannopolis, evulgavitque Meſſanæ, typis Blancinianis. Proximum his numeratur Collegium Syracuſanum, cujus ſpectaculorum ſeriem, & amplitudinem, eleganter deſcriptam publici juris fecit Officina eadem Blanciniana. Sed quæ Drepani celebrata ſunt elegantia, & ſumptuoſa inedito volumine ſunt comprehenſa, cujus ſuperat exemplum in Bibliotheca Collegii Panormitani. Eadem fuit reliquis Provinciæ Collegiis in apparandis honoribus æmulatio pietatis, & religionis. Sed nil tam auxit, & cumula-

Panormitanæ, ac Meſſanenſis Civitatis ſacra gratulatio.

Item ſacra ſpectacula in aliis Civitatibus exhibita.

Beneficia ſub idẽ tempus per eoſdem collata.

vit

vit, religiosorum dierum lætitiam, & faustitatem, quàm cœlestium beneficiorum fides, quæ ubique locorum beneficiariis suis Ignatius, & Xaverius à Deo impetrârunt. Ea jam memoriæ prodita, & prælo emissa, industriam nostram non desiderant. Eodem autem hoc anno honores præcesserant Aloysii Gonzagæ, qui anno superiore inter Beatos, Romani Pontificis auctoritate, relatus fuerat; & qui Panormi habiti sunt, indidem prodiere ex Decii Cirilli officina, curis Collegii Panormitani, in quo ejus Religio, propter tutelam frequentissimæ juventutis, plurimùm valet.

VII. Inter claros Provinciæ viros accensendus est P. Petrus Casatus ex Rhodiis parentibus Chii natus, qui in Domo Panormitana senex admodum maturam explevit, X Calendas Februarias. Debitum magnis virtutibus quatuor votorum sacramentum quum dixisset, Romæ coram Claudio Aquaviva, anno 1589 ab eo Byzantium, Chium, Cretam, Romanorum Pontificum jussu est destinatus, ad varia pietatis, ac religionis officia, quæ ille propter ingenuam quandam prudentiam, animique candorem, omnibus jucundus, & carus laudabiliter explicavit: & laboriosissimas peregrinationes *sine sacculo, sine pera*, solus & inops, Deo tamen fretus, atque conjunctus strenuè peregit, nulli unquam gravis, terrà marique omnibus utilis. Sed virtus ejus præcipuè enituit in exortu Collegii Melitensis, cujus ipse auctor, & primus Rector fuit: nam cum Carminata primùm, deinde cum Paraninfo Melitam adiit, & eam equitibus, atque insulanis Societatis curam injecit, & Gargalli Pontificis animum ita sibi demeruit, ut ipsum ad se tertiùm mitti studuerit, & ab Aquaviva impetraverit. Itaque confectis publicis tabulis, quibus Collegium Melitense conditum est, Gargallus, & Casatus subscripsere; qui primus omnium magistratum in eo gessit, & rem, & nomen amplificavit. Rexit & Collegium Syracusanum, & Domum Plateensem, priusquam in Collegium abiret, cujus instituendi consilium maturavit, & ad exitum perduxit. Nihil in magistratibus tam ab eo munere alienum putavit, quàm a paternæ caritatis studio aberrare. Quare suorum non modò saluti, & incolumitati; sed commodis etiam servire consuevit: statuebat enim, nil tam esse disciplinæ inimicum, quàm immodicam austeritatem, sibi minus, quàm aliis impertitam. Denique paralysi semel, atque iterum tentatus, supremos sex vitæ annos jacens, & omni motùs facultate privatus admirabili tolerantià exegit: nam neque per se cibum sumere, neque muscas abigere, neque se in latus convertere deinceps potuit;

P. Petrus Casatus Panormi diem explet supremum.

Propter ingenuam prudentiam, & animi candorem, omnibus carus.

Collegii Melitensis auctor ipse, & primus rector fuit.

In magistratibus regendis mirâ exhibuit caritatem.

Admirabilis ejus tolerantia, in paralysi perferenda.

Digitized by Google

tuit; maximis proinde ulceribus excruciatus ad ſummum uſque ſpiritum, mentis & linguæ compos, Deo ſe, tanquam inſignem patientiæ victimam dies, noctesque litabat, & in ea fortitudinis palæstra ſeptuagenario major extinctus eſt.

P. Bartholomæi Petracii ingenii & eloquentiæ præſtantia.

VIII. Romà in Patriam remigrantem ex itinere morbus, & in Domo Neapolitana mors occupavit P. Bartholomæum Petracium Meſſanenſem. Vir fuit maximi ingenii, linguà promptus, & diſciplinis ferè omnibus eruditus: nam & latinas litteras optimè novit, & nobilis poeta habitus eſt, & hiſtoriarum ſcientiſſimus, & in ſacris Bibliis, & in veterum Patrum ſcriptis apprimè verſatus: ſed orationis facultate maximè claruit, quam fundebat ex tempore, & quovis argumento, adeo comptam, & plenam, ut ſi diuturnà meditatione formatam, ſtylo depaviſſet, atque limâſſet: Neque Provinciæ finibus eloquentia ejus efficax, canora, reſonans, & flectendis animis maximè idonea, ſe continuit; ſed Italiam etiam eſt pervagata, præſertim verò Neapolitani Regni præcipuas Civitates, & Romæ etiam cum laude excepta, ubi ab Aquaviva auditus, & majorem in modum laudatus, anno 1603 poſtridie Idus Septembres propter eruditionis præſtantiam ad ſummum Profeſſorum ordinem, eo immolante, Tybure in æde Societatis evectus eſt. Inter convocandum octavo quoque die, qui dies ad quietem dabatur, tutelares Provinciarum, & Civitatum ſuperos laudavit, eorumque intermortuam religionem exſuſcitavit, argentea ſigna cudi ſtuduit, Templa reſtituit, Reliquias jam ornavit, jam contulit; quemadmodum ſuperioribus annis Meſſanæ, Syracuſis, Catanæ, factum oſtendimus. Apud Rhegium Julium extinctam B. Pauli, & ejus in eam Civitatem adventùs, de qua S. Lucas *Actorum cap.* 28 diſertè docet, memoriam integravit, & *Apoſtoli* ædem inſtitui curavit, quam quotannis adibat, ibique de Pauli gloria, maximiſque virtutibus diſſerebat. Lupiis quum de B. Irenes præclariſſimis rebus geſtis anno 1605 verba faceret, tempeſtas maxima, debacchantibus ſtygiis furiis, coorta eſt, quæ Civitatem, & templum everſura videretur: ſed Petracio ad Irenem converſo, eamque ut honorem ſuum & cauſam adversùs tartareos hoſtes tueretur, admonente, inſigni prodigio repente ſedata, conſedit, & ejus religionem mirificè auxit. In familiari etiam conſuetudine agendarum rerum peritiſſimus, nullum erat tam grave, ac impeditum negotium, quod non facilè explicaret, & ex ſententia conficeret. Quæ quidem Petracii in animos hominum quócunque vellet deducendos ineluctabilis quædam facundiæ vis, adeo erat pervulgata, ut qui ob-

Præcipuas Italiæ Civitates concionator luſtrat.

Tutelarium Sanctorum religionem mirificè amplificat.

Suis ad B. Irenem precibus tempeſtatē ſedat.

Mira ejus in expediendis negotiis navitas, & felicitas.

Digitized by Google

obfirmatiùs capi nollent, colloquium ejus refugerent, quo certissimè caperentur. Nullà unquam veneris illecebrà corpus, aut animum commaculâsse perhibent, qui eum intimè nôrunt. Religionibus magnopere addictus, sacris precationibus assiduè studuit, & inter sacrificandum ex commoti animi sensu uberrimæ, candentibus oculis, manabant lacrimæ. Eo defuncto, repertæ sunt in adversariis ejus publicæ Senatùs Catanensis litteræ, quibus eum ob illustria erga cives suos, & B. Agatham merita, honoris causà Civitate donaverat. Ut cognitum est Messanæ de morte ejus, Mercatorum, & Sacerdotum Marianæ Sodalitates, quibus ille præfuerat, magnà funeris ceremoniâ absenti parentavere. Desideratus est pridie Calendas Junias, annos natus tres & sexaginta. P. Bartholomæi Petracii, ut viri inter æquales de religione, & bonis artibus optimè meriti, præter Jacobum Rielam, & Josephum Matinam meminere Bibliotheca Societatis, Placidus Samperius, Placidus Reina, Joannes Nadasi, Philippus Labbæus, & Melchior Incofer: sed præ reliquis honorificentissimè Antoninus Mongitore, apud quem laudatorum paulò ante Scriptorum loca accuratè indicata reperies Bibliothecæ Siculæ pag. 99. Nonnulla ex officina Petri Breæ Messanæ prodierunt anno 1605 Petracii ingenii monumenta, quæ idem Mongitore ibidem diligenter adnotat, aliaque recenset cùm edita, tum inedita opuscula, præter ea, quorum meminit Pellizzerius pag. 170, Petracium accusans, quòd lucubrationes suas in omni vita neglexerit, nec nisi paulò ante fatum contrahere cogitaverit.

Virtutis ejus monumenta.

Duæ Marianæ Sodalitates ei defuncto parentavere.

Scriptores, qui de Petracio meminerunt.

IX. Non mediocrem obtulit Provinciæ luctum Collegium Calatahieronense uno, & altero intra duos ferè menses insigni funere, eodemque parum maturo. Elatus est XIV Calendas Septembres P. Franciscus Spatafora, generosis natalibus Messanæ ortus, qui Venetici Principis filius natu maximus, paternà se hæreditate abdicavit, & anno 1607, ætatis vigesimo, in Tirocinio Panormitano Societati nomen dedit. Studiis perfunctus, & Sacerdotio insignitus, in sacras exiit expeditiones, lustravitque salutaribus concionibus mediterranea Siciliæ oppida, magno populorum concursu, atque fructu: optavit id vitæ genus, ut procul a Majoribus Civitatibus, in quibus erat maximè cognitus, & propter familiæ excellentiam summo in honore habitus, vitam ageret obscuram, atque neglectam. Tantà enim sinceritate rebus humanis nuncium remiserat, ut nihil ei molestiùs accideret, quàm si quis coràm nobilissimi generis titulos, aut cognatos, & propinquos appellaret. Sed vires ani-

P. Francisci Spataforæ ortus, & nobilitas generis.

Singularis ejus temperantia, ac sui contemptio.

mo impares tanto labori ferendo non fuerunt. Quare morbo tentatus, & Calatahieronem delatus graviſſimè decubuit. Ut ibi de ejus periculo auditum eſt, non defuit, qui ex principibus Civitatis Franciſco ſtatim adeſſet, & Venetici Principis fratris ejus loco, ac nomine pecuniam, medicos, remedia, utenſilia exhiberet, rogaretque, nè gravaretur, externos famulos deſignare, qui ſibi diu, noctuque præſto eſſent. Exhorruit ad ea Franciſcus, ſibique cariorem eſſe ait, domeſticam frugalitatem: neque tanti ſe vitam, quanti faceret religioſæ temperantiam caritatis. Admonitus autem adeſſe jam vitæ exitum, quantùm voce conari potuit, adſtantes primùm Socios leniſſimis verbis obſecravit, ut ſibi ignoſcerent, quòd in caſtris Societatis, ut inutilis, & refractarius Chriſti miles ſtipendia feciſſet: deinde canticum Simeonis: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine*, ſuaviſſimè pronunciavit, & in eo conatu ſupremis ſacris expiatus, anno ætatis ſexto, & trigeſimo exanimatus eſt.

Calatahieronenſium amor erga Spataforã

Calatahierone laboribus conſumptus elatus eſt.

X. Spataforæ legit veſtigia III Calendas Novembres P. Franciſcus Farſia item Meſſanenſis, quem Deus virum jam, & Sacerdotem, & ſanctitate illuſtrem, tanquam cœleſte munus Societati dedit, & biennium ferè commodavit. Litteris parum imbutus perditam egit adoleſcentiam: nam aleator, ganeo, adulter, gulæ ac ventri deditus, Dei atque ſalutis prorſus immemor annum ætatis trigeſimum attigerat, neque ulla erat reſipiſcendi conditio. Eò turpitudinis proceſſerat, ut quum diem integrum damnatæ veneri deſtinâſſet, dediſſetque Scorto matutinas horas, & naturæ deſiderium delaſſaviſſet, neque tamen explêſſet; parabat a prandio obſceniori voluptate libidinem exſaturare; ſed tempus jam aderat, quo divina clementia de humana perfidia triumpharet. Exibat Franciſcus ad fœdum facinus patrandum, quum ſignum audit, divinæ exeuntis *Euchariſtiæ*, quæ ad morientem deferretur: cœleſti numine inſtinctus, eò præter morem accurrit: ut Sacerdotem conſpicatur, qui ſalutare pignus gerit; intimam flammam excitari ſentit; properat, & quò magis accedit, eò acrior ignis urit præcordia; audit occultam divini paſtoris vocem, qui errantem ovem, & ad lupos feſtinantem ad ſe revocat: hæret attonitus: pudet ſui: vitæ ſuperioris pœnitet: dolore rumpitur, abit in lacrimas, quibus cibum, & potum miſcet, triduum flendo conſumit: animi maculas ritè expiat: & quod maximè mirum eſt, & prorſus inuſitatum, repentè alios mores induit, aliam mentem: nil niſi Deum loquitur, nihil cogitat: ex tempore Chriſti miles emeritus, & veteranus, in ipſo Chriſtianæ virtutis tirocinio, ultima pie-

P. Franciſcus Farſia perditã agit adoleſcentiam.

Per divinam Euchariſtiam intimè admonitus, reſipiſcit.

Emendatiſſimam, & aſperrimam vitam inſtituit.

Digitized by Google

pietatis, & religionis facit stipendia. Intimam cum Deo agendi, animi maculas assiduè scrutandi, domandi corporis disciplinam, nullo doctore, per se didicit. Vigilias, jejunia, flagrorum usum, cilicia, ferreos aculeos, & alia id genus dolorum instrumenta in deliciis habuit. Sordes lambere, contumelias, maledicta, irrisiones perferre, publici valetudinarii infirmis ministrare, humillima quæque obsequia sibi sumere, familiare, atque jucundum Francisco erat. Cœlestibus interea voluptatibus redundabat animus, & divina patiebatur, eo præsertim tempore, quo cœlesti convivio fruebatur: tum enim non mentis dumtaxat gaudia cumulatissimè percipiebat, sed cœlesti quodam gustu sensus afficiebatur, cujus suavitatem nulla gulæ irritamenta, nullæ Regum deliciæ coæquarent. Quatuor jam annos in ea virtutum omnium disciplina meruerat, quum secedendi consilium sedit animo, Deumque orare cœpit, ut quò potissimùm se reciperet, indicaret: animi dubium Deus admonuit, velle se, ut Sacerdotio insigniretur, reliqua postmodum declaraturus. Franciscus stygias veritus insidias, quòd latinè nesciret, esset que ab rebus omnibus imparatus; neque quicquam a se tam alienum putaret, quàm non in quovis secessu, eum sibi gradum optare, qui esset ad infima familiæ obsequia designatus; anceps tandiu cunctatus est, quoad Deus apertis significationibus diffidentiam ejus castigavit, quòd tot, tantisque edoctus eventibus, nondum intelligeret, curæ sibi fore, ad ea, quæ de cœlo rata essent, ut ardua, & impedita, viam sternere facilem, & explicatam. Obtemperat Franciscus: nullis deprecatoribus, per se rem aggreditur. Pontificem adit, qui doctrinam explorat, & stupentibus omnibus, idoneum comperit, & dignum, qui sacris operetur. Sacerdotio initiatum, & propter disciplinæ austeritatem, *Capuccinorum* familiæ cupidum eorum Antistes amplectitur, & benignè pollicetur. Franciscus ab domesticis, & amicis commeatum petit, sed in ipso aditu excluditur, neque ullis officiis, precibus, lacrimis repulsam expugnat. Deus tristem consolatur, docetque, divini fuisse consilii, ut non alibi, quàm in Societate vitam institueret, & finiret. Petere non dubitaret: omnia prona futura. Petit, & præter omnium expectationem, illico admittitur, & anno 1619 XVIII Calendas Januarias Mamertino Tirocinio adlegitur, annos natus quatuor & triginta. Nactus est religiosæ vitæ doctorem, Demetrium Licandrum, laudatissimum virum, qui ut omnia ejus novit, ita emendatum, & ab humanis cupiditatibus remotum comperit, ut Deo gratias egerit, quòd non tironem

Cœlestem ex divina Eucharistia suavitatem percipit.

Ut Sacerdotio insigniretur celitus admonitus fuit.

Sacerdotio initiatus Deo docente, Societatem petit, & obtinet.

Messanæ, Demetrio Licândro magistro tirocinium ponit.

Societati dederit, sed cœlestem planè hominem, & christianæ vitæ magistrum. Visa tamen est in eo reprehensione digna, immodica quædam castigandi corporis contentio: quare primo tirocinii anno, cavit, nè singulas verni jejunii ferias pane, & aquâ transigeret, sed octavo quoque die, & jam bis, jam ter in hebdomade, eâ jejunandi consuetudine uteretur. Sed usu ipso deprehendit, longè ab humanis distare divina consilia: Franciscus enim in varias incidit valetudines, quibus non aliâ ratione, nisi subductis, præter panem, & aquam, alimentis, mederetur. Quare Licander potestatem ei fecit, ut arbitratu suo jejunia institueret, & in corpore cruciando ipse sibi dux esset, atque consultor. Tum Franciscus carne perpetuò abstinuit, piscibus præterea, ac pomis, & dulcibus quibusque eduliis: tempora communibus jejuniis dicta, pane & aquâ toleravit. Cilicium nunquam posuit, quotidianis flagris plerunque aculeatis se mulctavit; somnum humi carpere consuevit, & nihil prætermittere, quo corpus cruciaret. Consuetudo tamen ejus jucunda, facilis, & ab omnibus expetita, sed cœlestibus respersa colloquiis, quorum suavitatem, divino ex fonte manantem, captabant omnes: ita autem assueverat divinarum rerum contemplationi, ut à Deo mentem sive loquens, sive agens, nunquam averteret. Inter cœlestia beneficia illud numeratur inusitatum, ac singulare, quod vir tantæ licentiæ paulò ante assuetus, nullos jam cupientis naturæ aculeos sentiret. Tirocinio exacto, Syracusas ire jussus est, ut sacram morum scientiam ibi doceretur: sed iis studiis Calatahieronem traductis, eò concessit: sed pedibus iter fecit; & additineris defatigationem, jumenti, quo vehendus erat, agendi laborem addidit; quem etiam auxit intimi cilicii, & ferreorum aculeorum dolor, quibus erat incinctus. Ea ex re supra quàm credi potest, delassatus, & omnino exinanitus Calatahieronem pervenit, ubi quum stare non posset, jacere coactus, brevi extinctus est, domesticis æquè, atque externis, ut ipse optaverat, parum cognitus, annos natus septem supra triginta. Repertum est defuncti corpus cilicio, ferreisque catenis involutum, quod sanctitatem ejus aliqua ex parte declaravit.

Abstinentiâ, & cruciâdi corporis studio clarissimus.

Rerum cœlestium contemplationi se totũ dedicat.

Nusquam ampliùs cupientis naturæ aculeos sentit.

Calatahieronẽ pedibus petit, ex quo convalescit, & brevi extinguitur.

XI. Luctuosum Mamertinæ Domui accidit funus P. Francisci Stagni: amputavit enim mortis properatio florenti ætate spes maximas. Genere amplissimo Messanæ ortus, anno 1588. Josephus Pater ejus egregiâ indole, summoque ingenio filium Collegii Mamertini doctoribus excolendum dedit: sed ex ipsis pueri moribus inusitatam elegantiam, & pietatem præferenti-

Francisci Stagni de Societate inenuda consilium.

Digitized by Google

tibus, facilè intellexit, eum ab humanis rebus, & munditiis alienum, seceſſum cogitare: quare puberem adoleſcentem modis omnibus ab ea mente avocare conatus eſt: quod quum Franciſcus animadverteret, patrem ſeriò admonuit, nè fruſtra malus eſſe vellet, Deoque injuriam inferret, qui quum ſex ei liberos largitus eſſet, in quibus quartam jam numeraret virilem ſobolem, ægerrimè laturus eſſet, quod unus ſibi, nec natu maximus, malis artibus negaretur: ſciret tamen divinis conſiliis obſiſti non poſſe. Quare ſtultum eſſet, in re neceſſaria malè potiùs, quàm bene mereri velle. His commotus Joſephus pater, vir ſanè optimus, & Societati addictiſſimus, filium ultro detulit. Itaque quarto Idus Octobres, anno 1603 Franciſcus Mamertino Tirocinio ſe addicit, anno ætatis quinto, & decimo, ibique P. Hieronymo Lombardo tam accuratè dedit operam, ut ex ejus diſciplina virtutibus omnibus eruditus prodierit, eaſque non retinuerit modò, ſed in dies auxerit. Deceſſit interea frater ejus natu maximus, cujus ipſe proximus eſſet hæres: & paulò poſt Joſephus Pater, cujus teſtamento Franciſcus minorum fratrum, atque ſororum tutor, & familiæ arbiter futurus erat: quare matre adnitente, octavo, ex quo Societatem inierat anno, ætatis tertio, & vigeſimo, in Patriam remeare juſſus eſt; ubi familiam ſapientiſſimè rexit, & ſenili prudentiâ fratres inſtituit. Sed Mater, quum rebus agendis Franciſcum maximè idoneum comperiſſet, nihil non movit cùm per ſe, tum per alios, precibus, officiis, pollicitationibus, ut eum à Societatis diſciplina ad domeſtica negotia revocaret, & ſtrenuè negantem, aſſiduis lacrimis ad defectionem compelleret. Ille verò conatus ejus denique fregit, & coram denunciavit, tam importunos materni amoris impetus eò pertinere, ut filium nedum domi, ſed neque Meſſanæ diutiùs haberet. Si pergeret moleſtiam inferre, & verbum ea de re ampliùs faceret, peregrè ſe abiturum, nè diutiùs in periculo eſſet. Eâ ſpe dejecta, ſolitudinis tædio alteras agitat nuptias, in quibus unum & alterum gignit filium. Franciſcus Vitricum nactus, qui familiam procuraret, ſtudiis emenſis, Meſſanâ abeſſe flagitat, & Philoſophicas artes Syracuſis magna cum laude tradit. Indè Calatahieronem, ubi tum Tertiani Patres excolebantur, miſſus, ibique diuturnâ valetudine tentatus, jubentibus medicis, ad natale ſolum remiſſus eſt: ubi nonnihil ſublevatus, lubentiſſimis fratribus, patrimonii ſui hæredem inſtituit Societatem, quam dominam, ac matrem ſuam publicis in tabulis vocari voluit. Sed paulò poſt, morbo ingraveſcente, titubantibus medicis, &

A Patre rèluctante tandem commeatū impetrat.

Bonos mores, quos in tirocinio hauſerat in dies auxit.

Matri ad defectionem eum eōpellenti ſtrenuè repugnat.

Meſſanâ abeſſe flagitat, ſed cōvaleſcens eòdē remittitur.

mo-

modò spem, modò metum offerentibus, ad diem quadragesimum vitam produxit. Pridie mortis ejus, fratribus quatuor ad se venire jussis, postridie se moriturum edixit. Quibus flentibus: *Si me amatis*, inquit, *mihi gratulamini, quòd in Societate morior: Deum metuite, & Societatem meam, ut majores vestri fecerunt, observate, atque diligite: id erit maximum vestri erga me amoris documentum.* Sequenti die quemadmodum prænunciaverat, dulcissimè conquievit, anno ætatis quarto, & trigesimo, Societatis undevigesimo.

Moriens, singulare gaudium declarat, quòd in Societate, ut prædixerat, moriatur.

P. Cæsaris Cossi Messanæ ortus, & res gestæ.

XII. Agmen claudit anni hujus defunctorum P. Cæsar Cossus, Troynensis, apud Rielam, sed rectiùs Messanensis, quemadmodum in Provinciæ Codicibus, libro sexto est adnotatum, & ipse suâ manu edidit in Codice Tironum, Tirocinii Mamertini; vir planè singularis, & propter insignem gubernationis scientiam, summa cum probitate conjunctam, ad supremum *Professorum* sacramentum ab Aquaviva evocatus, quod anno dixit; 1596 in Domo Mamertina, III Calendas Quintiles coram P. Josepho Blondo, qui tum Provinciæ magistratum gerebat. Natus anno 1546, parentibus non vulgaribus, sed opulentis Neapoli, atque Patavii adolescens Jurisprudentiam arripuit, & ut erat ingenio præditus alto, & amplo, in ea facultate maximè claruit: nam in Patriam regressus Patronum egit tantâ juris scientiâ, ut in ejus clientela fuerit Civitas ferè universa. Ludum etiam Messanæ publicavit, in quo magnâ juventutis frequentiâ Justiniani institutiones sapienter tradidit, & legum disciplinæ elementa ex Cujacio, egregiè versavit: accessit ad doctrinæ præstantiam summa fides, maxima integritas, eximia probitas: quare, flagitante Civitate, Messanæ quartùm jus dixit, neque quicquam fieri potuit eo judice, in definiendis litibus, aut secandis, justius, celerius, & ab omni cupiditate remotius. Tantæ virtutis famâ excitatus Marcus Antonius Colonna, qui tum Siciliæ prætura fungebatur; & Messanæ quum esset, atque in Tirocinio Mamertino, epulum tironibus dedisset, adessetque Cæsar Cossus: *Equidem*, inquit, *Cæsar latissimo te nuncio afficiam. Creavi te Magnæ Curiæ judicem* (qui amplissimus est universæ Siciliæ, summusque forensis magistratus) *& quod maximè tibi, mihique gratulor, nonnisi meritorum tuorum communi prædicatione commotus.* Cui Cæsar: *Gratias ago, Princeps, quòd me immerentem maximo tuo beneficio dignum putâsti. Obsecro te, nè invitum etiam, & de secessu agitantem ad subsellia ista adigas, quæ a meis consiliis sunt omnino aliena. Jamdudum Societatem Jesu cogito,*

Juris scientiâ apprimè eruditus, eam quartùm Messanæ tradit.

Amplissimo magnæ Curiæ magistratu abdicato, Societatem cogitat.

quod

quò me a fori fluctibus, atque periculis, quasi in salutis portum recipiam. Hoc est, quod maximè affecto beneficium, cujus si te deprecatorem præbere velis, nihil est, quod tibi magis debere cupio. Prorex collaudato secedendi consilio, operam suam pollicetur, additque, deprecatore opus non esse; quum Societas lucro apponeret, fieri sibi probi, doctique viri accessionem: qui ut adhuc de republica, ita deinceps de Societate optimè mereretur. Itaque Calendis Januariis, anno 1584, rebus omnibus se abdicat, aureos mille Tirocinio commodat, eà conditione, ut iis collocatis, qui exinde redirent fructus ei cederent: sed sors ad Domum Mamertinam perveniret, si quando ea conderetur: cui anno 1608 conditæ aureos item quingentos contulit. Quibus peractis, eodem die tironibus se adjicit; anno ætatis duodequadragesimo. Mirum fuit, quanto studio vir maturus, & actuosus, inter pueros repuerascere conaretur. P. Ludovico Ungriæ magistro suo totum se tradidit, & ab ejus institutione tam emendatus, & virtutibus omnibus instructus prodiit, ut non modò tirunculis, sed veteranis etiam perfectissimæ disciplinæ exemplum sese ostenderit. Quadriennio ex quo Societatem inierat vix exacto, tanta jam erat virtutis ejus opinio, ut post P. Andream Ungriam, Mamertinis tironibus instituendis admotus fuerit: eoque in munere triennium collocaverit: ab eo præsertim laudatus, quòd institutionem adhibuerit moribus, ac legibus nostris omnino consentaneam, non ut homo novus, & qui extra Societatem virilem ætatem exegerat, sed ut qui a teneris annis in disciplina versatus esset. Quod magnum fuit prudentiæ, ac sapientis animi specimen. Quater deinde per intervalla Collegii Mamertini magistratum gessit, bis per triennium, bis extra ordinem ad aliquot menses. Anno 1603 in Conventu Provinciæ designatus est ad Romana Procuratorum comitia, quæ quum adiisset, ab Aquaviva cognitus, magnoque in honore habitus, ut in Provinciam rediit, jussus est post Julium Mazarinum, Panormitanæ Domùs magistratum capessere, anno 1604, quem gessit usque ad annum 1608. Fuisse hunc ejus magistratum auspicatissimum, tradit Matina: nam & domum amplificavit, & Sodales SS. Cosmæ, & Damiani a vicinia amovit; & ædificationem instituit, & magnis amicorum legatis, ac largitionibus, & Templi supellectilem auxit, & rem familiarem explicavit: quæ omnia cum Deo magis, quàm cum hominibus agendo est consecutus: silendi enim, ac secedendi cupidus, & domesticæ disciplinæ custos assiduus, his artibus & utilem reddidit suorum operam, & Deum sibi promeruit. Sed

Societatem obtinet, & domum Mamertinam, & Tirocinii redditibus auget.

Nostrorum numero adlectus Societatis disciplinam mirificè arripit.

Mamertinis Tironibus regendis Magister designatus, eos juxtà nostras leges excolit.

Plures alios magno omnium plausu gessit magistratus.

Panormitanæ domùs clavum auspicatissimè retinuit.

in

in eo potissimùm laboravit, ut tanquam optimus paterfamilias de filiorum suorum non salute modò, & sospitate, sed commodis etiam satageret: quare de singulis ultro explorabat, nunquid re aliquà indigerent. Quum verò nec semel comperisset, fratrem quendam intimis non esse satis instructum indumentis, sua sibi detraxit, & reluctantem, ea ut sibi sumeret, compulit; quem morem in reliquis magistratibus constantissimè retinuit. Anno 1614 Domum Mamertinam regendam sumsit, & usque ad 1618 honorem continuavit. Bis in interregno Provinciæ præfuit: & quo tempore Aquaviva triumviratum illum instituit, qui Provinciæ negotia citra potestatem, dispiceret, atque curaret, tertia Provinciæ pars, quæ Messanam complecteretur, Cosso est demandata. Fuit ratio gubernationis ejus ingenua, mitis, æqua, & quæ paternæ caritatis abundantiâ maximè niteretur: sed efficax, assidua, atque indefessa, & quæ auctoritatem expromeret humanarum cupiditatum fæce purgatam: potestatem verò, nonnisi ostenderet, & ut ensem vaginâ contineret. Multus autem in hoc fuit, nè se magistratum gerente, novi aliquid, pravique moris irreperet, quem non ita facilè ejicias, & excludas.

Fratrem non satis instructũ intimo indumẽto; suo cõtegit.

Gubernationis ejus eximiæ dotes.

XIII. Consulebant eum viri gravissimi, doctissimique, & Mamertinæ Principes Civitatis. Fuit autem in consiliis administrandis tanta ejus certitudo judicii, ut eventu nunquam caruerit, quod ipse faciendum statuisset. Quare Senatus bis eum legatum magnis de rebus Catanam primùm, deinde Panormum misit, & utrumque negotium brevi, & ex sententia, & fide summâ, confecit. Ceterùm disciplinæ memor, & tenax Societatis, externa negotia refugere consuevit, nec nisi jussus, atque invitus suscipere, quod ad faustum eorum exitum plurimùm conferre arbitrabatur. Ejus vitæ conditio fuit erga se austera, aspera, atque difficilis: erga alios amabilis, accurata, sedula, & plena humanitatis. Quatuor, ut multùm, noctis horas quieti dabat: reliquas cœlestium rerum meditationibus, intimisque cum Deo colloquiis, quæ magna vis lacrimarum interdum comitabatur. Duabus ante alios horis evigilabat, neque quisquam in lectulo jacentem vidit, nisi infirmum; nam qui summo mane singulorum cubicula ad excitandum lustrat, de genu supplicantem semper reperit. Flagrum ex ferreis textum catenulis, nè verberum sonitus manaret, quiescentibus aliis, de nocte adhibuit: interdiu aut publicis aderat muneribus, aut in cubiculo abditus, libris, ac religionibus se involvebat. Singulis *Sabbathis* nihil coctum, calidumque unquam gustavit. Societatis

Ejus apud externos fama doctrinæ.

Quam vivendi consuetudinem in Societate obierit.

In eadem consuetudine constanter persistit

le-

Digitized by Google

leges ut tiro, ita senex, sed præsertim in magistratibus mirà navitate servavit: neque quicquam erat, utcunque minimum, quod negligendum putaret. Nulli unquam detraxit; nihil quod non esset commune admisit, Majores ut Dei administros verebatur. Nihil unquam petiit, nihil recusavit, nihil de quovis, vel de re aliqua questus est. His virtutibus cumulum addidit cœcitas, in qua biennium, admirabili tolerantià, versatus est. Paulò post, quàm e Mamertinæ domùs magistratu abiit, panniculus sese pupillis offudit, qui oculorum lumen extinxit, & legendi facultatem ademit. Eam calamitatem septuagenario jam major, æquo animo tulit, nisi quod sacrificio prohiberi, & divinas laudes recitandi usum intercipi, quibus unicè rebus, in vitæ ærumnis delectabatur, nonnihil interdum quereretur: matutinis tamen horis in Templum manu duci gaudebat, ut sacrificiis adesset, si non accederent, qui expiari poscerent. Sed Deus amicum suum cujus patientiæ periculum satis fecerat, ut alterum Tobiam, diutiùs in luctu esse non est passus: quum enim duos ea in ærumna annos exegisset, peregrinus quidam medicus Messanam appulit, qui ophtalmicus esse ferebatur. Hunc Cæsar, ut a Deo sibi missum accersiri jubet, rogatque, ut quibusvis remediis, atque doloribus, tantum sibi luminis impertiat, quantum ad immolandum, & divinas laudes recitandas satis sit. Ille pollicetur: sed robustos homines acciri imperat, qui caput immotum teneant; quoniam stylus esset oculis infigendus. Tunc Cæsar, nihil opus esse, ait, alienis viribus, quum ipse sibi sufficeret: quod & præstitit admirabili fortitudine. Ophtalmicus enim argenteam acum utrique oculo infixit, & nubeculam depressit. Cæsar non secus, ac si sensu careret, perstitit intrepidus, & sine motu, ac gemitu acutissimum cruciatum quàm diutissimè pertulit; & illico lucem adspexit, magnà omnium gratulatione, qui summo in dolore exultantem senem optimum, quòd ad sacrificandi spem accederet, nunquam satis mirabantur. Itaque sexto demum mense, lætitiis omnibus cumulatus, ad aram fecit, & videndi facultatem, atque immolandi consuetudinem ad mortem usque retinuit; quæ tamen non multùm abfuit: aliquot enim ab inde mensibus intestinis excruciatus, diuturnisque doloribus, mirà animi tranquillitate, qui superiorem omnem vitam, magno in salutis metu, & conscientiæ ambagibus, ac fluctuationibus egerat, fato concessit septimo idus Novembres, annos natus sex & septuaginta, quorum dimidium in Societate collocavit. Celebratum est domesticum funus ejus inusitatà ceremonià; nam Senatus Mamerti-

Cœcitatem admirabili tolerantià sustinet.

Argenteam acum utrique oculo infigi sinit, & ex ea molestissimũ dolorem intrepidus perfert.

Ad visûs facultatem omnium gratulatione restituitur.

Messanæ obit, & inusitatà ceremoniâ ei parentatur.

Digitized by Google

nus duodecim præmisit funalia, quæ circa feretrum arderent, & ipse est subsecutus magno cum comitatu universæ nobilitatis; & defuncti laudationem satis amplam, & eruditam habuit P. Carolus Cyrinus, & S. Basilii Nobiles Sodales cum insignibus adfuere, quòd Cæsar ei Sodalitio adolescens nomen dederat, & non mediocrem pecuniam contulerat, quà collocatà, annui proventus existerent. Dicenti Cyrino acclamatum est publicis, & communibus lacrimis, quibus extincti Cæsaris manus, pedesque maduere in ipso exosculantium tumultu, & quæ circa ipsum essent diripientium, neque pauca sunt pervulgata cœlestia beneficia, quæ, admotis ejus reliquiis, Deus impertivit. Præcipua sunt repentinæ quædam curationes, quas Pellizzerius memorat ad hunc annum pag. 124. Quare placuit Patribus Mamertinis, corpus ejus plumbeo loculo includere, & juxta aram Templi maximam, dextro latere terræ infodere. Trigesimo die, ex quo Cæsar humatus est, præclarissimi Paulani Patres, beneficiorum memores, quibus per eum affecti fuerant, in ædem nostram convenere, & cum concentu exequias integrârunt, addito privatis solemni sacrificio, quod lugubri ceremoniâ magnificè peregerunt.

P. Cyrinus defuncti laudationem habuit.

Plura, eo elato, sequuntur cœlestia beneficia, & corpus ejus plũbeo loculo includitur

XIV. Extant litteræ P. Andreæ Rendi Chii ad Antonium Fragatam anno 1624, V Calendas Junias datæ, quibus P. Cæsaris Cossi famam atque virtutem eò perlatam docet. Quum enim Frater Joannes Marchisius eam in Insulam Cæsaris indusium attulisset, narrâsset que quibus virtutibus, atque prodigiis Messanæ claruisset; Joannes Albanus, qui audierat, & Demetrium Patrem, parato jam feretro, & ceris, agentem supremas animas lugebat, accurrit ad Marchisium, indusium petit, Patris pectori admovet, qui sensus omnes amiserat, & magnà voce exclamat, monens, ut P. Cæsarem Cossum invocet, qui Messanæ anno superiore magna cum sanctitatis opinione decesserat. Ille, eo contactu a mortis veluti faucibus ereptus, & nonnihil recreatus, oculos aperit, indusium complectitur, & tanquam cœleste salutis pignus exosculatur: cibum sumit, & proximà nocte quiescit. Ut illuxit, adfuit vigilanti ipse Cossus, præclarà specie senex, qui, quinam esset rogatus: *Nunquid eum*, inquit, *non agnoscis, cujus indusium penes te habes? Bono sis animo: mihi salus tua cura erit.* Paulò post Cossus revertitur, cœlesti balsamo Albanum toto corpore inungit, atque restituit. Pervulgatus prodigii rumor, puellam Albani neptem luminibus altero jam anno captam, quòd afflata contagione fuerat, & oculos pestis invaserat, excitavit, ut Cossi

P. Cossi virtutum fama Chiũ usque perducitur.

Graviter decumbenti præclara sub specie senis adest Cossus, & sanitatẽ restituit.

Puella ejus indusio oculis admoto, cœcitate liberatur.

in-

Digitized by Google

induſi um flagitaret. Allatum, tridui præmiſſo jejunio, coram cognatis, & vicinia ferè tota, oculis adhibet, & e veſtigio lumina recipit, iis qui aderant, miraculum exclamantibus. Quæ quum Meſſanæ audita eſſent, & Rendi litteræ circumferrentur, nonnulla alia de cœlo beneficia collata ſunt, quæ feſtinantem ſatis eſt indicâſſe.

XV. Ad negotia Provinciæ pertinent, quæ apud Chium Inſulam, & Civitatem geſta ſunt. Erant tum ibi in Societatis domicilio ſex numero Sacerdotes, Fratres duo. Allatæ autem exinde ſunt P. Joſephi Balami litteræ pridie Junias, in quibus erat; in Inſula ſævire peſtilentiam, omnium, eà memoriâ, truculentiſſimam: tres Socios in oppido permanſiſſe, Sacerdotes duos, Fratrem unum, qui eis miniſtraret, ut morientibus adeſſent, reliquos in villas ſeceſſiſſe, nè ſe unà omnes periculo objicerent: ſed octavo quoque die ſtationem mutare conſuêſſe, ut integri feſſis ſuccederent: ſed P. Dominicum Stellam Chium, in oppido conſediſſe, & alternandi beneficio ultro carere maluiſſe. Subventum fuiſſe quamplurimis, qui Sacerdotibus diffugientibus, Chriſtianis ſacris deſtituti interiiſſent. Acceſſit, & claſſis turcica, quæ in Eubæa graſſantem contagionem refugiens, plurimos ſecum vehens remiges, & claſſiarios, peſte afflatos, Chium venerat, & metum auxerat, atque periculum Civitatis. Ardebant Chriſtiana mancipia, quorum inter remiges quamplurima verſabantur, expiandi animi deſiderio, & ad nos ventitandi, ſed per barbaros cuſtodes non licebat, niſi pretio veniam redimerent: inopes autem, & in vinculis ſolvendo non erant: quod quum noſtri cognoviſſent, pecuniam per fidos homines ſubmiſerunt, ut e ſingulis triremibus, poteſtas fieret Chriſtianis, deſcendendi, & animi maculas apud nos expurgandi, quorum plerique paulò poſt peſte correpti, extinctique ſunt, inter quos ſceleſtiſſimus quidam fuit, qui diuturna in ſervitute, nullum fuit flagitium, quod non admiſerat, neque unquam culpas expiaverat, & Chriſtiano nomini probro erat. Hic confeſſione luſtratus, quam flens, & pronus peregerat, in triremem reverſus, eàdem nocte peſte tentatus, poſtridie periit. Sed P. Dominicus Stella, cujus præcipuus fuit in ea calamitate labor, & ſingularis induſtria, in eximiæ caritatis officio virus anhelitu hauſit, & magno omnium luctu, annos natos duos ſupra quadraginta triduo decubuit, & quum nonnihil ſublevatus videretur, repentè exanimatus concidit. Quatuor Votorum ſacramentum, anno 1617, coram P. Joſepho Balamo, qui domicilio præerat, Chii dixerat: & tam emendatè, atque ele-

Truculentiſſima peſtilentia Chium invadit.

Noſtrorum ea in clade caritatis officia.

Chriſtianis mancipiis operam ſalutariter præſtant.

Sceleſtiſſimus quidam confeſſione luſtratus piè moritur.

ganter in Provincia vixerat, ut tali exitu, florenti adhuc ætate dignus inveniretur. Filius fuit hic P. Franciſci Stellæ Chii, qui quum Meſſanæ mercaturam diu feciſſet, dediſſetque duos liberos Societati, jam natu grandis uxori, & filiabus perſuaſit, ut in S. Barbaræ cœnobium ſecederent, ſeque Deo manciparent; ipſe filios ſubſecutus Societati ſe addixit, Domum Mamertinam hæredem ſcripſit, & in ea a Collegio mox ſegreganda, anno 1606 Sacerdos ſanctiſſimè vitam clauſit.

Cœleſtis Cuſtos adoleſcenti inſe graviter cōſulenti occurrit.

XVI. Cœleſtis genii facinus, quem *Cuſtodem Angelum* vocamus, commemorare non piget, quòd mores habet, & ſingularem eventum. Meſſanæ non vulgaris quidam adoleſcens magnarum ærumnarum concurſu exagitatus in ſe graviùs conſulere conſtituerat, jamque extra mœnia ſolum quærebat locum, ubi ſine arbitris ſibi manus afferret; & vitam ferro finiret. Properanti occurrit elegantiſſimà ſpecie juvenis, qui oculos in eum conjiciens: *Quò tendis*, inquit, *infelix? quo te abripit inſanus furor? Vertere te jubeo greſſus, & mecum ad Societatis ædem venire, ubi paratum invenies Sacerdotem, qui ærumnarum tuarum caput amputabit, culpas ſcilicet; quibus te jampridem obſtrictum non ignoras*: quæ quum pro imperio, & magnà vocis, atque oris conſtantià pronunciâſſet, non auſus eſt adoleſcens præcipienti obſiſtere, ejus præſertim formà, & frontis dignitate victus, atque pacatus. Inter eundum dexterum ejus latus tegebat juvenis, docebatque, quà ratione peccata exponeret, quos animi motus excitaret, quam vitæ emendandæ voluntatem afferret. Ut ad ædem Societatis ventum eſt, ad Sacerdotem, qui tum confeſſiones excipiebat, eum deducit, & dum aditum expectat, clientem monere pergit, qui audit, & ſermonem conſerit. Sacerdos interea animadvertit, colloquentem quaſi cum alio adoleſcentem; quem ſolum videns, & vultu, oculis, geſtu, voce colloquium trahentem, inſanum putat: accedentem denique rogat, quid rei eſſet, quòd ſolus tandiu ſermonem duxiſſet, tanquam alium audiret, & ab eo audiretur. Cui ille, & inferendæ ſibi necis conſilium, & quæ ſunt conſecuta aperit: interrogatus, quo vultu, qua ſpecie, quibus indumentis juvenis ille fuiſſet; reſpondit, omnia ejus, faciem, vocem, habitum, veſtes, cœleſtia fuiſſe, & quæ humanis verbis declarari minimè poſſunt: denique, ut fuerat edoctus, peccata exponit, & verba miſcet lacrimis, atque ſingultibus. Quare Sacerdos expiatum dimiſſurus, admonet, ut beneficii memor Cuſtodi ſuo cœleſti gratiam habeat, quòd oſtento ſibi ſubvenerit, & a turpiſſima nece ereptum Chriſto conciliandum curaverit.

Eum docet quà ratione peccata exponat, & ad noſtram ædem deducit.

Noſtro Sacerdoti magno fletu peccata exponit.

Expiatus dimittitur, & Chriſto conciliatur.

Glo-

Digitized by Google

1623

XVII. Glorioſus Provinciæ accidit annus 1623 ex victoria, & triumpho P. Hieronymi de Angelis, cujus propter illuſtrem mortis conditionem, primo loco meminiſſe præſtat. Ortus eſt Ennæ in antiquiſſimo Siciliæ oppido, quod ejus umbilicum Tullius dixit, anno 1567. Quum Panormi juriſprudentiæ daret operam Societatis votum concepit, quam anno ætatis duodevigeſimo in tirocinio Mamertino amplexus eſt: ubi Japonicæ peregrinationis labores, atque pericula flagitare cœpit, & quum Theologicas artes addiſceret, nondum Sacerdos, impetravit. Uliſipponem quum veniſſet, anno 1596, ibique Sacerdotio initiarentur, qui comites navigationis futuri eſſent, ipſe parum cognitus, neglectus eſt, quòd ad domeſtica officia deſignatus crederetur: neque tamen ſe prodidit, aut verbo queſtus eſt: quod maximum fuit temperantiæ ejus ſpecimen: quum præſertim non ignoraret, quàm difficile futurum eſſet, extra Europam eo gradu inſigniri: itaque Sacerdotio carens, & adjutoris inſtar fratris habitus cum P. Carolo Spinola, cujus præclarum eſt nomen in faſtis Societatis, quarto Idus Apriles Uliſippone ſolvit. Proſperâ uſus eſt navigatione uſque ad Bonæ Spei promontorium, ventis ferentibus. Sed ibi quum in conſpectu eſſet Angola, navis in ipſo curſu clavum amiſit, neſcio quo caſu comminutum: quare prorâ conversâ, & venti ductum, ut neceſſe erat, ſecuta, Braſiliam attigit, & XVII Calendas Sextiles apud Omnium Sanctorum Stationem, & Civitatem Hieronymum expoſuit, qui menſes ibi quinque conſedit, & in ea commoratione finitimas Luſitanorum colonias concionando peragravit, atque ad Chriſtianæ frugis officia compulit. Nautæ malè materiatum navigium mercibus onerant, & in Luſitaniam cum Hieronymo, & Spinola remigrant, Martio ineunte anni 1597: neque tamen curſum tenent; obortà enim fœdiſſimâ tempeſtate, navem jam fatiſcentem, & occultis rimis aquæ perviam fruſtra exonerant, & vento permittunt, cujus impetu malis disjectis, deterſiſque armamentis, triduo jactantur, inediâ, & aquæ diu noctuque exhauriendæ defatigatione confecti: quare in Americam rejecti, Aprili menſe, Portum, quem ajunt Divitem, appellunt. Unde Hieronymus nonniſi quinto poſt menſe navigiolum nactus conſcendit, Uliſipponem reverſurus. Sed juxta Inſulas Fortunatas in Anglum Piratam incidit, quem poſt ſæviſſimam aliam tempeſtatem, ut illuxit, ſibi imminentem conſpicatus, vitare non potuit. Itaque amiſſis rebus omnibus, in ſervitutem abductus, eo in curſu a præſentiſſimo vitæ diſcrimine ereptus eſt: quum enim piratica navis validiſſimo

P. Hieronymus de Angelis Japonicam peregrinationē petit, & impetrat.

Singulare ejus tēperantiæ ſpecimen.

Uliſſippone ſolvens periculoſiſſimâ utitur navigatione.

Navem tempeſtas in Americam rejicit.

In Anglos piratas incidit, & imminenti naufragio eripitur.

mo

mo austro ferretur nonnihil repentino impetu in latus procubuit, in quo Hieronymus versabatur, & imprudentem excussit: neque piratæ Heterodoxi, qui vitæ ejus ægrè peperçerant, gravatè ferebant, si Hortodoxum, & Jesuitam casus opprimeret: quare nemo fuit, qui funem demitteret, aut ullà ratione sublevandum curaret. Sed Deo curæ fuit, quem ad Japonum salutem destinaverat, conservare: nam Hieronymus in ipso lapsu altè demersus, atque depressus infra imam carinam, juxtà aliud navis latus nandi expers emersit, ex quo per funem receptus est: quod quemadmodum in tam rapido cursu, fieri potuisset, nemo assequebatur: in Angliam delatus varias passus est ab hæreticis periculorum, & ærumnarum vicissitudines, quibus fortiter perfunctus, sibique redditus, Ulisipponem denique, nauticis usus indumentis, iis detritis, per initia anni 1598 cum Spinola pervenit, anno secundo, ex quo inde discesserat. Sed alia ex aliis existunt gravissima incommoda, atque pericula. Flagrabat tum enim Ulisippone dira pestilentia, quæ Societatis domum ita invaserat, ut ex quinquaginta sociis decem numerarentur incolumes: reliqui gravissimè decumberent. Hieronymus vix ex inedia, & nausea recreatus, admirabili caritate, & vitæ contemptu unà cum Spinola domi, forisque morientibus aderat, & obsequia omnia indefessus administrabat. Quod quum Lusitani Patres admirarentur, Spinolæque gratularentur, quòd incomparabilem secum fratrem haberet; Spinola quis Hieronymus esset aperuit, quo ingenio, quibus studiis, quà doctrinà, quà virtute adolescens, qui tantà fuisset temperantià, ut anno superiore absque querela, altèque silens, Sacerdotio, quod maximè deberetur, caruisset. Eà re magno in honore habitus, & sacris illico initiatus, eò impensiùs, & utiliùs languentibus ministravit, ad idus usque Martias sequentis anni 1599. Tum enim sæviente etiamnum contagione, se iterum cum Spinola mari commisit; navimque conscendit, quæ in tali rerum omnium perturbatione satis expurgari non potuit: quare pestis unà conscendit, & quindecim viros extinxit: sed circulo æquinoctiali transmisso, resedit: alii tamen gravissimi exorti sunt morbi, ex quibus septuaginta sunt externi desiderati, ex nostro autem numero admodum quinque: tentati verò sunt ferè omnes, qui eà navi vehebantur. Omnibus Hieronymus, & Sacerdos, & Medicus, & famulus, & coquus fuit, incredibili alacritate lætus, & integer. Sed ultra citraque Bonæ Spei promontorium bis naufragio proxima navis fuit, ventis furentibus, & carbasa dilacerantibus; corruptumque est genus

In Anglos piratas incidit, & gravissimum in mare demersus vitæ periculum subit.

Ulisippon em reversus ad cõtagiosorum officia descendit.

Ulisippone sacris initiatur.

Se iterum mari committit, novisque laboribus conficitur.

nus omne cibariorum, olida etiam aquâ, & turbida, & vermibus propemodum densâ. Quinto demum menſe, ut celeri, ita ærumnoſiſſimâ navigatione Goam deſcendit; ubi ſubſtitit ad Calendas Apriles anni 1600: inde Malacam, & anno ſequenti Macaum venit: denique anno 1602 Japoniam attigit, quaſi ad votorum metam, & laborum initium, anno ferè ſeptimo ex quo Provinciâ deceſſerat.

Goam tandem attigit inde Malacam, inde Macaum petiit.

XVIII. In Japonica lingua arripienda annum conſumpſit, quam deinceps uſu ipſo tam egregiè eſt aſſecutus, ut & in Japonia natus videretur, & ejus tradendæ doctor noſtrorum deinceps fuerit. Prima caritatis ſtipendia in Cami Regno, Fuſcimi, quæ tum imperii ſedes erat, magno fecit Chriſtianæ rei incremento. Poſt aliquot deinde annos alia ad orientem Solem regna excoluit, & per impediſſimas difficultates, quas nemo alius explicâſſet, Sarungæ Societatis domicilium conſtituit. In Jendi exinde Regnum ſe contulit, unde alio vix condito Domicilio, exire coactus eſt, ſeque Sarungam recipere. Inde etiam ejectus, Meacum venit, ibique ſubſtitit ad annum 1614. Tum Daifuſamæ edicto Religionis Chriſtianæ adminiſtris aquâ, & igni eſt interdictum. Hieronymus Nangaſacum ſe recipit, & exulantibus reliquis, a majoribus impetrat, ut fallens, & errans in Japonia permaneat, nè religionis alumnos tanto in periculo deſerat, & ſi quis caſus necem offerat, ſtrenuè ſubeat. Poſitis itaque conſuetis domeſticæ diſciplinæ indumentis, Japonum more amictus Camum repetit: ubi agnitus & in vincula conjectus, parum abfuit, quin capite plecteretur. Sed nobilium quorundam amicorum officiis vitâ & libertate, eâ conditione donatus, ut confeſtim Japonia totâ faceſſeret; per occultos tramites militari habitu eòdem regreſſus, Chriſtianis militibus, qui apud Ozacam ſub ſignis erant, ſeſe immiſcuit, ut eis Chriſtiana officia impertiret. Medias deinde inter eurum, & boream Japoniæ regiones luſtravit, & Scindai parumper commoratus, quæ ampliſſima eſt in imperii finibus Civitas, ex qua eſt aditus in immenſas Giezi regiones, quibus nulla unquam religionis lux affulſerat; eas ab anno 1615 ad 1621, tanquam Chriſti præco luſtravit. Ibi plura Chriſtianorum millia, apud Tzugarum, inhoſpitam regionem exilio compulſa, ut inopiâ conficerentur; rebus omnibus juvit: montes aſperrimos pedibus ſuperavit, frigore interdum, atque inediâ extenuatus, & gravi manticâ onuſtus, Simonis Jempi famuli ſui ſequelam ſimulans, & famulatum, nè a cuſtodibus agnoſceretur. Vaſtiſſimas penetravit ad Provincias, Findadoni, Cangeſaci, Monda-

Japonica regna ſacris peregrinationibus excolit.

Daifuſamæ edictum adverſus Chriſtianæ religionis adminiſtros.

P. Hieronymus Giezi regiones luſtrat.

Labores iis in peregrinationibus impenſi.

Digitized by Google

gami, Nambi, & Sungari. Item ad Regna Devæ, Giecingi, & Sandi: Tartariam denique ad Boream, de qua propter immensam regionis amplitudinem, nondum satis convenit inter terrarum orbis mensores, insulane sit, an continenti adhæreat. Hos ille terrarum tractus, & flumina, & montes, & siderum conversiones, tantà accuratione percurrit, & adnotavit, ut & tabulas primus omnium confecerit, & locorum nomina appinxerit, & dimensiones adjecerit. Quod verò ad rem Christianam attinet, quòd solus inter barbaras gentes versaretur, nonnisi pauca superant industriæ, ac navitatis ejus vestigia; constat enim uno in Regno ad decem hominum millia per eum Christo conciliata, & florentes Christianorum colonias constitutas, quibus excolendis assiduis nunciis, ac litteris, officii sui adjutores impetraverit. Extant eorum Christianorum ad Paulum V litteræ, mense Septembri datæ, anno 1621, quibus P. Hieronymi de Angelis illustrem operam, & in se collata infinitis laboribus, & incommodis beneficia commemorant, atque commendant. Item Urbani VIII, ad quem eæ litteræ, Paulo extincto perlatæ sunt, rescriptum, IX Calendas Junias datum, quo eorum studium collaudat, & gravissima dilecti filii Hieronymi de Angelis erga eos, & religionem merita fuisse ostendit. Iis in regionibus septennium quum posuisset, tulissetque incredibiles vitæ ærumnas, tecto, lecto, cibo, indumentis, rebus omnibus destitutus; & pannosus atque famelicus gelidas noctes, frigidissimis anni temporibus, per avia itinera sub dio egisset, ad necem quotidie conquisitus; postremò ad Jendi Regnum, anno 1622 est evocatus, ubi religiosum ardebat veluti civile bellum, & Christi milites majestatis postulabantur, quòd Christianam religionem assererent. Igitur quum omnia in periculo, ac metu essent, accitus est P. Hieronymus, qui linguà, ingenio, & consilio promptus, atque in ejusmodi ærumnis exercitatus, & titubantes confirmaret, & custodias inviseret, & quæ opus essent incognitus administraret. Mirum quàm utilis fuerit ejus industria in communi calamitate. Biennium fefellit: & tamen singulari sagacitate, locis, ac rebus omnibus aderat: tantumque injecerat popularibus Christianis subeundæ pro Christo necis desiderium, ut ægrè ab iis impetraretur, nè se proderent, & ultro ad cruciatum, & mortem traderent. Sed anno demum 1623, Novembri mense delatus est apud rerum capitalium judicem; & indicata Leonis cujusdam domus, in qua lateret. Ipse rem odoratus aliò se recipit. Eo non reperto, Leo capitur, & torquetur, ut de eo fateatur. Tormentis victus fa-

Quodnam fuerit Christianæ rei incrementũ.

Ad Jendi regnũ evocatur, ut Christianos titubantes confirmet.

Urbanus VIII. P.M. gravissima Hieronymi merita declarat.

Christianos ad subeundam pro Christo necem excitat.

Digitized by Google

fatetur Hieronymum apud se fuisse; negat domi suæ jam esse, aut se scire, quo in loco lateret. Detinetur tamen, & supplicio addicitur, nisi enunciet, quò ille se abdiderit. Quæ, ut cognovit Hieronymus, nè cum aliorum periculo sibi caveret, néve junioribus Christianis metûs, atque vecordiæ, aut suspicionem, aut exemplum offerret; ultro se Prætori dedere constituit, & Leonem vinculis, ac metu solvere. Prætor animi fortitudinem admiratus, in vincula conjici jubet, & tertio Nonas Decembres capite damnatum unà cum aliis undequinquaginta Christi athletis igne cremari mandat; & titulum sententiæ præferri: *Hi omnes igne necantur, quòd Christiani inventi sunt*. Producti flammis concremantur. Hieronymus palmarum, & triumphorum spectator, pridie Nonas supremus interiit, & exanimatus in genua concidit anno ætatis sexto, & quinquagesimo, duodequadragesimo ex quo Societatem injerat, vigesimo secundo ab ejus in Japoniam adventu, duodecimo postquam vota quatuor professus fuerat. Consumpto reliquo corpore, capiti flamma pepercit, quod integrum est receptum, & in Collegio Macaensi sedulò custoditum usque ad annum 1659. Tum verò P. Simon Decugna, qui summum in Japonia, & Sinis magistratum gerebat, venerabile pignus P. Philippo Marino Januensi, Collegii Macaensis Rectori, Romam venienti, dono dedit, scrinio clausum, & obsignatum. Eo in itinere res miraculo proxima Marino accidit. Quum enim Macao Ulissiponem appulisset, & inde terrestri itinere, Lusitaniam, Hispanias, Gallias, & magnam Italiæ partem transcurrisset, & pluribus in locis Portitores viatorias ejus arculas, & quidquid secum veheret accuratè reserarent, ac scrutarentur, portorii causà; unum omnes neglexerint, non parvæ molis scrinium, in quo P. Hieronymi caput servabatur, quasi eorum oculos, & sagacitatem effugerit, nè resignatum publicæ fidei auctoritatem amitteret. Ennensis Civitas, cognito Marini adventu, penes quem sacrum esse depositum fama vulgaverat, P. Joannem Paulum Olivam, qui universæ tum præerat Societati, litteris requisivit, ut Alumnum Ennensem Patriæ concederet; neque ab eo non impetravit. Itaque Marinus ipse in Siciliam venit, & P. Hieronymi caput Ennam detulit anno 1662. Loculo reserato, repertum est venerandum pignus sine maxillis inferioribus: inhærebant tamen superioribus duodecim candidissimi dentes. Traditum est a Marino coram Ennensi Magistratu, & testibus, P. Joanni Mariæ Valguarneræ, qui Ennense Collegium administrabat, eaque de re publicæ sunt tabulæ confe-

P. Hieronymus capite damnatur.

Flammis crematus obit.

Caput a flammis liberum Romam defertur.

Ennensis Civitas sibi illud petit, & impetrat.

ctæ, quibus posteri docerentur. De rebus gestis P. Hieronymi de Angelis copiosè tradidit Daniel (*a*) Bartolus, & meminere Riela, Matina, Tornamira, Nadasi, Juvencius, Alegambe, Annuæ Societatis (*b*) Japonicæ, Franciscus (*c*) Crispus, Anton. Franc. (*d*) Cardim, Bartholomæus (*e*) Guerrerus, & alii passim Soc. rerum Scriptores.

(a) *Bartolus de Reb. Japon. lib. 4. ad annum 1623. pag. 181, & seqq.*
(b) *Ad an. 1620 & seqq.*
(c) *Franc. Crisp de Regia Japoniæ ann. 1624.*
(d) *Elogia Japoniæ.*
(e) *Barth. Guerrer. Cron. Lusitaniæ part. 4. cap. 29.*

P. Barnabæ Lermæ obitus, & virtutes.

XIX. Decessit in Domo Panormitana, tertio idus Januarias P. Barnabas Lerma, apud extremos Turdetanos in Hispania natus, qui adolescens Hispanam militiam secutus est, & inter præsidiarios milites Messanæ diu versatus, ducem, & armorum genus mutavit: nam anno ætatis vigesimo secundo ad meliora castra se contulit, & in tirocinio Mamertino Christo se addixit. Ingenuum sortitus est a natura, & simplicem animum, & aulicorum artibus parum idoneum. Quare in Oxunæ Ducis Siciliæ Proregis aula plurimùm expetitus, & negotiis admotus, nonnullorum ingenia, & Ducis ipsius difficilem naturam nonnihil offendit; nunquam tamen excluſus, sed propter eximiæ virtutis opinionem perpetuò adhibitus, perpetuas etiam molestias constanter tulit, & turbulentos aulæ fluctus sustinere fortiter maluit, quàm nimis sapienter ultro declinare, atque secedere. Ceterùm insignis sui contemptor, & osor, corporis non modò commoda neglexit, sed ærumnas, atque molestias in optatissimis rebus habuit. Annos ferè quadraginta in Panormitana Domo optimè meruit, & templi ejus supellectilem, corrogatis undique subsidiis, magnificè amplificavit, neque quicquam retinuit, quod in privatos usus converteret: nihil enim eo pauperius fieri potuit. Obtemperandi studiosissimus, si quid a majoribus agendum, aut dicendum juberetur, non sui esse judicii statuebat dispicere, quæ exinde manatura essent incommoda; ajebat namque, se prudenter effecturum, quæ fortè imprudenter injuncta essent. B. P. Ignatii religione quàm maximè tangebatur. Peractis eà, quà diximus, magnificentiâ sacris ejus honoribus, quasi jam nulla esset causa, cur diutiùs vitam traheret, cum Simeone ceciniſse traditur: *Nunc dimittis servum tuum Domine*. Itaque paulò post septuagenarius brevî peremptus valetudine, conquievit.

Insignis sui contemptor, & osor.

Illustris ejus obedientia, & paupertatis amor.

Epulum a Mortificatis Sodalibus pauperibus paratum.

XX. Quod attinet ad negotia Collegiorum, & domuum Provinciæ, pauca hoc anno adnotata comperio. Quo die S. P. Ignatii quotannis solemni ceremoniâ natalis colitur, severioris disciplinæ Mariani Sodales, quos *Mortificatos* vocant, in atrio Domûs Mamertinæ, ducentis pauperibus lautissimum dedere epulum; mensis eleganter ornatis, & instructis, appositа sunt fer-

Digitized by Google

se rcula argenteis pateris, & ipsi ex præcipua plerique nobilitate linteati, ac capite aperto, ut famuli Heris ministrârunt, spectante populo, & magnum exinde Christianæ temperantiæ, ac misericordiæ exemplum capiente. Prandio soluto, permissæ sunt convivis reliquiæ, & singulis stipes impertita, ut familias recrearent. Nostri etiam ter publicis custodiis, quæ quadringentæ numerabantur paratas epulas detulerunt, & accumbentibus ipsi appositerunt: quod & Collegii Patres, Fratresque longo ferentium agmine, ter etiam fecisse constat. Mario Cyrino Messanensium nobilissimo, qui Roccæ Amatoris Sacerdotio potiebatur, permissa est ara maxima Templi Domûs Mamertinæ, eâ conditione, ut in ea ornanda tria aureorum millia erogaret; quare ejus extruendæ, & opere marmoreo concinnandæ, primum lapidem magno apparatu jecit. Josephus Granata Civis Messanensis, morti proximus, Scribam accersiri jussit, ut fortunarum hæredem Domum Mamertinam nuncuparet: sed domesticorum sive fraude, sive indiligentiâ, tabulæ non sunt obsignatæ: ipse moriens coram conjuge, & testibus pronunciavit, velle se hæreditatem omnem ad Mamertinam domum pertinere, & in ea voluntate decessit. Res ad litem vergit: contendebat enim extincti frater, eum intestatum decessisse: quare P. Benedictus Moletius, qui Domui præerat, litem secare maluit, & cum Granata fratre transegit. Itaque ex ea hæreditate duo aureorum millia ad domum pervenerunt. In Collegio Drepanitano P. Cæsaris Bosci, qui ei præerat, operâ, data est in Templo latina S. Eustachii tragedia, quam scripserat Petrus Angelus Girgentius Panormitanus, Humaniorum litterarum ibidem doctor. Bis est reposita Octobri mense cum elegantissimis episodiis, & maximâ frequentiâ, ac gratulatione spectata. Additus eodem mense, quum studia integrarentur, consuetis doctoribus P. Bernardus Crescentius Agrigentinus, qui primus omnium *Moralis Theologiæ* disciplinam tradidit, centum ferè auditoribus ad eum quotidie confluentibus. Drepani item vivere desiit Silvia Locadella, summo genere, ac pietate matrona, quæ Collegio Drepanitano pinguem legavit hæreditatem: nempe Fartasianum, rusticum prædium, ex quo aurei mille annui redire solent, & ædes nonnullas, & suppellectilem amplissimam.

Nostri etiam publicis custodiis ministrant.

Josephi Granatæ erga domũ Mamertinã munificentia.

Pinguis hæreditas Collegio Drepanitano designata.

XX. Fatalis Siciliæ illuxit annus 1624., pestilentiâ commemorabilis. Drepanum peregrina navis appulerat Idibus Maji, quæ captivos Christianos, in Africa redemptos exposuit, infectasque insuper merces. Panormum deinde Majo exeunte, ve- 1624

venit; ubi reliquas merces distraxit. Utrobique, medicorum indicio, denuntiatum est, pestem invectam: exitiales enim serpebant febres, quæ altero die virulenta ulcera ostendebant, quæ medici Carbones dicunt; tertio perimebant: quare Panormi justitium indictum X Kalendas Quintiles, publica gymnasia dimissa, interdicta ultro citroque commeandi facultas, cautum est, ne mulieres domo pedem efferent. Designati Principes Civitatis, qui cum urbanis militibus portas custodirent: edictum est, nè fierent cætus hominum: duo valetudinaria extra mœnia constituta; extra portam Accarensem, alterum in S. Luciæ Vico, juxta mare, quo contagione afflati se reciperent, & curarentur. Coacti in locum unum mendici, nè vagarentur, & publicè aliti; eorum, quos pestis afflâsset domus, stipatæ custodibus, nè quid inde manaret, & utensilia igni consumpta. Comperto autem, quod ea lues, non aeris vitio, & corrupti cœli haustu irreperet, sed Africano illo navigio unà cum mercibus importata, grassaretur; navigio exonerato, atque depresso, merces, & armamenta combusta sunt: nuncii interea, quemadmodum fides publica posceret, in omnem partem, ad finitimas etiam Italiæ Civitates dimissi, quibus periculi admonerentur, ut sibi consulerent. Drepani non absimili curâ publico malo itum est obviam, nisi quod nullum extra mœnia valetudinarium est excitatum: sed egregia fuit P. Cæsaris Boscì, in publica, ac maxima calamitate sedulitas: nam ex omni suorum numero, qui morientibus adessent, duos destinavit Sacerdotes, P. Bernardum Crescentium, & P. Petrum Mulcum Bisbonensem, totidem fratres, Joannem Trigilium Milillensem, & Franciscum Rizzum Drepanitanum, hos a reliquorum consuetudine segregavit, eisque scholarum atrium, ubi habitarent, constituit: mandavitque, ut ad infirmos, exeuntibus Sacerdotibus, fratres præcederent, qui tintinnabulis obvios cives admonerent, ut quà eundum esset, secederent. Domesticas verò res ita composuit, ut si fortè Collegium invaderet pestilentia, non imparatum offenderet: libros enim, & pretiosam supellectilem secreto in loco condidit. Conclave designavit, & rebus omnibus instruxit, quo ii seorsim ab aliis collocarentur, qui pestem contraxissent, & ne quid incogitatum relinqueret, angulum in extrema horti domestici parte delineavit, ubi peste afflati humarentur. Foris autem, populum excitandum censuit, ut Deum iratum pacaret. Ter cum suis nudis pedibus ad supplicandum prodiit. Semel, & iterum supplicationem instituit, ad Divinum illud Deiparæ Simulacrum, quod extra mœnia Carmelitæ magnâ religione tuen-

Pestilentiæ, quæ Siciliam invadit, Panormi occurritur.

Drepani contagiosis a Nostris cura impenditur.

P. Cæsar Boscus piis supplicationibus Deum pacare studet.

mentur: tertiò cum universis Sodalibus Marianis, atratis, & pedo mero incedentibus, ad maximè religiosam Christi e cruce pendentis imaginem, quæ apud Patres *Dominicanos* impensè colitur. Dedit etiam negotium Patribus Francisco Spuccio, & Placido Carnovalio, ut Civitatem quotidie lustrarent, & inopum familiarum inopiam pecunia sublevarent; ad quod misericordiæ officium exiit etiam ipse, & Patres omnes, Fratresque deduxit, qui cocta cibaria vicatim dispertirent. Ad hæc nè mulieres diebus festis sacrificio carerent, ad Templi valvas aram condidit, ut e proximis fenestris immolantem prospicerent: denique P. Nicolaum Cardium, egregium concionatorem prodire jussit reorum more, nudis pedibus, vepribus redimitum, reste collo injectâ, qui populum convocaret, & quando in templis non licebat, in foro, in porticibus, in plateis salutares haberet conciones, quibus culparum pœnitentia excitaretur, & in tanto salutis periculo, propitiandorum superûm cura injiceretur. Incredibile est, quam vehementes effecerint animi motus exclamantis Cardii adhortationes; inventus est enim nefarius quidam homo, qui quadragesimo jam anno animi scelera non expiaverat, neque in præsentissimo discrimine se respexerat. Hunc demum expugnavit Cardii facundia, & Christo conciliavit. His munitâ præsidiis Civitate, tertio mense pestilentia refrixit, & paulò post omnino conquievit, nostris incolumibus ad unum omnibus; atque iis etiam integris, qui divinas humanasque administrationes languentibus exhibuerant.

Inopum familiarum inopia sublevatur.

P. Nicolaus Cardius Drepanitanos ad pœnitentiam excitat.

XXII. Sed Panormi diuturnior, ac truculentior clades fuit: nam non plebejos modò homines afflixit, sed Principum etiam, atque potentium limina conscendit; & Proregem ipsum extinxit, Philibertum Sabaudiæ Principem, Philippi III Sororis filium, & Philippi IV jam regnantis consanguineum, universæ Hispanicæ classis Præfectum, tertio Nonas Augusti: neque nisi post tredecim ferè menses resedit, sed proximis duobus annis iterum, atque iterum recruduit, & Societatis in Panormitanos studium commendavit. Quàm strenuè, ac studiosè, in communi, ac publica ærumna benemerentissimæ Civitati subvenerint nostri homines, ex eo intelligi potest, quod in morientium obsequiis quinque numero hoc anno interserunt, tres Sacerdotes, Fratres duo, quorum ea sunt nomina P. Josephus Curtius, P. Josephus Zaferana, P. Hieronymus Calderarius, Jacobus Amatus, Petrus Corradinus: plures verò consequentibus duobus annis comprehendit, de quibus mox. Et sanè nil non

Panormi contagio truculentior grassatur.

exco-

excogitavit Senatus Panormitanus, quo veneniferæ contagioni mederetur: nam neque industriæ, neque pecuniæ pepercit. Medicos undique conquisivit, atque conduxit, quibus Civitatis regiones lustrandas constituit, binis singulas, ut & pestem, & pestis suspicionem indicarent; si quem eà contactum deprehenderent. Et nè eorum utensilia, quæ cremari oporteret occultarentur, pro eis æstimatione factà præsenti pecuniâ solvi jussit; relataque sunt in codicem expensa aureorum sexcenta millia. Sed cœlestibus remediis Deus reservaverat Civium salutem, & molestiæ liberationem. Quoniam verò divinæ opis administratio nostris præsertim hominibus est demandata, nonnihil eam ad instituti nostri rationem pertinere arbitror. Jampridem apud Siculos vetustissima fama inoleverat, Rosaliam Virginem, Marsorum Comitum sobolem, & Rogerii Regis consanguineam, sub initium duodecimi sæculi Panormi ortam, humanis rebus abdicatis, posthabitisque splendidissimis nuptiis secessisse, & in Quisquinæ primùm, deinde in Erctæ montis, (quem recenti ex Arabicis fontibus derivato vocabulo, nostrates Pelegrinum dixere) spelunca delituisse, ibique anno ferè 1160 solam, & incognitam, decessisse, & mortales exuvias reliquisse, quas tamen sive casus, sive cœleste consilium occultâsset. Depressum enim, atque limosum ea specus habebat solum, quod terrà pluviis ingestà sacrum Virginis Corpus paulatim, haurire potuit, atque humo contectum occultare; & frequentibus oraculis jamdudum ferebatur, eas reliquias non ante repertum iri, quàm Patria in gravissima versaretur calamitate, quæ iis effossis, & per Civitatem circumductis, deflagraret, & cives metu, ac periculo eximeret. Itaque superioribus annis tentatum sæpè fuerat, immissis fossoribus, antri solum, neque ullum unquam sese vestigium ostenderat latentis corporis. Sed rerum omnium auctor Deus, ita humana consilia, & eventus temperavit, ut effodiendi laborem Vitus Amodeus artifex Panormitanus integraret, quo tempore Africanum navigium unà cum captivis, & mercibus contagionem importavit. In ipso scrobis deprimendæ conatu informem offendit lapidem, quem terrà egestà, ad montis naturam pertinere arbitratus, animo concidit, neque ulteriùs frustra conandum sibi persuaserat: sed intimo quodam impetu instinctus, ut in incœpto perduraret, cum lapidem animadvertit adventitium esse, & humo infixum: quare terrà omni ex parte subductà, deprehendit, ad humanæ staturæ modum, ac magnitudinem esse dimensum: nam sex palmos in longum dabat, duos in latum, non absimi-

Panormitani Senatùs, ea in clade solertia.

Civium salus B. Rosaliæ exuviis reservatur.

Jordan. Cascinus in vit. S. Rosaliæ lib. 1. cap. 3. & seqq.

Eas reliquias Panormitani reperire tentant.

Viti Amodei constantià ossa tandem sacra reperiuntur.

simili crassitudine. Igitur quando fieri non poterat, ut integrum amoveret; upupa, & malleo comminuendum censuit, si fortè sub eo jaceret Virginis Corpus. Eà spe incitatus constantiæ fructum tulit: crebris enim ictibus palmare fragmentum dissiluit, quod tamen nullis viribus sublevari potuit, neque inde, quò exciderat, ullà ratione divelli; quamvis convocati quamplurimi robusti homines summà vi niterentur: tum verò non obscurum eluxit divinæ virtutis vestigium, saxum illud tuentis. Vitus admiratione defixus, & ostento perculsus, præfracti lapidis naturam accuratè explorat, videtque, facibus in speluncam illatis, candidissimi onychini marmoris ingentem molem, cui increta Ossa inhærerent: suspicatur, eum esse, quem vestigabat, thesaurum: Panormum mittit, qui Doriam Pontificem, & Senatum admoneat. Uterque lectos, fidosque homines montem jubet conscendere, qui omnia rimentur, specùs aditum custodiant, & turbam arceant, nè quid fraudis subesse contingat. Postridie unus adest e Senatoribus; reliquum saxum, eo spectante, malleis confringitur, apparent intus incrustata lapide Ossa, secundum longitudinem porrecta: Fragmenta omnia arcæ inclusa, & obsignata Panormum ad Doriam deferuntur. In ipso itinere Rosalia sua se luce prodere cœpit, admirabili ostento: nam qui modicum saxi fragmentum, neque elevare, neque movere potuerant, unius hominis impositam humeris, facillimè per aspera & devexa itinera vehi arcam, quæ universam saxorum congeriem librarum ferè mille pondo contineret, insigni miraculo assignabant.

Panormum ad Doriam Pontificem deferuntur.

XXIII. Doria sacrarum legum peritos, ac medicos convenire jubet; ut eorum consilio, decernere tutò possit, nunquid eæ B. Rosaliæ Virginis Panormitanæ mortales essent exuviæ, quas proponere ad venerandum liceret. Noctu res acta est: admotis facibus Ossa lapidibus indita inspiciuntur. Medicorum alii majorem suspicabantur vetustatem, quàm quæ cum B. Rosaliæ ævo congrueret; videbatur enim tanta lapidis concretio, stillantibus ex anno guttulis, & eâ duritie coalescentibus, octavo demum sæculo, fieri, aut naturæ artificio, aut, nisi divinà virtute, non potuisse. Subdubitabant alii essentne humani corporis ossa, quæ & ipsa in lapidem abierant, & pellucidi onychis naturam præferebant. Theologi verò monumentum aliquod, aut vestigium desiderabant, quod Christianam saltem religionem indicaret. Quare fluctuantibus omnibus, concilium dimittitur, & res ampliatur. Pervulgata interim reperti corporis fama erexerat Civium animos, & Civitatem exhi-

De eorum veritate inter Theologos, & Medicos disceptatur.

Ea inquisitio ampliatur, & pestis vehemétius ingravescit.

Digitized by Google

exhilaraverat: proxima enim affulgere spes cœpit omnium salutis. Sed Doriæ Pontificis in re tanta æqua cunctatio, molestissima accidit Panormitanis, quod commune remedium a Deo oblatum quodammodo repudiari arbitrarentur. Vehementiùs incendit publicum desiderium pestilentiæ gravitas, quæ ex XVIII Calendas Sextiles, quo die sacræ illæ exuviæ repertæ sunt, vires sumpsit, & quinque ferè hominum millia, quibus & Princeps est Philibertus annumeratus, brevi interemit: vulgus autem ita interpretabatur: iratam eà cunctatione Rosaliam, de ingratis civibus supplicium sumere, quod religionem ejus negligerent, & debitos reperto Corpori honores prolatarent. Ita quum omnia funeribus, luctu, conquestionibus complerentur, susceptit publicam Civium, & Rosaliæ causam P. Jordanus Cascinus, cujus doctrina, auctoritas, probitas, eruditis laboribus, atque vigiliis, rem impeditissimam explicavit, & cunctantium mentes ac voluntates in suam sententiam adduxit; anno ferè interposito: nam nonnisi undecimo mense, ex quo ambigi cœptum fuerat, negotium confecit; quemadmodum anno sequenti demonstrabimus.

P. Jordanus Cascinus Civium, & Rosaliæ causam suscipit.

XXIV. Redeo jam ad eos, quos Panormi in officio caritatis extinctos paulò ante memoravi. Chorum ducit Frater Jacobus Amatus Catanensis, qui florentes adolescentiæ annos in suburbano Valetudinario Christo devovit. Periculum primus omnium flagitavit, ac subiit, & in eo vitam posuit. Debebatur virtutibus ejus tam præclara mortis conditio. Impiger, laboriosus, habilis, obtemperandi cupidus, sui domitor, atque contemptor, ægrè adolescens impetravit, quod veteranis beneficio ætatis concedi solet, ut pestilentiâ infectis infima obsequia administraret. Paucos post dies luem contraxit, & XI Calendas Augusti, anno ætatis duodetrigesimo ibidem fato concessit. Repertum est circa defuncti pectus intimum cilicium, quod neque vivens, neque moriens unquam posuit. Tanta fuit apud externos sanctitatis ejus opinio, ut qui demortui corpus curavit, digitum religionis causâ amputaverit, & in religiosis rebus habuerit. Amatum postridie secutus est P. Josephus Curtius Panormitanus, qui eodem in Valetudinario febre tentatus, & in Domum Panormitanam propere delatus, altero die haustæ contagionis signa edidit, cujus vi peremptus est, quinquagenarius. Præfuit Domui Plateensi anno 1605, & Collegio Syracusano anno 1615; a mansuetudine, suavitate, & paternâ caritate maximè commendatus. Conscribendis epistolis Provinciæ præpositos quinquennium adjuvit. Domesticis curis solutus,

Jacobi Amati lue percussi obitus, & virtutes.

In contagiosorũ officio P. Josephus Curtius perimitur.

tus, Domui se addixit Panormitanæ, & pauperibus sublevandis tantopere insudavit, ut inopum Pater, & altor audierit. Proximus his in eadem Domo Panormitanâ, peste afflata, occubuit Frater Petrus Corrodinus Panormitanus, qui statim ac lue se correptum sensit, septimo se die moriturum prænunciavit, quo postea extinctus est. Domui Panormitanæ apprimè utilis, ejus templi cultum annos curavit quamplurimos, magnâ probitatis, & industriæ commendatione. Ultimus vitæ actus superioris ætatis pietatem, & religionem clausit, & declaravit: nam quum fatalem horam impendere intelligeret, in genua provolutus, pronus in faciem procubuit, & Lauretanas Deiparæ laudes recitavit: atque in eo statu, ac voce exanimatus est, annos natus tres, & quinquaginta. Succedit P. Josephus Zafarana Messanensis, qui quum quindecim continentes annos munera Societatis in Domo Panormitana strenuè obiisset, pestilentiâ ingruente, ægris adesse voluit, & dum Mariani Sodalis confessionem exciperet, eodem morbo percussus, sublatusque est XIV Calendas Septembres; anno ætatis quinto supra quinquagesimum. Ibidem denique Nonis Septembris anno ætatis duodequinquagesimo elatus est, P. Hieronymus Calderarius in Oppido S. Marci ortus, quod alii Agathyrrum, alii Aluntium, alii Calactam dixere. Sacerdos, & Sacrarum Litterarum Doctor, anno 1602, Societati se aggregavit. Morum suavitate, & omnibus gratificandi studio conspicuus, carus, & inculpatus in Provincia vixit. Collegiorum Thermitani ad aquas Selinuntias, & Netini magistratus, magna cum moderationis, & prudentiæ laude tenuit. Flagrante Panormi pestilentiâ, morientibus præsto esse flagitavit; duosque menses in eorum obsequiis collocavit. Imminentis sibi mortis de cœlo præscius, pridie quàm virus conciperet, nihil præter panem, & aquam gustavit; eo instructus jejunio, biduo vitæ finem nactus est.

Petrus Corrodinus magno pietatis documento de vita decedit.

P. Joseph Zafarana dum peste afflatis adest, morbo percussus, sublatus est.

P. Hieronymus Calderarius imminentis sibi mortis e cœlo admonetur.

XXV. Hæc dum Panormi gerebantur, P. Joannes Antonius Risalibius Bisbonensis, qui Collegio in Patria præerat, Quisquinense S. Rosaliæ monumentum illustravit. Quum repertum Virginis Corpus fama usquequaque distulisset; Simon Tropianus, & Franciscus Bonjornus lapidum incisores Panormitani, qui prope Bisbonam secturis dabant operam, inaccessum antea Quisquinæ antrum, in quo Rosalia delituisse ferebatur, tentare aggressi sunt, & propter loci propinquitatem eò ventitantes, saxumque jam hic, jam illic perfringere conati, aperuerunt denique aditum, quo in amplam specum invecti sunt, ubi dum omnia facibus perscrutantur, alium animadvertunt aditum,

Quisquinensis S. Rosaliæ specus reperitur.

stirpibus obductum, & impervium sentibus, quo in cryptam superiori ex parte descendi poterat, & quà Rosaliam necesse est, descendere consuêsse: item in ejus latere, quà saxum lævo se ostendebat, & perpolitum, insculptas deprehendunt litterulas, quarum primas, quæ Rosaliæ nomen continerent, utcunque carbone excipiunt, & exemplum Bisbonam deferunt VII Calendas Septembres. Dissipatus eo in oppido rumor, reperti tam insignis, & tandiu frustra conquisiti monumenti, Risabilium excitavit, ut ad Quisquinæ montem unà cum suis convolaret, & quid rei esset, cognosceret. Comperit autem ea vera esse, quæ nuntiata fuissent: nam incisæ saxo litteræ erant ejusmodi: *Ego Rosalia Sinibaldi, Quisquina, & Rosarum Domini filia, amore Domini mei Jesu Christi, in hoc antro habitari decrevi*, quæ majusculis exaratæ notis, & duodecimi sæculi, & fœminæ ruditatem satis declarant. Risabilius, situ ac limo purgatam inscriptionem, & accuratissimè evulgavit, & loci religionem augere studuit; & sanè ex eo tempore B. Rosaliæ ævum, & genus, & res gestæ, quæ cum Sinibaldi Marsorum Comitis, optimo congruunt, a fama, & conjectationibus ad historiæ fidem, ac dignitatem transiere. Quibus Panormum perlatis, cognitum est, advenisse tempus, quo Deus Rosaliam, quæ vivens, & moriens fefellerat, summis afficere honoribus constituerat.

Jordanus Cascini in vita S. Rosaliæ lib. 2. cap. 2.

Risabilius eò convolat, & id monumentum illustrat.

P. Gasparis Paraninfi obitus, & res præclarè gestæ.

XXVI. Sed non omnia hujus anni funera pestilentiæ imputantur. Illud in primis memorabile fuit, quod omnium primum in nuperrimè condito Narensi Collegio est celebratum, ubi ejus auctor P. Gaspar Paraninfus ante omnes elatus est X Calendas Februarias. Quamplurima superioribus annis egregia præclarissimi viri, & heroicis Christi sæculis digna facinora, idoneis locis digesta commemoravimus, reliqua pro serie temporum summotim exequemur. Ortus est Nati Paraninfus honestis natalibus, XI Calendas Decembres anno 1554. Quam

Emendatissimâ exigit puericiam.

emendatè pueritiam exegerit, vel ex eo intelligitur, quod trimulus, singulis Sabbatis, ejusmodi jejunium inchoaverit, & ad vitæ finem produxerit, ut semel panem & aquam sumeret, omni præterea cibo temperaret; Lauretanas Deiparæ laudes de genu caneret, & æquales puerulos convocaret, quibus audientibus e loco superiore supra ætatem, & captum verba faceret. Quadrimus, patre amisso, Vitricum nactus est Ferrantem Galletium, qui patris desiderium, amoris, & pietatis abundantiâ mollivit. Latinis litteris, & amœnioribus studiis usque ad annum ætatis tertium decimum dedit operam: consequens se-

sexennium, nullo doctore, libris impendit; & Philosophiæ disciplinam ipse sibi tradidit: ingenio enim fuit erecto, excelso, summo, & litterarum maximè cupido. Annos viginti natus ad jurisprudentiam addiscendam Catanam venit, ubi post sesquiannum doctoris laureà donatus est. Quum ex honoribus domum rediret, expilatam reperit: famulus enim pecuniam, & supellectilem furto abstulerat, seque fugæ mandârat. Is casus adolescentem admonuit, ut cogitaret, quàm fluxa esset, atque caduca humanarum rerum conditio, quas magno labore pactas, aut iniquitas hominum, aut fortunæ inclementia facilè eriperet: itaque jacturam lucro apposuit, & secedendi propositum concepit, de quo cum Vincentio Morsello, lectissimo Sacerdote, qui prope Catanam apud Lamecæ secessum magnà sanctitatis, & religionis famà florebat, identidem communicavit, ab eoque est constanter edoctus, placere Deo, ut se Societatis disciplinæ committeret. Agebat tum Catanæ P. Innocentius Lucidus, singulari vir religione, quem Paraninfus jamdudum animi ducem, & innocentiæ custodem sibi delegerat, & a quo optimè excultus, christianæ pietatis elementa hauserat, nimirum quotidie animi labes scrutari, immolanti adesse, Deo supplicare, sordes, & sordium auctores vitare; Christi non modò legem, sed etiam consilia prima habere. Porrò Lucidus disciplinæ suæ alumnum, a Deo ad Societatis castra evocatum liberaliter complexus jam tum cernebat animo, quàm de se magna polliceretur ingenuus adolescens, qui liberali facie, eleganti formà, maximo ingenio, integris corporis atque animi viribus, procul a suis, inculpatissimam vitam egerat. Quare quum per eos dies P. Hieronymus Domenechius, qui Provinciæ præsidebat, Catanam venisset, Paraninfum ad eum deduxit, & nostro numero addendum curavit. Tirocinio Panormitano aggregatus, Matre, ac Vitrico nequicquam obluctantibus, postridie Nonas Martias, anno 1576 Societati se addixit. Militiæ nostræ doctorem sortitus P. Franciscum Gerardum, quantùm in ea virtutum acie profecerit, exinde judicari licet, quod anno vix exacto, jussus est Philosophicas artes privato studio percurrere; biennio autem expleto, Theologicam adire disciplinam, quo tempore Gerardo magistro suo, in tironibus erudiendis, datus est adjutor muneris, & socius officii particeps. Quoniam verò nulla erat summi concionatoris virtus, quæ non in eo eluceret, memoria, gestus, facundia, & mira quædam vocis, ac laterum contentio, qua in vitiis objurgandis, nihil esset ad commovendos animos, & lacrimas eliciendas accommodatius;

Casu quodam ad Societatis disciplinam evocatur.

A P. Innocentio Lucido christianâ pietate excolitur.

P. Hieronymus Domenechius Paraninfum nostro numero aggregat.

Universam Siciliam concionator excurrit.

tius; prodiit in lucem, & pulverem anno ætatis duodetrigesimo, & sacris excursionibus universam Siciliam concionando peragravit, annos ferè quadraginta, quo tempore bis Melitam, semel in Corsicam transmisit. Quo Civitatum, & populorum emolumento, religionis causà susceptas inierit expeditiones, jam sæpè antea meminimus. Illud adjicimus, primum fuisse Paraninfum, qui communi appellatione, Siciliæ *Apostolus* nuncuparetur. Fuit genus orationum ejus apertum, nudum, plenum, & sacrarum litterarum sententiis, argumentisque resperſum. Nihil pro suggestu unquam dixit, quod non antea diu multùmque limaverit, & ante Christi in cruce morientis Simulacrum de genu perscripserit: nunquam ad concionandum, nisi intimo cilicio indutus prodiit, & quin horarium secretum præmitteret, & ferreà catenà se cederet. Mænis quum peractà concione, ad sacrificandum exîsset, & ad aram faciens animo præ lassitudine linqueretur; exutus vestibus, ut lecto inferretur, deprehensus est setis asperrimis ad vivum incinctus. Calatahierone jam senex jussus est a majoribus cilicium ponere, & flagris abstinere, nè inter concionandum viribus destitueretur. Sed contra accidit; nam quasi inermis in aciem descendisset, nihil eo languidius fieri potuit, & parum abfuit, quin memoriâ, spiritu, ac voce deficeretur. Quare, factà potestate, ut suo more armatus prodiret, tantis exarsit clamoribus, ut parietes ipsi concuti, & contremiscere viderentur. Statuebat enim, quod ad salutem attinet animarum, divinum esse opus, quod non humanis dumtaxat viribus administrari unquam potuit.

Quam dicendi rationē in suis orationibus tenuerit.

Cilicio, & flagris maceratus ad concionandum prodit.

XXVII. Primam concionum suarum aciem nactus est Insulam Liparitanam, anno ferè 1584. Eò navigaturus unà cum Pontifice Liparitano Phaselum conscendit. Mylas prætergressus in sinu Oliverio, ut illuxit, tres sibi imminentes Africanas biremes conspicatur. Nautæ, cùm nulla fugæ spes esset, amissam conclamant libertatem. Pontifex magno fletu Paraninfum requirit, ut sibi, & nautis subveniat. Paraninfus sese non deserit: quam sinu latentem gerebat Christi imaginem, educit, eamque Pontifici ostentans, exclamat: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Simul nautas hortatur, nè animum despondeant, neu vereantur in hostes ire, & arma parare, Christo duce, nè dubitarent relatum iri victoriam incruentam, & memorabilem. Illi obtemperant, & in barbaros irruunt; Paraninfus Christi e cruce pendentis signum in Africanos intentat. Divinum sanè prodigium! Barbari nostrorum territi adventu, conversis actutum proris sese in fugam conjiciunt, & tres longæ

Dum in Liparam navigat in Africanas incidit biremes.

Paraninfus Christi signum intentans Africanos ad fugam compulit.

na-

Digitized by Google

naves unam sibi instantem inermem phaselum metuunt: atque, quod longè majus est, tantus eos incessit, non servitutis modò, sed necis etiam timor, ut nonnulli in ipsa fuga sese in mare præcipitaverint, & supplices vitam petierint: quibus excipiendis morà interjectà, Afrorum biremes spatium nactæ profugerunt. Nostra phaselus incolumis, & victrix Liparam attigit, & tanquam victoriæ testes captivos exposuit, quibus narrantibus, compertum est, visam barbaris christianam naviculam, rostratam veluti quinqueremem, tormentis instructam, atque constratam, quæ ad eos contrucidandos infestis armis advolaret. Ea res Paraninfi sanctitatem apud Liparitanos quàm maximè commendavit: ipse nullis precibus adduci potuit, ut in Pontificis ædibus hospitaretur, sed humilem sibi casam pretio conduxit, quæ omnibus, etiam infimis æquè pateret. Liparitanos autem primis illis concionibus ita concussit, & ad salutis curam convertit, ut nemo non apud eum animi sordes, nè relicto quidem ad quietem noctis spatio, expiaret. Ceterùm si quæ a Liparitano Pontifice, & magistratibus obsonia mitterentur, pauperibus impertivit; ipse vilibus corrogatis cibariis, precariò vixit. Servatur Liparæ ad hanc diem, religiosum veluti monumentum, scamnum, in quo Paraninfus pro suggesto sedisse fertur.

Insignia virtutum ejus apud Liparitanos monumenta.

XXVIII. Porrò virtutum ejus, ea est summa: Christi vulnerum, ac cruciatuum religione maximopere tangebatur. Septem quotidie horas in eorum contemplatione ponebat: nihil suaviùs menti obversabatur, nihil frequentiùs loquebatur, magno semper cum fletu: rogatusque, cur in lætissimis etiam diebus Christi vulnera cùm privatim, tum publicè commemoraret; commotus, & lacrimans respondit: *Quia vulneratus ego sum.* Doceri ab eo quidam Frater postulavit, quà ratione mentem ad alia omnia avolantem, & fugientem, in cœlestium rerum meditatione defigeret; ille Christi e cruce pendentis simulacrum digito monstrans, inquit: *Hunc cogita, & de mentis fuga, atque inconstantia queri desines.* Singulis sextis feriis jejunium ad summos usque canos protraxit: ter, & quater in die tandiu corpus catenà ferreà percussit, quoad ea cruentaretur. Cilicium nunquam exuit, nisi eo posito, asperius esset induendum. Ubicunque esset, Sodalitatem instituit, in qua Christus cruci affixus coleretur, & secus viam maximam, quæ ad oppida duceret, quinque sacella construi curavit, præcipuis Christi doloribus dedicata, atque eum tractum viam crucis appellavit. Instituit, ut sextis feriis, horà diei nonà, dato publicè signo, om-

Summa ejus erga Christi vulnera religio.

Corpus gravissimis supplicis afflictat.

omnes in genua procumberent, & Christi mortem honore prosequerentur. Solemnes item excogitavit supplicationes, quibus, exeunte jejunio, potissimi Christi cruciatus variis imaginibus oculis subjicerentur, plurimis interjectis pœnitentium agminibus, qui cruentis se loris verberarent, pedibus catenas traherent, cruces prægrandes humeris gererent, & alia cruciandi corporis instrumenta adhiberent, quibus Christi dolores, ac vulnera imitarentur.

Eximia ejus animi temperantia.

XXIX. Ea fuit animi temperantiâ, ut humillima quæque munera sibi deberi arbitraretur; Christianæ religionis elementa pueris, & rusticis tradere, custodiis, triremibus, valetudinariis adesse, & rebus omnibus ministrare. Si quem sibi iratum intelligeret, veniam de genu petere: de se, suisque rebus vilissimè cogitare, atque sentire: obstipo capite incedere, oculos nunquam attollere, quasi se sui puderet, demissâ voce loqui, neque unquam judicio, aut voce cum quopiam contendere, omnium se hominum deterrimum, turpissimumque putare. Quum primùm Narum venit, furia, quæ lymphatum vexabat puerum, neque ullis paruerat execrationibus, apertè declaravit, se nunquam exituram, nisi Paraninfus imperâsset; qui tamen rogatus negavit, se ullam habere in malos genios potestatem, nisi communem, & quâ ii omnes fruerentur, qui minoribus essent sacris initiati, nisi fortè id fieri contenderent, ut clavus clavum truderet, & major furia, minorem expelleret. Sed propinquorum precibus diu fatigatus, denique adfuturum se pollicetur. Puer accedentem conspicatus exclamare capit: *Abibo, jam abibo, si huic seni placebit.* Tum Paraninfus: *Exi*, inquit, *immunde spiritus, & ampliùs nè introeas in eum*: quibus auditis, lemures, quemadmodum edixerant, illico sese inde ejecerunt. Ille verò adstantes admonuit, ut repentinam lemurum fugam, & pueri liberationem, non sibi, sed Christi verbis, & Parentum fidei, ac religioni assignarent.

Lemures, uti declaraverant, Paraninfi jussu puerum vexare desistunt.

Marci cap. 9. vers. 24.

Præclarissima religiosæ ejus paupertatis documenta.

XXX. Magnum in Paraninfo enituit religiosæ paupertatis exemplum: quoniam non modò munditiis, ac commodis, sed necessariis etiam rebus carere studuit. Papyracea Christi e cruce pendentis effigies fuit summa rerum suarum: ceterùm mendicorum more vetustissimas, & iterum atque iterum sartas induit vestes. In perpetuis itineribus, per asperrimos Siciliæ montes, frigidissimis anni temporibus, non viatorum pallium, non ocreas adhibere sustinuit, quæ frigora, & nimbos arcerent, sed crasso, & hirto usus est bardocucullo, quo rusticorum pauperrimi per hiemem protegi solent. Post singulas verni jejunii con-

Digitized by Google

conciones, communi nunquam mensâ, & cibo abstinuit, sudore diffluens indusium æstate nunquam mutavit, hieme nunquam calefieri passus est. Pecuniam neque novit, neque attigit, & si quid in itineribus ex viatico solvendum esset, crumenam cuivis credebat, ut ipse sumeret, & miraculi instar foit; quod integrum ferè peculium referre consueverit. Lautissimè interdum hospitio exceptus, & parcè cœnavit, & nunquam lecto, semper humi cubavit: plerunque tamen, iis in oppidis, quæ carerent domicilio Societatis, extra publicum valetudinarium non pernoctavit, quamvis conciorum causâ diutiùs esset commorandum. Fuit Paraninfi animus ab humanarum rerum usu, & cupiditate usque adeo alienus, ut quum Deipara Narensi Virgini se ostendisset, & maximas ejus virtutes commemorâsset, addiderit, eum propter insigne ingenuæ paupertatis studium Deo carissimum. Pari sedulitate obedientiam coluit. Majorum nutum, ut tiro, ita senex, & emeritus tanquam divinæ voluntatis significationem vereri non destitit. Majores ipsos, idemtidem juniores, & sibi obnoxios, veluti Dei administros magno in honore habuit; aperto semper capite, & stans est alloquutus; & nullum fuit obsequii genus, quo non prosequeretur. Quidquid de se statuerent, quocunque destinarent, quæcunque juberent, æquo animo tulit, mirâ judicii alacritate, tanquam optimum factu præstitit, neque ullâ unquam tergiversatione cunctatus est. Quod si aliquando in nostrorum aliquem de majoribus suis quærentem incideret, subridens, & digitum ori imponens enervabat impetus ejus, & suavissimâ quadam auctoritate ad silendum adigebat. Deiparæ cujus religionem in Mariana Sodalitate adolescens Catanæ coluit, & vir summopere amplificavit, acceptum referebat, quod corporis, animique pudorem in ipso ardentis ætatis æstu integrum retinuerit, & virginitatis gloriam ad extremos usque annos attuleris. Quare candidissimæ hujus virtutis splendor in ejus etiam corpore eluxit. Quum enim in domestico Collegii Catanensis horto solus de nocte spatiaretur, tantâ luce radiare visus est vultus ejus, ut fortuitum ignem putaverint PP. Paulus de Franciscis, & Vincentius Masotta, & ad eum extinguendum accurrerint, neque quicquam nisi Paraninfum repererint.

Si quid per iter solvendum esset, cuivis crumenam tradit: sed integrum semper manet peculium.

Ipsa Deipara ejus paupertatis studium commendat.

Ejus obedientiæ præstantia.

Corporis, animique pudor ostento çóprobatus.

XXXI. Quotidianam immolandi consuetudinem in tot tantisque itineribus nunquam dimisit, neque ad aram accessit, nisi paulò ante expiatus. Horam ferè in sacrificio peragendo posuit: certabant tamen omnes, ut rei sacrificanti ministrarent, & adessent; ardere enim cœlesti igne videbatur, candente vultu,

Eximiâ religione, & flagrantissimo desiderio immolat.

tu, rorantibus oculis, intimo divinæ caritatis incendio membris omnibus conflagrante. Quæ res ostento similis adstantes magna cum voluptate detinebat. Ex flagrantissimo litandi desiderio quàm longissima itinera brevissimo spatio, nec sine prodigio, confecit. Quum Naro per autumnum Calatanixetam proficisceretur, septem horarum itinere dissitam, viam nactus lubricam, & alto cœno subsidentem, desperaverant comites, qui horà diei secundà cum eo iter agressi fuerant, ante decimam eò, quò tendebant pervenire: quare de prandio cogitaverunt, neque Paraninfo acquieverunt, asseveranti, fore ut ante Sextam Calatanixetam intrarent, neque litandi spatium defuturum. Unus proinde Paraninfus spe, ac desiderio sacrificii nihil gustavit, & unus eo die sacrificium peregit: nam paulò ante meridiem Calatanixetam attigit; & Sociis mirantibus, neque qua ratione id fieri potuisset reperientibus, ait: *Modicæ fidei quare dubitastis?* Valetudine aliquando prohibitus, quominus ad aram faceret, *Eucharistiâ* carere minimè poterat, & in ea interdum corporis etiam remedium invenit. Calatahierone Militellum postridie discessurus, proximâ nocte acutissimis lateris doloribus miserrimè divexatus, & propediem moriturus, *Eucharistiam* sibi deferri postulavit, quâ de genu susceptâ, extemplo confirmatus, & integer paulò post equum admisit, & eodem die Militellum pervenit. Messanæ quum sacris daret operam concionibus, custodias a prandio consuetis adhortationibus recreabat. Eo in officio jacentem conspicatus, qui pestiferâ contagione correptus, versare se ex uno in alterum latus conabatur, neque tamen præ corporis imbecillitate id sibi solatium; refugientibus omnibus, afferre poterat; accurrit illico, complexu sublevavit, & omnia caritatis obsequia amantissimè præstitit. Sed eo contactu eam ipsam luem concepit, ex quâ quum gravissimè decumberet, P. Cæsarem Cossum acciri jussit, ut animi labes apud eum expiaret: in ea Cossus administratione, eodem morbo corripitur, & paulò post etiam Frater, qui utrique ministrabat: quare in uno procul a reliquis decumbebant conclavi triumviri caritatis: & jam de eorum salute erat a medicis conclamatum: cum Paraninfus divinum sibi viaticum administrari flagitavit: idem Socii fecerunt: sumptâ propè nocte *Eucharistiâ*, vigilantibus aliis, arctissimo somno comprehensus est Paraninfus, auditusq; identidem dicere: *O quæ cœlestis suavitas! O quæ gaudia!* & jam Cossum, jam Fratrem appellare, Eâ voce recreantur omnes, suavissimo sopore corripiuntur, noctem totam quieti exigunt: cum luce integri evigilant, sur-

Desiderium litâdi prodigiis Deus secundat.

Contagioso ministrans Paraninfus pestiferam luem cõcipit.

Divino viatico munitus, postridie integer evigilat.

surgunt incolumes: Paraninfus eodem die intermissas repetit conciones, & cœlestis *Eucharistiæ* remedium, atque virtutem privatim, publicèque prædicat.

XXXII. Quamplurima de eo mira narrantur, quæ sine cœlesti numine fieri non poterant. Omnia persequi minime patitur cùm brevitatis consilium, tum copia eventuum. In Collegio Plateensi ex itinere consederat, quo tempore pluviarum inopiâ languebant segetes. Cognito ejus adventu, cives ad eum convolant, & magno agmine petunt, ut imbres à Deo impetret. Ille concionem postridie indicit, & in Ædem Civitatis principem Deiparæ effigiem à Rogerio Comite relictam proponi jubet. Ut illuxit, admonitus est Paraninfus, completum jam esse Civibus Templum, & Deiparæ imaginem ibi propositam. Ut suggestum conscendit, ex abrupto in eos exarsit, qui peccandi immanitate cœlestis beneficentiæ fontes exhauserint. Sublatus est omnium clamor, ac fletus, peccata lugentium, & a Deo veniam implorantium. Ille in tanto populi motu, lenissimis verbis ad Deiparam orationem convertit: communes exponit lacrimas, publicam pœnitentiam commemorat; miserias enumerat consecuturas, nisi subveniat; in memoriam revocat religionem Civitatis, quæ tot jam sæcula sub ejus esset clientela. Quæ quum sudum esset, serenoque cœlo dicere instituisset, & inter audientium gemitus pluribus, & ipse flens exornâsset, non peroravit, quin largus sese nimbus effunderet, & agros recrearet, magno cum annonæ proventu. Per hiemem cum Sociis aliquot iter faciens in amnem incidit, cujus alveus collectâ ex pluviis aquâ, intumuerat, neque vadum reperiebatur: suadentibus aliis, ut equum converteret: *Nihil est*, inquit, *quòd metuamus*; tum in flumen se immittit, & reliquos sequi jubet. Eodem momento temporis subsidunt aquæ, vadum ostendunt, neque jumentorum crura ultra superiores articulos attingunt. Ut Paraninfus ulteriorem tenuit ripam, iterum aquæ se ingerunt, & tanto impetu exuberant, ut qui extremi sequebantur, magno in periculo fuerint, & vix evaserint, quod aliis locis, atque temporibus ter illi accidisse, adnotârunt Albertus, & Tornamira. Frequentissimum illi fuit, assiduis in itineribus, per nimbos atque procellas siccum incedere, aquis circum omni ex parte ruentibus. Mænis Xuthinum proficiscenti nimbum maximum totâ viâ a tergo instantem vidit Frater Joannes Baptista Madera comes ejus, & pone subsequentem, intra teli jactum, nunquam tamen assequi, aut attingere ausum, nè gutta quidem. Turbidâ urgente tempestate, qui Pa-

Plateenses, agris pluviarū inopiâ arentibus, ad Paraninfum confugiunt.

Ille largos imbres impetrat.

Dum exuberantem trajicit fluvium, aquæ subsidunt.

Maximo nimbo effuso, suum siccus iter prosequitur.

raninfum iter habentem comitabantur, rogabant, ut equum incitaret, nè imbre occuparetur: negat ille opus esse, quoniam futurum erat, ut unà euntibus nimbus parceret: comites tamen, admotis calcaribus, præcurrunt, Paraninfus lentè subsequitur. Illi celeriùs iter properando conficiunt, sed usque ad vivum procellà madidi. Hic seriùs diversorium cunctando attingit, sed siccus, & pluviâ immunis: quoniam nimbus festinantes assecutus, quasi Paraninfo appareret, eum præcedebat.

In flumen ex equo delapsus prodigio sospes emergit.

Flumen aliquando trajiciens altum, & aquarum vi incitatum, ejus vi sublevatus, & abreptus, ex equo dilapsus est: sed pes ephippio hæsit; quare jam flumine, jam equo tractus, huc illuc mersus, & expes ferebatur, neque quispiam opem ferre ausus est: itaque extinctum comites credidere: ille tamen emersit, & secum ad ripam ulteriorem jumentum sospes traxit; neque aquam diu mersus potavit, neque magnopere est madefactus; sed equum illico conscendit, seque integer viæ commisit, & siccus eò, quò tendebat, pervenit. Ex Patria discedenti commodatum est sternax, & calcitrosum jumentum, eo fortè consilio, ut acerrima bellua vectoris sanctitate, atque virtute mitesceret: ea verò ut onus sensit, inconditos edens saltus sedentem excussit, & crebris calcibus frontem, ac pectus ejus perstrinxit: adstantes exanimatum putant: ille incolumis surgit, & jumentum idem strenuè conscendit, quo deinde mitissimo usus est.

Pallium, quod ex itinere ei deciderat, incognitus homo restituit.

Quum ex itinere pallium imprudenti decidisset, velletque mulio viam relegere, si fortè reperiret: *Cur*, subridens ait Paraninfus, *supervacaneum laborem frustra suscipias. Salvum enim est pallium. Erit, qui illud ad me quamprimùm ultro deferet.* Paulò post incognitus quidam homo, pleno cursu, non à tergo, ut fieri necesse erat, sed e regione venientibus quàm longissimè occurrit, pallium præbet, & illico videri desinit. Cœlestem nuncium mulio credidit.

Futura assiduè vaticinatur.

XXXIII. Futura Paraninfum prænunciare consuêsse, plura testantur. Calocerum Rizzarum maximè tristem, quòd nullam ex conjuge prolem susceperat, consolatus est Paraninfus, docuitque, filiam ei, intra anni spatium, nascituram, quæ familiæ columen futura esset: præstituto tempore natam Pater meritò *Gratiam* appellavit. Antoninum Luccheſium Naritanum Patritium, Panormum a Prorege evocatum, salutandi gratiâ, adiit Paraninfus, & ab eo digrediens iis, qui aderant, apertè significavit: *Luccheſium in Patriam non reversurum*: neque ampliùs est reversus: nam paulò post Panormi morbo peremptus est. Autumno exeunte, incidit prope Ennam, in agri-

agricolas quosdam conquerentes, quòd arido, pluviarum inopiâ, solo semina committere prohiberentur; bono eos animo Paraninfus esse jussit, pollicitusque est, crastinam fore pluviam, & copiosam. Tum Mulio: *Quid ais*, inquit, *Pater: Cras Nari esse vis, & pluviam polliceris. Nunquid per imbres medios proficiscemur?* Cui ille: *Pluris refert, agros pluviâ recreari, quàm nos cras Nari esse. Ceterùm utrunque continget.* Postero autem die, pluvia nunquam intermisit, nisi quà Paraninfus iter faceret. Luccheſius paulò ante laudatus ab eo petierat, ut filii, Cullæ, & Deliæ Marchionis, paulò ante conciliatas nuptias Deo commendaret: negavit, se facturum, Paraninfus: *Quòd is thalamus sterilis futurus esset*; & sterilem fuisse compertum est. Quum Nari per verni jejunii tempus, ante conditum Collegium concionaretur, missi sunt ab amico quatuor prægrandes mulli: sed famulus unum occultavit, & nonnisi tres ostendit. Tum Paraninfus: *Ubi nam*, ait, *quartus est? Nunquid ignoras virtutem inesse piscibus, quà oculi, ut Tobiæ accidit, illustrentur? Nihil moror piscis jacturam, sed violatæ fidei culpam contractam doleo.* Sub Collegii Naritani initia, eo corrogante, pecuniam contulerant optimates omnes, sed unus inventus est, qui reliquis opulentior, nullis ejus precibus adduci passus est, ut quicquam largiretur. Denique Paraninfus eà repulsà commotus, & Christum, non se repelli, testatus, obfirmatè negantem cum his verbis reliquit: *Dabitur Fisco, quod negatur Christo.* Neque aliter factum est, nam paucos intra menses, repetundarum a Fisco postulatus, fortunis omnibus exutus est, & ad mendicandum coactus. Quo die, ac loco moriturus esset, multò ante præsensit, & pluribus enunciavit. Testis est P. Antoninus Blandus, Paraninfum sibi non semel adolescenti dixisse: *Tu in Collegio Naritano oculos claudes meos*; & eos ibi, quum in magistratu esset, clausit. Rogatus aliquando, cur in Collegio Naritano condendo, tantopere festinaret, respondit: *Quia mihi significatum de cœlo est, me, nonnisi eo condito, e vita migraturum: quare cur non exilii tempus contrahere properaverim?* Naro Rachalmutum ad Franciscum Brutum amicum suum e lecto scripsit postridie idus Januarias, octavo, antequam decederet, die: *Equidem post dies octo cum vivis non ero. Tu post mensem vestigia leges mea.* Utrumque vaticinium eventus est subsecutus.

Agricolis copiosam pluviã pollicetur, & impetrat.

Fortunarum jacturam opulento viro prænunciat.

Mortis suæ locum, & tempus pluries vaticinatur.

XXXIV. Quartùm Nari concionatus, quum æstatem in oppido consumsisset, esseteque, autumno adventante, Ennam di-

P. Caſparis Paraninſi Nari obitus.

diſceſſurus, morbo regio ex bili atra tentatus ibidem ſubſtitit. Calendis Januariis, ingraveſcente valetudine, lectulo affixus, vigeſimo die cœleſti Viatico eſt recreatus, quo ſumpto, ad ſummum uſque vitæ ſpiritum ingeminare non deſtitit: *O quæ cœleſtis ſuavitas! o gaudia! o voluptas!* Ut Crucis ſignum morienti oblatum eſt, eam arctè complexus, & oſculatus, uberrimis reſperſit lacrimis, & ſuaviſſimè queſtus eſt, quòd non & ſanguine ſuo inter barbaros, ut maximè optaverat, eam perfundere meruiſſet. IX Calendas Februarias ſeptuagenarius vivere deſiit, quum quatuor votorum ſacramentum in Panormitana Domo coram Joſepho Blondo, qui Provinciæ præerat, idibus Januariis dixiſſet anno 1596; duodequinquageſimo, ex quo Societati ſe aggregaverat, in ea ipſa Domo, quæ jampridem Naritano Collegio ceſſerat, extinctus, in qua ſeptuaginta ante annos natus fuerat. Tanquam Patri Patriæ parentatum eſt communibus lacrimis, coram magiſtratibus, maximo cujuſvis Civium ordinis concurſu. Populus nullà vi cohiberi potuit, quin, quæ circa corpus eſſent, diriperet. Arcà ligneà clauſus; humatuſque eſt ſub ara Templi maxima. Eà ipsà horà, quà Paraninſus e vivis abiit, vidit manes ejus ad ſuperos evolare Frater Simon Buccerius, qui tum Panormi agebat; audivitque cœleſtem concentum Maria Contarena, Naritana mulier. Quinto ab ejus exceſſu die, Franciſcæ cuidam ex Sororibus Carmelitarum oſtendit ſeſe in Templo Societatis, cœleſtibus indutus radiis, eique mandavit, ut P. Antoninum Blandum de ſua apud ſuperos felicitate admoneret. Quamplurima in publicis tabulis a Deo per eum collata de cœlo beneficia, Pontifex Agrigentinus referri juſſit, quæ juratis conſignata teſtibus, in vita ejus inedita recenſet Dominicus Stanislaus Albertus; quibus ea annumerare licet, quorum in Vita ejus Panormi edita, anno 1702 accuratè meminit P. Carolus Maria Piazza. Auctor fuit Collegiorum Thermitani ad aquas Selinuntias, Ennenſis, Plateenſis, Netini, Motycenſis, Naritani, & Melitenſis. Quo tempore Melitæ fuit, & inſulam perluſtravit, atque Gaulum trajecit, illud memoriâ dignum accidiſſe traditur, quod quum italicè concionaretur, nemo fuit ex inſulanis, qui orationem ejus non intelligeret: quod quidem maximo ſine miraculo fieri non poterat: quum enim anno ſuperiore in utraque fuiſſem inſula, deprehendi, pleriſque omnibus Melitenſibus, & Gaulitanis, qui arabicâ linguâ utuntur, italicum omnino ſermonem ignotum eſſe. Laudavere Paraninſum Nadaſi, Riela, Agliata, Matina, Albertus, Juvencius *pag. 36. num. 121.* & Tornamira paſſim.

Ei maximo civium concurſu parentatur.

Manes ejus ad ſuperos evolare videntur.

P. Carolus M. Piazza lib. 2. cap. 6.

Italico ſermone auditorum pleriſq; ignoto, cōcionatur, & intelligitur.

In-

Digitized by Google

XXXV. Inter potissima Provinciæ lumina præcipuum habet locum P. Carolus Romanus, qui dum Golisani in sacra expeditione versatur, velut in acie cecidit XVII Calendas Augusti. Catanæ ortus est ex vetustissimo Colonnarum genere, cujus tres nobilissimi Fratres, Martino Siciliæ Rege, quum civili motu Roma flagraret, inde se in Siciliam recepere, & ab originis loco, Romani, ipsis non invitis, sunt appellati. Ex his Putius natu minimus Catanæ consedit, qui auctor fuit Romanorum familiæ, ex qua anno 1580 rectà nepotum agnatione prodiit P. Carolus, Antonii Romani, & Annæ Aversæ, & Tornamiræ filius, Matronæ juxta nobilis, ac religiosæ, quæ fortunarum suarum Collegium Catanense hæredem testamento nuncupavit, & in ejus templum efferri, humarique jussit, postridie Calendas Novembres, ubi ejus extat elogium, marmori inscriptum. Caroli infantia illud habuit singulare, & prorsus inusitatum, quod vagitum nunquam edidit, aut ploratum, sed ab ipsis incunabulis miram exeruit oris jucunditatem, quasi non ad humanæ vitæ ærumnas, atque miserias natus esset; eamque vultùs, & oculorum hilaritatem, innatum veluti beatæ mentis patrimonium, in omni vita invariatam retinuit, nulliſque obnoxiam casibus, nè mortuus quidem, dimisit: itaque animi innocentiam perpetuo quodam, ac verecundo, lenique risu, ut infans, ita vir constantissimè testatus est. Pueritiam traduxit pietate, ac bonis artibus maximè excultam: nam, & assiduè Deo de genu supplicavit, & intimum cilicium quotidie adhibuit, & propter eximiam Deiparæ religionem, singulis Sabbatis flagrum nudo corpori admovit, publicum valetudinarium adiit, infirmos salutaribus verbis, & pecuniâ, dulcibusque placentis, atque bellariis recreavit, singulas denique Deiparæ imagines quotquot in Civitate religiosæ haberentur, perlustravit, & magno animi sensu coluit. Anno ætatis duodevigesimo P. Vincentii Romani fratris sui, qui anno superiore Societati se addiderat, exemplo, ac desiderio commotus, eum sequi statuit: neque diutiùs flagitandum fuit: nam Carminata, qui tum Provinciæ magistratum gerebat, ut de ejus indole, atque ingenio cognovit, nihil cunctandum ratus, Tirocinio Mamertino eum destinavit, ubi cum Vincentio fratre militiæ nostræ rudimentis imbueretur. Eò profectus anno 1597 quarto Nonas Octobres, sub Angelo Sibilla prima Societatis stipendia fecit, & nullius gravis culpæ conscium animum Magistro suo informandum præbuit. In ea virtutum officina, super reliquam perfectæ disciplinæ consuetudinem, inusitatam hausit divinæ caritatis abun-

P. Caroli Romani ortus, & nobilitas generis.

Ab ipsis incunabulis animi hilaritatē præfert.

Pueritiam pietate, ac bonis artibus maximè excoluit.

In Tirocinio Mamertino inusitatam divinæ caritatis abundantiam hausit.

abundantiam, quam in dies auctam, ad eum provexit cœlestis flammæ fastigium, ut intermissione nullà, dies, noctesque nonnisi Deus menti obversaretur, solum unumque Deum in rebus esse putaret, nil nisi Deum in quotidiano sermone loqueretur.

Grammaticas institutiones magno discipulorum fructu tradit.

XXXVI. Tirocinio, & Rhetoricæ studiis exactis, Grammaticas institutiones Syracusis primùm, deinde Calatahierone tradidit, magno discipulorum concursu, atque fructu, qui cœlestis adolescentis, & docendi assiduitatem, & morum suavitatem atque elegantiam, & perpetuam de cœlestibus rebus colloquendi consuetudinem, nunquam se satis admirari, aut prædicare arbitrabantur. Jam tum assueverat nocturnis divinarum rerum contemplationibus, quas interdum somni immemor, ad lucem de genu duceret. Erat præcipuè in amoribus Deipara, cujus laudes quum prolixiùs recitanti ea sæpè adfuisset, audita est, eum peramanter admonere, ut se ad quietem aliquando componeret. Quod quemadmodum contigerit, fides est penes P. Thomam Mirullam, qui tum Calatahieronense Collegium administrabat, & se audivisse testatus est, his planè verbis: *De nocte quiescentibus, atque silentibus omnibus, pro muneris mei ratione cubicula quum perlustrarem, miratus sum, in Caroli Romani cubiculo colloquentium voces exaudiri. Accessi, aures admovi: tum cœlesti quadam voce, Deiparam, ut arbitror, hæc inculcantem audivi.* Quiesce jam Carole fili: satis jam datum est amori meo. Videte fessum, & delassatum: *Accepi continuò mihi cognitam, & familiarem Caroli vocem, ita respondentis.* Quid est, divina Mater, quod filium Carolum a te repellis? Nunquid sine te possum quiescere? aut ulla est mihi quies eà jucundior, quàm ex tuo vultu, atque colloquio percipio? Decetne me hominum, quos terra sustinet vilissimum, atque deterrimum requiescere, quum divinus filius ex te genitus cum cruciatu moritur? *Quæ quum audirem sacro quodam horrore dirigui, quasi præsenti numine obstupescerem, & tremens, ac pavens me recepi. Hæc, & his affinia colloquia, audivisse me, memini, non modo semel, sed singulis ferè noctibus, quum conclave lustrarem, meque ad ejusmodi officium incitaret audiendi suavitas, ab eo tamen deterreret intima quadam cœlestis Majestatis religio, cujus numen humana aures non ferrent.*

Ejus erga Deiparam studium singulare.

De mutuis inter eum, & Deiparam officiis illustre testimonium.

Panormum ad studia evocatus suæ pietatis vim expromit.

XXXVII. A docendi munere ad Philosophiam, & *Theologiam* Panormi audiendam evocatus, domesticam juventutem, admirabili illà oris, & animi alacritate, & quotidianà salutarium colloquiorum consuetudine, eò usque divinà caritate in-

incendit, ut parietes ipsi religionem, & pietatem spirarent, & in primis Deiparæ cultum, & amorem ostenderent. Nullus enim erat sermo, nulla familiaris confabulatio, quam non ad magnæ Matris obsequium ingenuâ dexteritate traduceret, & ejus commemoratione condiret. Quod quidem Deiparæ ornandæ studium tantopere coluit, ut nedum in publicis, sed in privatis etiam concionibus, quæ a junioribus super mensam haberi solent, nunquam sine laudum ejus mentione peroraverit: quare divinæ Matris concionator, communi antonomasiâ est appellatus. Singulis diebus festis, post sumptam in templo divinam *Eucharistiam*, matutinas horas usque ad prandium in genua provolutus ibidem collocabat. Quum sacræ *Theologiæ* daret operam, quæ a Doctoribus de scripto exceperat divinorum mysteriorum commentationes, privato studio de genu percurrebat. Interdum a majoribus imis precibus impetravit, ut super mensam quæcunque deliquisset, enunciaret, naturæ vitia exponeret, & quidquid intimum pudorem afferret, ingenuè declararet: quod tanto reluctantis animi dolore exequebatur, ut identidem erubesceret, & genas ejus sanguis invaderet. Mirum est autem, quod quum tam cautè, accuratèque viveret, nihil austerum, aut asperum consuetudo ejus præseferret; sed omnium sibi animos jucundâ comitate conjunxerit. Demandata est ei sub id tempus, externorum adolescentium Mariana sodalitas, & ejus operâ maximis amplificata incrementis: nam & inculpatâ morum innocentiâ, & singularium virtutum administratione, & perpetuis adhortationibus, tam singulos, quàm universos ad intimam, atque sollicitam salutis curam excitavit, & humanarum rerum contemptionem imis quasi medullis insculpsit, ac ferè omnibus secedendi mentem injecit. Itaque gratias ei agere non desinebant religiosorum ordinum Optimates, Benedictini, Dominicani, austeriores *Seraphici*, Theatini, discalceati Augustiniani, aliique Cœnobitarum Antistites, quòd lectissimis, optiméque eruditis adolescentibus eorum tirocinia compleverit: neque desiderati sunt ex omni numero electi, quibus Societas placuisset.

Plures horas ante divinam Eucharistiam collocat.

Marianam adolescentium Sodalitatē maximo virtutum incremento administrat.

XXXVIII. Emenso studiorum curriculo, Sacerdotio initiatus, in Collegio Panormitano permansit, in quo Societatis candidatos informandos suscepit, ut in iis conscribendis commodus optimorum delectus haberetur. Confluebant ad eum adolescentium greges, neque ab ejus colloquio divelli poterant. Tantâ enim fide, sapientiâ, humanitate tractabat eorum animos, ut non facilè judicaretur, plusne eos diligeret, an ab

Societatis candidatos incredibili fructu excolit.

iis

iis diligeretur. Argumento est, quod ei se totos fingendos traderent, nihil rerum suarum eum latere vellent, absconditos mentis recessus ei perspectos esse, flagitarent. His ille comitibus, atque adjutoribus in valetudinariis, atque custodiis invisendis utebatur: sed præsertim quum diebus festis a prandio Christianæ doctrinæ traditionem institueret: nam & pueros ipsi erudiebant, & nobilissimi interdum subsellia comportabant. Accidit sub id tempus ejusmodi memorabile ostentum. Erat inter cariores Romani alumnos nobilis, & opulentæ Viduæ filius, magnæ spei adolescens, innocentia, & religionum assiduitate spectatus. Verùm per invidos, malosque homines nunciatum est matri ejus, incautum adolescentem in P. Caroli Romani casses incidisse, & propediem fore alumnum Societatis. Ea, muliebri credulitate, nè unicum familiæ lumen extingui pateretur, filium a Societatis gymnasio, & Romani disciplina statim amovit. Adolescens otio, atque inculta ad malas artes a pietate descivit, & naturæ desiderio paulatim indulgens, puellam domi nactus, furtivis ejus amoribus tandiu immoratus est, quoad pudorem ejus expugnaverit, eique plurimùm assueverit, & non semel prægnantem, partum abigere coegerit, nè furtum vulgo efferretur. Itaque salutis, ac religionis immemorem morbus oppressit, qui decimo die virus exeruit, & decumbenti spem vitæ omnem ademit. Tum ille Romani memor benevolentiæ, & caritatis, primum animi sui ducem acciri jubet; superioris vitæ sordes magno cum fletu aperit, Scortum amotum docet, multa, & maxima pollicetur, si convalescat. Romanus omnia sibi metuentem confirmat, se quotidie adfuturum recipit, serio admonet, nè sibi inani ulterioris vitæ spe imponat, aut blandiatur; orat, ut cogitationes omnes a corporis ad animi salutem convertat: denique Christo religione conciliat, & expiatum relinquit! laboranti singulis diebus adest; donec, quum paulò ante lucem ad eum rediret, in ipso domûs vestibulo accipit, eo ipso temporis momento extinctum esse: quam pedem inde refert, & prope auroram in Collegium regressus, defuncti manes sacrificio juvare aggreditur. Verùm ad aram progressus, dum sacrorum officiorum codicem aperit, adstantes sibi videt extincti juvenis manes, fumo, atque igne involutos, stygiis stipatos furiis, & magno luctu ejulantes? Diriguit eà specie Romanus, rogavitque quid rei esset, quod tam luctuoso reorum apparatu se ostenderet, qui tot lacrimis, tantisque pœnitentis animi significationibus superioris vitæ maculas expurgâsset? Nunquid ea subdola fuit, & fallax pec-

Memorabile ostentum narratur.

P. Romanus perditum adolescentem morti proximum Christo conciliat.

Extincti juvenis manes cum sacrum inchoaret; ei se stygiis furiis stipatos ostendunt.

ca-

ca torum expiatio? Ille tamen: *Me miserum! Vera fuerunt illa lacrima, ingenuus dolor, sincera culparum detestatio, per quam verè cum Christo in gratiam redii. Sed in ipsa fatali hora, obversata est menti puella, quam deperieram species; occurrerunt illa lacrima, quibus lugeret casum meum, & divos, divasque omnes pro mea salute precibus fatigaret: ingratus mihi fore videbar, & ferreus, nisi convalescens ad complexum ejus redirem: atque in ea redeundi voluntate extinctus sum, & tartareis monstris traditus. Itaque nulla est causa, cur aterno addictum supplicio, religione, ac sacrificio sublevare studeas.* Quæ quum terribili voce dixisset, continuò videri desiit. Quare infelix mater, quæ nè familiam orbitate deleret, filium a Romani disciplina subduxerat, & familiam, & filium extinctum vidit, & sempiternis damnatum cruciatibus lugere debuit. Habeo hujus eventùs auctorem P. Josephum Spucces, qui adolescens ab ipso Romano accepit, & P. Francisco Raimundo seniori tradidit, a quo ad nos pervenit.

Quid causæ fuerit, cur iis cruciatibus dãnati sint, exponunt.

XXXIX. Messanam ire jussus eadem ibi edidit domi, foriſque virtutis, & exquisitæ sapientiæ documenta. Ibi ex assiduis magnisque laboribus valetudinem contraxit adeo periculosam, ut certò moriturum medici existimarent, & admonendum censerent. Collegii Mamertini magistratu fungebatur P. Octavius Cajetanus, qui tanti viri jacturam ægrè ferens morti proximum, & moriendi maximè cupidum excitavit, ut Franciſci Cajetani precibus, qui eo in Collegio, eà, quam diximus, opinione probitatis vitam clauserat, se convaliturum speraret, ut militiæ nostræ labores diutiùs perferret: tum Cajetani caput sub pulvillo condidit, quin Romanus quid fieret intelligeret. Paulò post Romano se Deipara videndam præbet, & unà Franciſcus Cajetanus, qui eam, in genua procumbens impensè orabat, ut ejus vitam sibi, atque Provinciæ flagitanti concederet. Sopor interea salutaris Romanum comprehendit, qui, ut illuxit, integer evigilavit. Medici, qui extinctum iri eà nocte pronunciaverant, incolumem deprehendunt: exploratà namque venà, febrim abiisse declarant. Vix convaluerat, quum Aquavivæ litteris sub exitum anni 1614, annos natus quatuor, & triginta Panormum evocatur, ut ibi tirocinio præsit Panormitano, anno tertio, ex quo sub doctoribus esse desierat. Nihil tam grave accideret temperantissimo viro, quàm nondum emeritum veteranorum honoribus admoveri. Nequicquam diu reluctatus, incredibile est, quà verecundià magistratum adierit, quem tamen ita gessit, neminem ut pa-

Messanæ gravissimam contrahit valetudinem.

Deipara, & una Franciſcus Cajetanus se ei ostendunt, & incolumẽ reddunt.

Tirocinium Panormitanum summa cum laude administrat.

rem habuerit. Tirones enim mirum in modum, paternâ sibi caritate conjunxit, & arbitratu suo finxit; in eo præsertim laborans, ut teneros eorum animos Deo primùm, deinde Societati conciliaret, quod suavissimâ quadam ingenuæ, apertæque benevolentiæ administratione facilè est consecutus: nam nemo erat, qui non putaret, præcipuâ se curâ supra reliquos diligi, & observari, nemo ausus est missionem petere, nemo potuit non eum plusquam quos domi reliquerat, sive patrem, sive matrem amare, ac vereri. Testatus est Frater Simon Buccerius, vir præclarissimâ sanctitate, atque prudentiâ conspicuus, qui in tirocinio Panormitano consenuerat, non alium se novisse juventutis institutorem, qui disciplinæ suæ alumnos tam accuratè informaret, tam certo consilio, cupiditatibus exueret, & tantâ orationis virtute eorum animos, intimasque medullas pertentaret, atque quócunque vellet adduceret: cœlesti enim instructus sapientiâ, eorum mentes penetrare consuevit, & cogitationes, occultosque animi motus, de cœlo cognoscere, si fortè ipsi aut verecundiâ prohiberentur, aut altiora quædam humani cordis latibula, ut vellent, non satis explicarent: ceterùm quum nihil esset in eo triste, nihil asperum, vel austerum, sed apertissimos haberet aditus, & jucundâ facilitate juniorum sibi fiduciam, & voluntatem demereret, laborandum non fuit, ut ipsi arcana quæque consilia ultro panderent, & nihil eum latere paterentur. Tertio quoque die universos in commune adhortabatur, & ad cœlestium amorem, rerumque humanarum contemptionem ita inflammabat, ut plerique in terram proni publicè se demitterent, & enixè postularent, ut copia sibi fieret, quæcunque in omni vita deliquissent, enunciandi. Sed hunc ille suorum rectè vivendi, ac sentiendi ardorem, in nocturnis illis colloquiis, a Deipara impetrabat, cum qua agebat de singulis accuratissimè, & ab ea discebat, quâ ratione unumquemque, pro ingenii varietate, admoneret, atque ad virtutem fingeret, & ad disciplinam temperaret.

Optimæ ejus gubernationis præclarissimũ testimonium.

Tironum animos sibi conciliat, & ad virtutem inflammat.

XL. Quod autem attinet ad familiarem Romani cum Deipara consuetudinem, non obscurum extat documentum apud R. P. Petrum a S. Andrea Historiæ Carmelitarum discalceatorum Scriptorem, cujus narratio cum Provinciæ monumentis optimè congruit. Quo tempore P. Carolus Romanus Panormitano præerat tirocinio, Panormum invecti sunt Theresiani Cœnobitæ, qui locum ædificando Cœnobio ceperant in pomœrio Civitatis, extra portam, quam ajunt, novam, non procul a regio Palatio, quod intra teli jactum, areâ interjectâ, di-

P. Petrus a S. Andrea lib. 3. cap. 43. Histor. Gen. Fr. Carmelit. discalceat.

sta-

ſtabat. Perculit ea res Civium animos, quod videretur id ædificium hoſtibus tutum fore perfugium, munitamque arcem, ex qua tormentis oppugnarent mœnia Civitatis, ea ſi fortè obſideretur: quare Proregi Oxunæ Duci facilè perſuadent, ut regio palatio, quod e regione emineret, proſpiciat, & eos inde faceſſere jubeat. Sed Prorex oſtento perterritus ab ea mente deſiſtit. Quæ res Cives uſque adeo exacerbavit, ut nemo jam eſſet, qui Cœnobitis, rerum omnium penuriâ laborantibus, opitularetur: itaque herbarum radicibus vitam aliquandiu tolerare coacti ſunt. Eos tamen Deipara non deſeruit: quum enim ſe Romano oſtendiſſet de nocte vigilanti, iſque, ut facere conſueverat, præſentem obteſtaretur, ut apertè ſignificaret, qua in re gratificari ei poſſet; Deipara: *Nihil mihi gratius feceris, quàm ſi filiis meis, qui propemodum fame necantur, præſto fueris.* Quærenti autem Romano, quinam hi eſſent filii, reſpondit: *Exigua eſt illa Carmelitarum Colonia, quæ meis auſpiciis nuper Panormi ſedem fixit, & in loco capiendo plurimùm offendit.* Nihil jucundius Romano accideret. Ut illuxit ad Carmelitas advolavit, quæ mandata haberet, expoſuit; rebus omnibus defectos reperit, liberaliter ſublevat, prandium, & cœnam interdum ſubmittit; rogat, nè graventur in domeſticis difficultatibus, quæcunque deinceps inciderent, ad ſe confugere, ſibi ſatis, ſi admoneatur, fore pollicetur, ut fortunas omnes alendis ipſis conferret. Quum verò verecundiùs agerent, & parciſſimè peterent: jam cibaria, jam pecuniam ultro deferebat, jam eos adibat, jam per internuncios explorabat, nunquid re aliquà indigerent: ita eorum inopiæ mederi modis omnibus ſtuduit: quoad pacatis civium animis, per ſe ipſi ſibi alimenta corrogarent. Sed quàm fuerint officii, atque obſequii memores Diſcalceati Carmelitæ, & quanti Romanum, ac Societatem deinceps fecerint, non ſilent monumenta, aut ejus præclariſſimi Ordinis, aut Siculæ Societatis Provinciæ.

Deipara Romano præcipit, ut Thereſianorum inopiæ medeatur.

Romanus eos modis omnibus ſublevare ſtudet.

XLI. Porrò Romanus, quo nihil fieri poterat temperantius, nihil non movit, quò ſe tam illuſtri magiſtratu abdicaret: quod quum neque ab Alexandro Provinciæ Præſide, neque a Vitelleſco impetraret, a Deo contendere inſtituit, per Deiparam, quæ carum ſibi hominem diutius in honore torqueri non ſuſtinuit: quare in ſurditatem repentè incidit, quà tandiu affectus eſt, quoad poneret magiſtratum, in quo biennium collocaverat. Eà pariter curà, atque honore ſolutus, Lauretanam peregrinationem aggreditur, multa perpeſſus terrà, marique. Laureti dies noctesque contemplandis magnæ Matris virtuti-

Tirocinii Panormitani Magiſtratum abdicat.

Digitized by Google

bus, maximisque meritis dedit, Marianæ domui, quandiu licuit, perpetuò affixus. Placuit Deiparæ, quàm gratum sibi fuerit ejus obsequium, Clienti suo declarare. Quum enim ibi versaretur, Deiparam inusitatâ specie videre meruit, & unà sponsum ejus Josephum; medium verò inter Matrem, Matrisque conjugem puerum Jesum, quem uterque manu duceret. Non putavit Romanus, cœlestes Cives majoribus frui gaudiis, quàm quæ ipse eorum conspectu percepisset: non enim aliàs tanto lucis, & formæ apparatu, illi se Deipara ostenderat, neque eos adduxerat comites. Et sanè tanta fuit ejus horæ voluptas, ut per universæ ejus vitæ spatium redundârit: quoniam ejus meminisse non poterat, quin ubicunque esset, infinitâ quadam jucunditate perfunderetur, quæ ex animo in oculos, genasque manaret. Romà prætereuntem Vitelleschi tantà benevolentià complexus est, ut digredienti in mandatis dederit, omnino nè deinceps negligeret, ex Provincia de se suisque rebus quàm sæpissimè ad eum perscribere. Extat autem fasciculus Vitelleschi ad Romanum litterarum, quibus quanti eum faceret, atque diligeret, nunquam satis se ostendere posse non semel queritur. Regressus in Provinciam in Collegio Panormitano consedit, ubi se totum juvandis civibus tradidit; nisi quod interdum in expeditionem exibat, & insulam concionando lustrabat.

Medium inter Deiparam, & Josephum puerum Jesum videt.

Vitelleschi erga P. Carolum benevolentia singularis.

XLII. Sed eæ excursiones adeo salutares fuerunt, ut accedenti obviam prodirent Oppida, & Civitates; & tanquam hominem de cœlo lapsum, de genu populi exciperent, & interdum audirent. Dijudicari non potuit, uberioremne fructum ex assidua defatigatione, an ex fama sanctitatis retulerit. Utramque magnam fuisse constat. Nam vix ex equo descenderat, ita ut erat ocreatus, lassus, & luto respersus, pluviáque madidus in concionem prodibat, & nullâ sibi temporis parte, nè ad quietem quidem, relictâ, ex finitimis etiam locis confluentes populos cœlesti igne incendebat. Elucebat autem ex ejus vultu divinitatis in eo residentis mira quædam communio; quam quum omnes intuerentur, quæ supra naturæ virtutem essent, ab eo passim petebant, neque rarò impetrabant. Adjuvabat etiam Deus præconis sui conatus intimis quibusdam aculeis, quos jam ipsi, jam aliis injiciebat. Caccamo Christianis jam sacris, maximo Oppidanorum motu lustratâ, discessurus, intestino quodam sensu admonitus, ut tantisper adhuc conquiesceret, substitit: quum ecce tibi, accurrit puella, quâ Pater ejus, multos jam annos, concubinæ loco abusus fuerat, & flens ab eo petit, ut sibi subveniat: quoniam Pater in incæsto

Ejus apud exteros fama sanctitatis.

Puellam, quam Pater ejus deperibat, in tuto collocat, & Patrem emendat.

per-

Digitized by Google

permanere vellet, eamque domi detinuerit, nè ad eum diem peccata religione expiaret, rogatque, ut sapientiâ suâ utrique consulat. Ille sibi metuentem confirmat, peccata excipit, in tuto collocat, Patrem convenit, & flectit, atque emendat; dotem corrogat, puellam honestis nuptiis maritat. Quæ omnia tam sapienter administravit, ut utriusque saluti, ac famæ consultum sit: nemo enim animadvertere potuit quorsum tenderent, quæ Romanus publicè gereret. Quum verò Panormi hiemaret, vel æstivaret, nihil sibi ad laborem reliqui facere instituit: ad ceteram informandæ juventutis consuetudinem, & christianæ doctrinæ traditionem, curam adjecit menstrui amplificandi cœlestis mensæ convivii. Sodalitatem proinde excogitavit, cujus præcipuum esset munus imminentis jam diei populum admonere, ut copiosè tradidimus ad annum 1617. num. 6. Cernere autem fuit, exeunti cum Marianis Sodalibus Romano, obvios quosque Togatos, Regios Administros, Optimates, & Proceres, se aggregare, concionibus adesse, & ad omnia religionis officia descendere. Auctor est Tornamira, numeratos esse ad quinquaginta ferè millia, qui singulis mensibus, Romani operâ, in Panormitanæ Domûs Templo ad divinum Epulum accederent.

Menstruum cœlestis mensæ convivium mirum in modum amplificat.

XLIII. Jam singulas ejus virtutes attingere ante præstat, quàm de fato ejus meminerimus. Minimi fuit cibi, quem singulis semel diebus, vulgarem, & modicum capere solitus est, nisi fortè concurrerent, qui culpis exponendis secretum postularent: tum enim inediæ immemor diem noctemque jejunus perstabat, donec animo linqueretur, & exanimatus deficeret. Ante annum ætatis quartum, & trigesimum dentes omnes amisit, quorum damnum accuratissimis litteris consolatus est Vitelleschus; quod plectra linguæ, quibus tantopere usus est concionantibus, debilitari necesse esset. Sed neque vocis officium est hebetatum, neque Romanus sibi edentulo aptari obsonia passus est; communes enim cibos quoscunque, ut antea, adhibuit: quare interdum accidit, ut solo pane vesceretur. Attulit autem ad corporis imbecillitatem, & perpetuò affectam valetudinem jejunia, vigilias, cilicia, quotidianam cruentorum flagrorum consuetudinem, quibus rebus effectum est, ut extremâ macie consumptus inhærentem ossibus pellem ostenderet. Sed qui erga se austerus, & propemodum immitis habitus est, humanissimum se aliis præbuit, præsertim in magistratu: statuebat enim, nihil tam facere ad divinum obsequium, & Societatis incrementum, quàm viam sternere ad virtutem, remo-

P. Carolus Romanus asperè, ac inclementer se tractat.

Aliis humanissimum, ac clementem se præbet.

motis salebris, & sentibus, facilem, & optabilem. Insitam a natura mansuetudinem doctrinâ, & usu cumulavit. Nullæ adversæ res, animi, & oris ejus tranquillitatem interpellârunt. Iratum nemo unquam vidit. Ipsa reprehendendi ratio nihil habuit acerbitatis, & iracundiæ, plurimum lenitatis, & amoris. Nunquam auditus est de aliquo, aut de re aliqua queri. Nemo apud eum nisi probus, & laude dignus. Nihil sibi jucundius, quàm carere rebus omnibus, & si quæ domi essent deteriora, ea sui juris esse velle. Indumenta corpori non admovit, nisi vetustate detrita, resarta, & adjectis panniculis interpolata: eas autem vestium futuras, quas ille cicatrices nuncupabat, lætus, & gaudens suavissimè osculabatur, tanqnam animi sui vulnerum vestigia, qnibus Societatis disciplina mederi potuisset. Inopes propter usum paupertatis tanquam fratres dilexit, & pro viribus juvit; nam neminem tristem, aut vacuum abs se dimisit, neque qui res ejus accuratè scrutabantur, reperiebant, undenam tanta pecunia ad eum proveniret, quantam quotidie pauperibus largiretur.

Deterioribus indumentis, & vetustate detritis utitur.

Occulta & futura prænoscit.

XLIV. Deo Romanum fuisse carissimum, & intimis amicis ejus annumeratum, tum superiora declarant, tum quod & occultorum, & futurorum participem fecerit. Quum in magistratu esset tirocinii Panormitani, Antonium Madonam Calatanixetensem, qui tiro proximà nocte fugam tentaverat, & spectris exterritus ab incœpto destiterat, summo mane acciri jussit, & leniter objurgatum, quod datam Deo, ac Societati fidem prodigere cogitâsset, admonuit, a Deo se impetâsse, ut & monstris terreretur, & nunquam deinceps stygiis ejusmodi insidiis oppugnaretur. Atque ut attonitum, & de se metuentem confirmaret, adjecit: *Perge mereri in castris Societatis, in quibus strenuum, & utilem te Christi militem futurum recipio, & ad Indos navigaturum, ibique vitam in acie positurum*; neque secus factum comperio. Antonium Moncadam Montalti Ducem, & Principem Paternionis, opibus, nuptiis, atque ætate florentem, admonuit, nè si fortè Joanna conjux discessionem, & commeatum peteret, ut humanis se rebus abdicaret, & Christo addiceret, auderet ipse voluntati ejus obsistere: quoniam futurum esset, ut uterque ante mortem religiosam vitam iniret; quamvis neuter modò quid tale cogitaret. Risit Dux vaticinium: sed Romano defuncto, Joanna divortium flagitavit, & in ea sententia quam diutissimè perstitit, neque tamen Antonius adduci poterat, ut uxorem carissimam abs se divelli pateretur. Sed gravissimâ tentatus valetudine, ex qua ad mortem

Antonio Madonæ ad Indos profectionem prædicit.

Antonium Moncadã, ejusque conjugem religiosam vitam inituros vaticinatur.

Digitized by Google

tem adactus est, quàm medici in horas imminere pronunciaverant; tum verò Romani memor vaticiniorum se respexit, & Uxori nuncium remisit, quo facto febri exemptus est. Itaque Joanna Cœnobium Panormi condidit Sacrarum Virginum Theresianarum, & eò secessit, ac sacramentum dixit. Antonius Sacerdotio primùm initiatus, deinde militiæ nostræ adscitus, paulò post Neapoli extinctus est, ut ad annum 1632. Antonium Bononiam patritium Panormitanum, virum optimum, & Romani amicum, inimicorum obtrectatione Filibertus Sabaudiæ Princeps, & tum Siciliæ Prorex contumeliosè habuerat, seque infensissimum fore edixerat: eà re Bononia domum se tristis receperat, & incœnatus lecto se dederat, neque tamen præ animi ægritudine somnum capere poterat. Sed ecce Romanus Marineo multà jam nocte redux, priusquam Domum se reciperet, rectà ex equo ad fores ejus contendit, secretum postulavit, & quum jacentem reperisset, non secus ac si rebus omnibus, quæ eo die gestæ essent, interfuisset, ultro negotium, de quo actum fuerat, versare cœpit, de accepta injuria differere, & mœrentem confirmare: *Nè metueret, injuriam fore diuturnam; quoniam brevi cum vita Principis, ut viribus, & ætate florentis, extinguendam esse pollicebatur.* Quæ quum Quintilis initio pronunciâsset, Filibertus, III Nonas Sextiles vitæ finem nactus est. Vaticinii autographum ejusdem Bononiæ manu consignatum, inter Provinciæ monumenta repertum exscripsi. Proximum Filiberti fatum sub idem tempus indicavit etiam Romanus amico Sacerdoti, qui quum narraret quantopere ei Princeps studeret, & quàm magna polliceretur, hæc Romanum respondisse testatus est: *Nolite confidere in Principibus, in quibus non est salus*; & addidisse: *Utinam propenso Filiberti erga te animo tempus non esset defuturum!*

Antonium Bononiam sibi metuentem divinitus admonitus cõfirmat.

Proximam Filiberti Sabaudiæ Principis mortem prænũciat.

Psalm. 145. *vers.* 2.

XLV. Verùm singula persequi absque legentium satietate non possumus: quare, reliquis prætermissis, nonnulla attexere liceat. Obvium Petrum Corsetum, nobilissimum Jurisconsultum, & regiæ potestatis Patronum, (qui postmodum Regni Præses, & Pontifex fuit Cephalœditanus) de secessu apud se cogitantem, his ultro verbis Romanus aggressus est: *Maximè tibi gratulor, quòd humanis rebus valedicere tecum agitas. Quæ quidem honesta sunt, & salutaria desideria, ab eventu tamen longè remota.* Diriguit ad ea Corsetus, qui nulli hominum, quæ animo versaret, enunciaverat, præsertim quod in Romani loquentis vultum, oculos conjiciens non hominem, sed cœlestem quandam mentem, divinitate instinctam sibi audire visus est:

Quæ secum animo quidam agitabat, P. Romanus perspicit, & enunciat.

Digitized by Google

est: quâ specie usque adeo commotus est, ut capillus arrigeretur. Caccami Romanus quum esset, allatæ sunt ei Josephi Bononiæ litteræ Panormi gravissimè ægrotantis, & opem ab eo petentis. Rescripsit Romanus: *Nihil se de ejus salute laborare, cui eas ipsas litteras integro, & incolumi redditum iri non ignorabat*. Reversus Caccamo nuncius Bononiam salvum, & stantem reperit. Exeunti Romano, ex atrio Collegii Panormitani, magno cum agmine Sodalium Marianorum, tantus occurrit nimbus, ut cœlum ruere videretur: quare primi investibulo substiterunt: quod quum ille animadverteret, qui postremus sequebatur, ad eos convolavit, jussitque agmen procedere: illis autem cunctantibus propter imbrium magnitudinem: *Nihil est*, inquit, *cur exire timeatis*: tum Angelicam Deiparæ Salutationem inchoat. Illi prodeunt, & ut pedem tecto efferunt, nimbus repentè conquiescit. Adfuit prodigio Antonius Bononia cum Principibus Civitatis, & publicis litteris testem se præbuit. Sodalem ex ejus numero Marianum, in officio cessantem, frustraque crebrò admonitum, denique exauctoratum dimisit, & discedenti ait: *Quàm graves Deiparæ pœnas dabis!* Paucos post dies ex ære alieno in vincula conjectus, & masculæ libidinis per calumniam postulatus, morti addictus est. Adfuit damnato Romanus, confitenti aures dedit, mœrenti, quòd cum tanto familiæ dedecore, conflatis testibus, supplicium summum esset subiturus, pollicitus est: *Nullam inde profecturam infamiam, quod propediem ejus esset innocentia illustranda: sed eam interea necem lucro apponeret, quæ aliarum culparum, & pœna, & finis esset*. Itaque Romano lateri ejus affixo, suspendio necatus est, atque combustus. Non tamen conflatis testibus impunè fuit: nam intra mensem calumnia compertâ, damnati sunt, & eorum supplicio innocentis fama redempta, ut Romanus prænunciaverat. Tironibus peregrinaturis, & ab Romano magistro suo commeatum petentibus, reclamantem veteranum qui fortè aderat, quòd procelloso anni tempore malè palliati exirent, ita excepit: *Quare teneros adolescentes pedibus ituros, gravioribus palliis onerabimus? Profectò vel sudum erit, vel si nimbi se effuderint, eos non attingent*. Sudum planè non fuit; sed imbres maximi, densis omni ex parte nubibus defluxerunt: Tirones verò Romani vaticinio, & precibus assignabant, quod pluviâ immunes per siccum incederent, aquis dextrâ lævâque magno impetu decidentibus. Comitialem infantem Franciscum Lavallem Joannæ Gravinæ sororis filium, Catanæ coram

Ro-

Josephi Bononiæ graviter ægrotantis incolumitatem præsagit.

Sodali Mariano in officio cessanti graves pœnas ominatur.

Tirones, ut Romanus portenderat, pluviâ immunes incedunt.

Digitized by Google

Romano, vitio correptum Marianis calculis tetigit, atque restituit, neque deinceps epilecticum fore recepit, quemadmodum contigisse tradit Antonius Bononia, qui plura alia congerit, & testimonium claudit his verbis: *Familiare erat P. Carolo Romano quidquid in intimo mentis recessu tacitus volverem, ita mihi narrare, ut si animi codicem aperirat, & occultissimas cogitationes ex eo legeret. Quod quum vehementer admirarer, rogaremque, quâ ratione id fieri posset; respondit, divino se beneficio id assecutum, ut eorum, cum quibus ageret, nuda sibi apertaque mentes essent, nè quid lateret, quod suâ ipsorum salutis interesset.*

Ejus in occultis dignoscendis virtus declaratur.

XLVI. Demum Golesani, ut strenuus Christi miles in acie extinctus est: dum enim sacram ibi expeditionem Quintili mense aggreditur, & per summos calores incredibili alacritate indefessus exequitur, semel & iterum lætiferâ febri perculsus, P. Erasmum Marottam e proximo Calatanixetensi Collegio accersiri jussit; apud quem universas superioris vitæ maculas, magno animi sensu, multisque lacrimis sacrâ confessione expiavit; & plurimùm questus est, quòd non penes Indos, ut tandiu expetierat, & crebris litteris flagitaverat, sanguinem religionis, ac Christi causâ profunderet, vel saltem, grassante jam Panormi pestilentiâ, in eorum obsequio & famulatu interiret, qui luem contraxissent. Ceterùm se nil tam cupere ostendit, quàm animum corporis exemptum vinculis, Christo committere. Marotta autem, qui morientis culpas omnes audierat, testatus est, Romanum nullâ unquam gravi labe corpus, aut animum polluisse. Sublatis itaque in cœlum oculis XVII Calendas Septembres, suavissimè conquievit, annos natus quatuor & quadraginta, quum quatuor votorum sacramentum in Domo Panormitana coram Carolo Mastrillo dixisset X Calendas Junii anno 1616. Erant tum Golesani Montalti Duces Antonius, & Joanna, quorum jussu Romani corpus Calatanixetam, avitum familiæ Oppidum, lecticâ est importatum, elatumque summis honoribus. Defunctum laudavit noster Sacerdos, qui virtutum ejus commemoratione uberrimas elicuit lacrimas, quas tamen maximè omnium contulit P. Vincentius Romanus frater ejus natu major. Placuit Montalti Ducibus corpus discreto loculo inferri prope gradus anteriores aræ maximæ vetusti templi Societatis. Sed anno sexto, ex quo decesserat, effossum, & cupressinâ clausum arcâ, a tergo aræ majoris Templi recèns extructi, & publicati terræ mandatum est, additumque ejusmodi elogium plumbo insculptum: *P. Carolus Romanus e Societate*

Golesani dum sacram exequitur expeditionem, vitam ponit.

Corpus Calatanixetam importatur, & se posito loculo inclusum tumulatur.

Elogium plumbo insculptum additur.

Jesu, profundissimæ humilitatis, ardentissimæ caritatis, quæ totum mundum complectebatur, Angelicæ puritatis, & perpetuæ unionis cum Deo, rerum creatarum contemptor, omni virtutum genere ornatissimus obiit XVII Calendas Septembris anno Domini 1624. Plurima sunt precibus ejus & vivi, & mortui cœlestia beneficia collata quamplurimis, quorum meminit Tornamira, cognatus ejus. Sed ea festinationem nostram fugere necesse est.

P. Lucii Bonelli obitus, & res præclarè gestæ.

XLVII. Sed non adhuc exhausimus laudatorum hujus anni virorum funera. Melitæ lentâ, tenacique febri, florentissimâ ætate consumptus est, annos natus sex & triginta, Calendis Junii P. Lucius Bonellus Gaulitanus, cujus ea præcipua fuit laus, ut populares suo, quos tempore Societas in Gaulo, quæ parva est insula Melitæ adjacens, domicilium habuit constitutum (quo postea se abdicavit) ab insigni ruditate, & religionis inscitia ad Christiana officia traduxit; quemadmodum P. Josephus Castelnovus, qui eo tempore in magistratu erat Collegii Melitensis, adnotatum reliquit, ut sequitur: *Ea erat gentis barbaries in insula Gaulitana, ut se vix Christianos scirent. Operosâ P. Lucii Bonelli industriâ, quâ Cathechismum explicando, quâ conciones vernaculâ linguâ habendo, quâ accedentes benignè excipiendo, id denique effectum est, ut tenebras insulani perosi suas, Christiani officii lucem & agnoscerent, & amarent. Nunc tandem Christum didicisse palàm omnes profitentur. Dies festi Confessionibus virorum dati: hac diligentiâ factum, ut mille atque adeo plures peccata totius anteactæ vitæ confitentes Sacerdos unus audierit.* Tanta etiam Melitæ fuit ejus opinio Sanctitatis, ut Catalianus Casatus veteranus eques Hierosolymitanus & Sanctum appellare, & quidquid esset pecuniæ, jam eo petente, jam ultro, ei committere consueverit, ut sine fraude ad inopes perveniret. In fastis Collegii Melitensis ita de eo traditum comperio: *P. Lucius Bonellus Melitensis venit ad Societatem die V Julii* 1605, *ætatis XVII. Obiit die I Junii* 1624. *Homo in exercendis Societatis muneribus aptissimus. In Gaulitana Residentia superior, habitus, & dictus ab omnibus sanctus, nunquam in toto vitæ curriculo vultum femina aspexit.* Desideratus est etiam in Collegio Panormitano VIII Calendas Octobres, anno ætatis tertio supra sexagesimum, P. Josephus Raguſa, Julianæ oppidanus, summis ævi sui ingeniis annumeratus. Viridem ætatem magna cum eloquentiæ gloria sacris concionibus contulit, maturiorem severioribus studiis. Tradidit Parisiis Philosophicas artes, divinas

Gaulitanos religionis planè rudes ad christiana officia traducit.

Ejus apud omnes opinio sanctitatis.

P. Josephus Raguſa Societatis munera laudatissimè obit.

Pa-

Patavii, Messanæ, Panormi annos ferè quatuordecim; majora studia in Collegio Panormitano annos admodum octo Præfectus rexit, cujus etiam magistratum gessisse memorat Mongitore, neque annum apponit: nos Raguſæ nomen neque in serie Collegii Panormitani Rectorum, neque in tabulis, monumentisque Provinciæ accuratè conquisitum invenimus. Horarum servantissimus, super reliquam communis disciplinæ præstandæ curam singulis diei partibus, singulas affixit privatas occupationes, & religiosè custodivit, neque eum ordinem, nisi infirmus interturbari passus est. Serus ac lentus, sed sapientissimus, certissimusque consultor arduis, gravibusque negotiis a primoribus Curiæ, & Civitatis quotidie admotus est. Propter doctrinæ amplitudinem, atque excellentiam in sedandis angustarum mentium titubationibus nemo fuit eo peritior, & accuratior. Inculpatam domi forisque vitam clausit anno undequinquagesimo ab inita Societate, undetrigesimo a quatuor votorum sacramento. Edidit unum, & alterum volumen *de Christi Humanitate* typis Lugdunensibus anno 1619, & 1620. Servat inedita Bibliotheca Collegii Panormitani volumina *De Justificatione, de Pœnitentia, de Baptismo, de Eucharistia. Commentaria in primam secundæ, de Natura, & Gratia, de Sacramentis*. De Josepho Raguſa cum laude commemorant Franciscus Baronius, Alegambe, Rocchus Pirrus, Franciscus Bardus, Philippus Labbæus, Joannes Baptista Ricciolius, & Antoninus Mongitore, qui laudatos allegat scriptores, & loca indicat.

Mongit. Biblioth. Sicul. Tom. 1. pag. 401. col. 1.

Emendatissimam domi forisque vitam instituit.

Antonin. Mong. ibidem.

XLVIII. In Patria quinquagenarius fatum subiit P. Balthasar Balduccius Syracusanus, qui ex Collegio Panormitano, negotiorum causà eò concesserat. Patritio genere ortus, & fratrum natu maximus, nobili Carcacciæ patrimonio se abdicavit, & Societati addixit. Amœniores secutus litteras, eas Panormi diu tradidit, deinde Philosophicas artes, denique sacrorum Bibliorum codices est interpretatus, maximè ab ingenio, doctrina, & navitate commendatus. Panormi anno 1606 repertam Quadraginta Horarum religionem, anno 1618, quo quartum sacramentum dixit, mirificè amplificavit, & ad summum splendorem, atque frequentiam adduxit, quod assiduis concionibus est consecutus: nam in singulis templis, primo & supremo religionis die, elegantissimas orationes habere instituit, ut populi pietatem excitaret; eumque laborem planè gratuitum nonnisi mors intercepit. Vitæ ejus consuetudo laboriosa, gravis, jucunda, innocua, & quæ comitatem, ac temperantiam maximè præseferret. Decessit IV Ca-

P. Balthasar Balduccius sui ingenii, ac doctrinæ specimen edit.

P. Petri Alagonæ mors, & virtutes.

lendas Octobres. In Romana denique Domo Octogenarius naturam explevit P. Petrus Alagona item Syracusanus, Vir ingenio, atque doctrinâ inclytus, qui annos ipsos viginti in Philosophicis, sacrisque tradendis disciplinis apprimè semper laudatus, Panormi, ac Messanæ primùm, deinde Romæ collocavit, ubi flagitante Clemente VIII Societatis hominem, qui eorum scientiam publicè exploraret, quos majorum Sacerdotiorum candidatos Romanus Pontifex ad infulas designaverit, Aquaviva, cui optionis negotium datum est, Alagonam optavit, integritate, & omnigenâ eruditione spectatissimum: quo in munere annos triginta consumpsit, & qui post Clementem regnavere, Pontificibus maximis, Paulo, Gregorio, Urbano operam suam summopere probavit. Anno 1684 Collegium Drepanitanum in interregno administravit, & difficillimo tempore in retinendo, ac tuendo, quem ceperat, locum prudentiâ, & consilii altitudine plurimùm adjuvit. Gessit etiam Romanæ *Pœnitentiariæ* domesticum Collegii magistratum, æquè carus, & acceptus sive privatus, sive in honore versaretur. Habitus est antiquæ fidei, ac probitatis homo, in quo virtutes omnes, temperantia, frugalitas, religio, pietas, sapientia de principatu certarent. Plura, eo vivo, prodierunt ejus doctrinæ monumenta: nimirum *Compendium Manualis Martini Navarri. Compendium ejusdem Commentarii de Usuris. S. Thomæ Theologica Summa compendium. Juris Canonici Compendium, duobus voluminibus digestum.* Extant in Bibliotheca Collegii Panormitani duo ejus inediti codices Dialecticæ, & Physicorum. Laudaverunt Petrum Alagonam, Philippus Alegambe, Labbæus, Felix Gerardus, Haubertus Miræus, Joannes Baptista Ricciolius, Vincentius Coronellus, aliique quamplurimi, præter Matinam, Rielam, & Antoninum Mongitore, Siculæ eruditionis Principem, apud quem superiorum Scriptorum loca indicata reperies. Mortalitatem exuit XIV Calendas Octobres, quum annos sexaginta in Societate meruisset, in qua Vota quatuor Romæ nuncupavit.

Romæ tribus Pontificibus maximis suam operam summopere probat.

Plura ejus doctrinæ monumenta.

Antonin. Mongit. Bibl. Sicul. tom. 2. pag. 127.

XLIX. Decimo Calendas Octobres Româ nuntiatum est Vitelleschi litteris, quæ eo die Hieronymo Alexandro Provinciæ Præsidi Messanæ redditæ sunt, Franciscum Borgiam Urbani VIII decreto, inter Beatos Cœlites relatum esse, & præstitutas ejus honoribus Calendas Octobres, quo die extinctus est. Sed Panormi cùm propter temporis angustias, tum propter ærumnas pestilentiæ, præter solemne cum concentu Sacrificium, non alia hoc anno est adhibita ceremonia. Messanæ verò, quam

Honores Francisco Borgiæ inter cœlites relato Messanæ habiti.

ea

ea contagio nunquam attigit, honores habiti sunt magno nostri Templi apparatu, atque concentu, maximisque communis, publicæque lætitiæ significationibus. Duodecim præsidiorum militum laureatæ centuriæ, quadrato agmine Civitatem lustravere, & acie in longum instructâ pro Templi foribus hinc inde consedere. Arcis Guelfoniæ Præfectus, nostri Gundesalvi de Tapia, qui a barbaris Mexicanis, religionis odio, anno 1594 necatus est, frater, rerum nostrarum studiosissimus, magno tormentorum boatu de Borgiæ honoribus Civitatem admonuit. Funalia, & crebri ignes totâ Urbe dispositi, editioribus præsertim locis, quæ nocturnum præberent spectaculum, Calabris etiam ultra fretum, mirè conspicuum. S. Crucis Marchio, Classis Præfectus, de prima vigilia duodecim triremes, elegantissimè instructas, quarum singulæ, malis, antennis, armamentis plusquam mille faces ostenderent, in portum intulit, quæ maritimos ludos exhiberent, & veluti ad conflictum omni ex parte discurrerent, faces interea jactantibus classiariis, atque remigibus, magno tubarum, & tibiarum concentu. Solemne Sacrificium coram Senatu peregit Hieronymus Alexander: laudavitque Borgiam & Societatem P. Joannes de Ponze, Paulanus Cœnobita, ejus ævi oratorum facilè Princeps, qui formatum hispanienſi oratione sermonem, postea Messanæ edidit, & evulgavit. Non abs re in nostra scripta pervenerit Andreas Mastrillus Pontifex Mamertinus, cujus tanta extant in Societatem, & Domum Messanensem merita, quam annuis largitionibus sublevavit, & tanti fecit, ut & sine alumnorum ejus opera, atque consilio nihil unquam moliretur. Defunctum in funere laudavit P. Carolus Cirinus, qui quum maximas virtutes ejus exponeret, auditores ad complorandum adegit. Ardente Panormi pestilentiâ, P. Demetrius Licander, qui Domui præerat Mamertinæ, Senatui auctor fuit, ut Deum iratum religionibus propitiaret, quarum ea esset maxima, si divina *Eucharistia* populo adoranda proponeretur. Quare, præmissis concionibus, quibus Civitas ad culparum fugam, & expiationem excitaretur, instituta est magno extra ordinem apparatu, atque concursu Quadraginta Horarum supplicatio, quæ triduo peracta est, ut ante Deus pacaretur, quàm eam cladem invoheret. Ei religioni plerique assignabant, quod Mamertina Civitas, flagrante in finitimis oppidis contagionis incendio, servata sit, & incolumis evaserit. Meminit hoc anno Pellizzarius, quinquies de Cœlo prodigiis significatum, quàm Deo sint grati P. Cæsaris Cossi Manes; item magnâ ceremoniâ in Templo Socie-

Militum, & universæ Civitatis significationes lætitiæ.

Andreæ Mastrilli erga Societatem merita.

Divinæ Eucharistiæ religione peste Messanâ servata esse creditur.

Sanctorum reliquiæ in nostrũ Mamertinum templum invectæ.

Digitized by Google

cietatis Mamertino ad cultum, & venerationem data Sanctorum, Sanctarumque corpora, quorum nonnulla P. Hieronymus Alexander dono dederat, reliqua P. Benedictus Moletius Romà superioribus annis secum devexerat; & ea sunt nomina: Messina *Martyr*. Benedicta V. M. item SS. MM. Silvius, Paulinus, Julius, Sergius, Basilius, Olimpius, Diodorus, Urbanus, Calistus. Institutum est autem elegantissimum sacrarium, christallino opere elaboratum, auroque interlitum, loculisque distinctum, & in dies mirificè auctum, & amplificatum, quo cœlestium animarum lectissimæ exuviæ continentur.

1625

L. Alternandi consuetudo postulabat, ut anno 1625, adventante Provincialis Conventùs tempore, is Panormum Aprili mense convocaretur. Sed qui est consecutus pestilentiæ metus, quæ tum maximè Panormi sæviebat, Hieronymum Alexandrum compulit, ut Conventum, mense Aprili Messanæ celebrandum indiceret. Quoniam verò omnis ex Sicilia in Italiam interceptus esset aditus; Conventus est ampliatus, dum exeundi potestas fieret, quà demum impetratà jussi sunt Patres ad Calendas Octobres Messanam convenire, quòd ea Civitas pestis suspicione careret. Negavit tamen Senatus Mamertinus intra mœnia recipi oportere, qui ex locis peste, vel pestis suspicione tentatis exissent; nè mercimoniorum libertas eriperetur, & commeatus includerentur. Quare Alexander Patres admonuit, ut Calendis Octobribus Mœnis præsto essent, ubi propter Collegii amplitudinem, & opulentiam, atque aëris salubritatem, percommoda esset omnibus statio, & summà Mœnenium voluntate impertita, qui nostros homines unde unde venirent, receptum iri pollicebantur, modò nullum inesset corporibus vitium, quod pestilentiæ suspicionem afferret. Die igitur præstituto cogitur Mœnis XXIII. Provinciæ Conventus, & postridie designatus est, qui acta litteris committeret P. Marius Pacius, datusque est ei laboris particeps P. Vincentius Galletius. Dicti etiam sunt ad seligenda negotia, de quibus ad Conventum referri oporteret, PP. Jacobus Dominicus, & Carolus Rossus. Quarto Nonas optatus est Provinciæ ad Romana Procuratorum comitia legatus idem Dominicus. Postridie Nonas deliberatum est in Conventu de partienda in duas Provincia, quam propter amplitudinem immensi corporis, unum caput moliri non posse videbatur. Versata est res in utramque partem accuratissimè. Sed non valuerunt saniora consilia, quæ nonnisi duos numeravere suffragatores, atque patronos P. Hieronymum Roccam seniorem Salemitanum Collegii Netini Rec-

Vigesimus tertius Provinciæ conventus Messanæ indictus.

Messanæ aditu intercepto Mœnis cogitur.

De partienda in duas Provincia in conventu deliberatur.

Digitized by Google

dorem, & P. Sebastianum Seleglies Olivæ in Hispania ortum; virum probum, & doctum, qui in Melitensi Collegio inveteraverat, in quo annos ferè sexaginta quum posuisset, magnà virtutis, & doctrinæ opinione nonagenarius extinctus est anno 1666: quibus acerrimè dissentientibus, & strenuè intercedentibus, vicit tamen plurimorum sententia, in quam discessum sic est ab universis: *Eam postulationem Provinciæ nomine ad Vitellescum deferri oportere*, quasi caritate niteretur, & ad conciliandos dissidentium animos esset nedum magnoperè profutura, sed omnino necessaria. Jacobus Dominicus, qui fax consilii fuerat cùm Romam profectus, Provinciæ mandatis, Vitelleschi voluntatem diù, multumque obluctantis denique expugnavit, ut ad annum sequentem demonstrabimus, ex quo magnam Provinciæ fuisse plagam illatam, non ante cognitum est, quàm eventus ipse consiliorum perniciem illustraverit. Sed quo tempore propter Provinciæ amplitudinem de ea dividenda Mœnis agebatur, Neapolitana Provincia longè amplior ampliores sibi fines quæsivit, & invenit: a Vitelleseo enim impetravit, ut Rheginum Collegium, in extrema Italiæ ora situm, ad sua jura rediret. Quod quidem, pestis nacta opportunitatem, facilè est consecuta, tum propter intercluſum litterarum, & hominum commeatum, tum propter intestinas Provinciæ ærumnas, tum præcipuè quod summa rerum esset penes Hieronymum Alexandrum Neapolitanæ Provinciæ alumnum. Quare reclamante nemine, Collegium Rheginum anno 1564 conditum: anno 1567 Provinciæ Siculæ attributum, anno 1570 a Neapolitana vindicatum; anno 1573 Mercuriani decreto Siculæ redditum, & ab ea continentes annos duos & quinquaginta retentum, restitutum, amplificatum, ut superioribus annis est demonstratum, ad primævæ matris sinum rediit hoc anno 1625.

P. Jacobus Dominicus Romã cum Provinciæ mandatis proficiscitur.

Collegium Rheginum ad Neapolitanam redit Provinciam.

LI. Ingravescente interim Panormi pestilentiâ, eâ correptos tres desideravit Provincia, quorum primus in Collegio Panormitano, Hortensius Gaglianus Politiensis, anno ætatis quinto & vigesimo, optimæ spei adolescens, quum altero jam anno *Theologicæ* disciplinæ daret operam, biduo extinctus est, ex nostrorum consuetudine, qui contagiosis in Civitate religionis officia administrabant, elatusque XI Calendas Februarii. Ejus innocentiam, temperantiam, pietatem, & egregias corporis animique dotes pluribus exornat Jacobus Riela, quum de fato ejus commemorat. In Domo item Panormitana V Idus Februarii contagiosus occubuit Fra-

Hortensii Gagliani pestilentiâ correpti obitus.

Joannes Baptista Plances, & Marius Scaglia in contagiosorum obsequio obeunt.

Frater Joannes Baptista Plances in Palatio ortus Adriano; quæ est Albanorum, post Epirum a Turcis captum, Colonia, qui quum a majoribus impetrâsset, ut Sacerdotes ad peste laborantium obsequia designatos comitaretur, eam adolescens contraxit, annum ætatis agens sextum, & vigesimum. Vitam, anno jam sexto, in Societate exegerat, tam illustri exitu dignam: nam nihil eo fieri poterat silendi, parendi, Deoque supplicandi studiosius. Eâdem denique morbi conditione, atque causâ in Panormitani Collegii suburbano vitam amisit Frater Marius Scaglia Mæneminus, annos natus sex & triginta. Vir planè strenuus in laboribus perferendis. Enituit potissimùm ejus opera in juvandis die noctuque infirmis, quorum propter caritatis præstantiam, est ei plerunque cura demandata. Exequiarum honore prohibitus, humatus est in ruris Sacello, pridie idus Aprilis.

B. Rosaliæ reliquiæ iterum explorantur.

LII. Inter hæc Doria Pontifex mirificè anxius, quòd universa Civitas magnis obtestationibus postularet B. Rosaliæ corpus efferri, & in conspectum dari, in quo omnem salutis spem collocatam haberet, & crebris etiam prodigiorum significationibus Deus ipse clamaret, nè desiderium, ac remedium publicum diutiùs remoraretur; contrà verò Medicorum peritissimi, reliquiis exploratis, pronunciâssent, ea esse ossa eximiæ magnitudinis, neque corporis unius, quæ gigantum potiùs ætatem, & staturam indicarent, quam sæculi duodecimi Virginem; doctissimis iterum viris convocatis mandavit, ut eam rem accuratiùs cogitandam, & dispiciendam sumerent, & quid sentirent ad se de scripto referrent. Fuit in eo numero P. Jordanus Cascinus, qui paucos intra dies, celeritate incredibili, volumen elucubravit, quo certissimis rationibus, & luculentis exemplis, admirabili eruditione, ex omni antiquitate petitis, Medicorum fluctuationem mollire, & Purpurati Pontificis cunctationem amovere conabatur. Sed antequam librum Doriæ traderet, optimum factu existimavit ossa attentiùs inspicere, si fortè aliquid deprehenderet, quo medicorum titubationem sanaret. Itaque adhibitis tribus aliis gravissimis Societatis hominibus, Hieronymo Tagliavià, Josepho Augustino, & Mario Dominico, coram Francisco Riba Doriæ Vicario, singula fragmenta intueri cœpit. Occurrit in primis immensæ molis veluti dimidiatum superiori ex parte caput, quod giganteam speciem ostenderet, item aliud minoris amplitudinis, tertium justæ molis, quartum denique minimum, quod puerculi sinciput indicaret. Animadvertit tamen Cascinus, prima duo capita

Jordan. Cascin. cap. 11. pag. 67.

Cascinus cum tribus aliis nostris singula fragmenta perscrutatur.

mar-

marmorea esse integumenta, quæ tanquam cœparum tunicæ; duorum digitorum crassitie, tertium osseum comprehenderent; idque apertiùs compertum est, quum minora majoribus invicem aptata, ita congruerent, ut unum immane caput conflarent lapideis concretum involucris. Quartum verò ab Augustino bifariam diffractum, nullam ossis habere speciem, sed testaceam esse scutellam, marmore obductam: repertum est circa pectus, parvulum Christi e cruce pendentis ex ære Simulacrum, lapide incrustatum, & precarii etiam globuli marmoreis infixi, atque immersi christallis. His probè cognitis, facilè fuerit, reliquas unius corporis partes dignoscere, & earum inter se congruentiam, ac proportionem deprehendere. Tum læti omnes, quasi jam denique B. Rosaliæ corpus in ipso ejus corpore repertum esset, ad Doriam convolant, qui maximè gratulatus, quòd per tales viros dubitatio sublata esset, convocat nihilominus eosdem medicos, & divinarum legum peritos, quibus Cascinus, quæ vidisset exponit, & multa congerit, quibus titubatio jam omnis adimeretur. Flagitant illa eadem intueri, quæ Cascinus se vidisse asserebat, & adnotâsse. Fit copia omnibus. Cascinus singula ostendit. Medici, eo præeunte, omnia unius humani corporis membra a capite ad talos noscitant. Admirantur divinum sanè opus, quo B. Virginis corpus contectum esset, & vivo lapide contumulatum: nam qui ossa contingeret concretus lapis, christallo similis elucebat, qui verò earum quas diximus, tunicarum tectoria efformaret, jam onychinam, jam hyacinthinam, jam calcedonicam gemmam imitabatur, ad extimam usque faciem, quæ omnino rudis, & aspera juxtà montis naturam cernebatur. Denique ex ossium parvitate, candore, compage, non obscura sexùs vestigia elucere confitentur. Auxit Cascinus omnium admirationem, & fidem, quum alia produxit tum eodem in antro effossa corpora, in quibus limosa esset, & putris lapidosæ incrustationis concretio, & ossa ipsa cariem, & corruptum colorem ostenderent. Ad hæc vetustissimas protulit tabulas, quibus doceret sæpè antea ostentis, atque miraculis de cœlo indicatum, in Erctæ specu B. Rosaliæ exuvias latere; recentia adjecit ejusdem Virginis luculenta testimonia, quæ se per speciem videndam nonnullis præbuerat, jusseratque, ut eo in antro corpus ejus effoderent, quo per urbem circumducto, pestilentia conticesceret. Recitata demum sunt ex legitimis tabulis millena ferè cœlestia beneficia, (quorum centena illustriora Cascinus postea edidit) quæ per nuper reperta ossium, lapidumque fragmenta, collata essent.

Ea inquisitio dubitationem omnem adimit.

Medici, qui eadem ossa adnotarent, convocantur.

Aliis Cascinus argumētis pro eorum veritate laborat.

Cascin. ibid. cap. 12. pag. 78. & seqq.

Cognitis exuviis Panormi maximi honores habentur.

LIII. Cascino assentiuntur omnes: Doria Pontifex ex Consilii sententia, repertum corporis Rosaliæ esse declarat, & sacros ei honores publicè habendos decernit. Turres lætissimo tintinnabulorum concentu, & mœnia Civitatis muralium tormentorum boatu rem optatissimam civibus nuntiant. Lætitiis omnibus effertur Civitas. Ex eo tempore pestilentiæ atrocitas nonnihil conquievit. Senatus edicto proposito jussit tribus continenter noctibus ignes fieri, & faces atque funalia pro feneſtris accendi. V Calendas Martias sacræ Reliquiæ, viris primariis, & majori aliquo Sacerdotio insignibus, honoris gratiâ succollantibus (inter quos locum habuit P. Jordanus Cascinus de Rosalia, & Civitate Panormitana optimè meritus) ex ædibus pontificalibus devectæ sunt ad aram in templi principis medio ad id constitutam, ibique ad populi venerationem, & gaudium sunt propositæ, maximis utique acclamationibus, publicam salutis spem, & religionem significantibus. Ad VI Idus Junias, exultante Civitate, & ad omnem ornatum, atque elegantiam compositâ, dicta est solemnis supplicatio, & summa cum dignitate habita, quam B. Rosaliæ corpus subsequeretur, argenteâ ad id arcâ affabrè concinnatâ, quæ illud clauderet, chrystallis tamen omni ex parte perspicuum. Quæ moles, qui arcus, qui obelisci subitario opere sint excitati; quæ statuæ, quæ ornamenta viarum, quæ ædificiis adjecta concinnitatis, & majestatis insignia, latè exequitur Cascinus. Sed quod maximè mirum est, administrata ea sunt quatuor ferè menses, tantâ fiduciâ, ut cives furentis adhuc pestilentiæ propemodum obliti, & communis salutis minimè dubii, nihil jam, nisi de B. Rosaliæ gloria cogitarent, neque quicquam amplius caverent, aut cavere juberentur. Quod ad nos attinet, Collegium Panormitanum, nihil reliqui fecit, quod ad magnificentiam, & apparatum pertinet: nam ædificii faciem, quâ viam maximam respicit, tribus molibus ornavit, quarum duæ extremæ essent, & insulæ angulis adhærerent; tertia ad januam media architectonico opere surgeret; reliquum frontis spatium, auro argentoque intertextis aulæis, signis, & trium linguarum græcæ, hebraicæ, latinæ emblematis mirâ eruditione, atque elegantiâ distinxit. Verùm quod caput est, ex eo die pestilentia resedit: quanquam enim neglectis legibus, omnes per urbem promiscuè vagabantur, & confertissimus populus B. Rosaliæ corpus sequebatur, quæ res furente contagione, fatalis esse consuevit; convaluere tamen qui luem contraxerant, neque deinceps, nisi dubia audita sunt funera, ambigentibus medicis essentne contagiosa. Sed restincti

Jordan. Casc. ibid. pag. 107.

Solemnis supplicatio instituitur.

Casc. ibid. cap. 14. pag. 109.

Ex eo supplicationis die lues conquiescit.

Digitized by Google

cti jam incendii scintillæ interdum excitabantur: quare Cascinus, quid rei esset, Senatum admonuit, nè cunctaretur Erctæ antrum, in quo corpus esset inventum, ornare, & ad Sacelli normam adducere, quemadmodum religione se obstrinxerat. Quare Prætor Urbanus cum Senatoribus XVII Calendas Sextiles, qui dies exacto ab inventione jam anno, alterum inchoabat, Erctam conscendit, deditque Cascino negotium, ut architectos secum venire juberet. Ibi ex Cascini consilio, quæ futura esset lex operis decernunt, & Architectis mandant, ut postridie opus aggrediantur. Redeuntibus nuncius occurrit, qui certiores faceret, neminem eo die fuisse Panormi contagiosum, neminem, qui morbi suspicionem afferret. Requievit itaque pestilentia usque ad exitum anni, quum denuo sævire cœpit, ut ad annum sequentem.

Senatus Erctæ antrum ornandum curat.

LIV. Perfectissimum consummatæ probitatis exemplum desideravit Provincia Nonis Martii, P. Franciscum Torresium Panormitanum, in Collegio Mamertino, cui præerat, fatali casu necatum potiùs, quàm extinctum, immaturà satis ætate. Ingenio valuit in paucis facili, alto, & supra communem conditionem erecto, atque acuto, cui accessit laboris, & vigiliarum patiens animus. Quare ut magistris dare operam desiit, amœniores primùm litteras, deinde Philosophicas artes, denique Theologicas, Panormi, ac Messanæ professus est, tantà auditorum acclamatione, ut eo docente, aut disputante, maximi concursus fierent, neque confluentes subsellia caperent. Quum tantà litterarum glorià floreret, uni sibi vilis, ac despectus, tali fuit temperantià, ut tertianus, cum tirunculis christianæ doctrinæ elementa memoriæ commirteret, & recitaret: artium doctor, Collegis per autumnales ferias rusticantibus, infimis culinæ officiis, duos ferè menses se quotannis totum involvere, aquam & ligna comportare, sordes & quisquilias avertere, lances tergere, coquo rebus omnibus obtemperare, & positis Sacerdotii insignibus, mediastinum agere. Placuit proinde majoribus, ut tantæ virtutis splendor in magistratibus emineret. Anno propterea ætatis quadragesimo, invitus, & frustra obluctans Collegio Drepanitano præfectus est, post triennium laudabiliter exactum, Mamertino. In utroque honore illud sibi statuendum putavit, magistratum Societatis nihil secum afferre emolumenti, ac commodi; multum verò laboris, atque molestiæ ex gravitate curarum, & exemplorum. Indumenta nunquam admisit, nisi quæ Frater aliquis exuisset: intimas autem vestes nunquam mutavit, & longo usu discissas, atque consump-

P. Francisci Torresii virtutes, & ingenii præstantia.

Temperantiæ ejus documenta.

Magistratibus præfectus nil sibi commodi cõparat.

tas assutis centonibus ipse resarsit. Prandentibus aliis, de genu mensas lustrabat, petebatque interdum a singulis nonnihil panis, & obsonii, quibus corrogatis, pauperum more famem pararet. Singulis anni feriis, quibus octavo quoque die juniores rusticatione animum recreant, exteriorem aulam, porticus, atque gymnasia suis ipse manibus verrere instituit; tantùm abfuit, ut quemquam admitteret, quo ad intima cubiculi officia uteretur. Pridie eorum dierum, qui Deiparæ religionibus sacri habentur, pane famem, aquâ sitim sedavit. Nè somnum quidem a cilicio immunem voluit, quod perpetuum corporis, & vitæ comitem habere consuevit. Quum bacchanalibus feriis omnia luxu, atque licentiâ ferverent, secedebat in suburbanum, ubi sine arbitris, divinis colloquiis totum se traderet, & corpus assiduis flagris, atque inediâ cruciaret: nam eo tempore victum ab agricolis mendicabat, & eorum conviva, alliis, & cœpis appositis, accumbebat. Fuit ejus ratio rectionis, ut piorum doctorumque virorum esse solet, mitis, recta, minimè ambitiosa & astuta, sed aperta, salutaris atque paterna: quasi custos de cœlo datus esset, non modò legum & disciplinæ, sed suorum etiam valetudinis, honoris, & commodorum: quo factum est, ut familiam semper habuerit suâ sponte morigeram, & emendatam; vix enim unquam exeruit potestatem, quam in justo ac moderato imperio, ut ensem gerere vaginâ tectum satis esse prædicabat. Tertio denique magistratûs anno, impendentem sibi mortem de cœlo sensit, & identidem prænunciavit. Secedendi, & magistratûs dimittendi cupidus, ut se ad vitæ exitum compararet, quum a majoribus non impetrâsset, sibique in cruce moriendum cognovisset, vivendi rationem instituit cœlestem potiùs, quàm humanam. Sacri *Adventùs* ferias omnes, præter morem, jejunio transegit, causatusque est nonnullis, cur id faceret rogantibus, proximi fati necessitudinem, quæ duobus ab inde mensibus est consecuta: nam quarto Nonas Martias, quum equum conscenderet, miserrimè lapsus, ex eo tibiam comminuit, & sublevatus, atque per manus lecto impositus, denudatusque, repertus est cilicio, & iis, quos diximus centonibus indutus: quum verò calceus exui non posset, nisi scinderetur, negavit se tanti esse, ut pro ejus salute calceus vetustus, atque detritus corrumperetur, neque calcè um scindi passus est. De tali, ac tanta ærumna inter maximos dolores consolantibus hilari fronte, ait: *Hæc est series prædestinationis meæ.* De proxima morte admonitus Ambrosianum canticum mirâ oris alacritate recitavit. Moriens asperrimè ex cruciatus fracti cru-

Ejus in afflictando corpore consuetudo.

Gubernationis ejus ratio mitis, & recta.

Sibi mortem impendere idẽtidem prænunciat.

Doloribus ex fracto crure asperrimè cruciatus, obit.

Digitized by Google

cruris doloribus, testatus est tantam eorum esse acerbitatem, ut sine magno luctu, & clamoribus ferri non posset, nisi cœlestis Patriæ desiderio, ac spe leniretur. Denique tanquam summum amoris erga suos documentum, eos in commune suavissimis verbis rogavit, ut Deiparæ religionem caram, atque primam haberent; & in ipso impensè rogandi conatu, nonis diem suum nactus est, annos natus septem & quadraginta, quorum undetriginta in Societate collocaverat, in qua, anno 1616 quatuor votorum sacramentum dixit.

P. Cæsaris Gruæ ortus.

LV. Ut magno ornamento vivens Provinciæ fuerat, ita moriens dolori fuit P. Cæsar Grua, illustri genere Hiccari ortus, & mortuus, quod est oppidum satis amplum, & florens, cujus ditionem, antequam Societati se addiceret, obtinuerat. Tradit Matina æqualis ejus, Cæsarem adolescentiam Panormi egisse licentiorem, quàm christiani mores paterentur, & digito monstrari consuêsse, tanquam qui ævi sui juvenum dissolutissimus haberetur. Perdito adolescenti saluti fuit Mariana Nobilium Sodalitas, cui aliquando se aggregavit; nam ex eo tempore castigatam vitam instituit, ejusque propositum fide summà retinuit, ad usque sextum & quinquagesimum ætatis annum, quum secedendi, & Societatis adeundæ consilium, diu magnà curà versatum animo, denique amplexus est. Obstabat cœptis ejus Angela de Bosco carissima uxor, ex qua liberos etiam susceperat. Grave enim erat Matronæ nobilissimæ, florenti adhuc ætate secedere, & jucundissimo sibi viro carere; sed nè hominem secessionis maximè cupidum diutiùs distineret, eà demum conditione nuncium sibi remitti passa est, ut ipse arbitratu suo abderet se in Societatem, ea verò domi suæ cœlibem vitam ageret, neque sacro ullo conclavi se continere cogeretur: ejus rei potestatem Paulus V quum fecisset, dedissetque publicas ad id litteras, Cæsar tirocinio Panormitano se addidit, Sacerdotio jam insignitus, Angela privatà castitatis religione se devinxit. Quàm liberalis, & ingenua fuerit Cæsaris humanarum rerum abdicatio, ex eo potest existimari, quod quum ad canos usque lautè, delicatéque vixisset, fuissetque in ampliſſima domo splendidæ caput familiæ; ita se inter tirones adolescentulos Jordano Cascino magistro suo fingendum tradiderit, ut si in ipso tirocinii vestibulo, omnem superioris vitæ memoriam exuisset. Itaque non secus ac si dociles ipsos, teneroſque annos ad disciplinæ palæstram attulisset, nostros mores prorsus arripuit: ajebat proinde Cascinus, non educatum modò, sed in Societate Cæsarem natum videri. Non aliter de eo

Humanis omnibus abdicatis Panormitano Tirocinio se addit.

Societatis disciplinam strenuè arripit.

sen-

senſit P. Demetrius Licander, quo magiſtro, poſt annum Panormi exactum, in tirocinio Mamertino uſus eſt, addiditque non tironem, ſed veteranum ad ſe miſſum, qui maximarum virtutum gloriâ præeſſet omnibus, atque præiret. Calendis Januariis anni 1617, coram eodem Licandro, privato ſe ſacramento obligavit, & Panormum reverſus, ut prodiit in vulgus, digito jam monſtrabatur, tanquam perfectæ, conſummatæque ſanctitatis exemplum. Panormitano Collegio addictus, ut tantum humanarum rerum ſpecimen in domeſticæ juventutis oculis verſaretur. Deſignatus eſt a majoribus Frater, qui propter ætatis, & generis conditionem, in privatis cubiculi obſequiis Cæſarem ſublevaret: ipſe tamen ejus operam nunquam adhibuit: ſed per ſe ſordes verrere, lectulum ſternere, haurire, & ferre aquam, rogatuſque, cur qui ejuſmodi officiis non aſſuêſſet, adjutorem recuſaret; reſpondit, a religioſæ vitæ propoſito me defeciſſe arbitrarer, ſi nè mihi quidem miniſtrarem, qui in Societatem ideo veni, ut omnibus diu, noctuque ſervirem. Cœleſtibus autem oculis dignum erat ſpectaculum Hiccarenſem paulò ante Dynaſtam, & Principem Civitatis, ad ſordida culinæ officia deſcendere, purgare lances, ſcopas diſtringere, fercula apponere, & humillima quæque munia in deliciis habere. Chriſtianæ inopiæ maximus cultor miſerorum more habitavit, & viliſſima quæque ſive obſonia, ſive indumenta, ſibi deberi ratus eſt. Pecuniam verò largiter a filio annuis collatam penſionibus, nè attigit quidem, aut vidit unquam, ſed Collegio Panormitano ſolvendam deſtinavit. Tantis ejus virtutibus dedit Mutius Vitelleſcus, raro admodum exemplo, ut trium votorum ſacramentum publicè diceret, anno ferè quinto, ex quo Societatem adierat. Dixit autem in Panormitanæ domûs templo coram Jacobo Dominico, VII Idus Junias anno 1620. Denique Hiccari, quò valetudinis causâ conceſſerat, elatus, humatuſque eſt Idibus Octobris, annos natus ſeptem ſupra ſexaginta.

Fratrem in privatis cubiculi obſequiis adjutorem deſignatum recuſat.

Ad humillima quæque domeſtica officia deſcendit.

P. Joſephi Matinæ virtutes.

LVI. Quem hiſtoriæ ducem interdum ſecuti ſumus, caput, & annum claudit P. Joſephus Matina, nobilis Politienſis de Provincia optimè meritus, cùm propter inſignes ejus virtutes, tum quòd domeſticos eventus fide ſummâ memoriæ prodidit. Atque utinam, ut ipſe aliorum, ita aliquis alius æqualis ejus, quæ ipſe geſſit, ab oblivione vindicâſſet! Nam quæ ſuperſunt rerum ejus geſtarum ſubobſcura veſtigia, nonniſi ex ipſius ſcriptis peti poſſunt, in quibus parciſſimè de ſe, & diſſimulato identidem nomine, commemorat. Natus eſt anno 1553, generoſis parenten-

Digitized by Google

rentibus. Adolescentiam Petrapreciæ egit apud Petrum Barresium ejus oppidi Principem, qui propter vetustam, & intimam cum Matinis necessitudinem, Josephum domi suæ aluit, & Philosophicis artibus erudiendum curavit. Duodevigesimum agens ætatis annum, funestissimo casu perterritus, de secessu repentè cogitavit: nam pridie Calendas Octobres anno 1571 fœdissima procella oppidum invasit, & Barresius Princeps fulmine ictus, ambusto capitis vertice, interiit. Itaque Societatem eodem anno amplexus est. Quod quum ipse de se scriberet, adjecit: *Æterna Deo sint laudes, qui ineffabili sanè consilio, tam horrendum prabuit oculis meis humanarum rerum spectaculum in pii probique Dynasta acerbo funere, & luctuosa; ut me hominum nequissimum ad sua castra transferret, qui tam iners, & inutilis miles futurus eram. Miserere mei, & anima ejus, pro qua quotidie supplicare non desino, requiescat in pace.* Propter singularem ejus probitatem, anno ætatis trigesimo, omnium junior, inter primos illos, qui anno 1583 Domum Panormitanam incoluerunt, adlectus est, & templo præfectus, atque dum vixit, retentus, annos nimirum duos & quadraginta. Vir fuit placido, simplici, moderatoque ingenio, cujus ea erat, sive cum domesticis ageret, sive cum externis, consuetudo, ut nihil astutè diceret, nihil faceret, & nullà aliâ re, quàm Dei obsequio, & Societatis emolumento moveretur. Duobus hisce cardinibus consilia ejus omnia nitebantur. Confessionibus excipiendis perpetuò addictus, intimà quadam excolendi scientiâ, animos ad virtutem, & mores ita fingebat, ut qui in ejus disciplinam incidissent, ab ea prodirent emendatissimi, refugerentque ejus colloquium, atque conspectum, quibus salute essent vitia cariora. Eo consultore, & animi duce, atque arbitro utebantur nobilissimæ matronarum, quæ nutum ejus, ut hominis, qui divinorum consiliorum particeps esset, intuebantur. Quamquam verò magnæ ad eum deferebantur pecuniæ, quas arbitratu suo erogaret, cupiditatibus omnino vacuus, nè denarium quidem privatis impendit commodis, sed incredibilem nummorum vim, nedum augendis templi ornamentis, atque utensilibus, sed collocandis etiam virginibus, viduis, atque pupillis alendis, sublevandis miserorum ærumnis, liberaliter peregit. Rem domesticam diu procuravit, ædificationem maximè adjuvit, & familiam, quæ prope erat ut conturbaret, percommodè aluit, atque semel, & iterum ingenti ære alieno liberavit: quod quidem non humanâ tantùm industriâ, sed cœlestibus etiam subsidiis est con-

Funestissimo casu perterritus de secessu cogitat.

Dei obsequio, & Societatis emolumento totus vacat.

Animos ad virtutem mirũ in modum fingit.

Rei familiaris inopiam cœlestibus subsidiis sublevat.

se-

secutus, quemadmodum superioribus annis ostendimus. Mirum est, quanti Societatem fecerit, & quanto ejus amplificandæ studio flagraverit. Elucet sanè in scriptis ejus ingenuus, intimus, effusus disciplinæ amor, qui sive læta, sive tristia, sive nostrorum virtutes, sive vitia commemoret, mirificè se in singulis paginis, suavitate quadam ostendit. Quo tempore Panormitana plebs in Societatem exarsit, tanto animi dolore affectus est, ut reorum more, reste collo injectâ, & sentibus redimitus, sese in conspectum suis dederit, & magnis gemitibus super mensam cruento flagro terga ad vivum vulneraverit. Denique auctor est Tornamira, eo temporis momento, quo extinctus est, visos fuisse manes ejus a corpore ad cœlum rectà tendere. Decessit pridie Christi Natalis diei, quem semper religiosè coluerat, anno ætatis secundo & septuagesimo.

Ejus erga Societatem studii documentum.

CAPUT V.

Provinciam in duas scindi jubet Vitellescus. P. Decium Striverium præmittit, qui Provinciam cum potestate lustret, & utriusque Provinciæ fines statuat. Novi in utraque Magistratus. Pestilentia Panormi recrudescit, & plerosque nostrorum in officio caritatis perimit. Jacobi Dominici, Simonis Buccerii, Josephi Scammacæ, aliorumque fatum, & res gestæ. Conventus Provinciales utriusque Provinciæ. Trium Sanctorum Martyrum Japonensium sacri honores. Novi iterum utriusque Provinciæ magistratus, aliique eventus usque ad annum 1630.

1626

ANno ineunte 1626, redditæ sunt P. Demetrio Licandro Mamertinæ Domûs Antistiti, Jacobi Dominici gratulabundi litteræ, postridie Idus Januarii Romæ datæ, quibus nunciabatur, eò denique adductum Vitellescum, ut ex una Provincia Sicula, duæ conflarentur. Exemplum earum litterarum erat hujusmodi: *Alleluja, lapis revolutus est ab ostio monumenti, Alleluja: Deo sint laudes, sit Christo gloria, qui denique P. Nostrum Mutium excitavit, ut tandiu exoptatam Provinciæ divisionem decerneret, quemadmodum mihi hodie se decrevisse significavit, præmissis jampridem diuturnis ad Deum precibus, auditisque PP. Assistentium suffragiis. Quod quidem felix, faustumque sit Provin-*

Vitellescus ad Provinciam Siculam in duas partiędam adducitur.

P. Dominici ad Licandrum ea de re litteræ.

Digitized by Google

vincia Sicula, & Societati Jesu, ad maiorem Dei gloriam, & incrementum caritatis in nobis, ut spero futurum. Et ego hoc videns dico. Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei sublatam petram scandali, & omnes nos in vera, & perfecta caritate conjunctos. Equidem fateor, me hac in re plurimùm laborâsse; neque malè me arbitror meruisse de fratribus meis, quod aliquando confecerim. Et sanè tam magna sunt, quæ exinde commoda consequentur, ut prædicare audeam, me hoc anno, Provinciæ, quam vitâ habeo cariorem, inutilem non fuisse, quòd operam ad ea comparanda contulerim. Quare illud fore non dubito, ut sentiat Provincia, quanto studio communibus votis servierim, & perpetuum ei beneficium conciliaverim. Hac te quàm celerrimè scire volui, ut bonorum omnium auctori Deo gratias agere. Nolim tamen, ejus rei nuncium jactantiùs, aut glorioſiùs efferri; nè cupiditatibus datum videatur, quod magnis prædicationibus a pietate, & caritate petitum esse jactavimus. Optandum est autem, & maximopere enitendum, ut in ipso negotio vera esse deprehendantur, quæ polliciti sumus futura pacis, & conjunctionis emolumenta. Vale. Romæ postridie Idus Januarii 1626.

P. Dominici ad Licandrum, ea de re litteræ.

Sed iis litteris, quæ tantam concordiæ spem afferebant, quasi classicum caneretur, & intestinæ dissentionis signum esset propositum, maximæ excitatæ sunt, & ad Mutium perlatæ Provincialium conquestiones, scissionem recusantium, quæ sine dolore, ac vulnere fieri non poterat, & errorem suum accusantium, quòd non satis in re gravissima deliberâssent, & cœco quodam impetu statuissent, quod cum pernicie Provinciæ esset conjunctum, discordiarum alimentum potiùs, quàm remedium. Querelæ autem reluctantium tantâ celeritate Romam allatæ sunt, ut Jacobi Dominici discessum occupaverint, & eum Romæ oppresserint. Argumento sunt alteræ ejus litteræ ad eundem Licandrum, Neapoli datæ, tertio die postquam eò venerat VI Calendas Martias; in quibus erat: *Non defuisse quamplurimos, qui apud Patrem nostrum Mutium gravissimis litteris Provinciæ divisionem interpellaverint, & strenuè intercesserint, & apertè significaverint, eam scissionem Provinciæ non placere. Sed nihil explicârunt. Quoniam Provincialis conventus, quo præsertim Provincia continetur, consensione summâ segregationem flagitaverat. Sed qui reclamârunt fuerunt revera quamplurimi.*

Provincialium ad Mutium cõquestiones, errorem suum accusantium.

II. Inter hæc Hieronymus Alexander, triennio exacto;

BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

Sapientissimum Mutii rescriptū de dividenda Provincia.

Mutii litteris Romam evocatus, Jordanum Cascinum in interregno Provinciæ præficit, & pridie Calendas Martias Messanà solvit. Paulò post Jacobus Dominicus Panormum reversus, Mutii rescriptum de dividenda Provincia attulit, quod erat ejusmodi: *Quamvis proposita rationes non tam necessariam Provincia divisionem, quàm animorum arctiori vinculo caritatis conjunctionem ostendant; tamen ut diuturnæ petitioni, ardentiorique pro tempore desiderio, medicinam quandam, & quasi sectionem faciamus, visum est nobis in Domino, communibus Provinciæ votis annuendum, quod fiet in nomine Domini, Visitatore præmisso, qui suàviter ad hunc finem disponet universa. Interim piissimum Jesum ex intimo animi sensu precabimur, ut facere dignetur ex divisione proventum, quæ concordia, atque virtutis in nostris, quà fructùs, atque ædificationis in proximis.* Quæ forma decreti satis declarat, sapientissimè Mutium id invitum concessisse, quod denegatum sollicitam semper haberet Provinciam, & eorum cupidam commodorum, quæ sibi ex eo pollicebatur; concessum verò, re ipsà doceret omnes quanto in errore versati essent, & simul admoneret, ut universi, malo suo edocti, deinceps idem unà sentirent, atque in communione, & unitate perpetuò conquiescerent, quemadmodum ex ipso eventu compertum est: Sed P. Decius Striverius Catacensis, quem Mutius sectionis arbitrum designaverat, & in Provinciam cum potestate venire jusserat, quarto idus Apriles Messanam appulit, convocatisque octavo die, in domum Mamertinam, quotquot in Civitate essent, nostris hominibus, antequam Mutii mandata exponeret, illa Geneseos verba interpretari aggressus est: *Dixit ego Abraham ad Lot: Ne quæso sit jurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus .... Recede a me obsecro.* Orationis summa fuit: quàm necessaria, quàm honesta, quàm proficua, quàm Siciliæ honorifica futura effet unius Provinciæ in duas conformatio, quas Occidentalem, & Orientalem appellavit (nobis Panormitanam, & Mamertinam apertioribus verbis dicere liceat) Panormitanæ, præter Domum, Collegium maximum, & tirocinium; Collegia attribuit, Montregalense, Drepanitanum, Lilybetanum, Thermitanum ad aquas Selinuntias, sive Xacense, Bisbonense, Calatanixetense, Narense, & Thermitanum Himerense, Mamertinæ, præter Domum, Collegium, & Tirocinium Messanense, Catanense, Syracusanum, Netinum, Mæneninum, Calatahieronense, Plateense, Enense, & Domicilium Chiense. De Melitensi nondum Mu-

P. Decius Striverius sectionis arbiter ejus scissionis emolumenta oratione exponit.

Genes. cap. 13.

Collegia duabus Provinciis attributa.

tius

tius statuerat, sed paulò post adjectum est Mamertinæ: Ennense verò Mamertinæ ademptum, addictum est Panormitanæ. Lenivit denique Striverius novitatis invidiam exemplis cùm domesticis, tum externis. Laudavitque Castilianam Societatis Provinciam in duas nuper divisam; & in ipsa Sicilia nonnullos commemoravit religiosos ordines, qui non modò duas, sed tres etiam Provincias numerarent. Indicavit quoque alias Societatis Provincias, quæ nondum tot domicilia, & tam ampla recensèrent, quot utrique Siculæ Provinciæ obtigissent: meminit etiam ampliſſimarum Civitatum, quæ utrobique Collegia flagitarent; nihilque eorum prætermisit, quæ ad magnificanda scissionis emolumenta, & temperanda incommoda pertinerent. Is autem fuit exitus orationis, ut universos cohortaretur, ratum haberent, & laude dignum putarent, quod communibus eorum studiis, atque consiliis flagitatum, factumque fuisset: quod si quis improbaret, & simultatum semina jaceret; sciret sibi non impunè futurum. Quibus peractis, publicas ad utriusque Provinciæ Collegia in eandem sententiam dedit litteras, & Cascino mandavit, ut Sociis omnibus, qui Panormi essent, coactis, Mutii decretum proponeret, juberetque non improbari, quod accuratione summà transactum esset, & suis se ipse Provinciæ Panormitanæ finibus contineret.

Striverius exemplis novitatis invidiam lenire studet.

III. Ea quum Cascinus accuratissimè exequeretur, nemo fuit eorum, quibus Provinciæ vulnus tantopere placuerat, cui supra quàm credi potest, non displiceret. Tanta autem fuit ex ægritudine animi omnium perturbatio, ut significationes ad externos etiam manarent, & ab his Romam perferrentur. Quare Striverius, qui utramque Provinciam summo jure administrabat, eà re perculsus, gravissimis litteris utriusque Provinciæ Collegiorum Magistratus postridie Calendas Julii admonuit, ut in eos severiùs animadverterent, qui Majorum voluntati non acquiescerent, cavitque *in virtute sanctæ obedientiæ*, nè quis deinceps auderet, verbis, aut litteris, sive cum nostris, sive cum externis adversùs ea, quæ de Provincia dividenda constituta essent, agere. Eam Striverii severitatem, quæ saucios jam animos vehementiùs exulceraret, Mutius non laudavit, jussitque mitioribus litteris temperari; quas Striverius IV Idus Septembres dedit, Provincias hortatus nè rem tandiu exagitatam ampliùs moverent, neve Provinciis levitatis, & inconstantiæ notam inurerent, & caritatis atque obedientiæ cardines oppugnarent; quod ut suà sponte alacriùs facerent, de obedientiæ præcepto se gravis culpæ noxam remittere pro-

Maxima animorum perturbatio in Provincia excitatur.

Striverii ea in re severitatem Mutius temperat.

nunciavit. Sed neque severitas flexerat, neque indulgentia communem dolorem sedavit. Incitabant domesticam tristitiam honestissimæ Civitates, quarum jam hæc, jam illa gravatè ferebat, quæ apud eas essent constituta Collegia, ad hanc potiùs, quàm ad illam spectare Provinciam. Fatigabantur propterea crebris litteris Romanæ Curiæ Proceres, qui & ipsi Mutium precibus & officiis vexabant, ut novos Provinciis fines describeret. Perstitit nihilominus in sententia Mutius, qui fore putabat, ut cùm obtemperandi necessitas, tum dies ipsa, & dissentientium ingenia vinceret; & pristina discretionis consilia revocaret. Sed nihil erat, quod non refricaret altissimum vulnus, & clamores excitaret. Pauci numerabantur, quibus ea, in qua essent Provincia, non displiceret. Videbantur omnibus duæ languere Provinciæ, qui uni adolescenti adhuc, atque florenti assuevissent. Injucundissima offerebat se singulis Collegiorum intercepta communio; seque in patria hospites, & proprio in solo exules esse querebantur. Tenuit tamen quinquennium ea distractæ Provinciæ calamitas, donec Mutius pro sua æquitate provincialium Sociorum vocibus excitatus, eam rursus coalescere jussit, ut ad annum 1631.

Ipse etiam Civitates domesticam augent tristitiam.

Nostri interceptam Collegiorum cõmunionem dolent.

IV. Cumulavit Panormitanæ Provinciæ luctum pestilentia, quæ superiore anno exeunte, Panormi reviviscere cœpit, quotidianis quidem funeribus, quæ tamen unius & alterius numerum interdum non excederent, rarò sextum attingerent. Quare Doria, qui Regnum administrabat, finitimas admonuit Civitates, ut Panormo abstinerent, caverentque nè quid exinde profectum importaretur. Sed justitium Panormi non indixit, neque urbanam civium consuetudinem, neque in foro, neque in Templis, neque in gymnasiis intermitti mandavit. Revocatæ contagionis causam alii aliò referunt. Cascinus religiosam fuisse contendit, propter neglectum B. Rosaliæ cultum, & quòd nonnulli nefariâ quadam contumaciâ negarent, extinctæ superioribus mensibus pestilentiæ beneficium B. Rosaliæ assignari oportere. Quod ad nos attinet, plures hoc anno Panormitana Provincia alumnos desideravit contagione sublatos, quorum plerique in ipso misericordiæ officio elati sunt, iis septem mensibus, quos pestilentiæ obnoxios fuisse tradit Cascinus, donec B. Rosalia votis, supplicationibus, donariisque pacata, popularibus suis peperciisse visa, Patriam, & Insulam denuò liberavit. In ea caritatis palæstra primus occubuit P. Vincentius Bongiornus Panormitanus, qui *Theologicis* artibus paulò ante peractis, annos natus undetriginta contagiosorum valetudinario se devo-

Pestilentia Panormi revivi-scit.

Casc. lib. 1. cap. 18. Vit. S. Rosaliæ per totum.

P. Vincentius Bongiornus in contagiosorum officio obit.

ve-

Digitized by Google

vere tamdiu flagitavit, quoad voti compos, culpis omnibus superioris a pueritia vitæ accuratè expiatis, misericordiæ officio se addixit, in quo & vitam posuit X Calendas Februarii. Tradit Riela, visos fuisse manes ejus statim, ac corpore exempti sunt, magno cœlestium animarum comitatu ad Deum ferri. Proximus huic in eodem valetudinario Christo vitâ litavit P. Hieronymus Platamonius illustri Sanguine Panormi ortus. Adolescens Indicam expeditionem impetravit, & iniit; sed ex itinere gravi tentatus valetudine, Romà in Provinciam remigravit, eamque sacris excursionibus, concionando, ac benemerendo illustravit, dicto etiam trium votorum sacramento. Ut de pestilentia iterum pullulante auditum est, quasi eo nuncio ad expeditionem de cœlo evocaretur, in contagiosorum obsequio emori flagitavit. Quum ægerrimè ferrent propinqui ejus viri primarii; cum Majoribus egerunt, nè virum emeritum, devexà jam ætate, certissimæ morti objicerent. Ille verò assiduis precibus, obtestationibus, lacrimis, caritatis suæ causam tam strenuè propugnavit, ut externos, atque domesticos in sententiam adduxerit, Vincentio Bongiorno suffectus ad valetudinarium properaverit; ubi non cibi modò ac somni, sed salutis & vitæ immemor, ægrotantes rebus omnibus diu noctuque juvare instituit. Quare morbum brevi contraxit, & septimo die Bongiornum secutus est IV Calendas Februarii, anno ætatis undequinquagesimo: primo & trigesimo, ex quo nostro numero se aggregaverat.

P. Hieronymi Platamonii virtutes, & obitus.

V. Suas etiam dedicavit cœlo victimas Collegium Thermitanum ad Aquas Selinuntias, quum florentissimo in Oppido conflagraret pestilentia. Ducem reliquis se præbuit Frater Antonius Virducius Calaber in S. Laurentii Oppido natus, qui Sacerdotem in pietatis officio secutus, & a reliquorum exclusus consortione, tandiu in periculo versatus est, quoad lue comprehensus est, & extinctus XVI Calendas Aprilis, anno ætatis primo supra sexagesimum, Societatis undequinquagesimo. Morti proximus antequam sacram sumeret dapem, præsentem Christum magnà voce obsecravit, ut cùm Sacerdotis, qui supremas ei religiones administraret, tum Fratris, qui corporis remedia adhiberet, saluti parceret, si vitæ suæ hostiam gratam, & de cœlo ratam haberet. Ratam autem fuisse utriusque incolumitas ostendit. Non absimili mortis genere vitam ibidem clausit Frater Joannes Baptista Bonerba Catanensis, qui anno ætatis quadragesimo emendatæ, laboriosæque vitæ illustrem exitum, & præmium eà dignum invenit. Tertius accessit Fran-

Nostrorum opera in Collegio Thermitano contagiosis impensa.

Nostri, qui in pietatis officio vitam posuunt.

ci-

ciſcus Murena Netinus, eximiæ probitatis, maximæque expectationis adoleſcens, qui quum ludimagiſtrum ibi ageret, & juvandis, alendiſque pauperibus diuturnam navâſſet operam, ex eorum conſuetudine peſtem contraxit, & biduo conſumtus eſt pridie Calendas Apriles, anno ætatis quinto & vigeſimo. Neque interea Panormi, ſæviente adhuc contagione, ceſſatum eſt ab officio caritatis, in quo duo alii Sacerdotes vivere deſierunt. P. Petrus Buffardus Panormitanus, qui Theologicis ſtudiis ſingulari cum laude emenſis, contagione laborantibus quum ſuprema ſalutis remedia adminiſtraret, peſtiferam hauſit febrim, ex qua triduo extinctus eſt poſtridie Nonas Apriles, annos natus tres & triginta, & in Domo Panormitana tumulatus. Manes ejus ad Cœlum ferri, ſtatim ac a corporis vinculis exempti ſunt, tradit P. Michaël Frazetta, in hanc ſententiam. Teſtati ſunt coram ſacris judicibus Joannes Gioenius Angioi Dux, & Hieronymus filius ejus, viſum abs ſe in quadrivio maximo Civitatis, dubiâ jam luce, poſtridie Nonas Apriles, anno 1626 P. Hieronymum a Panormo, eximiâ ſanctitate Presbyterum, hærentem, ſenſibus avocatum, protenſis in cœlum brachiis, & ſurſum meridiem verſus, quâ Domus eſt Societatis, fixis oculis intuentem. Rei novitate permotos, e rheda, qua vehebantur deſcendiſſe, & ad Hieronymum amicum, & familiarem properâſſe, ut quid rei eſſet cognoſcerent. Tum Hieronymum dicentem audiviſſe: *Evolavit jam evolavit, & Columbæ inſtar Cœlo ſe abdidit*; & in his verbis Hieronymum ſibi redditum, & deprehenſum ac pudibundum ex eorum ſe conſpectu proripuiſſe. Eodem autem momento temporis auditum abs ſe ſignum, quo ex Panormitanæ Domûs turri nunciabatur, Societatis hominem extinctum eſſe, eumque P. Petrum Buffardum eſſe reperiſſe: qui quanquam naturâ meticuloſus, virtute tamen fortiſſimus periculum ſtrenuè adierat, & peſtilentiâ correptus in ipſo moriendi conflictu æternæ felicitatis premium, ut ſibi jure optimo debitum, religioſâ quadam audaciâ a Deo poſtulabat. Item P. Vincentius Gallettus Politienſis, ſed Panormi altus, & educatus. Hic adoleſcens, & ampliſſimæ hæres Gallettorum familiæ, pingue Fluminis Salſi patrimonium, generis prærogativâ ſibi obnoxium, & ſplendidas nuptias repudiavit, ut Societatis militiam ſequeretur, quam anno ætatis decimoquinto, & ſæculi XVI, ſexto & nonageſimo amplexus eſt, in qua litteris, & pietate maximè claruit. Florentioribus annis Philoſophicas artes, & ſacras morum quæſtiones, non ſine laude tradidit. Maturiorem ætatem piis pro animarum ſalute

P. Mich. Frazet in vita P. Hieronym. a Panormo lib. 2. cap. 2. pag. 82. 83.

P. Petri Buffardi manes ad cœlum ferri videntur.

P. Vincentius Gallettus pingui repudiato Patrimonio Societati ſe aggregat.

la-

Digitized by Google

laboribus dedit, & in Domo Panormitana, propter eximiam animi mansuetudinem omnibus carus exegit, sed viris præsertim nobilibus, apud quos plurimùm consilio, & auctoritate valebat. Quandiu Panormi fuit pestilentia, summam ei Valetudinarii suburbani administrationem Senatus detulit, nè languentibus remedia, alimenta, & ministrantium officia deessent: quod ille munus integritate, ac fide summâ, valetudinarium quotidie lustrans, & inter contagiosorum cadavera discurrens, biennium gessit. Sed quum morbus iterum resedisset, ipse supremus omnium, ut maximè optaverat, contagione correptus publicæ calamitatis, & vitæ finem fecit XVI Calendas Junii, annos natus quinque & quadraginta, quorum triginta in Societate collocaverat, in qua & quatuor votorum sacramentum dixit anno 1616.

Contagione correptus Panormi vitam amittit.

VI. Sunt & alia illustrium virorum funera, quæ pestilentiæ non imputantur. Memorandus est ante omnes P. Rutilius Scirotta (quemadmodum ipse suâ manu in codice Tirocinii adnotavit) Panormitanus, generosis ortus natalibus. Inter viros ejus ævi litteratissimos, Jurisprudentiæ primas habuit, & antequam Societatem iniret, omnes ferè Curiæ, ac fori honores percurrit: nam, & Prætorianus, & summus iterum atque iterum Magnæ Curiæ Judex, & *Consistorii* Præses, & regii Præfectus ærarii creatus est. Quos magistratus tanta cum doctrinæ, atque justitiæ gloria gessit, ut nunquam fuerit honorum candidatus, semper ab honoribus quæreretur. Sed ex quo Marianam Nobilium Sodalitatem colere cœpit, vitam instituit supra quàm credi potest Christianis officiis deditam, & castigatam. Addidit enim ad consuetam integerrimæ æquitatis administrationem inculpatum interioris disciplinæ habitum, assiduas religiones, perpetuum pauperibus gratificandi studium, & quotidianam cœlestium rerum meditationem. Duas ex alteris nuptiis filias suscepit, quas nubiles jam, & Virgines in nobilissimo Martoranæ Gynæceo Christo nupsisse gavisus, uxore extinctâ, magistratu se abdicavit, & Sacerdotio initiatus uni Deo vacare maluit, quàm humanarum cupiditatum æstu jactari. Curis omnibus vacuum, & infulatis Sacerdotiis maximè idoneum sacri honores adoriuntur, quibus ille vitandis, Societatem flagitavit, in qua omnis esset infulis præclusus aditus, eamque adiit anno 1615, quum numeraret ætatis annum primum & sexagesimum, tirocinio additus Panormitano. Humillimis ibi addictus culinæ obsequiis, dignitatis ætatisque immemor, nullos sibi honores, ajebat, nullas divitias, nullas corporis voluptates tam jucundas fuis-

P. Rutilio Scirottæ honores in curia, ac foro præstiti.

Marianæ Sodalitati addictus castigatam vitam instituit.

Humanis omnibus abdicatis Societatem init.

Digitized by Google

fuisse, quàm qui modò ex infimis, abjectisque laboribus, inter ollas, & pateras sudores manarent. Miraculi instar habitum est, quod qui propter immodicos togatæ vitæ labores infirmam, & podagrà debilitatam ad religiosæ vitæ secessum attulerat senectutem, prosperam apud nos ex animi tranquillitate, & mensæ parsimonia nactus esset valetudinem, quasi ad pristinos, florentesque annos redisset: quare multos jam annos ab adolescentia curru vehi solitus, visus est magnà Civitatis admiratione, manticà onustus, per celebriores vias ostiatim corrogare, quæ pauperibus impertiret. Virtutum ejus famà commotus Mutius Vitelleschus, quinto nondum expleto, ex quo Societati se aggregaverat anno, eum ad quatuor votorum sacramentum, raro admodum exemplo, evocavit. De Domo Panormitana, in qua reliquum vitæ spatium collocavit, optimè meritus, ejus auxit splendorem perpetuo confluentium concursu. Ad Rutilium enim, ut ad summum Jurisprudentiæ doctorem, municipalis scientiæ peritissimum, & cœlestium auctorem consiliorum graviora deferebant negotia Curiæ forique Proceres, & Principes Civitatis. Sed mortem adesse sentiens quanquam integer, & incolumis, humanas omnes exuit curas, & latendi silendique cupidus divinarum rerum contemplatione sic se totum involvit, ut nihil jam, nisi cœlestia cogitaret, aut loqueretur. Animi orisque hilaritatem, quam inter nos nunquam deposuit, in maximis etiam supremi morbi doloribus retinuit: admonitusque de vitæ periculo, Davidica illa verba lætabundus ingeminavit: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Elatus est XIII Calendas Martias, anno ætatis secundo supra septuagesimum, Societatis undecimo: & funebres honores Nobilitas, forum, Curia, magnà frequentià cumulavit. In Tornamiræ Commentariis adnotatum reperio, P. Rutilii Scirottæ manes statim ac corpore sunt exempti, igne piaculari brevissimo temporis spatio expiatos ad Beatorum Patriam evolâsse.

Virtutum ejus, ac doctrinæ apud exteros fama.

Ejus suavissimus obitus, & funebres honores.

Psalm. 121.

VII. Inter candidiores Societatis animas numerandus meritò est Franciscus Sindonus honestis parentibus Messanæ ortus. Infantiam egit supra communem conditionem, pacatam, docilem, & maximè piam: sacras enim preces balbutire conabatur, vagitum nunquam edidit, naturæ desiderium nonnisi jussus lacte explevit. Pueritiam traduxit religionibus deditam, innocuam & nullis sordibus inquinatam! Quum adiret gymnasia Collegii Mamertini, tanto in honore apud omnes habitus est pudor ejus, ut nemo auderet, nè verbo quidem, elegantis formà

Franciscus Sindonus pueritiam maximè piam traducit.

mà pueri verecundiam lacessere, cujus conspectum propter innocentiæ opinionem discipuli verebantur. Exercuit adolescens summum & apprimè idoneum disciplinis ingenium, præsertim verò eloquentiæ, & politioribus litteris accommodatum. His instructus naturæ, virtutisque ornamentis facilè aditum ad Societatem nactus est, annos natus septendecim. Miratus est P. Petrus Villafrates, qui tirocinio præerat Mamertino, ut Sindonum de se confitentem audivit, singularem ejus corporis animique integritatem, nullà unquam labe commaculatam, nullis unquam obscenis imaginibus, nullo naturæ desiderio tentatam. Quod quidem inter maxima Dei beneficia pauciſſimis, lectiſſimisque collata adolescentibus censendum est. E tirocinio tam emendatus, & intimis virtutibus excultus prodiit, ut nemo culpam in eo deprehenderet, omnes perfectæ disciplinæ imaginem in ejus moribus elucere animadverterent. Ad amœniores litteras addiscendas Calatahieronem missus, omnium in se oculos convertit inculpatæ vitæ ratio, ingenua animi probitas, & perpetuus silendi, castigatèque loquendi habitus. Quàm domitas haberet, quæ maximè torquent adolescentium ingenia, cupiditates, ex eo facilè judicabimus, quod quum super mensam concionaretur, & dicentem memoria fefelliſſet, ipse verò hærere coactus esset, mœrentibus omnibus, & casum ejus commiserantibus, idem mirà vultùs jucunditate, consolationem ceteris adhibebat, quod eà re nihil commotus gaudere se diceret, quoniam nôssent domestici quotus esset, & quo numero habendus Franciscus Sindonus, qui adolescens tam oblivioſus fuisset. Calatahierone Panormum venire jussus, ut in Collegio inchoata jam studia absolveret, virtutum omnium luce domesticæ juventuti præluxit: Deiparæ religionem apud condiscipulos amplificavit, & quidquid ageret, aut loqueretur, ad Deum referre consuevit. Quod quum ab aliquo tempore accuratiùs, atque impensiùs ageret, ex eo conjecit P. Josephus Castelnovus, qui tum Collegio præerat, cognoviſſe de cœlo adolescentem, vitæ sibi finem instare: idque apertiùs significare visus est, quum statim ac ex febricula decubuit, constantiſſimè pronunciavit, eo se morbo periturum: negantibus autem medicis, & optimè sperare jubentibus non acquievit, sed in dicto, & sententia perstitit, quam eventus ratam fecit: nam valetudine paulatim ingravescente, inter domesticorum lacrimas, suaviſſimo fati genere, Deiparam religiosè compellans extinctus est IX Calendas Junii, anno ætatis vigesimo, Societatis tertio.

Ejus animi integritas nullo naturæ desiderio tentata.

Calatahierone litteras addiscit, & virtutum omnium luce aliis prælucet.

Proximum vitæ finem cognoviſſet conjicitur.

P. Petri Funii ortus, & animi dotes.

VIII. Luctuosum etiam Provinciæ accidit P. Petri Funii fatum, quod in Collegii Mamertini magistratu sexagenarium occupavit. Ortus est humilibus parentibus Gibissi, quod est Oppidum Messanæ proximum, & contributum. Sortitus est naturæ beneficio, ingenium supra generis conditionem erectum & excelsum, cui maximè consentiebat oris dignitas, & honestas, atque ingenua quædam gravitas, quam nemo non vereretur. Nobiliores disciplinas studiosissimè coluit, & in earum traditione apprimè claruit. Sed magnæ animi dotes a studiorum palæstra, ad magistratus gerendos avocârunt, in quibus

In magistratibus gerendis multum præstat.

omne vitæ spatium traduxit, atque consumpsit. Collegii Bisbonensis, cui primùm præfuit, rem familiarem eò usque explicavit & auxit, ut triennio vix exacto, Collegium Drepanitanum administrandum sumserit; cujus patrimonium diuturnis calamitatibus debilitatum quadriennio restituit, & ære alieno dissoluto, ab interitu vindicavit: quo tempore tertianos etiam Patres aluit, & informavit. Collegium deinde Thermitanum ad Aquas Selinuntias, pari navitate rexit, & summopere amplificavit. Quum verò de Provincia in duas scindenda ageretur, difficillimo sanè tempore, ardente præsertim pestilentiâ, Collegio Panormitano singulari cum laude præfuit, denique

Ejus gubernationum ratio.

Mamertino, quo in magistratu decessit. Secutus est gubernationis genus grave, efficax, & accuratum, sed æquum, moderatum, verecundum, & a cupiditatibus prorsus alienum. Frugalitatem amavit non sordidam, & tristem, sed commodam, & a conquestionibus planè remotam. In asserenda disciplina fortis & strenuus, pervicacium fregit contumaciam; obtemperantibus maximè favit. Fuit proinde in magistratibus æquè a domesticis dilectus, & formidatus. Defunctum III. Idus Septembres in Collegio Mamertino super mensam laudavit P. Bernardus Malandrinus, orationem ab his verbis, quæ virtutes ejus maximè attingunt, exorsus: *Vir erat in terra Hus, nomine Job, simplex & rectus, ac timens Deum.*

Job. cap. 1.

P. Jacobi Dominici in Societate res optimè gestæ.

IX. Idem fuit hujus anni & P. Jacobi Dominici vitæ exitus. Ortus est apud Thermas Himerenses anno 1558, natalibus planè ingenuis. Anno ætatis decimosexto in tirocinio Mamertino Societatis disciplinam secutus est. Biennio vixdum exacto, Syracusas docendi causâ missus, primum ibi anno 1577 sacramentum dixit. Insita quædam a natura probitatis, atque prudentiæ semina in juvenilibus etiam annis canos mores, & senilem temperantiam effudere. Accessit summum, & mite ingenium, frons liberalis, excelsus corporis habitus, pronunciandi

sua-

Digitized by Google

suavitas, & explicata linguæ facultas, quæ omnia virtus, atque doctrina ita excoluit, ut ad summa quæque gerenda idoneus haberetur. Romam studiorum gratiâ navigare jussus, nactus est in Collegio Romano divinarum Artium doctorem P. Franciscum Suarez, cui quadriennium dedit operam, tantopere probatus, & ingenii laude inter æquales conspicuus, ut studiis emensis, in Collegio Romano anno ætatis sexto & vigesimo, Philosophicas artes tradere jussus fuerit ab Aquaviva, quo in dignoscendis, atque æstimandis ingeniis nemo fuit accuratior. Magnus ad Dominicum propter doctrinæ, & comitatis opinionem factus est auditorum concursus, in quorum numero fuit Maphæus Barberinus, qui labentibus annis, renunciatus est Pontifex Maximus, Octavus inter Urbanos, & in eo summi honoris fastigio Doctoris sui memoriam non dimisit. Sed gravissimâ Dominicus valetudine tentatus cursum non tenuit. Quare quum P. Dominicus Candela ex Procuratorum comitiis esset in Siciliam remigraturus, ab Aquaviva petiit, ut liceret sibi eum in Provinciam deducere, si fortè natalium siderum temperiem salubriorem experiretur. Tradit autem Matina, ex Candela se accepisse, petenti Claudium respondisse, concedere se Provinciæ pretiosissimam margaritam, anulo, digitoque suo ademptam, quâ diutiùs esset ægrè cariturus. Ut verò ostenderet, Dominicum quanti faceret, annos natum septem & viginti ad Collegii Panormitani magistratum designavit, & anno 1585 cum Candela in Provinciam remisit. Insignem eam præfecturam, quam veterani semper adierant, adolescens tam sapienter, ac laudabiliter gessit, ut ad annum ferè sextum produxerit, & perpetuos exinde magistratus annos admodum quadraginta sustinuerit. Quum Collegium Panormitanum incertis ahhuc sedibus vagaretur, Bonettæ domum ipse dimisit, & secus viam maximam nobilissimum locum cœpit, in quo illud consideret: proximas ædes coëmit, ædificationem instituit, Gymnasiorum atrium marmoreis columnis distinctum, & porticibus quadrato opere instructum a fundamentis excitavit, Collegii faciem, ut nunc est, erexit & ornavit. Interius conclave ita concinnavit, ut omnes commodè pro præsenti copia habitarent. Templi etiam fundamenta jecit, & ad coronidem ferè adduxit: quæ quidem quâ pecuniâ effecerit, divinare nemo potuit, eo præsertim tempore, quo Collegii census admodum tenuis, & angustus alendis modò domesticis non suppeteret. Reperta est per eos dies in Collegii suburbano, quod P. Paulus Achilles emerat, magna vis aquæ, cujus fontes altissimis sectu-

Francisco Suarez Doctore, Theologicæ disciplinæ Romæ studet.

P. Aquaviva Dominicum ægrè reddit Siciliæ.

Ad Collegii Panormitani Magistratum adolescēs designatur.

Collegii certas sedes figit, & ædificationem instituit.

ris ex imo solo erumpebant, & occultis meatibus effluebant. Dominicus immenso planè sumptu, piscinam extruxit, quà ad hanc diem in Panormitano suburbio nulla est major, aut æquè ampla, quæ venas omnes exciperet, eò per subterraneos lapide excisos aquæductus deductas, atque coactas, quibus horti recrearentur. Addidit deinde testaceos aquæductus ad duo ferè passuum millia, quibus aquæ intra mœnia derivarentur, & Collegii censum augerent. Neque verò disciplinam neglexit: juniores enim potestate continuit, veteranis exemplo præfuit, utrosque humanitate ac caritate sibi conjunxit, & ad parendum suavissimè compulit.

Tenuem Collegii censum auget.

X. Tantam hominis industriam vindicavit sibi post quinquennium Domùs Panormitanæ magistratus, Aquavivà lubente, sibique gratulante, quòd quem ipse adolescentem summis honoribus dignum putâsset, emeriti quoque, ut sibi præesset, flagitarent. Quare anno 1591 postridie Calendas Junias, ipso *Pentecostes* die, annos natus quatuor & triginta, in Panormitana Domo quatuor votorum sacramentum coram P. Bartholomeo Riccio publicè dixit, & magistratum adiit, planè splendidum, & actuosum. A Templi, & Domùs disciplina administrationis initium sumsit, nè quid esset absurdum, & Societatis institutis non consentaneum. Quod crebris adhortationibus, & castigatissimis moribus facilè est consecutus. Ad utriusque deinde incrementum, atque nitorem appulit animum. Templum, disjectis Sacellorum lateribus, magnà impensà laxavit. Sacram supellectilem auxit. Aureorum bina ferè millia in calices, argenteas quinque lampades, tria ex serico varii coloris magna tentoria, & prægrandia totidem scrinia, quibus pretiosa utensilia custodirentur, erogavit. Domui ampliora quædam cubicula adjecit, interiorem aulam, quò omnes convenirent, explicavit, domesticum Sacellum elegantiâ summâ perpolivit, exterioris januæ aditum columnis exornavit, nihil reliqui fecit, quod ad ornatum, & honesta suorum commoda pertineret. Inchoato jam tirocinio Panormitano, quum ejus conditor Octavius Lombardus ædificationem instituisset, Jacobus Dominicus excelsâ quadam magnitudine animi, tirones omnes, & tertianos apud se hospitari voluit, ineunte Septembri, anno 1593, eisque vetustum illud conclave incolendum dedit, quod in ædibus S. Mariæ de Crypta ad nostros usus concinnatum, primos illos Collegii Panormitani conditores exceperat. Sed & universis, sub P. Francisco Miroldo, utrorumque Magistro, alimenta suppeditavit, fecitque communis mensæ participes;

Domùs Panormitanæ magistratum adit.

Ad Templi, & Domùs incrementum, & nitorem, animũ appulit.

Excelsa animi sui magnitudo.

dum

Digitized by Google

dum tirocinii ædificium aliqua ex parte absolveretur. Triennio expleto, Aquaviva memor Dominici virtutis, & meritorum, eum ad se venire jussit, & Societatis curarum participem esse voluit. Quare P. Didaco Ximenio jam seni, & ætatis vacationem postulanti, qui jamdudum Claudio ab epistolis fuerat, suffectus est, anno 1594, quum vitæ annum numeraret sextum & trigesimum. Quamdiu eo in munere Aquavivæ ministraverit, adnotatum non reperio: suspicor tamen, productum ejus laborem ad annum usque 1604, quo Provinciæ, ad ejus magistratum gerendum, redditus est. Decedenti, Claudius non vulgare animi sui pignus dono dedit insignem nobilissimi vetustissimique operis tabulam, in qua præcipua Christi, quum in vivis ageret, facta, coloribus descripta cernuntur. Sed ejus picturæ pretium cumulaverat B. P. Ignatius, qui eam & vivens, & moriens contemplari consuevit. Id optimè declarat Elogium tabulæ appositum, quod est hujusmodi: *Hæc tabula ab Eleonora Mascarena Joannis Vegæ, Siciliæ Proregis uxore, B. P. Ignatio Loyolæ Romam dono missa, & a P. Claudio Aquaviva Jesu Societatis Antistite P. Jacobo Dominico, ob insignia ejus in Societatem merita dono data, hujus beneficentiâ, in Collegii, quod est ad Thermas Himerenses jura pervenit, anno 1626. Hæc morientis Ignatii supremos obtutus ultima excepit. Hanc idem vivens in genua provolutus subinde adoravit.*

Claudio Aquavivæ ab epistolis destinatur.

Aquavivæ erga P. Dominicũ studii testimonium.

XI. In Provinciam reversus, & a summis etiam Principibus magno in honore habitus, ea in magistratu edidit virtutis, & eximiæ prudentiæ documenta, quæ superioribus annis sunt consignata. Illud præterire non possum, quod ei Provincia debet, inclytum illum sanctitate, & cœlestium beneficiorum famâ præclarum Aloysium Lanuzam, quem diuturnis probatum exercitationibus, nostro numero addidit, anno 1609; qua ex re planè relinquitur, Dominicum in Provinciæ magistratu annum etiam quintum collocâsse. Eo perfunctus, Mediolanensem Provinciam triennio administravit; deinde Collegium Romanum annos quatuor usque ad annum 1616, quo a Mutio in Provinciam remissus, Domui Panormitanæ iterum præfuit, quam tantâ felicitate rexit, ut qui immodico ære alieno oppressam reperit, in ipso adventu, quemadmodum Matina commemorat, creditoribus satisfecerit, & templi, domûsque nitorem amplificaverit, & novam ædificationem instituerit, interius conclave alterâ contignatione auxerit, concamerationes adjecerit, scalas addiderit, interiores porticus ornaverit, universam

Siciliæ, ad Provinciæ Magistratum gerendum redditur.

Frazzetta in Vit. P. Aloys. Lanuza lib. 1. cap. 3.

Domum Panormitanam iterum administrat, & strenuè amplificat.

Digitized by Google

ſam familiam paternæ caritatis abundantiâ, victu, indumentis, utenſilibus recreaverit, impetrâritque a Mutio, ut ſolemnioribus ſaltem diebus, & iis quoque, quibus maximi eſſent calores, ſi fortè ad potum refrigerandum nix ab externis mitteretur, eâ uti liceret, parcè tamen, & modicè. Sed præcipua ejus cura ad templi elegantiam, atque ſplendorem ſpectabat. Quatuor muſica pulpita idoneis locis aptavit; totidemque prægrandia intulit organa, quæ immiſſo follibus ſpiritu, ſonum ederent. B.P. Ignatii Sacellum marmorato, auratoque opere incruſtare aggreſſus eſt. Cumulavit ſacra indumenta, munditias omnes invexit, concamerationem abſolvit, aream explicavit, ſtravitque. Ejus operâ anno 1618, nè reliqua ſileamus, extructum eſt pauperum Domicilium ſatis amplum, quo mendicantium greges convenirent, ibique tectu, veſtitu, & alimentis juvarentur, nè tanta egenorum colluvies templa, & porticus obſideret; conſtitutus eſt cenſus ex ærario Civitatis, & privatorum miſericordia. Trecenti initio coacti ſunt, poſtmodum longè plures, quibus omnibus ſplendidum dedit epulum Mariana Nobilium Sodalitas, duce P. Franciſco Rajato, quod & Nobiles Sodales attulerunt, & ipſi præcincti linteis appoſuerunt. Celebratus eſt anno 1619 Provinciæ Conventus, cujus miſſu P. Jacobus Dominicus Romam ad Procuratorum comitia profectus eſt, quibus peractis, ſequenti anno ad magiſtratum rediit, quem ad annum ferè ſextum retinuit. Anno 1622 Mutii litteris pro P. Hieronymo Tagliavia, quem diuturna valetudo prohibuit, Provinciam iterum adminiſtrandam ſumſit, & ejus Conventui præfuit, geſſitque magiſtratum ad annum 1623. Anno demum 1625 in Provinciæ Conventu Mœnis habito, Romam iterum venire juſſus, ut minoribus Societatis Comitiis intereſſet, regreſſus inde eſt anno 1626 ad Panormitanæ Domûs magiſtratum deſignatus, quem tertiùm capeſſivit Aprili menſe, & in eo, paucos poſt menſes, anno eodem, III Calendas Januarias ex ægritudine animi extinctus traditur. Quum enim in ipſo negotio comperiſſet, quàm gravia incommoda, acreſque conqueſtiones attulerit ſciſſa Provincia, cujus ipſe auctor fuiſſet; & quantopere in capiendo conſilio titubâſſet Vir ceteroqui ſapientiſſimus, quaſi ſupremum honeſtiſſimæ vitæ actum ignominiâ clauſiſſet, & emeritos canos poſterorum obtrectationi, atque invidiæ obtuliſſet, mœrore confectus eſt, anno ætatis duodeſeptuageſimo. Sed ea eſt humanæ mentis conditio, ut ſi in aliquod cœcum tempus fortè incidat, in quo quamplurimi perperam ſentiant, quodam veluti æſtu rapiatur, neque quid opti-

Pauperum domicilium excitat, & cenſum conſtitui curat.

Provinciæ gubernacula iterum tenet.

Ex animi ægritudine, quòd ſcindendæ Provinciæ auctor fuerit, extinguitur.

Digitized by Google

optimum factu sit, pervideat. Ceterùm nemini dubium est, quin quæ Dominicus egit, bonà mente peregerit. Reliqua humanarum mentium imbecillitati imputemus. Quod si rectiùs agendum sit, illud potiùs meminerimus, vulgarem esse stultitiam, sapientiam consiliorum ex eventibus æstimare. Quare P. Jacobum Dominicum clarissimis annumeraræ Provinciæ luminibus non veremur.

XII. Vir fuit animi magni, maximique consilii. Tardus & serus in concipiendis negotiis, strenuus & velox in conficiendis, sed lentà quadam festinatione, cujus beneficio, quæ diu cogitaverat, nunquam exitu caruerunt. Virorum Principum gratiam, & benevolentiam, semel eos allocutus, ita promeruit, & constanter retinuit; ut faciles ad eos, & jucundos haberet aditus, quos tamen non aliter conservari posse dictitabat, quàm si eorum familiaritas, & consiliorum communio vitaretur. Vivendi consuetudine usus est gravi, sobriâ, & ad silendum pronâ; neque tamen austerâ, & difficili, sed plenâ mansuetudinis, & comitatis, quæ ex animo in frontem & oculos redundaret, ostenderetque pacatæ mentis jucunditatem. Sibi parcus, aliis lautus & largus, nihil in se commodi ex perpetuis magistratibus derivavit, nihil non excogitavit, quo obnoxiam sibi familiam modis omnibus sublevaret, & quàm beatissimam esse vellet. Suos sæpè ad laborem hortabatur, præsertim verò Fratres domesticorum munerum Adjutores, in quos, si fortè cessantes deprehenderet, animadvertere consuevit. Quoniam verò huc narratio delapsa est, mirabile ostentum subnectam, cujus se testem, & spectatorem P. Jacobus Dominicus profitebatur fuisse, quum adolescens esset, & in Panormitano Collegio versaretur anno 1573. Itaque, ut Fratres ad laboriosæ vitæ consuetudinem incitaret, narrabat identidem, Fratrem quendam Dominicum Caromellum senectute, ac valetudine ad domestica officia jam ineptum, nè cessando nihil ageret, a Majoribus impetrâsse, ut quando non liceret pistoriam facere, quam multos jam annos diu noctuque laboriosissimè exercuerat, in pistrino diem collocaret, ibique jumentum ageret. Quoniam verò ea cura lectionem non excluderet, Sanctorum Patrum vitas lectitare solebat. Ita supremos vitæ annos consumsit, quin ullum temporis momentum labore vacuum præteriret. Decessit aliquando Caromellus, & elatus humatusque est. Sed jumentum pistrinense, ut annosum & mite, ferox & refractarium esse cœpit, & modis omnibus habenas, & retinacula excutere conabatur, quibus denique obluctando fractis e pistri-

Quàm cautè, & cogitatè P. Dominicus negotia tractaverit.

Domesticos præsertim Fratres ad labores hortatur.

Eos mirabili ostento ad laboriosam vitã incitare conatur.

no

no evasit, & rectà ad templum tetendit, quod quum frequente populo ingressus esset, supra Caromelli sepulcrum restitit, ibique flexis poplitibus, & ore in terram demisso tandiu permansit, quoad domesticorum curâ abactum est. Tum bellua ad officium reversa pristinam mansuetudinem revocavit. Quod quidem a miraculo nihil abfuit: quasi Deus ostento declarâsset, quàm grata sibi fuisset Fratris opera nunquam cessantis, quòd jumentum excitâsset, ut exuviarum ejus locum veneraretur. Debet Provincia P. Jacobo Dominico quamplura Collegia, ut idoneis in locis est demonstratum; sed præcipuè Thermitanum ad Aquas Himerenses, quod industriâ ejus demum coaluit.

Jumentum Dominici Caromelli sepulcrũ veneratur.

XIII. Nihil anno 1627 adnotatum reperio, quod in Provincia gestum sit, quum ea discissa ex plaga gemeret, & vulneris acerbitatem sentiret; nisi quod alteris Mutii litteris P. Jordanus Cascinus Panormitanæ Provinciæ appellatus est Rector; Decius Striverius Mamertinæ; qui tamen, quamquam utrique præsideret, Messanæ consedit, neque Mamertinæ Provinciæ fines est prætergressus, sed quæ in Panormitana, secessionis causâ temperanda essent, per litteras administrabat, quibus identidem hortabatur, ut eam æquo animo amplecterentur, ac de ea rectè commodèque existimarent. Non verò caret hic annus magnis funeribus, etsi non multis. Sub exitum anni superioris decubuerat unà cum P. Jacobo Dominico in Domo Panormitana P. Josephus Scammacca, qui ut de ejus, qui Domui præerat, valetudine audivit: *Moriemur ambo*, dixit, *sed eum præire decet, qui primus est dignitate*. Præsagium eventus confirmavit: quoniam P. Josephus decimo post P. Jacobum die VIII. Idus Januarii fato concessit. In Leontinis ortus est, nobilissimis Majoribus P. Josephus Scammacca, postridie Calendas Novembres anno 1590. Naturæ beneficio, memoriâ usus est facili, amplâ, tenaci; ingenio splendido, alto, & acuto; indole supra modum simplici, & apertâ, in quam neque suspicio caderet, neque invidia, neque calliditas, neque mentiendi voluntas; quod in teneris etiam annis maximum fuit bonitatis specimen, & innocentiæ puritiam proinde exegit, & continenter adolescentiam ab omni naturæ inquinamento remotam. Tentati pudoris periculum tanto impetu repulit, ut quum se ab obsceni adolescentis complexu magna vi explicaret, & in fugam conjiceret; per scalarum gradus præceps in caput rueret, atque ex eo casu vix mortem effugerit. Catanam primùm, deinde Messanam ad Jurisprudentiam arripiendam adolescens adhuc missus, nostrorum hominum consuetudine captus Societa-

Rectores binis Siciliæ Provinciis regendis præfecti.

P. Josephi Scammaccæ de sua morte præsagium.

Ejus indoles, & pudoris illustre monumentum.

Messanæ sine Parentum commeatu nostro numero additur.

tatis adeundæ consilium cœpit. Quare in Patriam reversus, ut parentibus valediceret; quum secedendi veniam obfirmatè negatum iri intelligeret, quòd septem fratrum esset natu maximus, & ad ducendam familiam designatus; Messanam quasi studiorum gratiâ remeavit, ibique anno 1567, quo tempore tirocinium Mamertinum nondum a Collegio secesserat, nostrorum numero adscribitur. Quod quum ad Antonium Patrem delatum esset, cùm carissimi filii jacturâ, tum Isabellæ conjugis lacrimis, & obtestationibus vehementer commotus, Messanam advolat. Pantaleon Rodinus, qui Collegio præerat, filii adeundi potestatem facit. Ille in lacrimas & singultus effusus queritur, quod sine commeatu de se statuerit, & familiæ spem prodiderit. Matris luctum exponit. Obtestatur, nè dulcissimos parentes ad mortem adigat, si in eodem perseveret, modis omnibus adolescentis animum flectere studet. Josephus verò, cœlesti quadam facundiâ, paucis se expurgat, & Patris animum vincit, qui in Patriam regressus uxoris lacrimas sedare non potuit. Fregit tamen conatus ejus Hortensius filius natu minimus, qui tum lactens necdum bimulus, (sed post annos quindecim nostræ militiæ adscitus, & inter illustres Provinciæ doctrinâ, ac religione viros deinde habitus) Matris fletum ostento compescuit. Infans enim, qui nondum linguæ plectra explicaverat, tum primùm ante naturæ præscriptum loqui cœpit, & matrem disertè, ac sapienter objurgavit, quòd *Quum septem filios a Deo accepisset, unum Deo reddere tantopere gravatè ferret*. Eà voce quasi divino oraculo exterrita Isabella, Josepho molesta esse desiit, & ejus consilio, ac voluntati acquievit.

Patris lacrimas compescit, & animum vincit.

Matris conatus ostento frãguntur.

XIV. Sed qui Messanæ erant adolescentis propinqui eum a proposito deterrere conabantur. Placuit itaque Domenechio, Josephum Messanâ abesse, & Panormum concedere. Ibi P. Franciscum Gerardum Hispanienſem nactus est vitæ magistrum, virum insignem, & fingendis ad nostros mores, tironum ingeniis valde laudatum. Quantùm sub ejus disciplina profecerit, vel ex eo intelligere licet, quòd quam tiro aggressus est vivendi, agendique consuetudinem, ad extremos usque canos invariatam retinuit. Emenso tirocinii biennio, politiorum litterarum doctori Messanæ dedit operam Stephano Tuccio, qui non alium ab ingenio tantopere commendavit. Rhegium deinde Julium Rhetoricæ artis tradendæ causâ missus, triennium ibi collocavit, deditque singulis annis comœdiam & tragœdiam, quas magnâ Rhegiensium gratulatione, atque frequentiâ pulpito, ac scenæ commisit, Philosophicas, ac *Theologicas* artes

E Messanensi ad Panormitanum Tirocinium mittitur.

Illustria ingenii sui monumenta.

Messanæ didicit. Sed quum anno 1576 nobiliores disciplinæ Panormi tradi cœperint, Josepho est demandatum, ut in templo Societatis, quo tempore Domus erat Collegio conjuncta, primus omnium novam Academiam publicaret, & de universa *Theologia* disputationem instituteret. Quod & maxima cum laude præstitit. Quare philosophicarum Artium doctor ibidem est appellatus anno 1577: sed non eas diu tradidit; quoniam propter eruditionis, & religionis præstantiam, ad concionandi palæstram est evocatus. Eloquentiæ ejus virtutes pauci sunt assecuti. Fuit enim facilis, fusa, plena, erudita, efficax, & ab omni orationis fuco aliena, crebris tamen sententiarum distincta luminibus, quas ex sacrorum librorum, & veterum Patrum fontibus petitas, copiosè expromebat. Accessit memoriæ ubertas, ingenii feracitas, vox suavis & magna, mira præsertim linguæ, & gestùs consonantia. Insulam universam ter concionando lustravit. Quadragies in jejunio quotidianas exeruit conciones; annos quatuor & quadraginta in præcipuis Civitatibus, præsertim verò Panormi, magnà semper auditorum voluptate, frequentià, emolumento collocavit. In publicis, ac communibus vitiis objurgandis acer & strenuus, candidissimi motum animi tenere non potuit, quin ea reprehenderet, & pluribus incusaret, quæ mali exempli perniciem præseferrent. Quare de eo, ut de Pericle Quintilianus, dicere solebat; *Videbatur fulgurare, fulminare, permiscere totam Siciliam*. Ea de re apud domesticos, & externos nonnihil offendit. Criminabantur externorum nonnnulli contumeliosum dicendi genus, & increpandi audaciam potiùs, & licentiam, quàm sapientiam, & libertatem: neque domesticis erant jucundæ summorum virorum, & magistratuum offensiones, qui se perstringi suspicarentur, sibique facilè persuaderent. Ille verò publicè privatimque admonitus, & non leviter castigatus, paratum se ajebat, ad omnino silendum: sed non esse in sua potestate, inter dicendum, cohibere linguam, quin ea, quæ maximè nollet, enunciaret; & intimo quodam impetu verba erumperent, quæ non efferre plurimùm conaretur. Itaque, quod plerisque Dei amicis usuvenisse comperimus, graves tulit ærumnas, quarum ea fuit præcipua, quòd anno 1616 quum Doria Pontifex in interregno Siciliæ magistratum gereret, exulare jussus, seque Montemregalem recipere coactus est; ibique permansit, quoad *Castri Comes*, ex Romana legatione ad Siciliam administrandam venit: ut enim appulit, causà ejus, atque innocentià cognità, Panormum remeare jussit, anno 1617, eumque lubentissimè

Josephi Scammaccæ eloquentiæ commendatio.

Publica vitia acriter, ac strenuè objurgat.

Quintil. lib. 12. cap. 9.

Privatim proinde, ac publicè admonetur, ac castigatur.

Digitized by Google

simè audivit, & objurgantem sustinuit, quòd intelligeret, nihil ab eo arroganter, astutéque dici, sed ingenuo quodam candore ferri, qui invidiam omnem dictorum ejus abstergeret. Itaque quum primùm in domestico S. Petri Sacello concionanti adfuit, tantopere captus est, ut eum apud se prandere voluerit, & ipse cum uxore, atque liberis fercula apposuerit, ac ministraverit. Catanæ etiam nobilis quidam Patritius, concionibus ejus peti se suspicatus, ad eum armatus eo animo venerat, ut lupus agnum trucidaret, atque concerperet. Sed ut hominem mirà mansuetudine mori paratum offendit, sanctitatem ejus veritus, veniam petiit, neque ab eo discessit, nisi expiatus.

Patritium, qui eum occidere adoritur, sua mansuetudine frangit.

XV. Et sanè Josephum divino potiùs instinctum numine, quàm pervicacis ingenii contumaciâ reprehendendi consuetudinem retinuisse, cœlestibus ostentis non semel Deus declaravit. Visa est enim identidem candidissima columba ad aurem ejus concionantis insusurrare; visus & vultus ejus lucem emittere, tum præsertim, quum vitia insectaretur: visum & cœleste jubar ex summo templi apice in caput ejus descendere. In Jordani Cascini domesticarum rerum commentariis adnotatum reperio, narrâsse sibi Nympham Bavieram, quum jam esset ætate gravis, & in Panormitano *Virginum* Gynæceo inter Christianas Vestales jampridem adscita, Scholastica nuncuparetur, se columbæ spectaculo puellam interfuisse; atque ea narrantis verba fuisse: *Aderam in Panormitanæ Domûs Templo P. Josepho Scammaccæ concionanti, mihique proximè assidebat unà cum ejus matre puellula, quum hæc repentè exclamavit, nonne vides Mater columbam, quæ concionatoris auri rostrum inserit? Tum mihi subit oculos attollere, ut dispicerem dexteramnè, vel sinistram aurem columba peteret: quare sublatis oculis, columbam vidi nive candidiorem, quæ palpitantibus alis in dextimam ejus aurem illapsa, quasi eam vellicaret, aut aliquid rostro carperet, identidem accedebat. Sed præsentis veluti divinitatis numine exterrita, quum totis artubus tremerem, & capillus arrigeretur, planè intellexi, majus esse ostentum, quàm acies humana ferre posset: quare demissis oculis, atque defixis diu hæsi attonitæ similis, & omnia metuentis.* Ejusdem formæ columbam eodem in Templo, Josephi auribus inhærentem ab sese visam affirmavit Benedicta Bosca Ordinis *Capuccinorum* Tertiana Soror, probatissimæ virtutis mulier, a qua accepisse se, tradit P. Octavius Cajetanus. Addit ejus vitæ scriptor *Anonymus*, & æqualis, columbæ speciem circa Josephi caput volitantis, animadversam fuisse a

1627

Eum in reprehendendo divinitus esse instinctum ostenta declarant.

Columba, dum Scāmacca concionatur, ad ejus aures susurrare videtur.

Idem ostentum iterum, ac sæpius videtur.

quamplurimis, quum in Æde principe Panormi verba faceret; eamque rem, tanquam compertam, & exploratam communi sermone, vivo etiam Josepho jactari solitam. Genas ejus concionantis cœlesti flammâ candentes, & in omnem partem jubar vibrantes conspicatus est unus, & alter nostrorum Fratrum, qui dicenti aderant. Scintillantem etiam ejus vultum, & ex eo radium divinâ luce manantem animadvertit in templo maximo Panormitano Soror *Reparata* austerioris *Seraphicæ* disciplinæ alumna, in paucis laudata virgo, quum ille paulò post Corporis Christi diem populo exprobraret neglectam cœlestis epuli religionem. Testatus est denique Hieronymus Ingrisanus vir eximiæ religionis, ac probitatis, quum Josephus in publica scelera magnis clamoribus inveheretur, oblatam sibi superni luminis speciem, quod longo tractu ex summa Panormitani Societatis templi testudine in caput ejus illaberetur.

Visus etiam vultus ejus divinâ luce perfusus.

XVI. Adjuverunt concionum ejus efficacitatem & nervos virtutes maximæ, quas ego jam summatim, & festinanter percurram. Singularis fuit erga Deum pietas ejus atque religio. Nullum erat præfinitum supplicandi tempus, nullus Deo vacandi modus, nulla clepsydrarum mensura: namque singulis diei horis quidquid ageret, sive legeret, sive scriberet, sive incederet, sive mensæ accumberet, ita Deus menti obversabatur, ut ejus caritate exæstuaret, & in divini amoris suavitate dulcissimè conquiesceret. Animi diu noctuque commoti, & divinæ patientis testes erant perennes lacrimæ, quibus sive pranderet, sive cœnaret, non modò mappas, atque mantilia, sed epulas etiam potumque respergeret; quod quum ei interdum assideret, se vidisse testatur P. Georgius Judicius Panormitanus, qui res ejus gestas volumine comprehendit, quod ineditum penes me est. Habeo etiam ejus rei auctorem Joannem Paulum Durantem, qui Proregi publicis ab epistolis erat, insigni virtute, ac fide hominem, qui quum Josephum ad Erctæi montis specum, B. Rosaliæ sepulcrum, deduxisset, & peractis religionibus, epulum ei dedisset, vix accubuerat, quum Josephus ad epularum conspectum, quæ Creatoris memoriam, & caritatem excitârunt, in uberrimas abiit lacrimas, neque Deum magnificare desinebat, quòd ab eo missa diceret fercula, quæ apponerentur. Ad ea Durantes mirans, ac stupens: *Nunquid*, ait, *aut hoc flendi tempus, aut sine fine flendum est?* Cui Josephus: *Nihil est mihi dulcius his lacrimis, quibus, & animus alitur, atque pinguescit, & corpus ipsum recreatur.* Quare P. Vincentius Gariglianus, divinarum rerum scientissimus, qui

P. Scammaccæ summa virtutũ capita.

Totus Deo vacat, & in ejus amore cõquiescit.

Ex ea cum Deo conjũctione in lacrimas identidem abit.

ejus

ejus omnia intimè nôrat, Josephi cum Deo conjunctionem summam esse dictitabat, atque perfectam: *Instar amantium, qui diu noctuque de persona dilecta semper cogitant, & quasi præsentem semper illam habent, semper intuentur, & amant vehementer.* Sed quæ virtutum omnium custos est verecundia, & intima quædam temperantia, quæ in adolescentibus maximè laudari solet, ea in Josepho sene, & emerito plurimùm enituit. Humillimè de se suisque rebus existimabat, ac loquebatur. Nemo de re ulla querentem audivit, aut ab eo parum laudari questus est. Posthabitus interdum, atque neglectus, obtrectatores, & invidos suos nunquam sibi satis amare, ac commendare videbatur; quibus & coram, & per litteras agebat gratias, & rebus omnibus obsequebatur. Quæ tempora inter nos communibus colloquiis tribuuntur, ea lubenter cum fratribus, & tironibus collocabat, cum quibus ita versabatur, ut si æqualis eorum esset. Societatis Homines, & instituta, & leges, & consuetudinem maximi fecit, magnoque semper in honore habuit: neque in familiari sermone jactare verebatur, plura se commoda, & honestæ vitæ ornamenta in Societate nactum esse, quàm in Leontinis domi suæ reliquisset. Obtemperandi studium in omni vita primum habuit, & ad summos usque canos, ut tirunculus instituerat, senex retinuit, & cumulavit. Anno ætatis secundo & trigesimo in æloquentiæ arenam descendit, tenuitque concionandi palæstram ad septimum, & septuagesimum, qui fuit supremus vitæ ejus; neque tamen unquam in quo Provinciæ Collegio permaneret, in quo Collegii cubiculo habitaret, quem suggestum, aut quo in loco conscenderet, quibus cibis, aut indumentis uteretur, sibi quærendum, aut cogitandum statuit; nihilque fuit illi jucundius, quàm aliorum arbitratu vivere, omnia ex præscripto facere.

Intimæ ejus tẽperantiæ exẽpla.

Insigne ejus obtemperandi studium, & cõsuetudo.

XVII. Domesticæ disciplinæ omnium servantissimus, nihil quod lege cautum esset nè fieret, jam veteranus admittere ausus est. Catanæ quum esset, Ætnæi montis apex adultà jam nocte, ignes omni ex parte vibrare cœpit, adeo magnos, & vehementes, ut tota cœli immensitas infinito planè incendio arderе, & flammis involvi videretur. Properabant omnes ad loca superiora, ut inusitatum spectaculum intuerentur. Invitatus est Josephus, ut alienum intraret cubiculum, ex quo prospectus esset in montem: negavit ille id sibi licere, quòd lege teneamur alienis abstinere cubiculis; neque ullis precibus vinci potuit, nisi venià a majoribus impetratà, cujus denique beneficio usus est. Paupertatis usuram in cariſſimis rebus habuit. Nihil sibi

Domesticam disciplinam accuratissimè servat.

Digitized by Google

Religiosæ inopiæ studium, & usus admirabilis.

sibi ex paterna hæreditate aut retinuit, aut dimisit, nihil ad se ex concionum laboribus emolumenti redire passus est. In perpetuis itineribus nulla præcipua adhibuit præsidia, quibus brumam defenderet, non ocreas, non pallium, non pileum: sed communia tantùm non recusavit integumenta, quæcunque illa essent, sive sordida, sive detrita, & quæ alius exuisset. In ejus cubiculo præter studiorum suorum supellectilem nihil cerneres, nisi lectulum, & scamnum, & mensam, & lucernam, & Christi e cruce pendentis simulacrum: reliqua insignem ostendebant nuditatem; nisi quod paulò ante mortem duas adjecit Beatarum Virginum imagines Agathæ, & Rosaliæ, quæ post ejus fatum in B. Francisci Xaverii Sacello dextrà, lævàque sunt

Ejus in tractando corpore ratio.

propositæ. Obesus, & cibi ac somni appetens, nunquam quicquam gustavit a communi mensa alienum, nunquam nè in summis quidem laboribus, cubandi mensuram est prætergressus. In contagiosorum obsequio vitam ponere magnopere flagitavit, quo tempore pestilentia ab anno 1624 Panormi sæviit. Sed non placuit majoribus senem emeritum, moriendi cupidum, improvidum propterea, ac cavendi imprudentem, certissimo periculo objicere. Eà spe dejectus valetudinarium quotidie bis adiit, & infirmorum domos lustravit, ut ægris saltem, & ministrantibus solatio esset: atque *O vos felices*, ajebat, *qui ad palmam, & triumphum properatis!* Vaticiniorum potestate maximè claruit; reliquis prætermissis, unum referam. Joanna Moncada Ducis Montialti uxor, sexto jam mense, gerebat uterum, quum fœtus moveri desiit; quæ res in causa fuit, ut medici pronunciarent, partum in utero extinctum remediis abigi oportere. Joanna Josephum periculi admoneri jubet, & ad se quamprimùm venire. Ille statim accurrit, & prægnantem reperit metu perculsam, quæ poculum manu tenens, ori admovere parabat, ut medicinam sorberet. Eminus exclamat Josephus: *Quid agis: siste, quæso te.* Tum properans poculum e manibus eripit; atque *Vivit Proles*, ait, *& mascula est, & maturo partu nascitura, & Ignatii nomine nuncupabitur, quoniam B. Ignatii beneficio, & vitam retinet, & lucem aspiciet!* Quorum nihil excidisse eventus declaravit. Ea omnia ex ipsa Joannæ ore accepit P. Erasmus Marotta, a quo se audivisse meminit P. Georgius Judicius.

Fœtum, qui extinctus in utero putabatur, vivum & masculū esse prænunciat.

B. Annæ religionem in primis præfefert.

XVIII. Religionibus maximè movebatur, quarum ea fuit præcipua, qua Beatissimam Annam colebat, ad quam quotidie has dabat preces: *Precor te ò Beatissima Anna, roges sanctissimam filiam tuam Matrem Dei, ut ipsa me commendet benedi-*

dicto filio suo, Jesu Christo, Nepoti tuo, ut inter tot pignora caritatis invocata, a sinu misericordiæ Dei nunquam excidam. Singularia per eam Josephum impetrâsse a Deo beneficia, auctor est P. Georgius Judicius, unum tamen commemorat, quod est ejusmodi. Tibiam ulceribus scatentem, & putrem ægrè trahebat infelix quidam Panormitanus Faber. Josephum rogavit, ut sibi ac familiæ ratione aliquâ subveniret. Josephus *Vetula mea*, inquit, *præsidio opus est*; eumque bene sperare jussum dimisit. Postero die venerabilis quædam anus Fabri foribus adstat, ostendi sibi tibiam postulat, crucem manu significat, vulgaria quædam remedia admoveri mandat, & e vestigio discedit. Remediis adhibitis, ulcera cicatricem obducunt, æger convalescit, & Josepho rem narrat, ac gratias agit. Ille Fabrum monet, ut B. Annæ acceptum referat, seque deinceps, atque familiam ejus tutelæ committat. Augustinum Hipponensem Pontificem concionum suarum ducem maximè probavit, cujus libros de manibus nunquam posuit, & sententiis ejus, quasi luminibus, suas ad populum orationes illustravit. Eam rem sibi gratam fuisse, Beatissimus Doctor ostento declaravit. Quum enim Josephus Panormi privatis studiis daret operam, & orationes suas concinnaret, incidit in obscurum, & impeditum Augustini locum, quem non satis assequebatur. Hærebat propterea, & in ipso conatu miserrimè angebatur, rogabatque Augustinum, magistrum suum, ut titubanti discipulo subveniret. Tum ecce ad cubiculi januam se ostendit Augustiniani Ordinis venerabili specie barbatus Cœnobita, qui Josephum blandè compellans, ecquibus studiis defixus immoretur quærit. Josephus Augustini locum recitat, & hæsitationem suam exponit. Ille paucis sententiam in omnem partem versat, dilucidat, & exornat, cunctationem adimit, atque discedens deducere conantem prohibet, seque ab ejus conspectu confestim subducit. Josephus mirificâ ejus doctrinâ, atque elegantiâ captus abs janitore quæsivit, atque domesticos omnes est percontatus, ecquis esset egregius ille Augustinianæ familiæ magister, qui domi horâ diei quartâ visus esset? Nemo hominem aut venientem, aut abeuntem se vidisse asseverat. Josephus tamen, qui & ei gratias agere, & familiaritatem ejus magnopere cupiebat, Augustinianorum adit Cœnobium, barbatum illum, & honestâ canitie candidum poscit Cœnobitam: negant omnes talem apud se esse hominem, aut unquam fuisse. Tum Josephus intellexit, cœlestem eum fuisse hospitem Augustinum, qui de cœlo sibi adfuisset, ut fluctuantem erudiret.

Ejus precibus eger B. Annæ ostento convaluit.

D. Augustinum concionum suarum sibi ducē proponit.

Augustinus ei de cœlo adest, & fluctuantem erudit.

Plu-

XIX. Plura congerit P. Georgius Judicius per Josephum patrata humanis viribus majora prodigia. Pauca delibare liceat. Decumbebat ex gravi quartana, secundo jam anno, in Panormitana Domo P. Hieronymus Tagliavia, qui propter eam ægritudinem, titulo tenus Provinciæ magistratum gerebat, ut ad annum 1622 ostendimus. Ejus visendi gratiâ quum Josephus adesset, & ad *Angelica* salutationis signum lectulo innixus in genua procubuisset; Deum impensè oravit Tagliavia, ut Josephi meritis valetudinem, & incolumitatem suam condonaret. In ipsis precibus levari sensit, & postridie incolumis redditam sibi abs Josepho sospitatem prædicabat. Septuagenario jam longè major, anno 1624 quum ad Erctæ, quem diximus montem B. Rosaliæ sepulcro celebrem, unà cum Vincentio Durante gestatoriâ sellâ veheretur, & obesum, ac corpulentum in difficillimo, asperrimoque ascensu, exanimati ferè lecticarii quatuor ferre non possent, rogarentque ut quiescendi spatium concederet, & tantisper pedibus ingrederetur; Josephus *Pergite*, inquit, *equidem, deinceps enim oneri vobis non ero*. Ad ea verba, qui succollabant non modò exonerati, sed sublevati etiam sunt, tanquam ipsi veherentur. Idem in descensu contigisse testati sunt. Quum omnis ejus comitatus in monte esset, Josephus, flagrante tum pestilentiâ, fore recepit, ut sequenti anno omnes eòdem incolumes reverterentur: mirum autem fuit, ex eo numero neminem contagione, anno jam exacto, extinctum, omnes ad montem reversos incolumes. Lecticarios, qui Durantem veherent gracilem, & exsuccum quatuor delassatos, & ad quiescendum compulsos; duos verò, qui Josephum, mole corporis gravem perferrent, iis etiam præcessisse, qui in equis irent, neque ponderis vim sensisse, quare & mercedem recusarent. Fuit in eo comitatu P. Georgius Judicius, qui rem, ut hactenus est narrata, litteris consignavit; addiditque eodem anno 1625 duos sibi vitæ annos supereſſe, de cœlo didicisse; idque tribus tironibus, qui in Panormitana Domo versabantur, enunciâsse: nam in familiari colloquio: *Duos*, ait, *intra annos metam mortalitatis attingam. Vos eo tempore in Collegio eritis Panormitano*. Tum singulos digito indicans subdidit: *Vos duo extremo funeri, quo sum efferendus, cum candelabris apparebitis. Tu qui medius es cum thuribulo mihi aderis*. Risere juvenes, quod facetè joco dictum autumabant. Ut verò post biennium, eo defuncto, ex Collegio Panormitano ad ea, quæ Josephus prædixerat munera, extra ordinem sunt designati; tum sanè memores Josephi dictorum, vaticinio advertunt

P. Hieronymus Tagliavia Scâmaccæ meritis acceptam valetudinem refert.

Lecticarii, a quibus vehebatur, corporis ejus pondus nô sentiunt.

Memorabile ejus vaticinium

Insigne mortis ejus præsagium re comprobatum.

ani-

Digitized by Google

animum, & rem narrant triplici testimonio contestatam, & a P. Georgio Judicio exceptam, litterisque mandatam. Ex jejunii concionibus in Panormitanam Domum reverso, videndum se præbuit postridie Nonas Maji Frater Marianus Pescius, qui cœlesti luce circumfusus, & maximè lætus Josephum edocuit, triginta se dies piacularibus flammis excruciatum fuisse, quibus eo temporis momento exemptus esset, & ad Beatorum Patriam evolare. Josephus, qui diu absens de Mariani morte nihil audierat, & vivum in ea domo, cujus erat ædituus, versari putabat, oculorum auriumque ludibrium veritus, percunctando reperit, Marianum Pescium, virum religiosissimum, & virtutibus omnibus instructum VI, Idus Apriles decessisse, a quo die ad postridie Nonas Majas mensis numerabatur. Quæ res familiam lætitiâ cumulavit. Stygios lemures cubiculo ejus insultantes, quum Deiparæ laudes ille pararet, eadem compescuit, & flagello in fugam conjecit.

Fr. Marianus Pescius Scammaccam docet, è lustralibus flâmis ad cœlos se jam evolare.

XX. Tot tantisque meritis auctus supremum vitæ actum, quemadmodum maximas ejus decebat virtutes, ornatissimum, lætissimumque sortitus est. Sub exitum anni 1626 toto Decembri mense nil nisi proximam mortem anhelavit. Quum postridie idus Patres, Fratresque domestico sermone adhortaturus esset, ab his verbis orationem instituit: *Hæc suprema sunt verba, quibus vos in commune alloquor, Patres Fratresque.* Disseruit autem de suavissimo justorum exitu inter suas, suorumque lacrimas, atque singultus. Decubuit per eos dies levi febriculâ, qui Domui præerat, P. Jacobus Dominicus, & propediem e lecto surgere cogitabat. Eum adit Josephus, & serio admonet, nè sibi convalescendi spe blandiatur: *Morieris enim*, inquit, *Pater: equidem subsequar modico intervallo.* Neque tamen, fore vera quæ diceret, Dominico persuasit, qui medicis alia omnia sentientibus, satis mirari non poterat, quare sibi Josephus tam tristia, atque funesta obnunciâsset. Quam Dominici admirationem quum P. Georgius Judicius ad Josephum detulisset, ab eo sibi responsum narrat: *Ita est. Proculdubio vivere desinet: ego vestigia ejus urgebo.* Neque vacuum fuisse vaticinium, eventus, ut superius paulò meminimus, demonstravit. Pridie Natalis Thomæ *Apostoli* sacrificaturus ministranti Fratri Martino Burgio: *Hoc est supremum*, ait, *mortalitatis meæ sacrificium. B. Thomas nobis ignoscat, si cras immolando non erimus. Nihil jam restat nisi Deo vitâ litare.* Sacrificio peracto, in valetudinarium se recipit, ibique lectum, atque cubiculum ad moriendum petit, sine dolore, sine

Alterum mortis suæ vaticinium.

P. Jacobi Dominici obitum vaticinatur.

In valetudinarium se recipit, & sine morbo ad moriendum se comparat.

febri, sine morbo, nisi quòd lævum crus nonnihil intumuerat. Admonitus est P. Jordanus Cascinus, qui Provinciæ magistratum gerebat; quasi Josephus aut delicatiùs ageret, aut deliraret. Jussit autem sapienter Jordanus poscenti candidissimo seni morem geri. Itaque tantâ animi jucunditate lectum adiit, ut qui navim conscenderet, quâ ad beatitatis portum veheretur. Petierat multos jam annos a Deo, ut tanquam Cycnus, canus & canens, ut ipse ajebat, e vita migraret. Utrumque impetravit: nam octogenario proximus, ut lecto se dedit, ea carmina dulcissimè concinit.

Mors sine febre venit, solâ comitante senectâ,
Nec terrere potest: nam mihi Christus adest.

Sibi gratulatur, quod nullis unquam sordibus vitâ inquinaverit.

Eo tempore superioris vitæ culpas omnes flens, & gaudens apud P. Petrum Spucces accuratissimè expiavit: sibi enim uberrimas inter lacrimas gratulabatur, quòd nihil unquam graviter deliquisset, quòd virginitatem sanctè custodîsset, quòd nullos in omni vita veneris aculeos, neque noctu, neque interdiu passus esset, quòd neque culpam, neque culpæ suspicionem admisisset. Reliquum tempus, latinas quasdam orationes super *Missus est*, amanuensi dictans, tantâ hilaritate transegit, ut non e vita, sed de domo in domum, & de exilio in Patriam pararet migrare: ita amicorum mandata excipiebat ad Deiparam, ad B. Ignatium, ad Xaverium, ad Agatham, ad Rosaliam, jam ad has, jam ad illas cœlestes animas, quarum se consuetudine propediem fruiturum dictitabat. Pridie Nonas Januarias animo linquitur, & febricula accedit. Tum *Cras*, inquit, *sindone me involutum terræ mandabitis*. Quod quum non congruat moribus nostris, nemo intellexit, quid sibi vellet, nisi quum eo jam defuncto, & elato, semel & iterum direptæ sunt intimæ quoque vestes ejus: quare ne nudum humaretur, sindone corpus est involutum, & celeriter sepulcro compositum.

Amicorum ad cœlestes Beatorum animas mandata excipit.

Sacris omnibus summa religione lustratus, obit.

XXI. Nonis sacratissimam *Eucharistiam* sibi dari postulavit, quam & magnis vocibus lætitiam significantibus advenientem salutavit, & manantibus ex gaudio lacrimis sumsit, rogatusque nunquid sacram vellet unctionem; respondit: *Cras adhibebitur*. Urgente tamen P. Petro Spucces, quòd periculum vereretur: *Obediamus*, ait, *obediamus: ita citiùs nos expediemus, & moriendi tempus occupabimus*. Sacris igitur omnibus ritè lustratus, quum eam noctem vigilans, sibique constans inter pia colloquia transegisset, ea ingeminans Canticorum verba: *Fulcite me floribus, stipate me malis*, de quarta vigilia repentè subridens extinctus est, postridie Nonas Januarias

Digitized by Google

rias, annum agens septimum supra septuagesimum. Meruit in Societate annos sexaginta; septem & quadraginta ex quo quatuor votorum sacramentum dixit, anno 1590. Ut de fato ejus auditum est, irruit in Ædem Societatis turmatim populus Panormitanus, feretrumque, & corpus bis indutum diripuit. Vehementiùs incitavit communem religionem hilaritas vultùs ejus, & membrorum flexibilitas, ac summâ hieme admirabilis quidam corporis tepor, mananſque ex unguibus ad vivum recisis cruor. Funeris honorem auxit universa Nobilitas cum Principibus Civitatis. Defunctum publicè ab innocentia, abs Christiana simplicitate, a domestica disciplina, ab divinæ caritatis abundantia in perpetuis ejus concionibus, laudavit P. Paulus Garlanus Corilionensis postridie idus, coram Senatu Panormitano, qui a majoribus nostris impetravit, ut solemni cerimoniâ, magno extructo tumulo, funalibus circum ardentibus, denuo funus ejus celebraretur. Humatum est Josephi corpus secreto in loco ad dextrum aræ maximæ latus. Postridie, piâ confluentium curâ, repertum est pavimentum picto instratum tapeto, & floribus respersum. Probaticam crederes Piscinam; tanta erat claudorum, cœcorum, aridorum, languentium multitudo, quotidie sepulcro insidentium. Auctor est P. Georgius Judicius, primis illis diebus, quinquaginta fuisse, qui se insanabilibus morbis exemptos, jurejurando coram judice contestarentur, inter quos & claudi, & calculosi, & podagrici, & hernioſi, & cœci numerabantur. Unus exemplo sit, qui reliquorum fidem præstare poterit. Miraculorum famâ commotus Pontifex Purpuratus veniebat & ipse ad Josephi sepulcrum: quum in honestum incidit sibi cognitum senem, magnis clamoribus de Josephi sanctitate prædicantem, quòd admotis ejus reliquiis, vitæ redditus esset. Substitit Doria, & ad Josephi sepulcrum, subsequente populo, properantem acciri jussit, quæsivitque quid rei esset. Narrat ille, se, qui multos jam annos paralyticus bacillo innixus & titubans ingredi consuêsset, ex intestino gravissimè laborantem, & proximâ nocte morituram, tibialibus corpori admotis, quæ ex Josephi funere Jurisprudentiæ doctor Franciscus Girardus fratris filius Domum retulisset, repentè convaluisse, & viribus statim receptis, lecto exiluisse. Sed quod maximè mirum esset, confirmata etiam crura, & paralysim ita fugatam, ut pedibus sine fulcro strenuè, liberèque ingrederetur. Ea omnia Pontifex, datis testibus, in acta referri mandavit, & eò libentiùs ad nos venit, ut reliqua uberiùs, & accuratiùs cognosceret.

Inusitatus fit Panormitani populi ad corpus ejus concursus.

Incredibilis infirmorũ circa cadaver multitudo.

Paralyticus Scammaccæ tibialibus corpori admotis repentè convalescit.

Plurima ejus quâ latinè, quâ italicè edita opera.

XXII. Reperta sunt post ejus obitum centum magna librorum involucra, suâ manu descripta. Continent ducentos ferè libros *De laude Dei*, sex voluminibus comprehensos. Volumina quinque *De Sanguine Christi*. Duo volumina in ea verba, *Et bajulans sibi Crucem*. Tria volumina, quorum titulus est *Silvæ Concionum*. Hæc latinè. Italicè verò, duo volumina, quæ quindecim supra centum Orationes complectuntur, ad ea Canticorum: *Quis mihi det te fratrem meum*. Undecim volumina, quæ totidem in esurialibus feriis concionum series, quas Itali *Quadragesimalia* dicimus. Volumen Concionum *De Adventu Domini*. Centum & quinquaginta Orationes *De Prædestinatione Sanctorum*, duobus contentæ voluminibus. Duo concionum volumina in Psalmos Davidicos. Alia præterea variæ eruditionis volumina, quæ *Miscellanea* inscribuntur. Centum denique *Homilias super Missus est*, alienâ manu descriptas, quarum supremam ad ea verba: *Et vocabis nomen ejus Jesum*, decumbens dictavit, & pridie mortis ejus absolvit; sacrâ profanâque eruditione redundantem, additis etiam Scriptorum nominibus verbis, ac locis. Quod quanta fuerit, in extrema etiam ætate vis memoriæ satis declarat. Jacens enim, & libris destitutus, & postridie moriturus dictabat. Meminere de P. Josepho Scammacca, ut de Viro clarissimo, Bibliotheca Societatis, Pirrus, Carolus Antonius Conversanus, Franciscus Maria Magius, Joannes Nadasi, Eusebius Nierembergh, Philippus Labbæus, Joannes Rho, Felix Giraldus, Vincentius Nobilis, Franciscus Marchesius, Joannes Baptista Ricciolius, sed accuratissimè omnium Antoninus Mongitore, qui laudatorum Scriptorum loca indicat.

Matth. c. 1. Lucæ c. 1.

Anton. Mongit. Bibliot. Sicul. part. 1. pag. 402. & 403.

Simon Buccerius adolescens rectam vivendi normam constanter retinet.

XXIII. Ampliore etiam religionis, & pietatis splendore XV Calendas Quintiles perfectissimæ vitæ cursum explevit Fr. Simon Buccerius Mæneninus. Natus est anno 1553, Septembri mense. Pueritiam egit latinis in litteris ab omni vitiorum labe remotam; adolescentiam verò vagam, & errabundam, sed innoxiam, atque pudicam. Nam & Messanæ fuit, & Panormi, & Drepani, & iterum Panormi, atque Messanæ. Siciliâ deinde egressus Neapolim navigavit; inde pedibus Romam contendit, & anno septimo Messanam remeavit: neque tamen in tot, tamque diuturnis peregrinationibus sui juris adolescens a rectè vivendi norma deflexit, aut gravi aliquâ culpâ animum fœdavit. Hauserat ille jampridem Panormi christianæ disciplinæ rudimenta a P. Jacobo Martinez Hispano, probatissimo viro, qui anno 1575 in contagiosorum obsequio vitam posuit.

Sed

Sed in Mamertina commoratione nactus est animi ducem P. Aloysium Nuñez item Hispanum, egregium Christianæ vitæ doctorem, qui & ipse Messanæ contagiosis addictus, anno 1576 in misericordiæ officio consumptus est. Assiduâ hujus consuetudine Buccerius & mores ejus, & disciplinam valde probavit, & sequi statuit. Atque ut celeriùs, quod maximè optabat, a Deo impetraret, quasi parum fuisset, corpus jejuniis, flagris, ciliciis excruciare; novum invenit molestiæ genus, quam ferre nullo modò posset, nisi qui cœlestis flammæ incendio flagraret. Per maxima enim brumæ frigora, prope januæ vestibulum nudus supra nudos silices, & aquâ respersos gelidas noctes cubando transigere, & somnum capere instituit. Itaque III Idus Decembres, annum vitæ agens secundum, & vigesimum Messanæ sub Angelo Sibilla tironum numero est aggregatus; incertus adhuc, pro moribus eorum temporum, essetnè postmodum litteris, an domesticis obsequiis admovendus. Prima meruit religiosæ vitæ stipendia tam insigni virtutum incremento, ut & Sibilla, & Carminata veteranum crediderint. Ex duobus exemplis reliqua existimare liceat. Urgebatur per ea tempora ædificatio tirocinii Mamertini in eo, quem diximus colle, ut a Collegio excluderetur. Ad videndum ædificium, Carminata & Sibilla insciis, deductus est Buccerius. Quod quum resciisset Carminata, jussit eum sine tunica exteriore, intimis dumtaxat indutum vestibus in triclinium prodire, publicè super mensam admonitum, parum religiosè ab eo factum, & Societatis tunicâ indignum esse, quòd majoribus inconsultis, videndi ædificii cupiditatem expleverit. Visa est omnibus ea pœna gravissima, præterquam uni Buccerio, qui mirâ animi, & oris alacritate, nihil causatus, quòd invitus, & reluctans a Fratre, qui tironibus præerat, deductus esset, ludicrum de se dedit spectaculum. Quod quidem & omnes admiratione defixit, & facti invidiam nonnihil temperavit; quasi eam contumeliam Buccerius ultro flagitâsset, & impetrâsset potiùs, quàm tulisset. Furebat sub id tempus gravissima Messanæ pestilentia, dederatque Senatus uni Carminatæ negotium, ut communis salutis publicâ auctoritate satageret. Buccerius assiduis precibus Carminatam fatigavit, ut se robustum adolescentem periculo offerret, & valetudinario addiceret; quod quum non assequeretur, impetravit denique, ut contagiosis, qui domi essent, serviret. Quum enim Carminata reliquos omnes ad salubriorem ruris temperiem dimisisset, Buccerium domi retinuit, qui pestilentiâ correptis ministraret. Quo in officio lætus & incolumis ad summum usque morbi exitum perseveravit. Ex-

Animi sui duces probatissimos viros nanciscitur.

Asperrimum ejus cruciandi corporis exemplum.

Mirâ animi alacritate gravissimam pœnam perfert.

A Carminata flagitat, ut contagiosorum valetudinario addicatur.

Digitized by Google

Studiis abjectis ad domesticos Fratrum labores designari postulat.

XXIV. Expleto jam tirocinio, etsi litteris erat optimè excultus, & ingenio valeret ad bonas artes idoneo, maluit humilem sequi vitæ conditionem, & studiis prorsus abjectis, inter Fratres ad domesticum laborem designatos referri. Quare in Collegio Mamertino annos ferè sex coquum egit, accuratione tantà, ut inde anno 1583 ad initia Domùs Panormitanæ fuerit evocatus, ut reliquis præesset fratribus, & domesticis omnibus officiis præsideret, qui infimus est apud nos magistratus, quem qui gerit subministrum appellamus. Eo munere magna cum caritatis, & navitatis laude sexennium perfunctus, additus est comes, & familiarium officiorum administer nostris aliquot Sacerdotibus, qui ad excolendos finitimos Mesanæ pagos, & vicos sunt designati; quà in expeditione biennium consumsit. Ad pristina inde Panormitanæ Domùs officia revocatus, & ad stipem corrogandam, qua Patres, fratresque alerentur, interdum adhibitus, paulò post extra Provinciam navigare jussus est. Eam rem movit Xistus V Pontifex Maximus crebris Christianorum clamoribus excitatus, qui Byzantii in vinculis erant, petebantque, ut Societatis homines eò mitterentur, quorum industriâ religio inter barbaros a superstitionis contagione vindicata retineretur. Sed Xisti conatus mors intercepit. Quare Buccerius, qui cum octo aliis ad Byzantinam expeditionem fuerat destinatus, conquievit usque ad Clementem VIII, cujus jussu Aquaviva in Provinciam iterum scripsit, ut duo Sacerdotes, totidemque Fratres Byzantium mitterentur, & in his Buccerius fuit, qui statim viæ se commisit, & Venetias pervenit. Sed incidit in ea tempora, quibus Turcica Classis Mamertino freto imminebat, & Adriatici sinùs fauces obsederat. Consulitur Aquaviva. Rescribit, placere sibi, ut intercluso ad Byzantinos aditu, P. Vincentius Castagnola, & Simon Buccerius Chium penetrare studeant, ibique consideant, dum casus aliquis opportunitatem offerat Byzantium evadendi. Itaque Chium navigant, ibique quum Castagnola majoribus daret operam religionibus, Buccerius græcanicam linguam, & litteras accuratè, ac facilè didicit, easque unà cum latinis pueruli tradere instituit, addiditque elementa religionis, quibus paulatim adultos etiam erudire cœpit, privatim primùm, deinde publicè magnà insulanorum frequentiâ, qui hominem, tanquam cœlo delapsum priscæ probitatis exemplum verebantur, quod, & Mahumedanos feciſſe constat, quibus maximæ Buccerii virtutes magno in honore fuerunt. Quadriennio, in summa rerum omnium inopia apud græcos, & barbaros exacto, quum

Domesticis officiis naviter perfungitur.

Ad Byzantinam expeditionem cum aliis destinatur.

Illuc aditu intercluso Chium navigat.

In Siciliam redit, inde Chium iterum remittitur.

Digitized by Google

quum nulla adeundi Byzantii spes affulgeret, reditum Castagnolæ in Italiam impetravit, & Buccerium deduxit, qui Messanæ in Tirocinio consedit, donec cum Patre Benedicto Moletio, & juniore quodam, qui latinas doceret litteras Chium remissus, super pristinum erudiendæ pueritiæ laborem, domesticis omnibus officiis unus suffecit, idem coquus, pistor, ædituus, janitor, promus, emptor diu noctuque rebus omnibus adfuit. Quæ latiùs iis, quibus contigerunt annis, sunt exposita.

Part. 1. ad annum 1595. cap. 13. num. 1. & seqq.

XXV. Post biennium Siciliæ, & Panormitanæ Domui redditus, pecuniæ corrogandæ munus ita gessit, ut petendi audaciam verecundiâ molliverit, & piis colloquiis temperaverit. Eâ re & largientium numerum auxit, & largitiones amplificavit ut nemo alius. Pervenit interea ad tirocinium Panormitanum nobile prædium, magna ex parte vineis consitum, cui procurando Jordanus Cascinus, qui tironibus præerat, Buccerium admoveri flagitavit. Nihil homini latendi, ac cruciandi corporis cupido gratius contingeret, quàm eò secedere, rusticam ubi vitam sine arbitris duceret, molestias omnes arbitratu suo perferret, & nemine interpellante, Deo vacaret. Rure igitur non tam villicum quàm fossorem agere instituit. Nam ante lucem surgere, & ad opus festinare, suis ipse manibus fodere, ac sarrire agrum, pastinare vites, æstate, atque hieme agricolarum labores omnes sub dio tolerare, quotidianum jejunium ad noctem usque trahere, cœnam nonnisi pane, & crudis herbis ducere, diebus festis deliciarum loco salsamentorum aliquid addere, diuturnâ defatigatione exinanito corpori tegetem, aut stramentum subjicere, & fœdo humentique loco nocturnam requiem ultra tres horas non concedere, reliquum noctis spatium cœlestium rerum contemplationi usque ad lucem impendere, solitudinem & rusticæ vitæ conditionem in pretio esse, & usque ad mortem perferre cupere. Sed Jordanus, qui Buccerium ruri addixerat, ad Provinciæ magistratum evectus, quum eâ iter faceret, deque maximis ejus virtutibus præsens cognosceret, planè intellexit, tali probitate virum utiliorem fore Provinciæ, si ab olearum, vitiumque cultura, ad tirones infra magistrum excolendos admoveretur: quare anno 1612 quum Buccerius septimum & quinquagesimum ætatis annum numeraret, & rusticanæ commorationis octavum, jussus est ad tirocinium concedere Panormitanum, ibique adesse tironibus. Quo in munere nemo eo fuit, accuratior, & tironibus carior, propter insignem hominis temperantiam, mansuetudinem, & caritatis abundantiam. Sed non propterea humanarum rerum vices, & in-

Buccerius tirocinii prædio admotus asperrimum vitæ genus instituit.

Ex agri cultu ad tirones infra Magistrum excolendos evocatur.

Nimiâ severitate in tractandis tironibus ab aliquibus notatur.

& injuriam vitare potuit. Quum enim P. Carolus Romanus vir sanè mitissimus, ad tirones instituendos esset designatus, non defuere, qui animum ejus occuparent, & in Buccerium incenderent, quòd homo austerus, qui trucem quandam severitatem fronte, & oculis præseferret, tractandis adolescentium ingeniis parum idoneus videretur. Nam si quem Societas matris loco esse vult, is se novercam ostenderit, tironum mentes a domestica disciplina abalienabimus, & Parentum suorum amorem, ac desiderium inveterare patiemur. Querimoniis ejusmodi Romano tum absenti, (Messanà enim ad tirocinii magistratum gerendum est evocatus) persuasum est, Buccerium a tironum consuetudine amoveri oportere. Itaque ut Panormum venit, Buccerium paulatim loco movit, & ad alia omnia transtulit, domi tamen retinuit. Neque Buccerius aut verbo questus est, aut ullà ratione dolorem animi significavit. Post annum verò & tironum flagitationibus, & per se ipse diuturnà consuetudine comperit, Buccerium erga se unum esse tristem, & acrem, sed erga alios, nihil eo fieri posse suavius, atque amabilius. Quare Buccerium ut sibi ignosceret rogavit, quòd tanto in errore tandiu versatus esset; eumque jussit præesse tironibus ut antea consuêsset. Offendit iterum Buccerius apud P. Carolum Rossum, ad quem, quum tirocinii magistratum adiret, delatum fuit, habere se domi rigidum majorum censorem, cujus nutum tirones intuerentur, & accuratiùs observarent, quàm Magistrorum. Ea de re suspectus esse cœpit, & a tironum custodia remotus, Marineum est interdum amandatus, ut tirocinii negotia procuraret, & pecuniam inde contraheret, quam quotannis agrorum vel domuum conductores, tirocinio penderent. Non erat nescius Buccerius dedità operà se ablegari, ut a tironibus quàm maximè abesset. Sed nihil tam virtutem ejus declaravit. Non secus enim ac si id facere juberetur, quod maximopere optaret, nihil in deteriorem partem accipere. Rectoris sui prudentiam & æquitatem ingenuis laudibus extollere, & injunctum sibi munus alacritate summà præstare. Verùm in eo potissimùm eluxit viri sanctitas, quòd nulli Marineensium gravis fuit, nemo de eo questus est, omnes tanquam veræ probitatis exemplar verebantur, quamvis ad exprimendam, cogendamque locariorum pecuniam eò accederet. Debitorum neminem in jus vocavit; aut per prætorem compulit: neque nimiùm postulando molestus fuit. Mansuetudine atque clementià, præsertim verò opinione sanctitatis usque adeo valuit, ut quæ antea fuissent mala nomina, ultro profiterentur æs alienum, & pecuniam

Ad alia officia transfertur, sed mox tironibus restituitur.

Eàdem notà iterum incusatus, a Tironum custodia iterū amovetur.

Buccerii ab eo munere ablegati temperantia.

Tirocinii negotia summà probitate procurat.

in

in sinum ejus conferrent, atque interdum repræsentarent. Itaque quum re ipsâ ostendisset quàm verum sit illud Pauli: *Pietas autem ad omnia utilis*, & domesticis rebus inusitato ad eum diem emolumento fuisset, suspiciones omnes ita silendo, & rectè faciendo delevit, ut qui suspectum habuerat, facti pœnitens, errati veniam poposcerit, & instituendis tironibus tertium admoverit. *Paul. epist. 1. ad Timot. c. 3.*

XXVI. Hactenus executi seriem vitæ ejus, ad virtutes generatim attingendas dilabimur. Vir, qui divinis assueverat, & cœlestia patiebatur, qui vitam nullo crimine fœdaverat, qui omnes perfectissimæ disciplinæ numeros exegerat, de se ita sentiebat, ut homines ac furias omnes sibi præferret. Tironem refractarium, & contumacem, qui canos ejus contumeliosè deridebat, & ab eo lenissimè admonitus: *Quin tu sile*, ait, *stigia furia?* unicè dilexit, eique gratias egit, quod furiam se appellavit, quem furiis omnibus deteriorem esse non ignoraret: denique exauctoratum flevit ut filium, de se optimè meritum. Quum ad quotidianas maculas confessione expiandas accederet, tanta erat vis lacrimarum, atque singultuum, quibus se tanquam terrarum orbis perniciem, & Societatis pestem accusabat, ut prætereuntes ejulatum exaudirent. Nunquam adduci passus est, ut novas vestes indueret, quas non alius exuisset, easque non adhibuit, nisi brevis, & quæ imas suras non contegerent. Quadrati pilei usum, quo Sacerdotes, & Sacerdotii candidati utuntur, perpetuò dimisit. Quamvis latinè sciret, sacrorum Bibliorum sententias nunquam latinè recitavit. Quum tirones ad addiscendas litteras designati, nescio quid luderent, seque eis aggregâsset domesticis obsequiis addictus frater; hunc objurgavit, & facessere jussit, quòd ea feriandi licentia Fratres non deceret, qui nunquam sine detrimento, nisi scopis luderent. Superbiæ expertem admirabilis est mansuetudo consecuta. Ingenio Buccerius fuit acri, difficili, & ad iracundiam propenso. Sed frangendi sui, & naturæ impetum coercendi assiduitate indolem quasi conflavit, & ad virtutis amussim ita inclinavit, ut mutâsse animum putaretur. Nam nemo iratum videre unquam potuit, nemo non hilarem, quicunque casus incideret. Quod maximè mirum fuit, quum tandiu villicum, & exactorem egerit, & inter rusticos, infimæque sortis homines versatus sit. Marineo Panormum cum pecunia, quam coegerat revertenti, armatus homo, quem corporis, & pecuniæ custodem sibi adsciverat, vitam, & pecuniam eripere conatus est: nam imprudentem a tergo adortus, parvo tormento plumbeam glandem in eum ja-

Ejus virtutes, & religiones attinguntur.

Singularia animi sui temperantiæ monumenta.

Naturæ impetū assiduè coercet.

Hominem ei vitam eripere tentantē leniſſimis verbis tractat.

culari tentavit semel & iterum. Sed scintillas silice excussas nitratus pulvis non concepit. Buccerius, cognito scelere, nihil commotus institutum iter tantùm non tenuit; sed ad Collegii Panormitani prædium prope Eleutherum amnem, quem Juniores *Bagariam* dixere, divertit, ubi ex equo descendens nefario custodi lenissimis verbis gratias egit, & cœlesti quadam oris jucunditate, aureo donatum dimisit. Obtemperandi studium antiquissimum habuit. Majorum nutus, ut divinæ voluntatis significationes intueb atur. Quidquid juberetur ita capessebat, ut si judicio, atque arbitrio careret. Qua in re eò usque processit, ut simplicem quandam infantiam profiteretur, neque quicquam se sapere, aut velle, aut sentire ostenderet, nisi quod majoribus visum esset. Rogatus cur ab eo, qui præerat accersitus tantopere properaret; respondit: *Utinam & alas haberem, ut festinantiùs accurrerem!* Paratum se dictitabat, si ex fenestra exire seriò juberetur, sese inde dicto citiùs demittere, de vita autem, & sospitate Deo cogitandum relinquere: quod in obedientia summum est virtutis, & sapientiæ culmen. Ex iis verò, quæ superiùs sunt demonstrata, compertum est quantùm dictis facta responderint.

Ad singulos majorum nutus paratissimum se ostendit.

XXVII. Paucos legi tam sui cruciandi cupidos, ut Buccerium fuisse comperio. Deum obsecravit, ut torquendi sui officium secum partiretur. Animum ipse vexaret perpetuis anxietatibus, doloribus, atque molestiis. Corporis exercendi curam sibi relinqueret. Sed Deus assiduis cœlestium gaudiorum alternationibus animum recreavit. Buccerius nunquam cum corpore in gratiam rediit: nullam ei requiem impertivit. Ut primùm ex tirocinio exiit, ubicunque fuit, sub scalis habitavit; quare domestici per jocum falsè Alexium vocitabant. Supremos tredecim vitæ annos aperto in loco, in quo nec janua esset, ligneis sub scalis transegit, per quas tirones ultro citroque, diu noctuque commearent, ubi & strepitus, & deplui pulveris molestiam læto animo tulit. Fenestram nullis muniri specularibus passus est. Ex naturæ desiderio somni appetens, id sibi solatium paulatim subtraxit: & primùm quidem unam, deinde duas, quatuor denique horas quieti subduxit, quod ut facere sine valetudinis damno posset, diuturnis precibus est a Deo consecutus. Tres itaque noctis horas somno dedit, reliquas divinarum rerum meditationibus. Sed nonnisi tiro exutus cubuit. Proximos decem annos indutus somnum cepit, & culcitram adhibuit. Quatuor deinde, & triginta continenter annos nudis asseribus usus est. Supremis quatuor vitæ annis nè jacuit quidem; sed lectulo amo-

Immodica, ac pœne singularis ejus vitæ austeritas.

Quanta fuerit somni parcitas, & inclementia.

to,

Digitized by Google

to, septuagenario major brevissimo insidens scamno, procul à parietibus, nè caput applicaret, & contractis etiam cruribus, quieti indulsit. Quum enim ea Christi verba expenderet: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*, christianum se fore negabat, si delicatiùs jaceret. Inediæ mirum in modum patiens nunquam aut naturæ appetitum explevit, aut sine maximo dolore cibum sumsit. Pomis cujusque generis perpetuò abstinuit, neque ab annis virilibus carnem gustavit. Quotidiani victùs ea erat ratio, ut ad panem aquâ maceratum malum aureum, obsonii loco adderet. Quod si splendidiùs epularetur, ovum, aut pisciculos sibi apponi patiebatur. Alterutrum maximis in deliciis numeravit. Quoties tironibus lautum dabatur epulum, ad quod ex aliis domibus nostri convivæ confluerent, januæ ipse aderat, ut hospites exciperet, & cubicula designaret, diemque jejunus transigebat, quod a nemine observatum iri jejunium in ea multitudinis novitate putabat. Sexagenarius acerrimum a Deo petiit, & impetravit dentium dolorem, quo dies noctesque excruciabatur, sed eo potissimùm tempore, quo cibi sumendi necessitas ad mandendum compelleret. Tunc enim usque adeo torquebatur, ut statim ac prandii signum audiret, ex horrore capillus arrigeretur, & toto corpore tremeret: eamque gravissimam molestiam ad mortem usque toleravit, quin aliquis de ea suspicari potuerit.

Matth. cap. 8. Lucæ cap. 9.

Quotidiani ejus victùs ratio.

Acerrimum a Deo impetrat dentium dolorem.

XXVIII. Lintei indusii usum junior sibi interdixit; nisi quod circa collum candidum nescio quid ostentare consuevit, quo intuentium oculos falleret. Vir intimum cilicium adjecit setis contextum, quod non mutavit, nisi usu consumtum, & nonnisi cum vita demum posuit. Senior ferream quoque catenam crebris aculeis instructam addidit, quæ a cervice ad pectus decussatim descenderet; inde ad terga rediret, & iterum decussata, ilia & stomachum cingeret, atque ad vivum saucia-ret. Tanta autem fuit ejus in perferendis doloribus fortitudo, ut cruentis tot aculeis convulneratus, mirà corporis agilitate, in omnem partem discurreret, facilè sese inclinaret, surgeret, ingentia pondera sublevaret, atque humeris ferret. Verberandi corporis gratiâ flagellum ipse sibi elaboravit, æreo filo intertextum, cujus summa funiculorum capita in æreos item aculeos desinerent. Eo flagro noctu, atque interdiu plures quotidie horas nudos artus cædebat omnes, ne pectore quidem, aut capite exempto, ut nulla pars corporis dolore vacaret. Ex ipsa autem assiduitate cædendi, extremis vitæ annis, ita molestiæ

Cilicio, & ferreis catenis auget macerandi corporis usum.

Flagrorum assiduitate molestiæ sensum amittit.

sensum amisit, ut se jam frustra verberaret: quare ab incœpto destitit, & flagello deinceps abstinuit.

Animum ad divinarum rerum contemplationē convertit.

XXIX. Quod ad intimam ejus attinet cum Deo consuetudinem, cœlestem potiùs, quàm humanam duxisse vitam, testatur P. Hieronymus Tagliavia accuratus vitæ ejus scriptor. Nullum fuit diei spatium, quo non cœlestia menti obversarentur. Externæ enim occupationes animum a Deo non evocabant. Horas quotidie octo in divinarum rerum contemplatione de genu ponebat. Quo tempore sevocatus a sensuum officio animus ita in Deum ferebatur, ut neque audiret, neque videret, quæ circa se fierent, & ex genis ejus splendidissimi manarent radii, qui intimæ lucis abundantiam indicarent. Atque utinam Buccerii temperantia, & perpetuum, quidquid honorificum sibi esset occultandi studium, non eripuisset posteritati illustriora sanctitatis ejus monumenta! Nam quæ extant vestigia pauca sunt, & subobscura, quæ nihilominus obiter exequemur.

Fluctuanti se Deipara offert, & titubationē aufert.

Ei se Deipara non semel per speciem videndam præbuit, & colloquio suo dignum fecit. Quum in tirocinio esset Panormitano, anno 1624, & anxius deliberaret, essetne facturus pium aliquid, quod novitatis haberet admirationem; obtulit se fluctuanti Deipara, & unà B. Stanislaus Kostka, quorum conspectus titubationem omnem sustulit. Tum Deipara sinum expandens: *Huc*, ait, *Simon cogitationes tuas congere omnes. Ego dux ero, & custos consiliorum tuorum. In difficillimis autem rebus tuis deprecatorem adhibe Stanislaum, Deo, mihique carissimum, cujus clientelà nihil tuis tironibus erit utilius, & ad tuendum religiosa vita propositum conducentius.* Pridie *Mariana Assumptionis* B. idem Stanislaus ei se ostendit, & noctem de Virginis triumpho colloquendo consumsit.

Christum cum Discipulis cœnantem per speciem videt, & manu ejus sacrum epulum sumit.

Christus etiam sese interdum Buccerio conspiciendum dedit, præsertim verò quo die Cœnæ Domini dies agitur: tunc enim cœnanti cum discipulis Christo, sibi adesse visus est, & postremum accumbere, & sacrum *Eucharistiæ* epulum de manu ejus sumere.

Cœlestium geniorum consuetudine identidem recreatur.

Cœlestium geniorum consuetudinem, non quotidianam modò, sed intimam etiam, ac familiarem ei fuisse, persuasum omnibus erat. Sed eos potissimùm humanà specie alloqui consuevit, quos sibi, & tironibus suis animi corporisque custodes Deus delegaverat. Ab his discebat occultissimas tironum culpas, & quæ ad uniuscujusque disciplinam pertinerent. Ostendebant autem se illi, iis induti coloribus, qui quotidie in altaris officio sacræ congruunt ceremoniæ. Auctor est Tornamira, Buccerium jactare solitum, Sancti Josephi Mariæ Sponsi custo-

sodem genium, Raphaelem fuisse: idque sibi de cœlo monstratum esse, Buccerium ipsum tironi, qui ejus erat familiarissimus, datâ fide nè cuiquam enunciaret, narravisse. Justos, & Dei amicos ab improbis, & qui præsertim pudore abjecissent, ex odore dignoscebat. Olidas nimirum eorum animas ferre non poterat, qui veneris fœditate sorderent. P. Gasparis Paraninfi manes, eo ipso momento temporis, quo Nari corpore exempti sunt, Panormi ad superos rectà properantes vidit, idque antè fidelibus suis enunciavit, quàm de Paraninfi fato, aut morbo nuncii afferrentur. Ad eum sæpè venisse constat, vel quæ suffragationibus ejus lustralibus flammis ereptæ essent animæ, ut gratias agerent; vel quæ piaculari adhuc igne cremarentur, ab eo opem peterent. Inter illas numeratus est Frater Hieronymus Longus: inter has Frater Blasius Amorius, qui biennio ex quo decesserat, favillis involutus ante Buccerium repentè extitit, & ejus, atque tironum suorum fidem, & misericordiam imploravit. Futura, occulta, quàm longissimè remota passim de cœlo didicit, & interdum declaravit, si fortè probabilis causa se ostenderet, cur ea efferret. Sed singula recensere festinanti non licet. Illud quidem non prætermittam. Quæ hactenus dicta sunt, ut singularia, & maxima videantur, ea nihil esse si cum iis committantur, quæ Buccerius silentio hausit, & accuratissimè celare studuit. Id ex ipso ejus ore exceptum est. Quum enim proximæ mortis conscius superioris vitæ maculas omnes expiaret, in maximas denique lacrimas atque singultus effusus: *Nihil est*, inquit, *Pater, quod me magis angat, & terreat, quàm immensa illa cœlestium beneficiorum moles, quæ in vilissimum hoc caput collata sunt; nam quæ de me jactantur, minima sunt, & planè obscura divinorum munerum adumbrationes. O quàm majora sunt, atque inaudita, quæ ignorant homines! Me miserum! Quale ingrati animi monstrum vivit, & ad dicendam tanta ingratitudinis causam in jus vocatur!*

Animas quâ lustralibus flâmis crematas, quâ ad superos evolantes pernoscit.

Præclarissimũ ipsius Buccerii de se editũ testimonium.

XXX. Annum jam agens tertium, & septuagesimum in febrem incurrit, quam fore supremam prænunciaverat. Ut de periculo ejus auditum est, nemo ferè nostrorum, qui Panormi esset, ad eum non accurrit; & quod mirum magis est, certabant omnes, eo adhuc vivo, aliquid auferre, quod ipsius fuisset, pileolum, crepidas, calceos, & cujusvis generis utensilia. Summis expiatus religionibus reliquum vitæ spatium clausis plerunque oculis cum Deo transegit, nisi quod adstantes interdum oculis & nutibus salutaret, & percuntantibus quàm brevis-

Supremo, ut prænũciaverat, morbo correptus extinguitur.

vissimè resonderet. Ita inter tironum preces & lacrimas XVIII Calendas Junii, horà noctis secundà suavissimè extinctus est. Diripuerunt feretrum ejus, antequam efferretur, domestici; quod nunquam aliàs evenisse, non temerè affirmaverim: post funus verò, externi. Defuncti faciem nemo satis mirari poterat. Tanta inerat genis forma, & Deo fruentis animi testificatio. Corpus ejus communi sepulcro illatum est, sed in arca compositum, & diligenter clausum, atque obsignatum, additumque ejus nomen plumbo inscriptum. De ejus vita, ac morte publicas ad Mutium dedit litteras P. Hieronymus Tagliavia, qui Tirocinio præsidebat Panormitano, & magnus fuerat cognitor, spectator, atque æstimator maximarum virtutum. Eas litteras Mutius, quòd præclarum exemplum, & summam auctoritatem continerent, Romæ super mensam recitari jussit, & ad imitationem proponi. De prodigiis, quæ mortem ejus sunt consecuta, quid commemorem, quum ea tot, talia, ac tanta sint, ut volumen implerent? Pauca, & strictim licitum sit delibare. Eo ipso die, quo Buccerius humatus est, angustum illud conclave, quo sub scalis habitaverat suavissimum odorem, & planè cœlestem cœpit effundere, qui non olfactum modò quàm maximè deliniret; sed animum quoque recrearet, & adeo demulceret, ut & lacrimæ prosilirent, & intimus religionis sensus excitaretur, quasi præsentis numinis reverentia mentem incesseret. Primus omnium, qui perceptam haberet ejus fragrantiæ voluptatem, fuisse traditur P. Hieronymus Tagliavia vir gravissimus, & summæ probitatis, ac fidei, qui diligenter omnia perscrutatus, si fortè olfactorium aliquid illatum esset, unde gratissimus ille suffitus manaret; nihil reperit, præter olidas quasdam quisquilias, ac nudum scamnum, & abacum. Alii deinde cùm domestici, tum externi plerique eàdem fragrantiâ afflati sunt; quâ tamen variè afficiebantur; nam aliquibus lætitiam & voluptatem efficiebat, aliis metum, & culparum dolorem; aliis beatæ Patriæ spem, & desiderium. Omnes tamen oculis largo fletu manantibus egrediebantur. Quare is locus ex eo tempore religiosus esse cœpit, & in dies elegantiùs concinnatus, magnum est ad hanc ætatem tironibus pietatis incitamentum. Ceterùm nullum fuit morbi genus, cui non reliquiæ ejus admotæ mederentur. Ejectæ etiam ex lymphatis corporibus stygiæ furiæ, quæ magnis clamoribus Buccerii sanctitatem, & quantâ inter superos apud Deum gratiâ valeret, contestabantur. Quæ quum per universam Provinciam vulgarentur, audita sunt locis omnibus cœlestia per eum beneficia ho-

De ejus vita, ac morte ad Mutium datæ litteræ.

Prodigia, quæ mortē ejus sunt consecuta.

Conclave ejus suavissimum odorem effundit.

Beneficia locis omnibus Provinciæ per eum impertita.

Digitized by Google

hominibus impertita. Nam & Lilybœi, & Nari, & apud Aquas Selinuntias, & ubicunque essent constituta Societatis domicilia, ut de ejus morte nunciatum est, miraculorum gloriâ claruit. Nusquam verò uberiùs, aut resonantiùs, quàm Marinei, ubi sanctitatis ejus opinio jampridem coaluerat. Eo in oppido Buccerii flagrum, & claudis, & cœcis, & morientibus saluti fuit: sed lymphatis præsertim hominibus præsentissimum ad eliminandas furias remedium est habitum. Exempla congerit ineditæ vitæ ejus scriptor *Anonymus*.

XXXI. His fidem fecit P. Hieronymus Tagliavia, qui tot miraculorum famâ permotus religioni sibi duxit, Buccerii corpus communi sepulcro diutiùs contineri. Quare arcam, de qua diximus, efferri jussit idibus Septembris, sequentis anni 1628, mense decimoquinto, ex quo sepulcro condita fuerat, ut ossa legeret, & decentiùs collocaret. Resignato, atque reclusо coram testibus Sarcophago, reperta sunt quæ circa corpus essent indumenta putria, & situ corrupta, ac sine odore consumta. Ipsum verò corpus non modò integrum, & incorruptum, sed tractabile, atque flexibile, cute nihil contractâ; & pilis, ut si recèns expirâsset, capiti, superciliis, pectori, brachiis tenaciter inhærentibus. Unus color est immutatus, qui ex pallido candidissimus apparuit, ut lactis, aut Parii marmoris speciem toto corpore præseferret, præcipuè tamen in ore, in quo cœlestis quædam forma elucebat, & ejus animi imago, qui eos artus incoluerat. Tam mira, atque inusitata corporis integritas in sene præsertim, & ita temperato, ut sanguine plurimùm abundaret, & humidissimo cerebro uteretur, visa est naturæ fines excedere, & intemerati pudoris excellentiam indicare. Detersis itaque corruptarum vestium, & putrescentis arcæ sordibus, candidâ sindone involutum corpus, & arcâ elegantiore exceptum, in depresso ad id locum situm est, ad dexterum majoris aræ latus, adjecto etiam fornice, qui Sarcophagum contegeret, & ab humentis soli contagione tueretur. Constratus est sepulcri locus pictis lateribus, vitroque incrustatis, qui pavimentum ornarent, atque distinguerent. Addita etiam ex marmorato parieti proximo tumuli species, quæ humatum ibi corpus significaret. Ex eo die sepulcrum cœptum est celebrari, & spargi floribus. Anno demum 1631 P. Augustinus Vivaldus, qui Provinciæ magistratum gerebat, Josephus Castelnovus, qui Domûs Panormitanæ, Jordanus Cascinus, qui Collegii, & Hieronymus Tagliavia, qui Tirocinii, Joannettino Doriæ Purpurato Pontifici supplicem obtulere libellum, quo pri-

Corpus sequenti anno, ut si recèns expirâsset, reperitur.

Cadaver elegantiori arcâ inclusum sepositо in loculo tumulatur.

Nostri a Doria Pontifice petût, de Buccerii virtutibus acta cô fici.

privato, ac publico nomine petebatur, ut de Simonis Buccerii virtutibus, atque miraculis acta confici liceret, & testes ipse reciperet, & legitimis tabulis testimonia committerentur. Rescripsit Pontifex: *Habeant licentiam*. Quare juxta Decretum Urbani VIII judicium est inchoatum. Sed quibus potissimum de causis sit ampliatum, atque intermissum silent monumenta Provinciæ; quæ de eo tamen, ut de viro sanctitate conspicuo, qui cum Alphonso Rodriguez conferri merito possit, diserte commemorant.

P. Philippi Caribdis in domo Mamertina obitus.

XXXII. Defunctus est denique in Domo Mamertina, anno ætatis undeseptuagesimo P. Philippus Caribdes Messanensis, Jacobi, & Alphonsi frater natu medius, & utrique superstes. Nimirum ut Jacobus tradendarum disciplinarum, Alphonsus eloquentiæ laude floruit, ita Philippus scientia gubernationis, quæ artium est omnium cùm summa, tum difficillima, maximè excelluit. Quare universum vitæ spatium primoribus in magistratibus collocavit. Rexit enim semel Collegium Panormitanum, Mæneninum, Melitense, & Chiense Domicilium. Bis verò Collegium Mamertinum, bis Drepanitanum, bis Catanense: ubique omnibus carus, & maximopere acceptus. Domesticos, quibus præfuit, caritate, mansuetudine, ac temperantia tam sibi demeruit, ut nemo esset, quem plus diligerent, aut rerum suarum participem esse vellent. Eorum morem secutus, qui sibi ante imperare, quàm aliis didicerunt; nihil unquam jussit, quod non ipse lubentissimè facturus esset, si juberetur. Simplicem animum, & a suspicionibus alienum suis ita probavit, ut omnes intelligerent nihil ab eo ambitiosè, astutèque fieri, nihil dici, quod ab animo dissentiret. Tanta virtutis atque prudentiæ magnitudo ex intima cum Deo conjunctione manabat, in cujus colloquio, & assidua consuetudine magnam muneris sui partem collocabat. Quicquid enim administrandum esset, cum Deo accuratè transigere consuevit. Desideratus est V Calendas Aprilis, ea oris animique jucunditate, qua integer, & in magistratibus cùm domesticos, tum externos sibi conciliaverat.

Provinciæ Magistratus maximopere acceptus administrat

Provinciæ Mamertinæ de peracta scissione querelæ.

XXXIII. Inter hæc fervebat Mamertina Provincia eorum querelis, qui peractam anno superiore scissionem improbabant, & in proximo Provinciali conventu a Mutio petendum contendebant, ut res in integrum restitueretur. Quum verò ejusmodi conquestiones animos exacerbarent pro sectione pugnantium, & assiduis litteris ad Mutium perferrentur, atque turbatum nonnihil domi esset: Decius Striverius Mutii manda-

Digitized by Google

dato gravissimas Syracusis III Calendas Septembres, ad Provinciam dedit litteras, quarum ea erat sententia: *Allatum esse ad Mutium, desiderari in Orientali Provincia eam ipsam tranquillitatem, atque concordiam, cujus gratiâ Provincia in duas discesserat, quòd incerti rumores efferrentur, quasi qua facta fuisset secessio, parum firma & stabilis futura esset: neque deesse, qui clandestinis colloquiis illud agerent, ut in proximo Provinciali Conventu Provinciarum conjunctio peteretur, eo potissimùm nomine, quòd hujusmodi postulatio gratissima accideret ipsi Mutio, qui divisionem & agrè concessisset, & ferret. Placuisse, inanes eos rumores amoveri, nè latiùs serperent, & perniciem effunderent. Jubere propterea Mutium, ea de re neque publicè, neque privatim sermonem institui, neque litteris agitari, & in eos qui secus facerent, graviter animadverti. Omnibus deinde testatum velle, se, qui secessionem invitus decrevisset; decretam modò, & inchoatam, lubenti animo fixam, ac ratam habiturum, & pro ea tuenda viribus omnibus pugnaturum. Retulisse ab se repulsam cùm viros Principes, tum amplissimas Civitates, quarum officia neglexisset. Cupere summum Societatis Antistitem, cognitum, ac persuasum esse Provincia, nihil sibi fore gratius, quàm si deinceps eam rem nemo moveret: nihil verò sibi, contra quàm falsò jactaretur, gravius aut injuriosius posse contingere, quàm ea de re sermonem institui. Æquum esse, Provinciam Siculam, ut alia Provincia in eodem divisionis dolore fecissent, in Antistitis sui voluntate conquiescere.* Quibus præjactis addebat Striverius: *Curent proinde Collegiorum Rectores, nè quis deinceps Provinciarum conjunctionem tentare audeat. Quod si quem deprehenderint contumaciæ reum, ad me deferant, ut ejus pœna gravissima reliquos in officio contineat; sibique persuadeant, eam officii sui partem ad summam rerum pertinere. Denique ut harum litterarum jussiones promulgentur, dent operam, ut super mensam, audientibus omnibus, recitentur. Et quidem sperare licet, neminem inventum iri, qui majoribus suis dicto audiens non fuerit, ut Provincia obedientia, & universæ Societati exemplo sit, & divinum sibi præsidium demereri pergat.*

Striverii ad eam Provinciã Mutii mandato datæ litteræ.

Mutius animum suum super decreta secessione aperit.

Striverius in reos cõtumaciæ graviſſimè se animadversurũ declarat.

XXXIV. Utraque anno 1628 suos celebravit Provincia Conventus. Panormitanam ad Nonas Majas convocavit P. Jordanus Cascinus, qui ejus magistratum gerebat. Postridie Nonas renunciatus est actorum scriptor P. Franciscus Rajatus, ejusque adjutor P. Petrus Villafrates, uterque Panormitanus. Desi-

1628

Panormitanæ Provinciæ Conventus.

gnati item sunt ad seligenda negotia, de quibus ad Conventum referretur, P. Hortensius Scammacca Josephi frater, Leontinus, & P. Franciscus Renda Calatahieronensis. VI idus creatus est Provinciæ Procurator ad Romana comitia P. Hieronymus Rocca Salemitanus, ille idem, qui in superiori conventu anno 1625 Provinciæ scissionem oppugnaverat, ex quo intellectum est, placere Conventui, Provincias iterum coalescere. Appellatus est etiam P. Cæsar Bosco, qui si fortè oporteret, subrogaretur. V Idus deliberatum est; essentne summa Societatis cogenda comitia: & frequentibus suffragiis pronunciatum est, nullam esse causam, cur cogerentur. Idibus, & postridie de iis actum est, quæ Procurator, Provinciæ auctoritate ad Mutium referret, quorum illud fuit præcipuum, quod ex actis excipio: *Quum R. P. N. Generalis, iteratis potiùs Congregationis precibus, quàm propriâ voluntate permotus, Siculam Provinciam dividendam annuerit, Visitatoremque miserit, qui præmissâ Visitatione, suaviter ad hunc finem universa disponeret, quod certè factum non est, sed repentè est divisio subsecuta: quumque & plura, & majora ex divisione incommoda nata videantur, quàm priùs ex unione provenirent: ipsa denique experientia doceat, & communis omnium sensus testetur, Siculæ Provinciæ divisionem nullo modo posse subsistere; supplicitèr & enixè rogatur P. N. Generalis, ut audito P. Procuratore, qui totius rei rationes exponet, ad majorem Dei gloriam, & Societatis nostræ bonum, communemque nostrum omnium consolationem, & quietem, Siculam Provinciam iterum uniat, aliaque ratione omnino quantùm fieri potest pro suâ caritate provideat incommodis illis, ob quæ divisio postulata est.* Quibus pari accuratione, ac sapientiâ rescripsit Mutius: *Rem planè difficilem petit Congregatio, præsertim alterâ Provinciâ repugnante, quæ tantum abest, ut plura ista, atque majora ex divisione sentiat incommoda, ut opportunissimam illam potiùs fuisse putet. Quia tamen nobis omnium consolatio est carissima, novus Provincialis, aut Visitator examinabit istic omnia diligentiùs, nosque monebit, ut cum ipsius Dei gratia provideamus, quod fuerit ad majorem ejus gloriam, nostrorumque omnium tranquillitatem.*

P. Hieronymus Rocca Romam Procurator designatur.

Conventus postulat, ut Provincia in integrum restituatur.

Sapientissimum hac super re Vitelleschi rescriptum.

XXXV. Ad VII idus ejusdem mensis, ad indictum a P. Decio Striverio, Conventum Messanam convenit Mamertina Provincia. VI Idus ad acta conscribenda dictus est P. Augustinus Cajetanus Syracusanus, cui adjectus est laboris particeps P. Joannes Parisius Melitensis. Ad probanda item negotia, de qui-

Eodem mense suum celebrat Mamertina Provincia conventum.

Digitized by Google

quibus in conventu agi oporteret, appellati sunt P. Benedictus Moletius Messanensis, & P. Nicolaus Gusmanus Melitensis. IV. Idus optatus est ad Romanum Conventum Procurator P. Benedictus Moletius; destinatusque qui ei fortè succederet P. Nicolaus Gusmanus. III. Idus Rogati sunt Patres, cogendusnè videretur maximus Societatis Conventus, & non esse cogendum frequentes censuerunt. Pridie Idus, Idibus, & postridie ad incudem vocata sunt quæ Procurator ad Mutium deferret. Propositum est a nonnullis: *Ut designetur aliquis ex primariis Patribus, qui totam Siciliam obeat, & singulorum sensus exploret circa divisionem; & nominatim expetitus est P. Decius Striverius tunc Vice Provincialis.* Sed non placuit Conventui, eam rem moveri, quam omnino silere oportere arbitrabatur. Sed nihil fuit eo silentio loquacius: quum præsertim Conventus ida Mutio postulaverit. *Ut quoniam in Messanensi Collegio Scholastici omnes ad duos, aut tres proximos annos alì minimè possunt, Philosophorum classes, quæ extra illud degunt in unum simul Collegium convocentur, in quod etiam aliqua contributio conferatur, a qua tamen pro Messanensi Collegio, justis de causis, censuerunt plerique ex Patribus abstinendum.* Satis est enim indicatum, nullum esse in Provincia Collegium, quod juniores omnes alere posset, nisi reliqua pensionibus vexarentur. Nempe Collegium Mamertinum, quod omnium esset maximum, & opulentissimum, ut ex legitimis Professionis tabulis, quæ in hoc ipso Conventu Urbani VIII decreto confectæ sunt, ita professum esse comperio: *Collegium Messanense alere potest septuaginta duos, & si accedant aurei quingenti, qui brevì obventuri sperantur, potest alere octoginta.* Quare Mutius sagacissimè respondit: *Optandum sanè est, eritque gratissimum nobis, ut omnes Scholastici nostri, si fieri potest, in uno eodemque Collegio collocentur. Quod autem spectat ad subsidium pro eorum sustentatione, corrogandum ab aliis Collegiis, res est querimoniis, ac difficultatibus, ut sæpe experti sumus, exposita. Quamobrem valde cupimus, aliàratione provideri.*

Postulationes ad Mutium deferendæ in medium vocantur.

Postulationes delatæ, & Mutii rescripta.

XXXVI. Quoniam verò Professionis mentio incidit, quæ Urbani VIII mandato peracta est; non injucundum fortè erit posteris nobis, cognoscere. Subdam propterea, quæ fuerit Professio utriusque Provinciæ. Panormitana sic Domiciliorum suorum census professa est, cessantibus ædificationibus:

Utriusque Provinciæ Professio Urbani VIII mandato peracta exponitur.

Domus Professa Panormitana ex consuetis eleemosinis, alere potest octoginta octo, & famulos tres.

Collegium Panormitanum, centum quadraginta sex, & famulos quatuor.

Domus Probationis Panormitana quinquaginta septem, & famulos duos; exactis verò quibusdam pecuniis collocandis, alere poterit alios novem.

Collegium Montis Regalis vigintiquinque, & famulos duos.

Bisbonense viginti sex, & famulos duos.

Drepanitanum septuaginta unum, & famulos duos.

Lilybætanum quadragintaquinque, & famulum unum.

Calatanixetense quadraginta quinque, & famulum unum.

Xaccense quinquaginta sex, & famulos duos.

Narense viginti sex, & famulum unum.

Ennense vigintiquinque, & exactis aureorum decem millibus, alios undecim.

Thermitanum non adhuc perfectum, novem, & brevi alios undecim.

Mamertinæ verò Professio est hujusmodi.

Domus Professa Messanensis ex consuetis eleemosinis alere potest quinquaginta.

Collegium Messanense septuaginta duos, & si accedant aurei quingenti, qui brevi obventuri sperantur, octoginta.

Domus Probationis Messanensis quadraginta quinque.

Collegium Syracusanum triginta.

Catanense triginta.

Calatahieronense triginta quatuor.

Mœneninum quadraginta septem.

Plateense quindecim.

Natinum quadraginta octo.

Collegii Melitensis Professionem fortè propter censûs tenuitatem adnotatam non reperio. Ex quo judicari facilè potest, Majores nostros minore censu plures aluisse, non quòd aut illi parciùs, aut lautiùs nos vivamus; sed quia assiduis illi piorum largitionibus magis, quàm censu viverent.

1629 XXXVII. Egerat anno superiore Romæ cum Mutio P. Hieronymus Rocca, Salemitanus de Collegio Salemii condendo, Provinciæ nomine, quæ id enixè postulandum inculcaverat, quòd ea Civitas ampla & frequens, (quam Cluverius eam esse putat, quæ Urbs Halyciensis a Tullio dicitur; Fazellus verò, & Pirrus Semellium esse contendunt, Plinio cognitum oppidum, vetustate, & opulentiâ nobilissimum) jampridem Socie-

Salemitana Civitas Societatẽ flagitat.

cietatem flagitabat: obtulerat autem commodum censum Josephus Ganges, qui & conditoris prærogativâ sese ultro abdicavit, ut relinqueret aliis locum, in vacuum veniendi, noviſque largitionibus, & testamentis Collegii census amplificaretur. Rescripserat Mutius postridie Calendas superioris anni. Gratissimam sibi futuram Salemitani Collegii institutionem, quòd ea Civitas perpetuum erga nos studium officiis, ac beneficiis ostenderit. Se verò ut potestatem eò commigrandi faceret, non expectare nisi Cascini litteras, quibus de legitimis Josephi Gangis tabulis doceretur, quarum exemplum penes se esse oporteret. Itaque hoc anno Mutius P. Hieronymo Roccæ dedit negotium, ut eò coloniam deduceret, cui ipse primus præesset. Attributum est initio S. Bartholomæi templum, designatæque sunt ædes proximæ, in quibus nostri hospitarentur, incredibili gratulatione Civitatis, quæ nostros homines excepit, ut Gasparis Paraninfi, & Aloysii Lanuzæ erga se meritorum, atque virtutum hæredes. Salutaribus enim eorum sæpè exculta concionibus, & mirabilibus rebus gestis ad christianam frugem excitata, ejusdem disciplinæ alumnos officiis omnibus complexa est, eorumque labores magno semper in honore habuit. Auxit deinde, & duplicavit Collegii censum Raphaela Cara, & Tagliavia nobilissima mulier Salemitana, quæ avitam testamento legavit hæreditatem satis amplam, & copiosam: in cujus ædibus, & Josephi Gangis conditum est elegantissimum templum, & non exigua Collegii pars, excelso ac celebri loco, quo non habet præstantiorem ornatiſsima Civitas.

Nostri eò coloniam deducunt, & incredibili gratulatione excipiuntur.

XXXVIII. Sed Messanæ Societati fatalis fuit Academia, quam Civitas Philippi Regis decreto publicaverat. Jam ab anno superiore Senatus septem optaverat Societatis Doctores, quorum tres Philosophicas Artes, duo Theologicam disciplinam, sextus sacram morum scientiam, septimus Mathesim publicis in ædibus prope forum perpetuò traderet. Auditum est lætissimis Civium acclamationibus Senatusconsultum, magnusque ad nos factus est sibi, nobisque gratulantium concursus, quòd tum denique spes esset, ut & disciplinis honos accederet, & juventus commodè institueretur. Decrevit autem Senatus aureos quingentos annuos, qui Doctoribus alendis, nobis ex ærario Civitatis duabus pensionibus quotannis solverentur. Sed P. Nicolaus Gusmanus Melitensis, qui Collegio præsidebat, duas adjecit conditiones, quarum una erat, ut penes Societatem esset Doctorum potestas designandorum. Altera, nè adigerentur domestici juniores ad gymnasium publicum celebran-

Pellizzerius Chron. inedit. Colleg. Messan. anno 1628. & seqq.

Messanæ Academia publicatur.

Quibus conditionibus ei Academiæ noſtri præeſſe voluerint.

brandum. Utramque Senatus ratam habuit; qui ut perpetuitati conſuleret, & annuorum magiſtratuum viciſſitudines occuparet, regiæ auctoritatis interpoſitionem a Prorege Alburcherchi Duce impetravit. Itaque Idibus Octobris P. Melchior Encofer Auſtriacus Viennenſis coram Senatu, & Principibus Civitatis in aula Gymnaſii Mamertini, gratulatoriam habuit orationem, ſplendidam, & elegantem, quà & Senatui gratias egit, & ſedulam Societatis operam eſt pollicitus, & juventutem ad optimarum artium aſſecutionem inflammavit. Verùm Majo ineunte hujus anni, converſis magiſtratibus, converſa eſt etiam Societatis tranquillitas, & nonnihil inclinata. Dux fuit, & fax oppugnationis Franciſcus quidam Farao, nobiliſſimus quidem Patritius, ſed immemor Familiæ erga nos meritorum, & mutuæ noſtrorum erga Faraonios voluntatis, qui quum ad Rempublicam in Senatum adlectus perveniſſet, nihil non movit, quo noſtros homines gradu dejiceret, & ab Academia deturbaret. Quum verò clandeſtini conatus ejus propter ſummum Civitatis in nos ſtudium, nihil procederent, ad apertam vim deſcendit, ut reſiſtentibus nobis, Collegas quaſi ad tuendam Senatùs auctoritatem compelleret, & Civitatem, quòd contra Rempublicam faceremus, in nos concitaret. Cœpit itaque obfirmatè a Doctoribus noſtris contendere, nè ad gymnaſium, niſi ſubſequentibus domeſticis junioribus accederent, quòd ita Salmanticæ, ita Compluti Societatis doctores Academiam frequentarent. Negabant noſtri homines id fieri oportere, quod apertiſſimis conditionibus cautum eſſet, nè fieret. Ille iniquitatem cauſatus conditionis, VII Idus Decembres noſtros Doctores cum externis auditoribus advenientes ſtans in janua, Academiæ aditu prohibet. Noſtri diſcipulos conteſtantur, & Faraoni obnuntiant per ſe non ſtare, quominus perſtent in officio. Palàm proinde profitentur, non defuturos domi auditores, quibus humanas divinaſque artes tradant. Farao faceſſere eos cum ignominia jubet, & adoleſcentibus mandat, nè diſcedentes deducant, neve audeant alia, præterquam publica adire gymnaſia: qui tamen multa minitantem negligunt, magiſtros deducunt, & ad nos ventitare non deſinunt. Senatus alios aliorum ordinum doctores appellat, & gymnaſio addicit. Sed vel vacua nacti auditorum ſubſellia, vel paucos admodum, atque bacchantes, ab incœpto deſtiterunt. P. Franciſcus Fazarus, Collegii Procurator, & P. Benedictus Moletius, magnæ vir auctoritatis, atque conſilii, alius terrà, alius mari Panormum convolant, & ad Proregem provocant. Meſſanæ interea

Franciſcus Farao eo gradu noſtros dejicere adoritur.

Noſtri Academiæ aditu prohibentur, & alii Doctores appellantur.

Se-

Digitized by Google

Senatus unos, & alteros consulit Causidicos, coram quibus jure disceptatur. Utrique a nobis stant contra Senatum, libereque XV Calendas Martii sequentis anni decernunt, irrogatam nobis injuriam: nihil a nobis adversùs Rempublicam factum esse. Salutationis, & gratulationis causà ad nos confluunt Principes Civitatis, & vehementer hortantur, nè pristinæ possessionis, & recentia judiciorum jura negligamus. Sed visum est majoribus nostris, serviendum esse temporibus, nè cum valentioribus frustra, & cum pernicie dimicaremus; & cautius esse consilium, ampliare negotium ad proximas Calendas Majas, quæ cum novis magistratibus, & fortè commodioribus, transigendi opportunitatem offerrent. Sed nullis ampliùs calendis spes ulla affulsit in integrum restitutionis. Quare nè Academia diutiùs careret doctoribus, jussit Mutius, integrum esse Senatui de Magistris arbitratu suo constituendis; nobis verò satis esse, disciplinas privatim domi tradere.

Senatus Causidicos consulit, qui injuriâ nobis irrogatam decernunt.

Quantâ prudentiâ nostri eo in negotio se gesserint.

XXXIX. Hoc ipso anno, quo Senatus Mamertinus, paucorum invidiâ Societati infensum se præbuit, P. Melchior Encofer, qui unus ex illis doctoribus numerabatur, a quibus contumelia fuerat accepta, Mamertinæ Civitatis memor officiorum, immemor injuriarum, primus omnium librum edidit, variâ eruditione respersum, quo Deiparæ ad Mamertinos epistolam tueri conatus est, & veritatem ejus asserere. Quæ res perhonorifica Mamertinis, Civitatem mirificè delectavit, & ejus erga Deiparam religionem ex magna maximam fecit: sed propter partium studia tanti non fuit, ut nonnullorum civium adversùs Societatem impetum frangeret, aut deliniret. Liber autem ut prodiit quamplurimos oppugnatores nactus est; excitavit enim, tanquam signo proposito, acria eruditorum ingenia ad litterariam dimicationem, satis utrinque studiosam, & diuturnam. Primas ex adverso hastas jecit Franciscus Baronius, Presbyter Monregalensis, vir politioribus litteris apprimè deditus, qui Lycambæâ quadam intemperantiâ & librum, & auctorem proscindere aggressus est. Societatis hic castra bis secutus fuerat, bis etiam propter invidiosæ garrulitatis licentiam exauctoratus, vitam ferè omnem in custodiis delictorum causà consumsit. Cosyram denique deportatus, & inde Cajetam, sexagenarius ferè miserrimum ibi in vinculis exitum invenit anno 1650. Maximas ejus scripta Messanæ turbas concitaverunt. Exarserunt itaque magna, & fervida ingenia, atque mutuis libellis, conviciisque causam propugnabant. Delata est controversia ad religionis Judices, qui & Encoferiani operis exempla om-

P. Encofer librum edit pro Deiparæ ad Mamertinos epistola.

Liber quamplurimos nanciscitur oppugnatores.

Tornam. exit. infelic. pag. 54. & seqq.

Controversia ad Religionis Judices defertur.

omnia, & adversariorum oppugnationes ad se perferri jusserunt, causàque accuratissimè cognitâ, nonnulla dubitationum capita exprompserunt, quæ impedita viderentur. Sed P. Melchior Encofer, qui se Messanà subduxerat, ut Mamertinorum causam propugnaret absens, & si usus esset, ad Romanum Pontificem provocaret, de Judicum sententia admonitus eruditissimas inde Messanam lucubrationes transmisit, quibus rem eleganter exornavit, singula dubitationum capita dilucidè exhausit, & quoad obscuris in rebus fieri potest, sapienter temperavit.

Josephus Ferrara, Mænis vivere desiit.

XL. Inter suavissimos adolescentes, qui virtutibus, & exemplis Provinciam illustrârunt, locum habet Josephus Ferrara Messanensis, qui teneræ ætatis annos in Tirocinio Mamertino Societati devovit, tanto animi ardore, ut quum patris voluntatem expugnare non posset, qui custodiri, & vestes adimi jusserat, paterna ex domo seminudus profugerit. E tirocinio virtutibus omnibus excultus prodiit, annos natus decem septemque. Mœnas ad amœniores litteras arripiendas missus, ut ingenio, ita probitate, & moribus condiscipulis præluxit. Sesquianno vix dum exacto, ad cœleste præmium jam maturus gravissimo morbo tentatus est, ex quo post mensem maximis doloribus insigni patientiâ toleratis, lubens vivere desiit, VI Idus Novembris, annos natus duodeviginti. Eo ipso temporis momento, quo humanis vinculis exutus est, cœlestis quidam splendor in fratris cubiculo qui proximè accubabat, effulsit; quo excitatus intellexit, eos esse Josephi manes, qui ad superos evolarent. Quare illico accurrit, & decussatis supra pectus brachiis, supinum, ac mortuum reperit. Ut Messanæ de fato ejus perlatum est, paternæ domûs ancilla, quæ septem jam annos acutissimis scapularum doloribus angebatur, Josephum, quem ab infantia educaverat impensè oravit, ut diuturnæ liberationem molestiæ sibi a Deo impetraret. Proximâ nocte obtulit se quiescenti Josephus, & scapulas balsamo inunxit. Illa expergiscitur, & incolumis surgit. Quo audito, mater quæ Josephum dies noctesque lugebat, quasi regnantis jam cum Deo filii nuncius allatus esset, luctum in lætitiam convertit.

Eo extincto cœlestis splendor in proximo cubiculo affulget.

Marcelli Scaglioni obitus, & virtutes.

XLI. Desideratus est etiam in Tirocinio Mamertino Frater Marcellus Scaglionus, cujus virtutes, & in Provinciam merita nihil habent vulgare, atque commune cum multis. Ortus est Calandæ in Salentinis nobili genere. Latinis litteris mediocriter imbutus adolescentiam vitiis dedit, & malis artibus ad annum usque trigesimum. Quum rure spatiaretur, procellâ in proximam specum, & fulgure perterrefactus secedere statuit.

Digitized by Google

tuit. Messanæ sub P. Angelo Sibilla Societatem adiit, & religiosæ vitæ tirocinium posuit. Post aliquot menses, nostra tunica nondum indutus, Panormum navigare jussus est. Triremem nactus, & nullo in pretio habitus, nautarum, & classiariorum contumelias, convicia, calces tanta animi æquitate, ac fortitudine tulit, ut eorum unus exclamaverit: *Aut hic religiosus homo est, aut religiosi alicujus ordinis candidatus.* Tirocinio nondum exacto, stygii hostis impetum bis sustinuit, & fortissimè fregit. Naturæ appetitum veneris larvis adeo incendi sensit, ut urentes aculeos ferre vix posset. Tantus autem fuit in repugnando conatus, ut delassato corpore, vix consisteret. Sed invictus animus intestinas furias ita delevit, ut ex eo tempore nullâ veneris titillatione neque mens, neque sensus alliceretur. Gravioris periculi fuit alterius generis oppugnatio. Magno repentè exarsit odio rerum suarum. Inusitatum incessit secessionis tædium. Domesticum conclave horrorem, squallorem que offerebat communium custodiarum. Omnia miserimæ vitæ luctum ostendebant. Marcellus tamen admirabili fortitudine secum pugnavit, statuitque quævis perferre; modò militiæ nostræ propositum retineret. Eâ animi constantia convertit mentem, præstigias, & larvas pepulit, & domesticam consuetudinem jucundissimam deinceps reddidit. Nisi quod & præteriti periculi magnitudo, & præsentis vitæ suavitas, amittendæ Societatis metum perpetuum vitæ comitem effecerunt, qui senem quoque prope nonagenarium, ulceribus coopertum, & morti proximum, vehementer habuit sollicitum, & dies noctesque dubitantem, nè in Societate vitam clauderet. Tantiæstimavit religiosæ vitæ beneficium, & eo in ordine perseverantiam, in quo jus est ut tirones, ita veteranos exauctorandi, qui a disciplina deflexerint. Quare ad supremum usque diem unum è superis quotidie designavit, quem præcipuis eo nomine coleret religionibus, ut sibi a Deo in Societate permanendi beneficium impetraret. Tirocinio jam exacto, etsi ad Sacerdotii honorem patebat aditus, humilem Fratrum conditionem, qui domesticis obsequiis sunt addicti, sequi maluit. In assiduis actuosæ vitæ laboribus cœlestium cogitationum consuetudinem, nullis habuit finitam temporibus, aut occupationibus intermissam, sed fixam, atque perpetuam. Hinc perennes illæ lacrimæ, quæ, quidquid ageret, ex oculis profluebant, & prandentis, cœnantisve fercula, & pocula condiebant. Annum agens sexagesimum, Mamertinis tironibus cultor, & custos additus est, & id muneris ad summam usque senectutem,

Panormum navigans nautarum contumelias mirâ fortitudine tulit.

Stygii hostis impetus, & naturæ appetitum constanter fregit.

Amittendæ Societatis metum perpetuum vitæ comitem habet.

Quotidie unum e superis designat, ut sibi in Societate permanendi beneficiū impetret.

Tironibus custos addictus est.

& valetudinem pari sanctitate, ac sapientiâ administravit.

XLII. Numerabat jam annum ætatis sextum & sexagesimum, quum gravissimâ valetudine afflictus, & extremis lustratus religionibus fatalem horam adesse sibi persuasit. Sed eam procul abesse cœlesti voce est admonitus, atque exinde paulatim recreari cœpit. Convalescentem oblectavit Deus visis cœlestibus. Oblata est ei primùm divinæ majestatis species jucundo potiùs spectaculo, quàm apparatu terrifico. Vidit item cœlestium Elysiorum delicias, alterius generis nemora, novæ formæ fontes, arbores, flores, & agri faciem. Quibus tantâ voluptate affectus est, ut sibi redditus, quæ prima inter homines sunt, tanquam sordida & vilia horrere cœperit, seque exuerit iis omnibus, quæ paulò ante in carissimis rebus habuerat. Post sumtam divinam hostiam ostendit ei se Christus, tanquam elegantissimâ formâ juvenis, pulcherrimis indutus vestibus, & oris jucunditate incredibili, cujus species, quoad vixit, impressa atque signata, ita animo inhæsit, ut neque dies, neque curæ, neque assidui labores obliterare unquam potuerint. Deipara quoque conspiciendam se præbuit, quum ei se Marcellus ante quietem commendaret. Adstitit placidissimo vultu, & contemplantis non modò oculos, sed animum etiam beavit. Hactenus de se ipse a majoribus jussus perscripsit; ex eo quem diximus morbo convalescens. Reliqua ejus facinora, longè clariora, quæ ab anno ætatis sexto, & sexagesimo, ad octavum supra octogesimum edidit, partim oblivio hausit, partim temperantia ejus occultavit. Nonnulla exequar, quæ aliorum oculos effugere non potuerunt. Famem nunquam explevit, sed insigni abstinentiâ perpetuò aluit. Quidquid apponeretur, nunquam oleo, aut sale condivit, nunquam gustavit, si non domesticum esset, sed ab externis dono missum, nunquam admovit, nisi delicatiorem, potioremque partem seposuisset. Duodesexagesimum annum in Societate quum transegisset, neque unquam nisi jussus animo indulsit, neque domo recreandi sui causâ egressus est. Cum tironibus ita egit, ut nihil eo emendatius, nihil castigatius, nihil jucundius, & amabilius fieri posset. Parum fuit teneris adolescentibus paternum amorem impertiri, nisi eos fraternæ etiam, maternæque pietatis abundantiâ cumulâsset. Elucebat in ejus moribus viva quædam disciplinæ Societatis imago, unde tirones prima arriperent lineamenta virtutis, & semina conciperent venturæ frugis, quæ veteranos aleret, & ad militiæ nostræ mores informaret. Ea autem erat institutio dictorum ejus: *Ut animum accuratiùs ex-*

co-

Graviter decumbens fatalē horam procul abesse cœlitus discit.

Cœlestium Elysiorū delicias, & post sumtam Eucharistiam, Christum sub Juvenis specie videt.

Deipara quoque ei visendā se præbuit.

Delicatioribus cibis abstinuit; & nihil unquā condimētorum adhibuit.

Digitized by Google

cohærent, quàm corpus frangerent. Ut hilari quadam ala-
critate intimas tristitiæ causas præciderent primùm, deinde
funditus extirparent, cupiditates scilicet, quæ frustrà am-
putantur, nisi occulta earum radices conquirantur, & reper-
ta eliminentur. Ut nihil inviti facerent. Ut Societatem uni-
cè diligerent. Non tamen verbis ambitiosè jactarent, sed re-
ctè factis extollerent. Ut de domestica disciplina magnificè,
de se modicè exiliterque sentirent. Ea omnia facilè assecutu-
ros, qui plurimùm cum Deo agerent, identidem in se descen-
derent, & salutis suæ curam primam haberent. His doctri-
næ elementis imbuti, ex disciplina ejus prodiere quamplurimi,
qui Provinciam postmodum illustrârunt. Supremos tres vitæ
annos paralyticus decubuit, ulceribus toto corpore excrucia-
tus, quæ putri sanie ac vermibus scaterent. Auditus non est
ex ore ejus sive gemitus, sive vox ulla, quæ dolorem indicaret;
sed vultus hilaritatem & vivus & mortuus retinuit. Aliquibus
ante mensibus quàm e vita migraret, quum audîsset Fratrem
Franciscum Micciardum senem & infirmum propediem me-
dicorum judicio moriturum: *Non ita erit*, inquit. *Equidem*
præcedam, sequetur F. Jacobus Philodamus, tertius erit
Micciardus. Neque aliter fuit eorum funerum series. De-
cessit III Calendas Januarias, duobus annis nonagenario minor.
Cùm domestici, tum externi reliquias ejus diligenter conquisi-
tas in pretiosis rebus habuerunt, quibus adhibitis beneficia
cœlestia sunt non vulgaria consecuta. Auctor est P. Antonius
Natalis, vir æquè doctus ac pius, qui anno 1691 tirocinium
rexit Mamertinum, inventum fuisse Marcelli Scaglionis caput
in communi sepulcro aureâ quadam luce coruscum, cujus indi-
cio dignosci potuit, & seponi.

Quæ tironibus virtutum documenta dabat.

Ulceribus toto corpore excruciatus nunquã conquestus est.

Ejus mortui caput in communi sepulchro aureâ luce coruscum inventum est.

XLIII. Nonis Februarii Beatorum Pauli, Jacobi, & Joan-
nis, quos anno superiore Urbanus VIII P. M. pro Christi nomi-
ne in Japonia necatos declaraverat, tum primùm in Provincia
celebrata est dedicatio, Panormi præsertim, atque Messanæ,
magno funalium, facularum, concentuum, laudationum, &
sacrificiorum apparatu. XI Calendas Quintiles ad duas Siciliæ
Provincias administrandas designati Messanam appulere P. Au-
gustinus Vivaldus Januensis, qui Panormitanam, P. Joannes Ja-
cobus Alexander Neapolitanus, qui Mamertinam obtineret.
Alexander Messanæ consedit. Decius Striverius IX Calendas
Neapolim remigraturus conscendit. Vivaldus paulò post Pa-
normum attigit. Is divisæ Provinciæ domesticorum magistra-
tuum adventus, qui Messanæ inusitatis honoribus est celebra-

SS. Martyrum Japonensiũ dedicatio Panormi celebratur.

Novi jam scisse Provinciæ magistratus adveniunt.

eus, Senatum Mamertinum excitavit, ut Regni quoque scissionem à Philippo Rege flagitaret, & omni ope contenderet, ut duo etiam Proreges Siciliæ præficerentur, quorum alter Panormi, alter Messanæ imperii sedem figeret. Sed is conatus, qui ad conservandam Provinciæ secessionem accommodatus videbatur, ejus coagmentandæ consilia maturavit; quòd privatum Societatis exemplum in Rempublicam dimanaret, & ad incitandas universi Regni partes plurimùm valere putaretur. Sed ea de re plenior erit sermo ad annum, qui proximè consequitur. Certissimum habuit hoc anno Messanæ æternæ salutis assertorem Joannes Nicolaus Angelica honestissimus Artifex Mamertinus Sanctum Franciscum Xaverium, qui Sodalem Marianum, sibique maximè obnoxium, supremo morbo laborantem per visum solatus est, & metuenti fore recepit, ut quatuor intra dies unà cum superis cœlesti Patriâ frueretur. Ut dies quartus illuxit, Joannes, qui sensibus amissis summos ducebat anhelitus ita conquievit, ut domestici defunctum crederent. Post horæ spatium sibi redditus, domesticos convocavit, narravitque visam ab se cœlestem aulam superis stipatam Civibus, inter quos & Xaverium, & Ignatium agnovisset. Sed quæ sit supernæ Civitatis species, quæ forma, quæ divitiæ, qui apparatus, quæ voluptates humanis verbis declarari non posse. Quæ verò oratorum eloquentissimi de cœlestium gaudiorum amplitudine magnificè prædicarent, meras esse nugas, & aniles infantium nœnias, si cum rebus ipsis conferantur. Hæc quum per semihoram mirâ vocis, & oris constantiâ pluribus exornasset, repentè siluit, & unà cum voce animam amisit.

Vinc. Auria Histor. Chronol. Proreg. Siciliæ pag. 96.

Senatus Mamertini de dividendo regno ad Philippum postulatio.

Nicolaus Angelica morbi proximus D. Xaverium suæ salutis æternæ assertorem habet.

1630

XLIV. Senatus Mamertinus fieri posse sperans, ut Insulæ administratio in duo imperia scinderetur, quod ad maximæ ornatissimæque Civitatis majestatem, & amplitudinem pertinere arbitraretur, Prætorem Provincialem, penes se habere, qui Messanæ cum curia & foro jus diceret, ac jurisdictionis fines eos attingeret, quibus Mamertina Societatis Provincia contineretur; Legatos propterea, anno appetente 1630, ad Philippum Regem pretiosis cum muneribus destinavit, qui sibi Principem demererentur, & aulicos in sententiam adducerent. Tantæ rei rumor diu latere non potuit; quin & inflatiùs quàm res erat, jactari cœpit. Quare Insulæ Optimatibus, qui summa Regni negotia temperant, alia omnia sentientibus, reclamante etiam Senatu Panormitano, designatus est Marianus Valguarnera, qui supplicem libellum, hispanicâ oratione Panormi editum, Regi offerret, quo enixè petebatur, nè partium studia Regni par-

Legati ad Philippum Regem cum pretiosis muneribus destinantur pro obtinenda regni scissione.

Vinc. Auria Histor. Chronol. Siciliæ Proreg. pag. 96.

Digitized by Google

patritione alerentur, in qua futura esset utrarumque pernicies. Coacta sunt eodem anno V. Idus Novembris Regni comitia, & communibus votis est a Rege ante omnia flagitatum, nè dividendi Regni consilia procederent, néve ea de re deinceps liceret sermonem instituere. Quæ quum, ut fieri necesse erat, non sine strepitu publicè agitarentur, & invidiæ pars non exigua in Societatis homines derivaretur, quasi consilii facem exemplo prætulissent, & domesticas simultates publico malo alere, ac tueri conarentur; magna exinde injecta est Mutio copulandæ iterum Provinciæ cura. Neque tamen conjunctionis consilium reptæsentavit, sed ad sequentem annum sapienter distulit, qui manentibus utriusque Provinciæ magistratibus, sub unius Visoris potestate Provinciarum conciliationem inchoavit, ut coagmentationi viam quàm suavissimè sterneret, de qua ad initium anni 1633.

Senatus Panormitanus edito libello regni partitionē recusat.

Ex his ortæ simultates, & odia Mutium ad copulandā iterum Provinciā excitant.

XLV. Affert hic annus tandiu exoptatam Collegii Mutycensis institutionem. Jam ab anno 1610, ut ibi ostensum est, ad spem futuri Collegii domicilium Societatis fuerat Mutycæ constitutum. Sed aliæ ex aliis ortæ difficultates desiderium publicum fraudaverant. Urgebat crebris litteris Victoria Columna Mutycensis Comitis Mater, nè Civitas diutiùs communia vota suspensa haberet post annum ferè vigesimum. Adjuvit Victoriæ conatus Marianus Agliata Patritius Panormitanus, cujus in ambiguo est, majorne fuerit pietas, an nobilitas. Hic anno 1625. Mutycæ septem aureorum millia ad inchoandum Collegii censum testamento moriens legavit. Duodecim millia Victoria contulit, quibus collocatis aurei sexcenti annui redirent. Auxere censum, privato nomine, Proceres Civitatis, ex quorum largitionibus aureorum quatuor ferè millia contracta sunt, quibus ædificatio institueretur. Neque desiderata est publica Mutycentium liberalitas. Pridie Christi Natalis anno 1628 convocatum est concilium Civitatis, & dissentiente nemine, quod nunquam alibi, aut aliàs contigisse memini, decreta sunt condendo Collegio aureorum decem millia, qui vel unicà pensione, præsenti pecuniâ solverentur, vel quini pro centenis quotannis penderentur, unde quingentorum aureorum census conflaretur. Sed dum Patres in curia deliberant, & area ædium publicarum confertissimo ferveret populo, qui optatissimæ rei expectatione convenerat; ecce tibi, citato cursu, tabellarius accedit, qui Catanâ se missum simulans, quærensque quid rei esset, quòd tanta vis populi eò confluxerit, ut audivit quid ageretur, maximis clamoribus debacchari cœpit, aitque

Collegii Mutycensis institutio

Census annui pro inchoando Collegio constituti, miro civium omnium consensu.

Confertissimo circa ædes publicas populo, Tabellarius Catanâ advenit: ejus ad populū oratio.

que: *Quid illud est, quod agitis stultissimi Mutycenses? Nunquid Teucris amentiores Equum Trojanum mœnibus vestris inferre tantâ lætitiâ laboratis? Jesuitas apud vos fixam stationem habere cupitis! Homines profectò minimè nostis. Sinite eos pedem inferre, & locum capere. Ædes vestras affligent, ut suas amplificent. Non ampliùs liberis, uxoribus, familiis vestris imperabitis. Dominos non hospites sentietis. Inopiam affectant, ut domos vestras expilent. Disciplinas tradere simulant vitiorum doctores. Videte nè serò sapiatis. Nam proculdubio erit, ut quos excludere facile est, quum velitis ejicere non poteritis.* Quæ quum terrificis vocibus pronunciaret, prodiissetque ex concilio Patrum unus, qui quæreret, quidnam sibi vellent horridi illi clamores, jussissetque auctorem comprehendi; ille nusquam ampliùs visus est, & accuratè conquisitus omnium aciem fefellit. Tum verò cognitum est, eam tartarei hostis larvam fuisse, quæ irrito conatu oculis, & auribus imposuisset. Id ostentum instituendi Collegii voluntatem vehementiùs incendit. Itaque Fabius Celestrius missu Civitatis, quamcelerrimè fieri potuit Messanam contendit, ut cùm P. Joanne Jacobo Alexandro, qui Mamertinæ Provinciæ præerat, transigeret. Alexander publicis tabulis, quas XII Calendas Octobris anni 1629 datas comperio, potestatem paciscedi fecit P. Hieronymo Valsecæ, qui tum Mutycæ versabatur. Coloniam eò deduxit P. Bernardus Riccius Drepanitanus, & primus rexit anno 1630. Ejus rei monumentum habet lapis supra Mutycensis Collegii januam affixus cum ejusmodi Elogio: *D. Victoria Columna, Magni Mater Comitis, & Civitas hæc Populosa Collegium hoc Societatis Jesu D. D. D. Anno MDCXXX.*

Diu conquisitus videri amplius desiit; quod stygium hostem fuisse declaravit.

Albertus Hist. Prov. Sic. part. 2. inedit. cap. 11. pag. 201. ex vetustiss. Prov. monum.

P. Bernardus Riccius Mutycam, Coloniam deducit, & primus regit.

XLVI. Cùm in universa Sicilia, tum præsertim Messanæ, quotidiana ferè numerabantur S. Francisci Xaverii in omne genus hominum cœlestia beneficia. Quare Senatus Populusque Mamertinus legem scivit, quâ eum inter patronos Civitatis referri jussit, cui & publicos honores annuos decrevit. Editum est Plebiscitum, & in foro, ac locis propositum celebrioribus III Non. Decembres hujus anni, quo die natalis ejus jam tum colebatur. Sex eximiæ molis funalia Senatus dono misit, & tormenta explodi jussit, quibus religiosæ clientelæ populus admoneretur. P. Vincentius Raymundus Catanensis, qui Domui præerat, nihil reliqui fecit ad Templi ornatum, ad solemnis sacrificii concentum, ad divinorum officiorum magnificentiam, ad cultum religionis. Mamertini Senatûs auctoritati, &

Mamertini D. Xaverium inter Patronos Civitatis referunt.

exem-

exemplo sunt postmodum astipulatæ amplissimæ Civitates, quarum vix ulla indicari potest, quæ B. Francisco Xaverio eum honorem non detulerit, maximis lætitiæ significationibus cumulatum. Quibus omnibus gratia de cœlo relata traditur; ægri enim quamplurimi, qui vel morbis insanabilibus premebantur, vel in præsentissimo mortis discrimine versabantur, B. Francisci Xaverii repentino beneficio sunt restituti. Sed Mamertini Senatùs erga nos studium nonnihil inclinârunt susceptæ cum Mutio Vitellesco Societatis Antistite controversiæ, quas sedare non potuit, nisi P. Melchioris Encoferii, cujus causâ disceptabatur, mors Mediolani post triennium consecuta. Quum enim maximè flagrarent ingenia tuendi, atque oppugnandi studio Deiparæ ad Mamertinos Epistolam, ægerrimè ferebat Senatus Encoferium, quo auctore in Solem & pulverem res litteris evulgata prodierat, Messanâ abesse. Nemo enim rectiùs, aut studiosiùs pro ea causa dimicaret, quàm Mamertini ut communem, Encoferius ut propriam, atque privatam intuebatur. Mutius tamen nullis precibus, aut officiis adduci potuit, ut Encoferium in Provinciam remigrare pateretur. Malebat enim, rem quæ a religione ad gravissimas simultates dilapsa fuerat, silentio conquiescere, quàm vehementiùs incitari. Verebatur autem, nè Encoferius, qui dux consilii fuisset, & rem minimè necessariam movisset, idem fax haberetur, & auctor dissidiorum: præsertim quia ab læso, & erudito viro nihil moderati sibi pollicebatur, si asylum Messanæ nactus esset, & non opportunitatem modò, sed etiam scribendi incitamentum, & non injucundam necessitudinem. Quare hominem distinuit, & Senatùs Mamertini impetum sustinere coactus est.

Quamplurimæ Civitates Mamertinorũ exẽplo adstipulantur.

Singularia per D. Xaverium collata cœlestia beneficia.

Exortæ inter Mamertinos, & Mutium cõtroversiæ, Encoferii morte sedãtur.

XLVII. Sera admodum, & inusitatæ longævitatis funera numerat hoc anno Collegium Drepanitanum. Postridie Idus Sextiles nonagenario fortè major occubuit Frater Joannes Trigilius, Mililli ortus, quod est oppidum non procul a Syracusis, Hyblæ ruinis proximum dictum ex eo, nonnihil depravato vocabulo, quasi *Mel Hybla*. In omni ferè vita infirmâ oculorum aciè, lippitudine laboravit. Cæcutiens tamen, quasi oculos in manibus haberet ac pedibus, fratres reliquos navitate, & industriâ superàvit, & quidquid committeretur quàm rectissimè, citissimèque peregit. Erga res divinas intimè affectus sive concionibus adesset, sive quæ super mensam recitarentur audiret, profluentibus lacrimis testabatur, quantus in eo animi sensus excitaretur. Supremum vitæ biennium, amissis oculis, solus plerunque, & silens in cœlestium rerum contemplatione, & di-

Joannis Trigilii obitus, & res gestæ.

Cæcutiens fratres omnes navitate superat.

Rebus divinis intentus D. Stanislaum Kostkam proximæ mortis prænuncium habuit.

Digitized by Google

& divinarum laudum concentu collocavit. B. Stanislaum Kostkam unicè coluit, & amavit, habuitque proximæ mortis prænuncium. Gravissimè decumbenti plures adhuc vitæ dies postridie Idus Sextiles Medici pollicebantur: ille verò aliter se a Stanislao admonitum profitebatur, a quo didicerat, eodem ipso die, atque horâ, quâ ipse e vivis abierat, se decessurum. Itaque eo ipso die summis expiatus religionibus, contra medicorum sententiam, eâ quam prædixerat horâ, suavissimè extinctus est. Vicesimo post die Frater Joannes Laparus, quo nemo senior, aut æqualis in Provincia decesserat, neque fortè decedet, brevi, aut nullo morbo consumptus est, annos natus sex supra centum, quemadmodum P. Paulus Achilles moriens futurum prænunciaverat. Anno enim 1524 Calatavisturii ortus, desideratus est in Collegio Drepanitano III Nonas Septembres anno 1630. Societatem adiit anno ætatis sexto & trigesimo, in eaque annos septuaginta consumsit. Ad iracundiam a natura proclivis adeo vehementibus agebatur animi motibus, ut vivo Achille, parum abfuerit, quin e nostro numero expungeretur. Mortuo Achille, cui ille seni & infirmo ministraverat, naturam ita emendavit, atque ejus impetus compescuit, ut in mansuetudinis, & lenitatis exemplum evaserit. Vires corporis ad supremum usque vitæ annum quales ad Societatem attulerat, invariatas retinuit: & nisi rarus atque candicans capillus senectutem prodidisset, assidui maximique labores juvenem oculis obtulissent. Quis enim crederet centenarium hominem, & ligna cædere, & ingentia humeris ferre onera, & laboriosissima quæque coqui, pistoris, fullonis obsequia semper irrequietum, nunquam defatigatum obire? Quoad vixit in Societate, ubicunque fuit, primus omnium quotidie evigilavit, & e lecto surrexit, ut alios jam diluculo, jam ante diluculum pro temporum varietate, expergefaceret. Quod quidem munus quotidianum, atque perpetuum paucissimos juvenum, propter insignem molestiam, diutiùs sustinere posse, usu ipso compertum est. Communem jejuniorum, & victûs consuetudinem nunquam intermisit, sed cum vita finivit. Achillis apud Deum precibus imputabat, quòd non edentulus, neque curvus, neque ullâ corporis labe debilitatus, sed integris sensibus, dentibus ad unum retentis, & candidis, rectus atque robustus, quamvis insigni non esset brevitate, nullum annosæ senectutis incommodum pertulisset, ferretque sine molestia immanem sæculi sarcinam, nisi quod quum annum inchoâsset sextum supra centesimum, adesse sibi vitæ finem intelligens, vacatione ætatis uti voluit,

Eâ, quâ prædixerat horâ, suavissimè moritur

Joannes Laparus in Collegio Drepanitano desideratus est.

Centenarius ligna cædebat, & onera ingentia humeris ferebat.

Nullum senectutis vitium contraxit.

Digitized by Google

luit, ut ad fatalis horæ discrimen latens & silens se compararet; quod & mirà animi alacritate subiit, amissis repentè viribus, & paulò post sine dolore, aut febri exanimatus.

Rebus cœlestibus vacans sine febri exanimatur.

XLVIII. Elatus est demum memorabili exitu propter eximias ejus virtutes in Panormitana Domo, quum in ea hospes versaretur P. Andreas Terratius Panormitanus, qui octogesimum agens ætatis annum, tanto fuit animi robore ac corporis, ut nihil veritus annorum gravitatem, ad explicandas lites Collegii Thermitani ad Aquas Selinuntias, cujus negotia procurabat, Panormum venerit: ubi morbo superatus est atque consumtus X Calendas Decembres. Bina extant P. Andreæ Terratii virtutis monumenta, quæ admirationem potiùs habent, quàm exemplum. Quum acerrimis quondam aculeis naturæ appetitus ad venerem incitaretur, & castissimum hominem ad culpæ confinia adduxisset; veritus Terratius, nè in lubrico constitutus vehementissimi desiderii impetum, atque impulsum diutiùs ferre non posset; cæco quodam consilio exagitatus, vitam âpud se statuit potiùs, quàm pudorem amittere. Itaque in ipso æstu ardentium igniculorum, ad culinam properat, cultrum arripit, manus sibi afferre, & virilitatem amputare aggreditur. Tum a tergo vox oboritur exclamantis: *Quid agis Andrea? Siste, vide nè facias.* Respicit, & B. P. Ignatium cœlesti luce fulgentem intuetur, qui furentem, & in se sævire parantem blandè objurgat, docetque: *Non eam esse Societatis institutionem, ut contra ejusmodi hostes ferro, ac vulnere pugnetur. Mentis animique viribus, intestino hoc in bello, & domesticis insidiis esse strenuè dimicandum. Coercendas quidem jejuniis, vigiliis, molestiis, natura cupiditates, sed corpus non perimendum. Petendum denique, sperandum, & ante omnia maximi faciendum cœleste præsidium, quod rectè, strenuéque certantibus deesse non potest.* Hæc, & horum affinia Beatissimus Parens quum per semihoram familiari colloquio inculcâsset, Terratium ita confirmatum reliquit, ut ex eo tempore per annos ferè quadraginta, quibus illi vita superfuit, nullum obscenæ voluptatis fomitem, nullam cupientis naturæ titillationem neque vigilans, neque dormiens expertus sit. Ita cœlesti ostento, atque remedio est declaratum, Terratii mentem bonam fuisse, eumque errore magis animi, quàm pravitate actum, temere illud tentâsse, quod prudens sine culpa non feciisset. Præstat eventûs fidem & veritatem P. Pompilius Lambertengus, qui quum Provinciæ magistratum primò gereret ab ipso Terratio accepit, tradiditque, eo defuncto, gravissimis

Andreæ Terratii in domo Panormitana funus.

Ad Venerem incitatus in seipsum sævire deliberat.

Cum jam cultrum vibraret, per B. Ignatium sistitur, & blandè objurgatur.

Ex eo tempore nullam cupientis naturæ titillationem sensit.

Patribus, Ignatio Moncadæ, & Josepho Lauriæ, quorum uterque conspicuos intra, & extra Provinciam honores adiit.

IL. Calamitosior est, qui sequitur Terratii casus, quem paulò ante Idus Majas anni 1615 Catanæ contigisse reperio; nam sub id tempus datæ sunt autographæ litteræ, quæ ejus rei meminerunt. Non me fugit, quàm variè nuperi Scriptores de insigni facto commemorent. Consultiùs visum est ex purissimis fontibus narrationem haurire; nempe ex legitimis tabulis, quæ eodem anno per Judices confectæ sunt: item ex autographis Orsonæ Ducis, Doriæ Purpurati, Segusii Patriarchæ, & P. Caroli Mastrilli litteris, quæ per eos menses, ea de re ultro citroque missæ sunt. Inter Catanenses Matronas, quæ maximè Societati studerent, præcipua numerabatur Dorothea Sanginesia, quæ filiam Catharinam, Josepho Vivacito collocatam, hæredem scripserat, Catanensi Collegio tenuem legaverat pecuniam, domesticam supellectilem sibi reservaverat, cui placuisset codicillo addicendam. Paulò post conditum testamentum, gravi morbo tentata quum decumberet, filia supellectilem expilare, & exportare cœpit. Quod ut cognovit mater, a magistratibus impetravit, ut domùs januam custodiæ tuerentur, nè quid inde subduceretur. Inter hæc Dorothea, diem sibi supremum instare sentiens, P. Andream Terratium, quem filia ejus vehementer habebat suspectum, accersiri jussit. Terratius adfuit, ab ea oblatum alendæ lampadis censum recusavit, & animam agenti in genua provolutus subvenire cœpit. Sed morientium sacras preces ex codice recitantem Catharina filia cum cognatis, & familia occupat, & interpellat, ac domo ejicit. Ejus loco duos adhibet discalceatos Carmelitas; quibus Terratius valere jussis, librum complicat, atque inde se proripit. Digredientem a tergo adoritur Hieronymus Vivacitus Catharinæ filius, & Scalpro librario jugulum petit. Terratius inclinatum caput avertit, & teli aciem excipit ab aure læva ad mentum, alto atque horrido vulnere. Tradit Riela, Terratium saucium, & cruore manantem, alteram de genu maxillam percussori obtulisse. Addit Juvencius, ingeminatum ab improbo adolescente ictum, & vultum dirè deformatum. Illud in comperto est, Terratium olim a vulneris periculo, nunc a vulnere gravi & magno, B. P. Ignatii beneficio ita liberatum, ut paucos intra dies, nè cicatrix quidem extiterit. Sed præstat ex annuis Collegii Catanensis litteris locum excipere. *Adolescens quidam moribunda ex filia nepos, aut domesticorum impulsu propter quandam falsam omnino pecuniarum suspicio-*

Scalpro librario petitus, alteram percussori maxillam obtulit.

Riela Chronol. Prov. Sic. ad an. 1630.

Juvencius Hist. Soc. par. 5. lib. 14 n. 25. pag. 252.

B. Ignatii beneficio iterum vulnere liberatur.

Annuæ litteræ ineditæ Colleg. Catan. ad ann. 1615.

Digitized by Google

cionem, aut diabolo verè suadente, Patris faciem Scalpro librario peracuto a sinistra aure ad mentum adeo altè turpiterque dilaceravit, ut turpis inhonestaque visu remaneret. Sed tamen a Deo ejus spectatâ virtute, Beatique Ignatii precibus, cui ille se multùm commendavit, vulneris partes ita brevi conglutinata sunt, ut vix minimum vestigium appareret. Quod magnum profectò in homine sene, (erat tum anno ætatis quinto, & sexagesimo) *ac rarà barbà remanere necesse esset, si plaga accepta cicatrix responderet.* In communi Civitatis luctu, frementibus bonis omnibus, quòd tam indignum facinus inter christianos patratum, & Patriam, & insulam, & gentem, & Siculi nominis famam dehonestaret; unus Terratius, quem vulneris dolor urebat, & ignominia oris & animi, jucunditate incredibili sibi gratulabatur, quòd in christianæ religionis officio sanguinem profudisset, & injuriam passus esset.

Orsonæ Ducis per litteras admoniti rescriptum.

L. Et quidem Orsonæ Dux a Mastrillo, qui tum Provinciam lustrabat, de Terratii casu per litteras admonitus, ita rescripsit: *Accepi ex tuis litteris, quid Nobilis ille adversùs Societatem Catana sacrilego facinore egerit. Vehementer queror, quòd nemo tuorum, qui hìc sunt, me ut Societatis filium habuerit. Quoniam ut de tam insigni casu cognoscerem, ad populares percunctationes descendere, & auditiunculas captare necesse habui. Neque enim a Catanensi magistratu certior factus sum; ea opinor de causa, quòd reus ad asylum confugerit, & sub sacri Judicis potestate versetur. Quare litteras ad Patriarcham Catana Pontificem dedi, quarum exemplum est hujusmodi.* Audivi nefarii sceleris auctorem, qui Sacerdotis, & Jesuitæ faciem sicà percussit, penes te esse. Facere non possum, quin a te petam, ut tanti criminis reum Catanensi magistratui tradi jubeas, qui hominem mandato meo ad me Panormum mittat. Æquum est enim, ut atrocissimi delicti immanitas, neque asyli, neque misericordiæ aditum inveniat. Quid quæso, vel te judice, de nobis sentiret orbis terrarum, si nobis rempublicam gerentibus, talis fœditatis indignitas illud vinceret, ut impunitatem, pessimo apud christianos exemplo, assequeretur. Quum præsertim adversùs eum Ordinem actum sit, qui Christianæ officia disciplinæ nobis quotidie proponit, quique tot tantosque moribus, doctrinà, sanguine, Religioni & bonis artibus triumphos impertivit. Quæ quidem omnia tu per te meliùs considerabis, quàm ego litteris exequar. Denique quod ad justitiam attinet, nihil habeo, quod addam, nisi enixas preces, quibus a te contendo, ut flagitii auctorem

Ad Catanensem Pontificem ejusdem litteræ.

quàm citissimè tradi mandes, neque facias certiorem, ut quæ mei muneris sunt, accuratè digesta continuò explicem. Vale. *Equidem non dubito, quin Catanensis Pontifex rem tradi jubeat. Nullam enim reperio humanam, divinamque rationem, quæ id posse, ac fieri debere non persuadeat. Nequeullum est religionis, ac pietatis officium, quo non adigamur ad denegandas deprecatoribus aures. Quum præsertim de scelere agatur, cujus adjuncta, & consequentia pessimum habent exemplum, & universæ christianæ reipublicæ exitiosum. Nam quid tam fœdum, & execrandum, quam Societatis Jesu sanguinem apud christianos effundi, quàm christianæ religionis patrocinium suscepisse, quàm, verissimè, ut ego sentio, dici potest. Si nefarius adolescens ad meas manus pervenerit, audiet Orbis terrarum quid sit futurum. Tu interea, Pater, cum tuis inde solatium capere potes, quòd vel inter christianos Societas Jesu Sanguinem Christo devovet, & vulneribus litat. De iis, quæ Patriarcha rescripserit, & quæ Catanæ agantur, te per nuncios faciam certiorem. Vale. Panormi VI Calendas Junias* 1615. His ad Epistolæ calcem, chirographo suo familiarissimè addidit. *Domi quidem rectè est apud nos omnes, quos habes ad obsequendum paratos. Filius sum equidem, & amicus Societatis. Atque utpote talis doleo vices ejus, & ærumnis afficior. Quis autem honestè, rectèque vixit, & ærumnis caruit? Mi Pater, bono esto animo. Tibi cum tuis, ubicunque eritis, dabo operam, ut tutò esse liceat.*

Percussoris pater, Messanam advolat, & calumniis Proregis aures onerat.

LI. Sed Vivacitus pater sese non deserit. Messanam, quò per eos dies Prorex venerat, advolat. Ejus aures calumniis, & clamoribus onerat. Filium expurgat, quòd minor, & vix adolescens vim vi propulsaverit, & vulturem illum morientis pecuniæ inhiantem, & pretiosam supellectilem, per fidas, & obnoxias sibi mulieres, avertere satagentem, domo pepulerit, ac obsistentem, atque exire recusantem, intentato gladiolo terruerit potiùs, quàm vulneraverit. Leviſſimum autem vulnus, cujus postridie nè vestigium quidem ullum extiterit, ipse sibi reluctando, & prædæ mordicus inhærendo, rapacissimus lupus intulisset. Petit, atque obtestatur, nè patiatur Jesuitarum artibus, & potentiâ honestam opprimi familiam, quæ non haberet patrocinium, nisi in justitia Principis & æquitate. Velle se jure agere apud ipsum Proregem, cui filium tradere non dubitaret, in quo nihil erat reprehendendum, præter juvenilem audaciam, quam justus dolor incitâsset. Habere se adolescentis innocentiæ

Terratium pretiosæ supellectilis inhiasse, producit.

tiæ testes lectissimos Patritios, Matronasque Catanenses, apud quas Terratius subductam pecuniam clanculum deposuisset, Hæ, si Messanam in jus vocarentur procul a Catanensium Jesuitarum technis & artibus, enunciarent utique inauditam rapacitatem, pecuniam profiterentur, & filium culpâ vacare faterentur. Prorex vir recti tenax, & justitiæ servantissimus, his nonnihil commotus accusationibus, animi tamen incertus, utra pars meliorem haberet causam, judicio agi oportere existimavit. Jussit proinde testes, quos Vivacitus appellaverat, Messanam ad se convenirent, ut coram judicibus causam dicerent. Vivacito autem auctor fuit, ut innocentiæ fiduciâ, filium asylo eductum magistratibus dederet. Vivacitus ex reo jam actor, quasi eo decreto causam obtinuisset, quòd testes ex vinculis testimonium dicere cogendi essent, non dimittendi, nisi ex sententia indicium profiterentur; publicè jactare cœpit, Orsonæ ducem id unum in eo casu improbare, quòd Terratius cæsus non fuisset: ceterùm ad Romanum Pontificem dedisse litteras, quibus postulabat, ut liceret sibi Catanense Societatis Collegium delere, & nigras inde harpyas exturbare. Atque ut dictis fidem faceret, causam Proregi probaret, & testibus terrorem offerret, filium asylo excedere, & se magistratibus publicis in custodiis tradere jussit. Non defuere, qui suspicarentur, Orsonæ Ducem sagacissimum hominem, qui ex Patriarchæ manibus noxium adolescentem exsculpere non potuerat, Vivaciti causam adversùs Terratium ideo se suscipere simulâsse, neque jactationes compescuisse, ut reum eliceret, & in vinculis haberet. Prorex causæ cognitionem Magnæ Curiæ Judicibus mandavit. Testes pecuniam profitentur penes se olim depositam, ex qua nè obolus quidem ad Catanense Collegium perveniisset: sed eam ex Sangineſiæ legato ita collocatam, ut ex censu, qui inde rediret, aurei triginta PP. Prædicatoribus, quindecim etiam Paulanis Cœnobitis, tredecim Flaminiæ filiæ in S. Benedicti *Monasterio* quotannis penderentur. Addunt Terratium e morientis domo ejectum nè verbo quidem obstitisse, sed mirâ manſuetudine silentem abiisse; & vulnus accepisse altum & grave, ab aure ad mentum maxillâ discisâ; respersumque cruore & sacrarum precationum codicem, & Christi signum, quod secum ille gerebat. Publicarum denique tabularum fide repertum est, percussorem annum ætatis numerare primum & vigesimum. Quum damnatio impenderet gravissima, Mastrillus a Prorege adolescentis mortem, & pœnam deprecatus illud flagitavit, ut legitimis documentis irrogata

Prorex recti tenax judicio agi decernit.

Testes nè obulum quidè pecuniæ penes se depositæ, ad Catanense Collegium pervenisse profitentur.

P. Mastrillus adolescẽtis mortem, & pœnam a Prorege deprecatur.

So-

Societati calumnia refelleretur: quod & Magnæ Curiæ Judices cumulatissimè præstiterunt. Vivacitus filius deportatione mulctatus est. Sed longè gravior cœlestis fuit in perditum adolescentem animadversio, quem ab Romano Pontifice piorum communioni restitutum, Deus ab hominum consuetudine amovit. Nam furiis omnibus diu noctuque exagitatus, in amentiam primùm, deinde in furorem prolapsus est, quem habuit & vitæ, & mortis comitem, atque tortorem. Quare furibundus in vinculis extinctus, gravissimas Terratio pœnas dedit.

In amentiam tandē, Deo vindice, prolapsus est, & in vinculis extinctus.

LII. Per hæc ferè tempora nobilissima femina Flavia Cotona, & Cibo, Nasi, & Bahusi Princeps, Societati addictissima, ejus homines apud se habere in Municipio Nasitano tandiu flagitavit, quoad voti compos tres nacta est lectissimos Sacerdotes, qui condendi Collegii consilium adjuvarent, & oppidanos excolerent. Designati sunt jam bini, jam singuli, aliis alii temporibus P. Vincentius Raymundus Catanensis, P. Vincentius Bottonus Mamertinus, & P. Antoninus Paniterius in Salvatoris oppido natus. Qui etsi videbant, Nasitanum Oppidulum tanti non esse, ut Societatis domicilium ibi cum dignitate coalesceret; Matronæ tamen benemerentissimæ obsequendum rati, ut a majoribus præscriptum erat, nullum fuit Societatis officium, quod apud Nasitanos non expromerent, præter docendi palæstram, quam non attingendam putârunt. Nullis autem precibus adduci passi sunt, ut in amplissimis principalibus ædibus habitarent, aut exinde splendida, quæ quotidie mitterentur, cibaria non repudiarent. Nam in publico valetudinario diversari maluerunt, & corrogatis ostiatim alimentis, ex Nasitanæ plebis misericordia vitam tolerare. Ceterùm ægrotantibus, quæ ad corporis animique salutem pertinerent obsequia sedulò administrare, christianæ doctrinæ traditionem, quà pueri & rudes homines imbuerentur, nunquam intermittere, crebris concionibus populum ad religionis officia excitare, sacras culparum confessiones excipere, morientibus adesse, omnia, quæ ad pietatis splendorem, & vitæ cultum facerent, gratuito labore suscipere, & studiosè capessere. Sed Flaviæ Cotonæ fatum, quod anno 1632 est consecutum, consilia ejus intercepit, & nostros inde avocavit. Sed eorum fama virtutis, & probitatis, ac Societatis Collegii desiderium, neque dies, neque oblivio delevit. Valebat enim quàm maximè apud Nasitanos anno 1707, quemadmodum legitimis tabulis testati sunt Conus Jordanus, Cherubinus Palmerius, Antoninus Ciminata, & Antoninus Rizzus, qui eà tempestate magistratum gerebant Nasitanum.

Nasitanum oppidulum Flavia Cotona postulante, nostri excolunt.

Omnia caritatis, & pietatis officia exercēt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

P. Franciscus Piccolomineus, & P. Joannes Paulus Oliva ejus Socius utramque Provinciam cum potestate lustrant. Collegiorum Siculensis, Bidinensis, S. Francisci Xaverii Panormitani, & S. Francisci Xaverii Mamertini ortus. Provincia iterum in unam coalescunt, cui præest P. Pompilius Lambertengus, & in ea moritur. Quemadmodum, & P. Antonius Aragona Moncada, Jordanus Cascinus aliique, cum præcipuis eventibus usque ad annum 1635.

1631

Conglutinandæ Provinciæ consilium Mutius arripit.

COnglutinandæ Provinciæ consilium, magnis utrinque jactatum difficultatibus, anno 1631 aggreditur Mutius summus Societatis Antistes. Invidiosum tamen negotium, neque ab utraque Provincia æquè expetitum admirabili sapientiâ ita movet, atque molitur, ut nemo intelligeret, quid ageretur. Itaque per occasionem controversiarum, quæ inter utramque Provinciam perpetuæ intercedebant, jam de finibus terminandis, jam de attribuendis Collegiis, quæ in dies novissimè oriebantur, jam de Collegiorum rationibus coæquandis; jam de Sociis dispertiendis, quorum vel senes, vel qui alicubi inveteraverant, vel qui valetudinis, & cœli gratiâ alibi consederant, solum vertere, & ad origines suas remigrare gravabantur; P. Franciscum Piccolomineum Senensem, virum integerrimum, qui sibi erat ab epistolis, utriusque Provinciæ *Visitatorem* appellavit, eique Socium, & consilii participem addidit P. Joannem Paulum Olivam, Januensem, eximiæ virtutis hominem, quorum uterque, labentibus annis universæ Societatis magistratum adire meruit. Quod quidem magnum attulit momentum ad conjunctionem, pro qua hi tantopere laboraverant, perpetuò retinendam. Mutius igitur, ut conciliandis Provinciis viam sterneret, Piccolomineum cum potestate præmisit, ut utramque bicipitem, summis utrobique manentibus jurisdictionibus, perlustraret, & ad ferendum unius imperium sensim adduceret. Piccolomineus V Calendas Decembres Messanam appulit, & ante ibi visus est, quàm adventûs ejus nuncius afferretur; quòd inopinatæ expeditionis exitus celeritate plurimùm niteretur. Paucos ibi dies commoratus VII. Idus Panormum contendit: ubi Sociis auditis, cogni-

P. Franciscus Piccolomineus, & P. Joãnes Paulus Oliva cum potestate, Provinciã lustrant.

to-

toque, quid de Provinciæ sciſſione sentirent, reliquam juriſdictionem sub anni exitum peragrare aggressus est, & intermissione nullâ, sequenti anno universam accuratissimè emensus est: neque ullum extat peregrinationis ejus monumentum, nisi quod solemni ceremoniâ coram magistratibus, & Principibus Civitatis summâ omnium gratulatione nuperi Collegii, Templique Salemitani primum lapidem jecit, & ædificationem urgeri jussit.

Sacrarum Virginum domicilium a D. Xaverio appellatum Muticæ erigitur.

II. Condito jam anno superiore Mutycensi Collegio, excitatum est hoc anno Mutycæ sacrarum Virginum Theresianarum Domicilium, quod a S. Francisco Xaverio est appellatum, cui etiam dicatum est Templum *Monasterio* adjunctum. Ejus appellationis originem, quum neque Collegii monumenta indicarent, neque ulla Patrum nostrorum memoria posteris tradidisset, ea potissimùm de causa, quòd anno 1693 vehementissima terræ concussio, quæ insulam universam eximis sedibus tremefecit, Mutycam vastavit, & ædificia, & homines ruinis involvit, diu frustra conquisitam exprompsit denique vetustus codex in eodem sacrarum Virginum conclavi repertus, & fide summâ exceptus anno 1714. Est autem ejusmodi. Erat Mutycæ, antiquæ probitatis, & inculpatæ vitæ Sacerdos Petrus Civellus Societatis, & S. Francisci Xaverii studiosissimus, qui dies noctesque cogitabat, quemadmodum Patronum suum ornaret, & ejus religionem sub id tempus inter Sanctos relati, amplificaret. Huic se per quietem Xaverius ostendit, & mandavit, ut tribus Franciscis Templum poneret, quorum ipse tertius esset, ac medius, adderetque Templo sacrarum Virginum severioris disciplinæ *Asceterium*, quibus a Francisco Xaverio nomen faceret. Civello autem inopiam excusanti, gravibus verbis inculcavit, nè vereretur opus aggredi, quod ut cœlesti consilio, ita ope divinâ esset instituendum. Ædificationem ipse inchoaret, reliqua se curaturum. Civellus statim ac evigilavit, animi, spei que plenus idoneum ædificio capit locum, & aureos ferè decem, qui ad manus erant, partim ad calcem emendam, partim ad conducendas operas erogat, quæ jaciendis cœmentis fossas deprimerent, & fundamenta locarent. Ipse operi manum admovet, neque labori parcit, sed ipsum conatûs exordium pecunia destituit. Quare dilapsis operis, solus in sectura versabatur. Ridebant Cives talia molientem, & irritum laborem insaniæ assignabant. Ipse opus urgere non desinit, quod quum strenuè exequitur, prope noctem in urnam incidit argenti signati plenam, aureis etiam, vetustisque nummis interjectis,

D. Xaverius per quietē Civello se ostendit, eique mandat, ut sibi templum ponat.

Opus sine pecunia Civellus aggreditur, sed a Patrono suo bis recipit de Cœlo subsidiū.

qui

Digitized by Google

qui Dionysiorum ætatem indicarent. Adulta jam nocte pecuniam amovet, & nè reperti thesauri suspicionem efficiat, operas paulatim primùm adhibet, deinde ædificationem, per speciem occultarum largitionum, quam maximè properat, & amplificat. Pecuniam omnem nondum consumpserat, quum absoluto jam Templo, Virginum conclave aggreditur amplum atque magnificum. Sed in ipso opere pecunia destitutus dimissis operis, iterum hærere coactus est. Institutam tamen lapidum fodinam exercere pergit; & in eo labore vetustam specum offendit, quæ occultos ex adverso, & vepribus impeditos habebat aditus, ibique sepulchri vestigia, & loculum reperit, in quo auri cælati condita esset magna vis, inter mortuorum exuvias, & græca numismata, quæ florentibus Syracusis percussa fuissent. Animadvertit Civellus missum a Patrono suo de cœlo subsidium, adeo copiosum, ut ædificium consummaverit; undique conquisitas honestissimas, pauperrimasque Virgines sub B. Theresiæ disciplina intulerit triginta numero, & satis commodè aluerit, tantamque pecuniam collocaverit, ut exinde aurei quingenti Monasterio redirent. Ferunt, inter ædificandum, & calcem mirificè auctam in ipsis structorum manibus succreviſſe, & breviora tigna, quàm contabulationes poscerent, in ipso opere longiora fuisse reperta. Civellus, publicato jam Templo, tabulam in eo proposuit cum trium Franciscorum imaginibus, quarum media erat Franciſci Xaverii, dextima Franciſci Seraphici, siniſtima Franciſci Paulani, quos non invenustè significabat subjectum ejusmodi elogium.

Loculum reperit, in quo auri cælati magna vis condita fuerat.

Sum minor, hic dexter dixit; minimusque siniſter:
Sed medius tacuit, se nihil esse putans.

Eam tabulam ab iis, quas diximus, ruinis anno 1693. haustam fuisse, neque deinceps reparatam, dolendum sanè; & temporibus imputandum.

Gineceum perficit, & annuos census cõstituit.

III. Referenda sunt ad hunc annum Collegii Siclensis initia. Est Siclis elegantissima Civitas, Saracenorum Sæculis longè vetustior, quæ ex Casmenæ Syracusanorum Coloniæ vastitate ortum duxisse perhibetur. Jacet non procul a mari juxta Pachynum ad australem Siciliæ plagam, habetque circumjectum lætissimum, & rerum omnium copia feracissimum solum, aquis irriguum, & alendis frugibus maximè idoneum. Cives educit ingenio præclaros, & bonarum artium cupidos, sed supra quàm credi, aut dici potest, nativi soli studiosos. Et sanè singularis hæc Patriæ caritas condendo Siclensi Collegio aditum patefecit. Quum enim Josephus Micicheus Eques Siclensis, senex, & orbus

Collegii Siclensis initia.

Josephus Micicheus inferēdæ Societatis curam concipit, & ad exitum perducit.

bus peregrè apud hospitem diverteretur, & de Siculensi Civitatis gloria prædicaret, numeraretque ejus decora & ornamenta; rogatus est, numquid esset in ea constituum Societatis domicilium. Quumque ille negasset, excepit hospes: Nunquid inter præcipuas Siciliæ Civitates, cultu & bonis artibus florentes, ea numerabitur, in quam scioraris homines pedem non intulissent? Ea exprobatio Micichei animum ita perstrinxit, ut ex eo tempore inferendæ Societati curam conceperit, & ad exitum strenuè perduxerit. Veritus tamen, ut domesticum patrimonium consilio sufficeret, tanti enim non censebatur, ut idoneum Collegio censum implerent, consuluit clarissimum Juris Doctorem, illustrem eà tempestate causidicum, Hieronymum Riberam, popularem suum, putarétne tam insigne opus aggrediendum, quod avitæ hæreditas explicare non posset, ex qua nonnisi aurei mille annui percipierentur? Cui Ribera, *Audendum est*, inquit, *& inchoandum: Quod si gentilitiæ facultates tanta molis negotium complecti nequeunt, equidem tua legam vestigia, & domesticum congeram Patrimonium, cujus accessione justi Collegii censum coalescere necesse est.* Itaque anno Superiore bonorum suorum Societatem hæredem scripsit, nullà aliâ conditione, nisi quòd regionem Civitatis designavit, in qua esset locus Collegio capiendus, jussitque Templum, & maximam ejus aram a Deipara sine labe concepta nuncupari. Testamentum condidit III. idus Septembris: & Calendis Majis hujus anni extinctus est. Cognità ejus morte P. Joannes Jacobus Alexander, qui Mamertinæ Provinciæ præerat, eò destinavit P. Raphaelem Sergestum chium, qui Idibus ejusdem mensis hæreditatem adiit, & bonis æstimatis, reperta sunt aureorum XX. millia, quibus eodem anno Domicilium est inchoatum. Ribera verò, qui Josepho Micicheo consilii auctor fuerat, seque adjutorem futurum receperat, quum annos duodeviginti superstes fuisset, fide summà promissis stetit: nam XII. Cal. Octobr. anno 1648. supremà valetudine affectus, ex asse hæredem testamento Siclense Collegium nuncupavit, cui, qui præerat P. Simeon Bonus Politiensis, Riberà IV. Cal. extincto, hæreditatem addixit Calendis Octobribus, atque ejus beneficio duplicatus est Collegii census, nam æstimatione factà, cognitum est, aureorum XX. millia ad nos pervenisse, ex quibus milleni quotannis redirent; præter XII. aureorum millia, quæ in Scriniis ejus reperta, ad amplissimam ædificationem instituendam, sunt erogata. Sed anno 1633. Angela Maja, P. Bartolomei Soror, aureos bis mille Collegio legaverat, qui per-

Bonorum suorum Societatem hæredem scripsit; & paulò post extinctus est.

Hieronymi Ribera, & aliorum largitionibus Collegii cessus explicatur.

perpetuum essent pecuniæ caput, ex quo annui centum Bibliothecæ redirent. Ad hæc Vincentius Aparus quingentos supra bina millia testamento contulit. Totidem anno 1660 Antonia Belsia, quibus collocatis, præter quotidianum sacrificium, sacra supellex augeretur.

P. Antonii Aragonæ, & Moncadæ de Societate adeunda desiderium.

IV. Tria hoc anno numerantur insignia nostrorum funera. Primus occurrit P. Antonius Aragona, & Moncada nobilissimo genere, Panormi ortus, qui Dux Montalti, Paterni Princeps, ex Hispaniæ Optimatibus, & Aurei Velleris Eques, locupletissimo patrimonio se abdicavit, & cum uxore transegit, ut ea inter Sacras Virgines Deo se sacramento obligaret, ipse Societatem amplecteretur, cujus adeundæ desiderio ita flagrabat, ut ejus impetrandæ gratiâ Romanam peregrinationem instituerit, Sacerdotio jam insignitus. Mutius hominem honorificè complexus, potestatem fecit optandi quodcunque placuisset in Italia tirocinium. Placuit Panormitanum. Quum in Siciliam remigraret, Neapoli morbo correptus est. Valetudine ingravescente, Mutius de periculo admonitus, enixè flagitanti permisit, ut nostrorum numero aggregaretur, etsi fatum immineret, honoris & solatii causâ trium votorum sacramentum diceret, quod & dixit coram P. Vincentio Caraffa Neapolitanæ Domûs *Præposito*, qui sacrum ei Viaticum detulerat; adstante Prorege, & filio, ac nuru Montalti Principibus. Nostræ militiæ adlectus prima christianæ paupertatis stipendia facere instituit, & nihil se jam habere testatus, lecto etiam, in quo jacebat, carere voluit, & illico amoveri jussit. Sed excepit Caraffa, eum in alieno jam lecto cubare, quod maximè pauperum est, monuitque, ut obedientiæ quoque stipendia mereri vellet, & ibidem jussus conquiesceret. Adfuit quotidie Prorex, cui & Societatem studiosissimè commendavit. Filio autem nil tam inculcavit, quàm ut tanquam pretiosam a majoribus traditam hæreditatem, titulis ac fortunis omnibus anteferendam, Societatis amorem retineret. Decem sacrificiorum millia per eos dies fieri jussit; & a Romano Pontifice impetravit, ut in ipso ejus cubiculo Sacerdotes diu noctuque sine intermissione immolarent. Medicis autem tristissimè obnuntiantibus, tantâ animi voluptate eo sacramento se obstrinxit, ut jam corporis ægritudinem non sentire se diceret, & intimâ quadam suavitate potiùs, quàm morbo extingui profiteretur. Quum verò deficiente naturâ, fatalis hora properaret, Prorege, ac nostris lecto adstantibus, testatus est, se, qui in omni vita pro generis, ac fortunarum conditione nullam non delibâsset corporis voluptatem, nunquam ta-

Gravi morbo præoccupatus ad Societatem adlegitur, & tria vota emittit.

Ab eximia animi voluptate moriens exultat.

lia expertum gaudia, qualia moriens degustaret. Quare præclarissimè secum actum iri prædicabat, si in æstu moriendi usque ad Christi Judicis adventum perseverare cogeretur. Optare se & mori, & postmortem ad vitæ officium reverti, ut moriendi voluptatem identidem integraret. Desideratus est, ut de Joanne Berchmans perhibetur, Christi signum, Deiparæ imaginem, & Societatis legum codicem, utràque manu tenens, XVII Calendas Majas, annum ætatis quum numeraret quintum & quadragesimum, elatusque est domestico funere coram Prorege, & Principibus Civitatis, & nostrorum Sacerdotum sepulcro illatus. Decessit itaque, ante Provinciæ ereptus, quàm datus. Extant autographæ P. Vincentii Caraffæ ad P. Erasmum Marottam Neapoli VI. Calendas Majas datæ litteræ, ex quibus, quæ hactenus narrata sunt, accuratè deprompsimus.

Domestico funere corâ Prorege & Nobilibus effertur.

V. In Collegio Naritano VI. Idus Octobris vitam clausit P. Alfonsus Bocconius, Juliani Bocconii, qui primus Collegii Thermitani ad Aquas Selinuntias censum inchoavit, fratris filius. Hic Savonæ in Liguria oriundus, sed apud Thermas Selinuntias ortus, & incola Panormitanus, quasi hæreditario jure, Societatis amplificandæ studium hausisset, Adolescens luculentam repudiavit hæreditatem, quæ Avunculi testamento sibi obvenerat, & ad Savonensis Collegii initia transtulit, quod ex ejus liberalitate, & humanarum rerum despicientia coaluit. Sociorum numero adlectus, omnia disciplinæ stipendia tanta cum laude percurrit, ut tanquam emendatissimum domesticarum legum exemplar digito monstraretur. Pietate magis, quàm litteris conspicuus, Naritani Collegii primordia laboribus adjuvit, & propter morum suavitatem, & elegantiam beato exitu illustravit, annos natus sex & triginta, quorum vicesimum in Societate posuerat.

P. Alfonsi Bocconii rerũ omniũ abdicatio, & præclara erga Societatem merita.

VI. Quum magistratum gereret Domùs Mamertinæ, annumque ætatis attingeret sextum & quinquagesimum P. Nicolaus Gusmanus pleuriticus, lateris dolore interiit, postridie idus Novembres. Natus est Melitæ in pago Biscallinitano. Societatem Romæ adiit, & ejus rudimentis optimè instructus in Provinciam venit. Studiis exactis, quatuor votorum sacramentum dixit in domo Mamertina, Calendis Maji, anno 1611, coram P. Bernardino Confalonerio, qui Provinciam administrabat. Primus omnium Melitensium ad populares suos conciones habuit vernaculâ oratione, quæ ab arabica non multùm discedit, valdè utiles & salutares. Nam Insulam non semel peragravit, & Paganos christianis elementis ita imbuit, ut ex eo tempore non fa-

P. Nicolai Gusmani obitus, & res in Societate gestæ.

Melitam ac Siciliam maximo populorũ fructu, & frequentiâ excurrit.

Digitized by Google

facilè alibi reperire est, qui rectiùs vitam instituant, aut apud quos religionis, ac pietatis semina uberiùs proveniant. Sacris etiam excursionibus Siciliam perlustravit, & maximus populorum motus, atque concursus, ubicumque fuit, conciones ejus salutis plenas, & veritatis comitari nunquam destitit. In explicandis religiosis B. Ignatii exercitationibus, quæ in secessu tradi solent, singulari valuit facundiâ, & animos pertentandi virtute, ac suavitate: quo in munere neminem eâ tempestate parem habuit, propter insignem hominis temperantiam, & perpetuam excolendi, frangendique animi sui consuetudinem, quum perspicerent omnes, nihil eum dicere, quod non accuratissimè faceret. Quare non vulgari Collegii Panormitani emolumento, informandis domesticis adolescentibus admotus est, qui priscæ integritatis, & innocentiæ virum non minùs diligebant, quàm verebantur; eique se ultro fingendos, & virtutibus imbuendos tradebant. Sed præcipua ejus laus in gubernationis scientia maximè excelluit. Amplissimos enim gessit in Provincia magistratus, eosque sine cujusquam offensione, aut querimonia percurrit, ab simplici quadam prudentiâ, & paternæ æquitatis abundantia in paucis commendatus. Nullæ unquam aut necessitudines, aut familiaritates, aut officiorum illecebræ ab invariatæ integritatis semita animum ejus avertere potuerunt. Quoniam nihil apud eum valebat nisi virtus, & rectè factorum commendatio. In eo autem administrationis ejus summa nitebatur, ut intelligerent omnes, malle se ut factis, quàm dictis ejus obtemperarent. Administravit Collegium Melitense, deinde Panormitanum; postmodum per intervalla & Tirocinium, & Collegium Mamertinum; iterum Melitense; Domum denique Mamertinam. Mutii litteræ, quibus eum universæ Provinciæ Antistitem appellabat, extinctum reperere. Prænunciatam sibi de cœlo moriendi eo ex morbo necessitudinem non obscurè declaravit, quum medicis spem facientibus, constantissimè se victurum negavit. Defunctum in Domo Mamertina super mensam laudavit P. Marius Pacius Melitensis, divinarum Artium doctor in Collegio Mamertino. Dedit & virtutibus ejus insigne testimonium P. Josephus Politius senior Plateensis, vir gravis & doctus, qui eo Rectore usus est in Collegio Mamertino. Tradebat enim, nullam esse laudem, quâ non ille dignus esset, nullam animi dotem, quâ non ille frueretur. Nunquam sine perennibus lacrimis, aut Deo supplicâsse, aut immolâsse, aut ad suos verba feciſſe. Consuêsse in præfecturis non sibi magistratus, sed se magistratibus ac-

Eximiâ sui temperantiâ domesticos Adolescentes strenuè informat.

Præclarissimam gubernationis scientiam prudentiâ, & æquitate summâ temperat.

Franciscus Abela Melit. Illustr. cap. 4. not. 4.

De Guſmani virtutibus insigne testimoniũ.

com-

commodare, quæ maxima est eorum virtus, qui aliis præsunt. Nunquam se iratum, aut otiosum, aut tristem, aut temere loquentem vidisse. Denique facilè judicari non posse, præclarioresne fuissent privatæ, an publicæ virtutes ejus.

P. Martini Monaci eloquentiæ virtutes, & nominis commendatio.

VII. Quartus est his extra ordinem accensendus P. Martinus Monacus Drepanitanus, eximius concionator extemporaneus, cujus maxima extant erga Siciliam merita, quam assiduis peregrinationibus excultam, & cœlesti quodam eloquentiæ genere inflammatam, semel atque iterum expiavit, & a licentioris vitæ fæditate deterruit. Tanta fuit celebritas nominis ejus, ut quum Emmanuel Filibertus Hispanicæ Classis Præfectus in expeditionem, anno 1619. Messanâ exiret, conscendere noluerit, nisi secum haberet P. Martinum Monacum, qui tres alios Societatis Sacerdotes deduxit, Benedictum Moletium, Melchiorem Encoferium, & Petrum Antonium Saccum, qui tam sedulam Classiariis expiandis navârunt operam, ut pauci proterviores eorum industriam effugerint. Animadversum est autem, quod P. Martinus fore pronunciaverat, eorum neminem, qui animi maculas pœnitentiâ deleviſſent, in militari conflictu cecidisse, aut vulnus retulisse: nam integri omnes Messanam reversi sunt, paucis illis, aut ferro assumptis, aut sauciis ferè omnibus, qui sacra salutis remedia neglexerant. Sed ejus magnitudo animi angustis Siciliæ finibus contineri non potuit. Itaque Italiam peragrare instituit, & perpetuis concionibus a vitiorum corruptela avertere, & ad christiani officii frugem excitare. Quæ peregre ediderit virtutum, atque laborum documenta, mirum non est interiisse, quòd nemo fuit in alienis Provinciis, cujus interesset, ea litteris commendare. Illud memoriæ proditum est, P. Martinum Monacum in ipso concionandi æstu, morbo concepto, die decimo septimo, sexto Idus Majas in Monte Politiano, quod est Hetruriæ in Romana Provincia oppidum, anno ætatis undequinquagesimo vitæ cursum, sanctè, pièque, ut vixerat, peregisse.

Milites sacrâ confessione expiatos, superstites ex conflictu futuros pronunciat.

Italiam peragrat, & in Monte Politiano sanctissimè obit.

1632

VIII. Adultâ jam æstate anni 1632. P. Augustinus Vivaldus, qui Panormitanæ Provinciæ magistratum gerebat, Mutii litteris evocatus, P. Jordano Cascino potestatem transmisit, & Siciliâ excessit; quam interea lustrabat P. Franciscus Piccolomineus, vir summus, & ad maxima quæque factus, cujus sobrietatis, virtutis, ac sapientiæ, quæ in Provincia reliquit altè impressa vestigia, nulla ætas delebit. Occultas enim distractæ Provinciæ radices accuratissimè rimatus facilè deprehendit, secessione ali potiùs, & augeri intimas scissionis causas, quàm extirpa-

P. Franciscus Piccolomineus utramque Siciliæ Provinciam percurrit.

ri.

Digitized by Google

ri. Quoniam verò illustrior, & apertior secedendi necessitas, ea fuisset proposita, quòd angustum haberetur triennii spatium ad amplissimam Provinciam peragrandam, se ipsa ostendit, non defuisse tempus itineribus, sed vires animi, aut corporis. Nam nono ferè mense jurisdictionem omnem percurrit, negotia per otium explicavit, singulos prolixè audivit, nemini non satisfecit, & ante decimum mensem, nimirum X Cal. Octob. Messanà solvit, qui anno superiore V Cal. Decembr. eòdem appulerat. Quod maximum fuit navitatis, & laboriosissimæ ejus industriæ documentum. Murius tamen, quamvis per litteras satis edoctus, nihil tamen de conjungenda Provincia ante pronunciavit, quàm ille Romam remearet, & ad initia sequentis anni conciliationis consilium rejecit.

Intra novem menses ea lustratione peracta, Romam proficiscitur.

IX. Digna sunt, quæ cursim memorentur nonnulla clarorum virorum funera, quorum ad hunc annum Riela meminit. Septuagenarius decessit in Domo Panormitana Frater Bartolomæus Puteolus Panormi ortus. Eluxit in eo verissima effigies earum virtutum, quas B. P. Ignatius Societatis fratribus maximè præscripsit. His ille adjecit invariatum de Deo, atque cum Deo loquendi studium. Nam quidquid ageret, nulla erat tam diuturna, aut gravis occupatio, quæ sive mentem, sive linguam a Deo averteret. A divinis autem Colloquiis nunquam, nisi cœlesti voluptate delibutus, quod & ipse fassus est, & lacrymæ testabantur. Deiparam unicè coluit, sibique ab infantia, corporis, animique pudore demeruit. Moriens B. primùm Annam, deinde BB. Aloysium, & Stanislaum lecto adstantes videre meruit, & familiari eorum colloquio recreari, quoad in utriusque complexu corpore solutus est VI Cal. Februarii, incredibili domesticorum luctu, qui in carissimo, ac candidissimo sene communem famulum, ad omnia omnium obsequia paratum, amisisse doluerunt.

Bartholomæi Puteoli virtutum brevis notitia.

Morientem BB. Anna, Aloysius, & Stanislaus præsentes consolantur.

X. Præreptus est etiam celeri fato postridie Calendas, sive VII Idus Febr. Monteregali, ubi ortus, Benedictus Manna, *Levita*, Sacerdotio proximè initiandus. Corporis, animique candorem, & in ipso vultu conspicuam innocentiam, quam religiosis claustris secum intulit, in societate reliquarum virtutum propugnaculis ita munivit, ut in dies amplificatam, inexpugnabilem fecerit. Ex domandi corporis, animique frangendi assiduitate, valetudinem contraxit lentam, atque tabificam; cujus curandæ gratiâ ad natale solum remissus, si fortè ejus cœli beneficio se reciperet, diuturnis molestiis, atque doloribus excruciatus, admirabile edidit fortitudinis, ac patien-

Benedicti Mânæ innocentia, domandi corporis usu servata.

Digitized by Google

tientiæ spectaculum; Deum orare solitus, ut cruciatum augeret, atque virtutem. Quæ quum identidem in ipso dolorum & miseriarum æstu inculcaret, puerum Jesulum, cujus infantiam summo studio semper coluerat, sibi adstantem vidit, & suavissimè admonentem, *ut ægritudinis angores fortiter sustineret, quoniam ea esset culparum omnium summa expiatio, quæ excoqueret, purgaretque animum, & piacularium flammarum pœnam occuparet, atque remitteret, ut puri manes a corpore ad superos rectà evolarent. Bono itaque esset animo, & morbi diuturnitatem lucro apponeret, sciretque se, quum fatalis hora impenderet, lecto adfuturum, ut infantia sua cultorem exciperet, & ad cœlestis Patriæ gaudia secum deduceret.* Eà spe confirmatus maximos dolores in deliciis habuit, & ægritudine invalescente lecto affixus, infantem denique Jesum ad se venientem conspicatus, in ipso surgendi, & amplectendi conatu, exanimatus est anno ætatis duodetrigesimo.

Jesulum infans ei se videndum præbet, & ad ægritudinē perferendam confirmat.

XI. Fatum quoque Bisbonæ, ubi natalem diem nactus fuerat, dum ejus Collegii magistratum gerebat, subiit P. Antoninus Philippatius, vir magnarum virtutum laude conspicuus. Indicam peregrinationem Adolescens flagitavit, sed impetratam tantùm inchoavit. In Lusitaniam enim delatus, & Conimbricæ ad Mundam considere jussus, ut divinas ibi Artes addisceret, exclusis tum eà navigatione Italis omnibus, in Provinciam remeavit; in qua, præsidendi laude cum paucis conferendus, vitam ferè omnem in magistratibus posuit, & clausit. Nam quum Pompilio Lambertengo ab anno 1613 ab epistolis & consiliis fuisset, Tirocinio præfuit Panormitano, & Collegiis Calatanixetensi, Syracusano, Calatahieronensi, atque Chio Domicilio, in quo quadriennium inusitatâ Græcorum commendatione consumpsit: nam ingenuus ille mitissimi hominis candor, & nuda probitas, qua singulis prodesse studebat, visa est Ægæi maris insulanis humana longè major virtus, & heroicis digna temporibus. Non satis mirabantur Asiatici homines cùm inculpatum vitæ habitum, tum gratuitam maximorum laborum operam, qua religio est inter barbaros inauditis aucta incrementis. Sed ex assidua defatigatione, quam nulla requies sublevaret, morbum concepit, ex quo nunquam convaluit. In Siciliam enim revocatus, & propter hominis dignitatem ad Bisbonensis Collegii magistratum designatus, ut natalium siderum salubritatem experiretur; eo in munere, quum in ætatis anno sexto & quinquagesimo versaretur, mortalitate exutus est V Calendas Majas. Tradit P. Josephus

P. Antonini Philippatii rerum gestarum monumenta.

Chio domicilio præficitur summâ græcorum commendatione, atque fructu

In Siciliam reversus, Bisbonæ vitam clausit.

Digitized by Google

phus Balamus, audiviſſe ſe ex P. Pompilio Lambertengo, viſos Philippatii manes cum Deo regnare, & magno apud Superos numero eſſe. Quod quum Lambertengus vir maximè cautus, & circumſpectus tanquam de re comperta, atque explorata, retuliſſet, ſuſpicatus eſt Balamus, Philippatii manes ipſi ſe Lambertengo oſtendiſſe, qui eo ſocio uſus fuerat, & propter intimam familiaritatem virtutes ejus perſpectas habebat.

Tornamira floſculi Virtutũ pag. 92. num. 2.

XII. Commendandus eſt item poſteritatis memoriæ P. Petrus Notarbartolus ſenior Politienſis, qui univerſum ferè vitæ ſpatium in Mamertina Domo percurrit, & initia ejus illuſtravit. Audiendarum confeſſionum religionem laborioſiſſimè exercuit, & magno ad eum confluentis nobilitatis emolumento ad ſummos uſque canos adminiſtravit. Nam ſenex admodum, & podagrà debilitatus ad templum quotidie adreperat, bacillo innixus, ut confitentibus aures præberet. Quamquam ex aſſiduis amicorum largitionibus pecuniâ abundaret, religioſum ſibi ducebat, vel denarium ſibi attribuere, quem privatis uſibus concederet. Itaque plura aureorum millia Mamertinæ Domûs templo contulit ad varii generis ornamenta, & pretioſam ſupellectilem, quam quotannis ipſo B. Ignatii die novis ſemper acceſſionibus amplificatam expromebat. Extant, præter ſerica auro intertexta utenſilia, cœlati argenti candelabra, tanquam inſignia induſtriæ ejus monumenta. Reliqua ad templi ornatum comparata dies, & uſus conſumpſit. Quare inter illuſtres beneficiorum auctores Domus Mamertina P. Petrum Notarbartolum meritò colit. Extinctus eſt paulò major ſeptuagenario, poſtridie Idus ſextiles, magnà oris, & animi alacritate, quòd ad laborum metam, & præmia evaderet.

P. Petri Notarbartoli virtutes, & erga Mamertinam domum liberalitas.

Pellizzerius in Hiſtoria inedita Domus Mamertinæ paſſim.

XIII. Auſpicatiſſimus Provinciis affulſit annus 1633, cujus initium idem fuit ſciſſarum conjunctionis, & invectæ domeſticæ tranquillitatis, quæ ſuperioribus annis nonnihil titubaverat. Itaque Januario ineunte, allatæ ſunt ad Joannem Jacobum Alexandrum Provinciæ Mamertinæ Præpoſitum Mutii litteræ, quibus privatim admonebatur de inito jam ſectionis obliterandæ conſilio, ſimulque jubebatur Panormum concedere, & utramque Provinciam adminiſtrare, dum P. Pompilius Lambertengus, clarum, atque jucundum in Provincia nomen, quam viceſimum ante annum magna cum laude adminiſtraverat, ad eam capeſſendam deſignatus Meſſanam attingeret. Alexander, qui in mandatis habuerat, ne ante Pompilii adventum rem enunciaret, quaſi privati negotii causà ad Thermas Himerenſes evo-

1633

Mutii litteræ, & conſilia de conjũgendis Siciliæ Provinciis.

Mamertinæ Provinciæ Præpoſitus rem cũ Caſcino cõmunicat.

evocatus, Panormum contendit, ibique cum Cascino de copulanda Provincia communicavit. Paulò post ejus discessum, XI. Cal. Martii Lambertengus Messanam appulit, reperitque nondum allatas, publicas Mutii litteras, quibus Mamertina Provincia de conjunctionis decreto doceretur. Ex tamen quarto post die, VII. Cal. Martias P. Vincentio Raimundo, Mamertinæ Domus *Præposito* redditæ sunt, XIV. Cal. Februarii Romà datæ, quarum exemplum affert Pellizzerius diligenter exscriptum. Earum autem hæc erat summa. *Inter graviores amplissimæ administrationis curas, quas ab initio suscepisset, eam fuisse gravissimam, quæ in partienda Provincia Sicula versaretur. Assiduas ejus rei postulationes ab Aquaviva rejectas, abs re tandiu ampliatas, quoad summo consensu flagitante Provinciâ, duobus omnino dissentientibus, visum fuisset communi judicio, ac desiderio morem gerere. Perspectas quidem abs se impeditissimas, & prorsus inextricabiles negotii bene gerendi difficultates, de quibus Provinciam publicis, privatisque litteris admonuisset. Sed dilassatas vires in diuturno conatu nitendi contra torrentem. Quare abs se extortam, & tantùm non obfirmatè negatam secessionis plagam. Verùm exoptati vulneris dolore illico exarsisse, & clamores omnium excitâsse. Eos ipsos, qui cupidissimè flagitaverant, conversis mentibus, atque consiliis, pro conjunctione pugnare cepisse, eamque ad hunc diem expetere non destitisse. Sed cujus levitatis fuisset tanta molis negotium vix inchoatum retexere? Rimatum se propterea vias omnes, quibus & querimonias leniret, & dissidentes conciliaret, & incommodis mederetur. Intellectum tamen, vulnus amplum, & altum, contra quam speràsset, & fieri consuêsset, fomentis exasperari potiùs, quàm sanari. Auditas Romæ crebris litteris doloris maximi significationes. Postulatam ab alterius Provincia Conventu utriusque conglutinationem. Ita nihilominus fuisse rescriptum, ut conjunctionis spes nulla fieret. Si fortè, aut dies, & usus per se remedia inveniret, aut desperatio diu fruſtrà defatigatos sedaret animos, & ad acquiescendum compelleret. Verùm nihil profectum. Auctas in dies sociorum querelas, exacerbatos animos, multiplicata litterarum volumina, inoleviſſe disciplinæ detrimenta, labefactatam caritatem pullulâsse simultates. Debuisse se pro muneris sui ratione eam rem sedulò cogitandam, & aliquando exhauriendam sumere. Si per magistratum, & vires licuisset, sibi grave futurum non fuisse in Provinciam accedere, ut eam-*

Pellizzerius Hist. ined. Dom. Mamert. ad annum. 1633. pag. 210.

Mutii litteræ ad Mamertinã Provinciam de conjungendis Provinciis.

rem

rem per se coram explicaret. Prohibitum se itineribus, pro se misisset, Visitatoris nomine, qui sibi esset ab Epistolis Franciscum Piccolomineum, tamquam se alterum, quo nemo alius visus esset magis idoneus, ut singulis aures commodaret, pertentaret recessus animi, detrimenta exploraret, commoda, atque incommoda expenderet, qua scissionem essent consecuta, & qua coagmentationem consequerentur, ad seque referret. Qua quum celeritate, ac fide summà confecisset, detulisset que accuratissimos rerum omnium commentarios, & autographa documenta, post humanas consultationes divino etiam implorato præsidio, & oblatis ad id impetrandum sacrificiis quamplurimis, consilium denique captum fuisse, neque tamen ante editum, atque perscriptum, quàm Romani Pontificis voluntas accederet, qui probâsset ratum habuisset, ex duabus Provinciis unam restitui magis, quàm conflari. Scirent proinde Patres, Fratresque jam non duas, sed unam esse Provinciam. Orare se atque obtestari Deum in primis, deinde singulos Provincia alumnos per suavissima Christi viscera, ut recusam, & coagmentatam, obliteratis superiorum temporum perturbationibus, eam ipsam esse summo studio contendant, qua ab initio societatis, in disciplinæ, & caritatis præstantia (quod ex paterni amoris abundantia dictum arbitror) aliarum Provinciarum norma, & exemplar, ad hanc usque ætatem habita esset. Cupere se quàm maximè, ut cum Provinciis, etiam animi conjungantur, ut in una Provincia, unus sit mutuæ pietatis sensus, una judiciorum, ac voluntatum contentio in asserendo divino obsequio, & amplificando nomine, atque splendore Provinciæ, ut ingenuos decet B. P. Ignatii filios. Id fieri non posse, nisi quæ hactenus utramque partem gesta essent, oblivione delerentur, & universim amota secessionis sermo deinceps omnino conticesceret. Ejusmodi silentium sibi magnopere cordi esse: neque se eorum pervicaciam neglecturum, qui eam rem movere, & Provinciam perturbare pergerent. Curarent, qui magistratus obtinerent, ut turbulenta hujusmodi ingenia in officio continerent, & in ordinem redigerent, atque apud se contumacia postularent, ut collatis viribus, severiora remedia admoverentur, qua tamen propter singularem religiosissimæ Provinciæ continentiam sperare adhiberi non oportere. Ita incredibili ferè omnium gratulatione, atque consensu Provincia coaluit, & sectionis consilium perpetuò dimissum.

Preces etiam Mutius adhibet ut cum Provinciis animum socii conjungant.

Summo omnium consensu Provincia coalescit, & Provincialis Cõventus indicitur.

XIV. Et quidem Mutius, qui nihil non excogitaverat, quo red-

redintegratio unitatis jucunda omnibus, & gratiosa contingeret atque publicis, splendidisque initiis niteretur, Lambertengo coram mandaverat, ut statim ac Siciliam attingeret, Provincialem indiceret Conventum, quem grassante in Germania, atque Italia pestilentia ad quinquennium ampliare oportuisset, ut in unum veluti corpus Provincia coalesceret, & itinerum, ac negotiorum cogitatione averterentur animi ab oppugnanda conjunctione, ad quam publicâ auctoritate confluebant. Et sanè ipse rerum eventus Mutii sapientiam, qui Provinciarum conciliationem ad comitiorum tempus consultò distulit, plurimùm commendavit. Compertum est enim nihil fuisse opportunius ad sanandas eorum mentes, qui secessionis consilia propugnabant, quàm publica illa gratulationis, & lætitiæ communio, quâ utriusque Provinciæ seniores, & magistratus in mutuos ruebant amplexus, & gaudiorum exultationem modis omnibus testabantur. Quoniam verò Supremus ante Provinciæ partitionem Conventus Panormi, ut alternationis consuetudo postulabat, erat habendus, sed pestilentiæ causâ anno 1625. Mænis fuit convocatus; subdubitari necesse fuit, quonam potissimùm loco hujus anni Comitia cogi oporteret, Panorminæ, an Messanæ? Qua de re Lambertengus, ut Messanam attigit, graviores earum Domuum Patres consuluerat, idemque Panormi fecerat. Quibus auditis propter loci opportunitatem, jure dubio, & in utramque partem opinationibus obnoxio, in Domum Panormitanam Patres ad VI. Idus Majas convenire jussit. Postridie ejus diei coacto Conventu appellatus est ad Acta perscribenda P. Marius Pacius Melitensis, Collegii Calatahieronensis Rector, adlectusque ejus adjutor P. Philippus Massaria Panormitanus, Rector Emnensis. Dati sunt etiam PP. Jordanus Cascinus, & Cæsar Boscus Panormitani, ad seligenda negotia, de quibus in Conventu agendum esset. Pridie idus summâ Patrum consensione dictus est Provinciæ Procurator P. Cæsar Boscus, qui Domui præerat Panormitanæ, eique si forte romanâ profectione prohiberetur, subrogatus P. Marius Pacius. Postridie idus deliberatum est, essentne cogenda majora Societatis Comitia: & unius intercessione posthabita, qui nihil nisi communia afferret, atque vulgaria, censuit Conventus convocanda non esse; mandavitque Bosco Procuratori suo, ut Provinciæ nomine Mutio gratias ageret, quòd ad pristinam unitatem distractas Provincias redire jusserit. Quod magnum fuit mutuæ animorum conjunctionis specimen, Mutio gratissimum. Rescripsit autem eâ, qua solebat, sapientiâ

Sociorum de conjuncta Provincia gratulationis, & lætitiæ significationes.

Conventum Panormi cogēdum, re excussâ, Lambertengus decernit.

Provincia Mutio gratias agit de conjunctionis decreto.

tià Mutius. *Æqui bonique, ut par est, consulimus piam hanc grati animi significationem. Nos verò post preces ad Deum frequenter effusas, fecimus quod magis ad bonum Societatis, atque Provinciæ spectare in Domino judicavimus.*

XV. Illustratum est Collegium Mæneninum præclaro funere Fratris Rocchi Manderæ Calatahieronensis, qui annos tres & quadraginta eximiarum virtutum glorià conspicuos in Societate peregit. Quamquam magnarum esset virium, tanta fuit perpetuorum laborum assiduitas, atque contentio, ut prope noctem pedibus vix consisteret: nam ut alios sublevaret, nihil erat domestici oneris, quod ipse sibi non imponeret. Nocturnam verò requiem in cœlestium rerum contemplatione ponebat, ex qua paucas natura interdum horas subducebat, quas furtim somno tribueret. Neque tamen interdiu Dei memoriam unquam dimisit. Familiaribus enim obsequiis ita corporis vires dabat, ut mentem & animum uni Deo reservaret, & quum solum ac sine arbitris se esse putaret, ex intimæ caritatis abundantia erumpebant dulcissimi ad Deum clamores, seque ex oculis genisque candentibus cœlestis flamma ostendebat, quæ intestinis ardoribus pectus urebat. Parendi studiosissimus, quidquid Majores de se statuerent, quidquid juberent, sive ardua, sive inter se contraria injungerentur, mirâ alacritate præstare conabatur. Humanas cupiditates non fregisse modò, sed etiam deleviſſe putabatur. Quum annos ferè triginta Mœnis fuisset, nullis officiis, aut precibus adductus est, ut Calatahieronem decem millibus passuum dissitam Civitatem ad consanguineos adiret, nisi semel, & jussus. Religiosæ inopiæ servantissimus cubiculum in infimo conclavi cum famulis obscurum, olidum, & angustum sibi optavit, & ad mortem usque retinuit, in quo summa nuditas elucebat; nihil enim ibi cerneres præter lectulum, & papyraceam imaginem, oscalis sordidam, & vetustate detritam. Ex jejunandi assiduitate, cibique parsimonia gustûs sensum amiserat, atque inter vescendum non secus afficiebatur, ac si quæ trajiceret in crumenam descenderent. Indumenta, & cubandi utensilia non admisit nisi veterrima, & quibus laceris ipse centones assuisset. Quotidianam cruenti flagri consuetudinem nè senex quidem, nisi æger intermisit. Sed misericordiam erga pauperes primam habuit. Janitor contractis communis mensæ reliquiis, & cibariis summo studio corrogatis, inopum greges turmatim confluentium quotidie alebat, condiebatque misericordiæ administrationem & salutaribus verbis, & humanitate incredibili. Delecta-

Rocchi Manderæ admirabilis in domestica consuetudine vitæ ratio.

Ejus parendi studium, & humanarum rerũ contemptus.

Præclarissima ejus inopiæ, & parsimoniæ exempla.

Se erga pauperes in primis misericordem exhibet.

batur etiam & diripientium manibus, & flagitantium vocibus, & lacessentium contumeliis, quasi jure suo uterentur. Quod si perpetuis exhaustus largitionibus vacuum quenquam dimittere cogeretur, tantopere commovebatur, ut flens & ejulans ad Deum conversus exclamaret: *Aut mihi vitam adime, aut nè patiare quenquam a me tristem, & indonatum discedere.* Supremis vitæ annis ægritudinibus, atque acerrimis doloribus sæpè tentatus molestias, & ærumnas in deliciis habuit, neque oris & animi hilaritatem amisit, nisi quum medici convalescendi spem afferrent: tum enim quasi post ærumnosum longumque cursum portui secundis zephyris succedentem navim contrarius ventus repelleret, & in altum proriperet, manantibus lacrimis vicem suam dolebat, & miserrimè angebatur. Tanto flagrabat cœlestis Patriæ desiderio. Morienti Deiparam adstitisse ex eo intellectum est, quod porrectus jam, & viribus destitutus supremos edens anhelitus, repentè exultavit, & consurgens, atque brachia protendens iterum atque iterum exclamavit: *O Mater! O Mater!* & in his verbis exanimatum corpus reliquit. Quo loco apud superos fuerint manes ejus non obscurè portendit nitidissimum sidus, quod per meridiem sereno cœlo, eâ ipsâ horâ, qua vivere desiit, cubiculo ejus visum est imminere, admirabili sanè ostento, cujus testem locupletissimum habeo P. Pompilium Lambertengum, qui per eos dies, ut Collegium recognosceret Mænas venerat, & ejus se spectatorem fuisse profitebatur. Spectatum abs se etiam fulgentissimum illud astrum, P. Antonio Natali viro gravissimo, a quo accepi adolescens, narravit R. P. Josephus de S. Agrippina *Mercurius discalceatus*, qui cum Mænis versabatur, addiditque observatum publicè fuisse, sideris exortum cum Fratris morte optimè congruentem. Parentavit universa Civitas, tanquam Patriæ Patri, & maximè pauperum, communibus lacrimis, atque funeri ejus frequens adfuit, feretrum diripuit, & res etiam viles, & minimas, quæ ejus fuissent, in pretio habuit. Plurima quoque numerantur per eum a Deo collata post fatum ejus cœlestia beneficia, quæ singulatim percensere a suscepto brevitatis consilio alienum putavimus. Extinctus est XVII Calendas Quintiles prope meridiem.

Summo cœlestis patriæ desiderio flagrat, & Deiparâ adstante vitâ sanctissimè ponit.

Nitidissimum sidus, quâ horâ obit, cubiculo ejus per meridiem imminet.

Civitatis, & maximè pauperum ad ejus funus frequentia.

XVI. Illustriorem exitum cruento funere nactus est in Brasilia P. Antonius Bellavia, cujus vitæ initia cum summo fine probè consentiunt. Ortus est Calatanisetæ mediocribus parentibus, anno 1594. Bimus ex edito solario in subjectam viam silice munitam decidit, & amatra, quæ ex terræ ictu casus admo-

P. Antonii Bellaviæ ortus, & vita prodigio servata.

nita

nita illico accurrit, stans & incolumis repertus est. Statim ac ingredi cœpit, visus est pede identidem pulsare solum, & simul auditus dictitare: *Huc ego iturus sum*, rogatusque quonam esset migraturus; *In alterum mundum*, ingeminabat. Quæ infantis verba nemo satis intellexit quid vellent, nisi quum Antonius ad Brasiliæ Regnum est destinatus; tunc enim cognitum est, eam regionem significari, quam Antipodes incolunt, qui adversis vestigiis stant contra nostra vestigia, & contrarium nobis cœlum capitibus impendere arbitrantur, ut nos vertici nostro, ipsis adversum imminere putamus. Infantiam egit non modo candidam & innocuam, sed piam religiosam & cœlestibus beneficiis inclytam. Non sustinuit, nisi amotâ sindone solus & indutus somnum capere; neque quisquam summo mane jacentem deprehendit, sed Deo vacantem, & in genua provolutum. Domesticæ mensæ reliquias, & quarum partem ipse sibi subtraxerat, paraliticis duobus, qui suam prope domum jacebant, quotidie impertiebat, eisque ministrabat, & eorum sordes abluebat. Antequam cibum caperet, & eo sumto, Deo de genu, & extentis brachiis crucem significans supplicare consuevit. Patrem ejus gravissimè decumbentem, prænunciaverant diluculo medici, ante lucernas extinctum iri. Missus est Antonius, qui ad Sacerdotes properaret, rogaretque ut summa sacra deferrent. Ibat infantulus flens & gemens, ac magnis clamoribus Deiparam orans, ut familiæ patrem concederet. Deipara secus viam adstat, properantem reverti jubet, & patrem eà ipsà horà, quà medici moriturum edixerant, convaliturum pollicetur. Mater narranti vix fidem habet. Hæret tamen, & eventum expectat, qui nihil ab infantuli verbis aberravit. Cerritam in vicinia feminam, quod a Deipara acceperat, numismate admoto, furiis exemit. Litteris addiscendis jam idoneus, ludo dimisso, æquales cogebat pueros, eisque *christiana* religionis elementa tradebat. Pueriles jocos neque adamavit, neque coram se fieri, neque spectare passus est. Histrionum, circulatorum, scenobatarum, mimorum ludos refugiebat. Si verò feminarum personæ inducerentur, proximas etiam foro vias declinare consuevit. Oculos a sororum vultu perpetuò continuit, easque graviter objurgavit, quòd exertis interdum nudisque brachiis domi versarentur. Tantus inerat quadrimo pudor, ut quum mater ad eum accederet nudam filiolam sinu gerens, quasi monstrum vidisset, in fugam se conjecerit. Decimum agens ætatis annum Societatis gymnasia, & Marianam Sodalitatem adire cœpit. Animi ducem ibi nactus P. Franciscum

Quas ab infantia virtutes, & religionem exprompserit.

Parenti valetudinem inspera-tam a Deipara Antonius impetrat.

Ejus in rebus omnibus, sed maximè oculorum temperantia.

Nostra gymnasia frequentat, & maximum virtutum incrementum facit.

ſcum Sparacinum, innocentiâ, & ampliſſimis rebus geſtis præclarum hominem, neque parvum in hac Hiſtoria nomen. Eo virtutum magiſtro, *chriſtianam* diſciplinam arripuit maximis incrementis. Didicit enim accuratiſſimè, & cœleſtium rerum contemplationi diutiùs, atque utiliùs immorari; & de divinis beneficiis reticere, & animi cupiditates frangere, & corpus jejuniis, & flagris, & ciliciis torquere; & de ſe modicè, viliterque ſentire. Quæ quum ſtrenuè exequeretur, cùm domeſticos, tum viciniam, quam quotidie ad concinendas Deiparæ laudes convocabat; ad pietatis ſtudia convertit. Ut Marianæ Sodalitatis ſupellectilem augeret, Matrem, & Sorores orare non deſtitit, nè gravarentur ſericum utenſile, quo aræ frons tegeretur, acu pingere, floribus auro intertextis. Quod quum illæ cupidiſſimè præſtarent, Deipara Antonio ſe oſtendit, & ſtudium ejus laudavit, eique gratias egit, & memorem ſe fore promiſit.

Deipara Antonii erga ſe ſtudium laudat.

XVII. Ex eo tempore de adeunda Societate cogitavit. Adjuvit conſilium ejus P. Thomas Marullus Meſſanenſis, vir eximiæ probitatis, qui Collegii Calatanixetenſis magiſtratum gerebat. Ut audivit, factum ſe voti compotem a Bernardino Confalonerio, qui Provinciæ præſidebat, in genua provolutus, & terram exoſculatus Deo ſe totum devovit, & nihil cunctatus, annoætatis decimo ſexto, Paternam domum cum tirocinio Panormitano commutavit, ubi P. Hieronymo Tagliaviæ tantopere probatus eſt, ut vir æquè religioſus ac prudens, & ingeniorum atque virtutum ſapientiſſimus cognitor, & æſtimator, quandocunque Simon Buccerius abeſſet, tironi adoleſcentulo tironum curam, ac diſciplinam committeret. Ceterùm una omnium vox fuit, Antonium Beſſaviam cum Aloyſio Gonzaga conferentium. Tirocinio perfunctus, & in Patriam ad Rhetoricam artem addiſcendam remiſſus, ſtrenuam amœnioribus litteris dedit operam, ingeniumque exprompſit pangendis carminibus maximè idoneum. Meſſanam inde ad Philoſophiæ ſtudia evocatus Collegii Mamertini diſciplinam virtutibus ſuis cumulavit, & ingeniorum contentionem mirificè auxit. Nam ſingularia extant & doctrinæ ejus, & religioſæ conſuetudinis monumenta. Quoniam & quæ a Doctoribus acceperat, publicè, ſtrenuéque propugnavit, & ad invariatam domeſticarum legum cuſtodiam, perpetuam attulit caſtigatioris vitæ ſeveritatem. Nunquam viſus eſt domi foriſque oculos, aut vocem attollere, nunquam concentui præbere aures, nunquam florem olfacere. Ad tradenda latinitatis rudimenta Neætum deſignatus, quadriennium ibi collocavit, nunquam ſatis laudatum.

Panormi magna cum laude virtutis tirocinium ponit.

Religionis ac doctrinæ ſuæ ſpecimen Meſſanæ dat.

Ado-

Adolescentulos enim sibi traditos adeo excoluit, & ad christianos mores finxit, ut summi exinde prodierint litteris ac probitate viri, qui nobilissimam Civitatem bonis artibus exornârunt. Mirum est autem, magno acerrimoque ingenio juvenem, qui in asserenda disciplina plurimus esset, neque austerum, neque plagosum fuisse, sed ferulam silere maluisse, & virtutis beneficio indolem exeruisse, contra quàm natura postularet, maximè mitem, & moderatam. Difficile est enim hominem reperire, ingeniosum simul, & mansuetum. Nemo tamen discipulos habuit, aut quietiores, aut discendi cupidiores, aut qui nutum accuratiùs intuerentur. Panormum ad sacras Artes delibandas accersitus, ex itinere sororis filium annotinum vidit, laudavit oris elegantiam, addiditque: *Quid tibi, tali formâ infans, cum humanis hisce sordibus, atque miseriis. Eja ad superos illico, ad superos.* Paulò post de morte infantis Panormi auditum est. Sed Mutius Societatis Antistes, a quo jam pridem ad barbaras gentes peregrinationem Antonius flagitaverat, eum Romam cum P. Antonio Madona Calatanixetensi venire jussit, & utrumque ad Brasilienſem meridianæ Americæ regionem destinavit. Transmisit inde in Lusitaniam, ubi intermissam *Theologiæ* facultatem Eboræ integravit, dum socios, & navigandi tempestatem expectare cogebatur. Inciderunt per eos dies sacri honores, qui BB. Ignatio, & Xaverio Sanctorum albo nuper adlectis, magnifici haberentur. Proposuit Antonius elegantissima carmina, dextro Apolline elaborata, quæ summâ eruditorum gratulatione excepta sunt. Sed qui desiderium ejus morabantur Franciscus Oliverius, & Conradus Aretius Muticenses, qui eódem ex Provincia adnavigabant, & Americanæ navigationis erant comites designati, Ulyssiponem aliquando appulerunt. Eorum adventus Antonium lætitiâ cumulavit. Itaque Sacerdotio initiati omnes, jussique sunt a P. Antonio Mascarena, qui in magistratu erat Provinciæ Lusitaniæ, P. Antonio Bellaviæ omnium natu minimo, in navi obtemperare. Accidit sub id tempus, ut Josepho Fratri ejus graviter Calatanixetæ ægroranti se per noctem obtulerit, & jacentis frontem manu tentaverit, rogantique, quis esset, ita respondit. *Equidem sum P. Antonius Frater tuus in Americam propediem navigaturus, qui ad te ideo veni, ut te mi Frater, de proximo jam fato admonerem. Accinge te ergo ad vitæ exitum, animique rationes expedi, ut potes: nam aurorâ appetente, vivere desines.* Quæ quum pronunciâsset ex oculis evanuit. Josephus autem cum matutino crepusculo extinctus est.

Admirabili sui moderatione adolescentulos excolit.

Ad Brasilienſem regionem peragrandam destinatur.

Ulyssipone cum sit, fratri suo Calatanixetæ ægroranti se offert, & de fato admonet.

XVIII. Sed Antonius, comparatis quæ usui essent diuturnæ navigationi, XI. Cal. sextiles, anno 1622. ex Europa solvit, & in navigio theatrum aperit caritatis erga suos, erga externos misericordiæ, idem famulus, promus, coquus, medicus, concionator, sociis, nautis, militibus, vectoribus, omnia administrat corporis, animi, pietatis, ac religionis officia, singulis prodest, neminem prætermittit, cujus utilitati, ac commodo non serviat. Altero ex quo discesserat mense, ventis mirà prosperitate ferentibus, XV. Cal. Octobr. Brasiliam attigit, omnibus ad unum incolumibus, quod virtutibus, ac religionibus ejus est assignatum. Ex nausea vix recreatus in *Spiritûs Sancti* Colonia P. Christophoro Valenti Brasilianæ orationis peritissimo adeo sedulam dedit operam, ut impeditissimum asperrimumque sermonem, quem sexto vix anno alii demum arriperent, sexto mense jam intelligeret, & usurparet. Quare anno 1623. cum P. Joanne Martinio in expeditionem ut flagitaverat, exire jussus, per inhospitas silvas & montes, quas nonnisi tigres, & pantheræ incolunt, maximis fluminibus, jam humeris, jam capitibus aquà extantibus, summo labore ac periculo superatis, in subsolanis intra Cancrum, & Capricornum sub zodiaco regionibus, sine cibo, nisi quem herbæ fortuitæ, sine potu, nisi quem olidæ & insalubres roris guttulæ offerrent, populos adiit Mariverdes omnino nudos, & inhumanos, qui nullo rege, nullà lege, nullis moribus; sed promiscuis connubiis, incertà, neque occultà venere, piscatu, aucupio, venatione, sine sationibus viverent. Hos sibi munusculis, blandisque verbis, sed præsertim christianæ doctrinæ rudimentis conciliavit, atque ita demeruit, ut quingentarum ferè familiarum Coloniam inde deduxerit, & octavo mense ad suos reversus, quem caperent locum barbaris descripserit, & florentissimum oppidum constituerit, quod deinceps religionibus excultum & aquà rite lustratum juvare nunquam destitit, ut barbaros ad christianarum legum consuetudinem, & humanæ societatis industriam, & honestatem paulatim adduceret, atque condocefaceret, ut terram colerent, legitima connubia instituerent, domos ædificarent, & indumenta paterentur. Inter hæc Hunano domicilio Antonius præficitur, ex quo & suos in expeditionem mittit, & ad colonias deducendas ipse interdum exire pergit. Sed quæ inter barbaros egerit in remotissimis regionibus oblivio hausit; nisi quod P. Franciscus Oliverius ex Brasilia in Provinciam regressus diserte tradidit, audivisse quamplurimos, qui testarentur, visum ab se P. Antonium Bellaviam dum immolaret, & sa-

Bellaviæ Brasiliana navigatione caritatis ac misericordiæ documenta.

In expeditionē exit, & maximos labores, ac pericula superat.

Barbaros ad christianæ legis, humanæque vitæ consuetudinem adducit.

Dum immolat, divina passum testantur plerique.

sacram Hostiam populo aversus ostenderet, in sublime ferri, & in aere suspensum, neque semel, diu constitisse. Atque eam rem, utpote certam, & exploratam famâ jactari. Idem se comperisse jurata confirmavit Catharina Camela cum filiabus, nobilis Lusitana, quæ sub id tempus in Brasilia versabatur.

Lusitano exércitui adversus Batavos prodesunti adest.

XIX. Ardebat tum maximè in Brasilia bellum, quod adversùs Lusitanos Batavi conflaverant. Descenderant enim in eas regiones, munitissimas arces vi ceperant, Lusitanorum præsidia ejecerant, agros vastaverant, templa everterant, humana atque divina omnia profligaverant. Nam inopinantes, & ab rebus omnibus imparatos oppressérant. Verùm anno 1631, subsidiis ex Lusitania submissis, regius prodiit adversùs Batavos exercitus, cujus duces Societatis hominem flagitaverunt, qualem castra poscerent, summæ virtutis, atque consilii. Designatus est P. Antonius Bellavia, qui in acie & castris triennium consumpsit, magnis perfunctus laboribus, atque periculis. Extant ejus ad P. Franciscum Oliverium ex castris datæ litteræ postridie Calendas Martias, quarum ea erat sententia, *Integrum jam annum versor in Castris, inter hostium ignes, & gladios. Quotidianis adsum præliis Deiparæ imaginem manu gerens, ubi acrior urget conflictus. Deo ac Deiparæ in acceptis refero, quod assidua vitæ discrimina incolumis adhuc adierim, sed nondum premit fatalis hora: quæ tamen ubi nostrorum copiæ, quæ omni ex parte contrahuntur, ad castra pervenerint, eritque extra munitiones in acie dimicandum, non procul aberit; tunc enim jauciis, & morientibus adesse oportet. Interea proximarum coloniarum Brasilianis præsto sum, neque desum Lusitanis. Singulorum lustro familias, subvenio laborantibus, & corporis atque animi remedia pro præsenti copia administrare non desino. His accedunt assiduæ conciones, quibus milites in stationibus, & castris ad christiana officia excitare necesse habeo.* Itaque quemadmodum his litteris disertè significatur, aucto majorum copiarum adventu Lusitanorum exercitu, P. Antonius in ipso prælio necatus est. Quum enim Lusitani in acie certarent, seque, re malè gestâ, ad castra reciperent, & Batavorum exercitus extremum agmen carperet, multosque vulneraret; Antonius immemor periculi morientibus aures præbere cæpit, & in officio caritatis diutiùs immorari. Expiaverat jam Carvalium quendam, & ad alium properabat, quum plumbeæ glandis jaculum a Batavo jactum ejus ilia trajecit, & semivivum afflixit. Accurrunt alii, & jacentis guttur ter gladio punctim confodiunt, atque bis caput cæsim

Quot labores, vitæque discrimina iis in castris subierit, ipse commemorat.

Dum morientibus adest, eo in caritatis officio a Batavis necatur.

diffindunt, odio sanè religionis, quòd *Jesuita* esset, & *Papista* Sacerdos. Aliis enim & sanciis & captivis pepercerunt.

XX. Sed Bellaviæ cædes fugientibus Lusitanis saluti fuit. Ut enim inter milites metu consternatos de nece ejus auditum est, conversis repentè animis, atque signis in effusos, & victoriæ fiducià palantes hostes impetum faciunt, densisque ordinibus dispersos adoriuntur, & lõcis omnibus contrucidant, & impedimentis castrisque potiuntur. Batavi paucos ex prælio recipiunt, qui de suorum clade nunciarent. Inopinatam Lusitani victoriam P. Antonio Bellaviæ assignabant, tum quòd sanguinis ejus ulciscendi studium militum animos ad integrandam pugnam incenderit: tum etiam, quia persuasum omnibus fuit, manes ejus de cœlo adfuisse, & cœleste præsidium suorum copiis impetrâsse, ejus sanguine, atque vulneribus de terra clamantibus. Illud quidem compertum habeo, Lusitanos in ipso æstu repentini consilii P. Antonii nomen conclamâsse, quasi ejus præsentis, & adhortantis opem implorarent, atque ejus ductum in victoria sequerentur. Repertum est postridie inter hostium cadavera corpus ejus recenti sanguine respersum, ut si neci ejus Batavorum clade litatum esset. Celebratæ sunt militari more apud Pernambucum ejus exequiæ magnis honoribus ad octavum usque diem. Extinctum tanquam fortissimum Christi athletam quotidie laudavere religiosi viri, quorum orationes perpetuæ militum lacrimæ subsequebantur. Curatum, conditumque est defuncti corpus, & tumulo illatum religione summà, tum propter mortis conditionem, tum propter maximas virtutes ejus, quarum prima ab omnibus commendatur corporis animique candor, nullà unquam labe commaculatus. Cæsus est pridie nonas sextiles annum ætatis agens septimum supra trigesimum. Rerum ejus gestarum auctorem secuti sumus P. Carolum Lombardum Panormitanum, vitæ scriptorem, quam edidit anno 1664 ex iis, quæ ex P. Francisco Oliverio acceperat, qui testis fuerat. Neque mirum est, Philippum Alegambem, qui litterarum fidem sequi debuit, nonnihil ab eo dissentire. Commemorant etiam monumenta Provinciæ honoris gratiâ P. Joannem Matthæum Adamum, nobilissimo genere Mazariæ ortum, (quod est illustre in australi Siciliæ plaga situm oppidum) qui annos undetriginta in Japoniæ regno quum posuisset, magnis ibi perfunctus laboribus, ærumnis, atque periculis, & de Societate, ac christianà religione optimè meritus XV. Cal. Novemb. Nangasachii excruciatus, necatusque est annò ætatis altero & quinquagesimo. Ejus memoriam pluribus

Inopinam victoriam Lusitani P. Bellaviæ assignant.

Ejus exequiæ magnis honoribus celebratæ sunt.

P. Philippus Alegamb. Mortes Illustr. pag. 418. & 419.

P. Matthæus Adamus Nangasachii excruciatus necatusque fuit.

non

Digitized by Google

non exornamus, quòd res ejus gestæ nihil habent cum Provincia commune, nisi quod in Sicilia natus, in Romana Provincia Societati se aggregavit. Nam pueritiam Romæ egit, & ex Seminario Romano in Sancti Andreæ tirocinium cooptatus, studiis Romæ peractis, sacris concionibus Italiam perlustravit, ex qua nè visus quidem in Provincia, ad Japones navigavit. P. Joannis Matthæi Adami Vitam adhuc ineditam eleganter concinnavit P. Joannes Maria Dionysius Bronzinus Mazarienſis, ex eo ordine Seraphicus, quem *Minorum Observantium* appellant. Claudit denique hujus anni funera P. Hieronymus Sanclementius Panormitanus, qui anno 1593 ætatis undevicesimo in tirocinio Panormitano nostro numero adjectus, & anno 1605 in Mexicanam Provinciam, ut maximè flagitaverat, ire jussus, annos ibi duodetriginta inter barbaros Americanos magna cum laude meruit, & annis duobus sexagenario minor, incerto die vitam posuit; ab eo præsertim commendatus, quòd in perferendis ærumnis, atque laboribus nemo eo fuerit alacrior, nemo in asserenda Societatis disciplina studiosior. Reliquas ejus res gestas, atque virtutes, quòd inter barbaros vixit, & periit, non fuit qui litteris consignaret.

P. Hieronymus Sanclemētius inter Barbaros Americanos plenam meritorum vitam posuit.

XXI. Gemino annus 1634 collegio Provinciam auxit. Sed alterum non coaluit, & anno secundo dimissum, anno demum 1646 iterum conflatum est, & constitutum, ac perpetuitate donatum. Fuit hoc Collegium Bidenense, mediterraneo in oppido positum, quod Thucididi, & Tullio cognitum, Veteres a Dirillo amne, qui bifariam diductus illud complectitur, & utrunque latus bis alluit, Bidim dixere, Juniores verò depravato nonnihil vocabulo, jam Vizinium, jam Bizinim, jam Bizinas, jam Bidenum nuncupavere. Sed postrema hæc valuit appellatio, quæ majorem præsefert cum origine affinitatem. Quamvis enim nobilis & ampla Civitas undecim jam aleret religiosas aliorum ordinum familias, Societatem tamen jam pridem adamaverat, & ejus inferendæ studio flagrabat. Eam curam primùm injecerat P. Gaspar Paraninfus, qui sacris concionibus Bidinos ad christianæ frugis officia concitaverat, expiaverat religionibus, oppidum Sacellis, tanquam propugnaculis cinxerat, in S. Joannis templum quadraginta horarum religionem invexerat, in Bacchanalium exitu quotannis administrandam, & in Æde S. Nicolai Græcorum Marianam ab *Annunciata Deipara* nobilium sodalitatem excitaverat. Deinde P. Aloysius Lanuza, qui Paraninfi vestigiorum, atque virtutum assecla Civitatem iterum, atque iterum concionando lustravit, lupas aut eli-

1634

Bidenenſis Collegii initia.

P. Joan. Andr. Massa Soc. J. Sicil. in Prosp. pag. 338. & 339.

Societatis inferendæ studium P. Paraninfus, & Aloysius Lanuza injecere.

Digitized by Google

eliminavit, aut ad honestatem traduxit; & ingenti cruce in summo clivo propositâ, stygias furias, quæ proximos montes obsidebant, & larvis atque præstigiis infestabant, ejecit, & in tartareas sedes compulit. Primus explicandi negotii auctor fuit Josephus Cannizarius Bidenensis, Syracusani Sacerdotii Decanus, atque Vicarius, qui jam ab anno 1620 amplissimam Domum, & aream Collegio destinaverat. Sed Horatius Vita Bidenensis Sacerdos hoc anno IX. Cal. Novembr. fortunarum suarum hæredem instituit Societatem, cujus adventum munifica Civitas, ut quàm maximè acceleraret, convocato concilio, summo omnium consensu aureos ducentos contulit, qui ex ærario Civitatis quotannis penderentur. Quare initio sequentis anni Pompilius Lambertengus, qui Provinciam administrabat, PP. Calocerum Inveges, & Franciscum Palmerium, qui adirent hæreditatem, Bidenum misit: nec multò post P. Franciscum Idoneam, & unà P. Ludovicum Celestium Siclensem, qui primus omnium Collegio præesset, locum caperet, templum & domicilium concinnaret, Gymnasiorum conclavia instrueret, & apud Cives munia Societatis expromeret. Accedentibus obviam prodiere cum urbanis Magistratibus Primores, & Principes Civitatis, quibus magno agmine apparuit sacra omnium ordinum supplicatio, gestientibus lætitiâ civibus, quòd aliquando votorum summam attigerint. Sed P. Ludovici Celestii fatum, quod viri summi, maximæque spei, & honorum, & virtutum, & ætatis, & vitæ cursum pridiè idus Novemb. occupavit, Civitatem luctu complevit, & infaustum delendi postmodum Domicilii exitum portendit, & nonnihil effecit. Hominis enim candor, mansuetudo, suavitas, doctrina, & in agendo, atque amicitiis conciliandis ingenua quædam maturitas, quæ inclinatam nondum ætatem maximè commendabat, (agebat enim annum vitæ quintum supra trigesimum) ita sibi Bidinorum voluntates, sed præsertim Horatii Vitæ demerverat, ut eo extincto, neque P. Josephus Balamus Syracusanus, neque P. Alphius Carpignanus Leontinus, qui deinceps Celestio successerunt, aut civibus jucundi, aut Horatio Vitæ grati fuerint. Quare conversis omnium animis, instituendi Collegii cura primùm refrixit, deinde in apertam invidiam declinavit. Et Horatius quidem Vita, qui patrimonium contulerat, causatus, Balamum, & Carpignanum conditionibus non stetisse, quum diu titubâsset, Societatem denique in jus vocavit, & quasi repetundarum agere cæpit. Et jam lite propemodum contestatâ jure disceptabatur; quum Mutius de Horatii Vitæ inconstantia

Census pro alendis patribus per Cives constitutus.

Magno apparatu, & lætitiæ significatione Patres Bidenū excipiuntur.

Extincto P. Ludovico Celestio instituendi Collegii cura refrixit.

Horatius Vita Patrimonium, quod contulerat, repetit: quo Mutii jussu Patres se abdicāt.

Digitized by Google

tia certior factus, Nicolao Berzeto, qui Provinciæ magistratu fungebatur, mandavit, ut Horatii Vitæ hæreditate se abdicaret, eamque auctori remitteret, ut res suas sibi haberet. Quod si Collegio census aliunde non suppeteret, quo paucos illos aleret, facesserent inde omnes, & Mænas se reciperent. Carpignanus nihil cunctatus, ut jussus erat, suos silentio eduçit, & ne quid Bideni, quod Societatis esset remaneret, P. Ludovici Celestii ossa effodi, & legi curat, atque ea secum Mænas transfert, III Idus Decembr. anno 1636. Neque nisi decimum post annum Bidenense Collegium est restitutum, quum Horatius vitâ functus est, ut ad annum 1646.

XXII. Faustioribus initiis Panormi ortum est Collegium S. Francisci Xaverii, edito in loco, prope portam S. Agathæ posito, in ea Civitatis regione, quam *Albergariam* incolæ appellant, & propter aeris salubritatem frequentissimi cives incolunt. Postulabant B. P. Ignatii instituta, & communibus votis expetebatur, ut aliquod esset in Provincia constitutum domicilium, quò Patres se reciperent, qui Sacerdotio recèns inaugurati litterarum studia peregissent, ibique procul a gymnasiorum strepitu, annum collocarent, iterum sub magistro tirones, ut in ea morum, & vitæ palæstra, maturâ jam ætate, ad Societatis normam fingerentur, & quidquid de disciplinæ severitate, & religionum assiduitate litterarum lima attenuâsset, id omne secessus & institutio repararet, prodirentque in aciem novi milites ad Societatis munera strenuè administranda idoneis armis instructi, & militiæ nostræ scientiâ satis imbuti. Impositum fuerat id oneris juniorum tirocinis jam Panormitano, jam Mamertino. His verò inopiâ laborantibus, vagabantur Tertiani Patres per lautiora Collegia, & jam omnes, jam aliquot, pro temporum varietate, Drepanitano, Mœnenino, Syracusano, Catanensi, sed præcipuè Thermitano ad aquas selinuntias adjecti sunt, ubi ad annum usque 162 consederant. Communi tandem desiderio jam ab anno superiore insigni munificentiâ occurrerat femina Princeps, Societatis studiosissima, Beatrix Aragonia Vigintimillia, & septima Cerretani *Marchionissa*, quæ dives, & orba anno 1633. IV. Idus Septembres aureorum viginti millia Societati vivens legavit, eâ conditione, ut Tertianis alendis Patribus tirocinium Panormi institueretur; cui S. Franciscus Xaverius nomen faceret: & prope exitum ejusdem mensis P. Mario Dominico Panormitano, qui ad ejus Domicilii procuranda negotia fuerat designatus, aureos bis mille & quingentos nume-

Collegium S. Francisci Xaverii Panormi oritur, quò Tertiani Patres jamdudum vagantes excipi possint.

Beatrix Aragonia aureorum vigintimillia pro eisdem alendis Societati legavit.

meravit, quibus ad locum capiendum, & coemendas ædes uteretur. Eadem Beatrix totidem aureorum millia jam collocata propinquis & consanguineis addixit, cavitque, ut extinctis Aragoniæ, & Vigintimilliæ familiis, pecuniæ caput ad S. Franciſci Xaverii Tirocinium perveniret. Adjuvit ejus consilium P. Carolus Vigintimillia Ferrerius, qui pridie Idus Decembres, quum valetudinis gratiâ Neapoli esset, aureorum millia ferè decem contulit, quæ Beatricis censum augerent, & ad ædificationem inchoandam erogarentur. Aureos denique quinque & sexaginta annuos attribuit Vincentius Compagnonus nobilis Panormitanus. Ædibus itaque comparatis, temploque utcunque concinnato, & ad sacros usus instructo, Septembri mense hujus anni P. Jordanus Cascinus primus ejus domicilii Rector est appellatus, & præter P. Marium Dominicum additi sunt P. Franciscus Laliotta Lilybœtanus, & P. Carolus Vigintimillia Ferrerius junior, qui post biennium ibidem anno ætatis quinto & trigesimo optimè meritus vitam finivit.

Idem census per Patrem Carolum Vigintimillia augetur.

XXIII. Ad Provincialia funera nihil attinet P. Petri Gravinæ Himerensis Thermitani exitus. Commemorandus tamen est, quoniam de Provincia optimè meruit: quum enim sui juris Sacerdos Panormi esset, primus fuit Aloysii Lanuzæ pædagogus, & institutor, qui in teneros adolescentis annos ea jecit magnarum virtutum semina, quæ per omnem ætatem heroicis digna temporibus facinora extulerunt, quæque scribenti uberrimam laboris segetem suppeditabunt. Gravina igitur magnæ vir probitatis, atque doctrinæ ad barbararum gentium salutem cœlesti numine vocatus in Hispaniam contendit, ibique Societatis militiam eâ conditione amplexus, ut ad Americanos ablegaretur; sortitus est Mexicanam Provinciam, in qua annos triginta magnâ sanctitatis opinione, fortissimè meruit, & sine cujusquam querela barbaras Nationes excoluit, & Christo conciliavit, Virtutes ejus ita strictim exequitur Tornamira. *P. Petrus Gravina cruciando corpori maximè deditus, lectum nunquam adhibuit. Dei memoriam cogitationem, amorem nunquam intermisit, & magnarum peregrinationum comitem habuit. Quum Deo supplicaret, aut immolaret, cœleste jubar ex ejus ore interdum manare, & adstantes afflare compertum est. Christianis militibus adversùs infinitam barbarorum multitudinem in acie dimicantibus, quo tempore quàm longissimè aberat, repentè adesse visus est, & cruento flagello terga cædere, a Deo victoriam magnis clamoribus petens, & impetrans. Ad eum*

Patris Petri Gravinæ in Provincia merita.

Vit. P. Aloys. Lanuzæ, P. Mich. Franc. lib. 1. cap. 1. edit. 2. pag. 5. & 10.

Nieremb. Viror. Illustr. Societ. lib. V.

Tornam. in Defunct. elogiis 9 idus Januar.

sæpe

Digitized by Google

sæpe per speciem confugiebant defunctorum Manes, qui opem flagitarent, ut piacularibus flammis eriperentur; quòd magni essent apud Deum preces ejus. Quum nullis expiata religionibus profana mulier decessisset, tandiu flagro se cruentare perseveravit, quoad illa revixit, & culpis, ipso audiente, explicatis, iterum acquievit. Maximis in periculis divinam opem perpetuò sensit, & sospes evasit. Ferocissimas belluas blandis verbis pacare consuevit, & ad obsequium adducere. Futura, occulta, & quæ procul abessent identidem enunciavit; & fatalem sibi diem, atque horam multò ante cognovit, atque prædixit, quàm ea se offerret. Maximis denique perfunctus meritis atque laboribus, anno ætatis tertio, & quinquagesimo, Idibus Januariis, quo loco, ac tempore prænunciaverat, Topiæ diem suum sanctissimè, quemadmodum vixerat, claudere meruit.

Sanctissimè, quemadmodũ vixerat, diem suum clausit.

XXIV. Propiùs rem nostram attingit P. Benedictus Moletius Mamertinus, vir planè eximius, & maximè actuosus, quem inter præcipuos Provinciæ homines laudatum reperio. Ortus est Messanæ generosis parentibus Matthæo, & Albinà, anno 1545, ut Albertus emendavit: sed rectius anno 1552. ut meminit Pellizzerius æqualis ejus. Sexdecim natus annos, eximiâ formâ adolescens, sed innoxius, & nullâ veneris labe pollutus nostro numero, Messanæ incertum an Panormi, adjectus est. Societatis disciplinam, quam tiro intimè arripuit, imis ita medullis inseruit, ut cum eo adoleverit, & ad summos usque canos octogenarium non destituerit. Ingenio usus est acri, prompto, & ad optima quæque excogitanda prorsus idoneo. Quare & res amplissimas fortiter, ac sapienter gessit, & ubicunque fuit, consiliorum dux, atque princeps, & arbiter negotiorum habitus est: qua ex re magnas domi forisque, dum vixit, molestias, & ærumnas contraxit, ac strenuè superavit. Animi enim magnitudinem, & excelsos quosdam impetus usqueadeo doctrinâ, atque virtute temperavit, ut nihil aggrederetur, quod non exitus explicaret, & rectè administratum ostenderet. Virilem ætatem sacris concionibus dedit, & præcipuas Insulæ Civitates in eloquentiæ suæ admirationem convertit. Quo in munere facundiam exprompsit ingenuam, fusam, vehementem, salutis plenam, neque inornatam, sed eatenus excultam, & perpolitam, quoad sordidum, & lutulentum vitaret dicendi genus; sed non orationis nervos frangeret, neque audientium captum effugeret. Ætatis devexæ spatium in magistratibus collocavit; & Mœneni-

P. Benedictus Moletius Societatis disciplinam intimè arripuit.

P. Dom. Albert. in Catalog. Maximo Provinciæ. Pellizzer. chronol. Dom. Prof. Mamert. ad an. 1634.

Res amplissimas fortiter ac sapienter gessit.

Eximiæ concionũ ejus dotes, & mira in regendo navitas.

num primò, deinde Syracusanum Collegium, tertiò Chium Domicilium, quartò Catanense Collegium, quintò Mamertinam Domum, quam & tertiùm per intervalla administravit. Regendi rationem secutus est gravem, facilem, ac moderatam, & quæ auctoritate magis, quàm potestate valeret. Ajebat enim religiosi Antistitis dignitatem integritate potiùs, inculpatisque moribus, quàm vi & metu niti oportere; neque quicquam ab eo contra decorum, & dignitatem fieri, quod exemplum haberet, & virtutem præseferret. Injuriosè a suis secum agi querebatur, si quæ ad vitæ necessitudinem, atque etiam commoda pertinent, ab aliis potiùs, quàm abs se peterent: quòd alios, & maximè externos rogare necesse est; abs se verò, penes quem resideret patris officium, tanquam filii jure suo requirerent etiam vitæ ornamenta. Domesticas officinas, senex quoque, & valetudine affectus quotidie lustravit, ultroque rogabat, nunquid deesset, quod aut omnium, aut singulorum interesset, & ut admoneretur urgebat: quo tempore & coquum, & pistorem, & promum in humillimis quibusque obsequiis adjuvabat, admotis etiam humeris ad onera asportanda, quæ casus offerret. Neque propterea tam inusitata mansuetudinis, & moderationis abundantia tuendæ disciplinæ propositum enervavit. Quum enim in pervicacem aliquem non semel Messanæ incidisset, amicum & popularem suum, qui summi Prætoris gratiam jactaret, & familiriatis ejus fiducià, omnia sibi licere arbitraretur, in eum publicè, ac graviter animadvertit, & insigni fortitudine arrogantiam fregit, atque licentiam emendavit; ab ipso Prætore magnopere commendatus, quòd non tempori, aut gratiæ cujusquam, sed constantià summà Societatis legibus, & domestico exemplo serviendum putâsset.

Quæ ad vitæ necessitudinem atque commoda spectant, abs se potius requiri, quàm ab aliis obtineri, volebat.

Pervicacem, qui summi Prætoris gratiam jactabat, fregit & emendavit.

XXV. Sed nullus fuit magistratus eo laboriosior, quàm quem in Chio domicilio inter barbaros gessit; a Græcis etiam oppugnatus, qui vetustissimam hæresim sequebantur, neque liberrimas Moletii conciones pati poterant. Itaque religiosos duos nacti viros, qui faces essent conspirationis, eis dant negotium, ut unus clandestinum Moletio inferat bellum, alter publicum, & apertum. Fuerat olim ea domus, in qua nostrum erat domicilium constitutum, Augustinianorum Fratrum, a quibus dimissa ad alios pervenerat: sed neque hi diu permanserunt: nam inopià compulsi aliò concesserant. Stationem tamen unus tenuit, natione Chius, qui a Gareto Pontifice rogatus, ut nostros unà secum vivere pateretur; quum ea de re

Calumniam a Græcis conflatam dum apud Chios versaretur, illustravit & disiecit.

V. Part. 1. hujus Hist. cap. 13. num. 1. & seqq. ad an. 1595.

recu-

Digitized by Google

recusare non posset, hospites ita accepit, ut hostes, qui ad se ejiciendum venissent, & paucos ibi dies commoratus, ad suos se recepit. Byzantium deinde misit, qui Moletium, & suos perfidiæ postularet; quasi per speciem religionis res novas molirentur. Accusationem in se recepit Anglorum Reginæ legatus, cujus operà Turcarum Princeps Chiorum Præfecto mandavit: *Ut Religiosi Europæi, & Primores Insula, qui eos tuebantur in vincula conjecti ad se Byzantium mitterentur.* Sed Moletius animum non despondit, & utriusque linguæ græcæ, & Arabicæ probè gnarus, ita Præfecto Societatis causam probavit, ut ex inimico & infenso, justitiæ atque innocentiæ assertorem habuerit. Per occultos item tramites Galliarum Regis Legatum sibi demeruit, quo adnitente, calumniam, fraude compertà, illustravit, atque disjecit. Quare Princeps rescripsit: *Placere sibi, Moletio, & Sociis non modò Chii esse licere, sed fixam eis, & stabilem dari domum, neque molestiam inferri.* Verùm doli artifex se non deseruit, speravitque apud Sanctissimum Clementem VIII ejus Coloniæ auctorem, calumniæ locum esse posse, quam vel barbarus Turcarum Imperator rejecerat. Defert itaque ad Romanum Pontificem: Moletium in aliena bona impetum fecisse, & publicæ tranquillitati infensum esse. Sed Garetus, & Chii Senatores a Moletio admoniti, qui rem odoratus ad suos omnia perscripserat, crebris litteris Clementis animum occupaverant, & calumniæ aditum, interceperant. Quo factum est, ut Pontifex Romanus, cognità accusationis iniquitate, ejus domûs possessionem publicis litteris ratam, atque perpetuam esse jusserit, & domum ipsam suà nobis auctoritate attribuerit. Alterius gravior, atque crudelior fuit insectatio. Nam contractà Turcarum manu Domicilium invasit, ut Moletium & suos ejiceret, & domo potiretur. Sed Moletii facundia apud barbaros etiam valuit. Suis metuentibus, & exire parantibus, solus atque inermis Moletius prodiit. Quo jure domum possideret, barbaros docuit. Causas exposuit, cur Chium venisset. Quæ esset suæ, & Sociorum vitæ ratio. Quid peterent, & quos labores in alienis terris perferrent Græcorum religionis atque salutis causà. Pluribus oravit, nè malorum conatus adjuvarent, neve innoxios homines, qui apud eos sine maleficio consedissent, indictà causà suo jure depellerent. Ea orationis suavitas, atque constantia barbarorum animos adeo mollivit, & ad æquitatem adduxit, ut hominis gravitatem, atque eloquentiam veriti, ut, se Deo commendaret, enixè peterent, neque se injuriam illaturos pollicerentur. Non

Apud Romanum Pontificē. accusatur; sed fraude cōpertà jussu Pontificis domicilio potitur.

Turcæ domum invadunt; sed Moletius mollivit, & ad æquitatem adduxit.

tamen per flagitiosum illum, ac refractarium Moletius quietus fuit, perpetuis probris ab eo privatim ac publicè laceratus: nullum enim flagitii genus, quod ille Moletio non appingeret, nullum scelus, quod non ab eo patratum affirmaret. Moletius insanientem hominem beneficiis aggreditur, si fortè se respiceret, & ab incœpto desisteret. Ille tamen, quod proprium est malarum mentium, beneficiorum auctorem non amorem, & continentiam, sed metum esse interpretatus, ancipiti Moletium injuriâ vexabat. Prædicabat enim, eum ex scelerum conscientia, ea beneficia conferre, ut silentium accusatoris pretio redimeret; adeoque ea ipsa beneficia apertum esse flagitiorum testimonium. Metum quoque novis accusationibus augere studebat, ut beneficia augerentur. Visum nihilominus Moletio, silentio potiùs, & rectè factis injuriam refellere, quàm dictis aut conquestionibus propulsare. Sed ille contemni se arbitratus, quòd conatus ejus negligerentur, eò amentiæ processit, ut Insulæ Prætori libellum obtulerit, cujus ea summa erat: *Moletium nefarium esse hominem, Hispaniarum Regis beneficiarium, atque ab eo missum indicem, & Turcarum Imperii hostem, ac proditorem*. Prætor autem accuratissimis percuntationibus facilè comperit, omnem a Moletio abesse ejus sceleris suspicionem, quam tamen Moletius ipse apertiùs amovendam censuit. Nam & copiosum Prætori libellum tradidit, quo calumniam dilueret, & orationem coram addidit, quæ barbarum maximè delectavit, eumque compulit, ut Chium domicilium in suam fidem reciperet. Sed calumniatori impunè non fuit. Deus enim Moletii causam suscepit admirabili eventu. Christianus & sacramento obnoxius, Mahumedanam puellam, quam perditissimè amabat, ducere statuit. Parentes verò se passuros negabant, nisi utroque nomine se abdicaret. Ille furore incensus Christo maledicit, Turcarum indumenta sumit, nuptias barbarorum more celebrat, Mahumedanæ superstitioni cum summa Christianæ religionis ignominia servire non dubitat. Eam detestatus indignitatem Venetus quidam miles, qui eò cum classe venerat, solum nactus prope litus spatiantem comprehendit, & triremi impositum in vincula conjicit, atque in Italiam abducit, ubi defectionis, & scelerum per sacros magistratus Christianæ Reipublicæ pœnas dedit, easque gravissimas; & quod caput est, Moletium & Socios molestiâ liberavit.

Sibi infensum beneficiis aggreditur.

Christianus ut Mahumedanam puellam, ducat, Christo male dicit.

XXVI. Sed ærumnas, atque molestias in Sicilia quoque, quod summorum virorum est, diuturnas, & graves, ut totius

ha-

Digitized by Google

habuit visæ comites, ita fortiter tulit ac sapienter, & egregiæ virtutis gloriâ superavit. Quum adolescens studiorum causâ in Collegio Panormitano versaretur, auditumque esset, necatum Messanæ Fratrem sibi carissimum Jerosolymitanæ militiæ equitem Melitensem, & conjectum in vincula percussorem, & matrem apud capitalium rerum judices vehementer agere, ut homicida damnaretur; Messanam advolavit, matri obfirmatè neganti, se tantum scelus posse Christo concedere, denunciavit, in eam se domum pedem deinceps non illaturum, in qua Christo locus non esset, eamque matrem abdicaturum, quæ pluris faceret dolorem, atque odium suum, quàm Christi obsequium, & amorem. Qua oris & animi constantiâ uno colloquio flentis, & obtestantis contumaciam fregit, neque Messanâ digressus est, nisi fratribus etiam pacatis, & reo absoluto, ac vinculis etiam, atque custodiis exempto. Insimulatus est anno 1607 apud Proregem Feriæ Ducem, quòd Catanæ duo scrinia imposuisset argenteæ ramentorum pecuniæ plena, quæ per eos dies, magno reipublicæ detrimento corrasa fuerat, eaque Messanam phaselo abducere conatus esset, Acensi in litore deprehensus. Ex tam insigni calumnia, maxima Societatis invidia est consecuta, & incredibiles in Moletium rumores concitati; quasi circumcisæ pecuniæ ipse auctor, & artifex fuisset. Extant ea de re P. Jacobi Dominici, qui tum Provinciæ præsidebat, ad P. Octavium Cajetanum, qui Collegio Catanensi, litteræ, quæ Moletii innocentiæ fiduciam ostendunt, propter compertam viri probitatem, & rebus omnibus exploratam, & in id maximè incumbunt, ut Moletio ad causam dicendam venire Catanam jusso, coram legitimo judice criminis cognitio per juratos testes institueretur. Adfuit Moletius, neque quisquam eo præsente, & certissimis documentis calumniam propulsante, ausus est iniquum dicere testimonium. Deprehensum est itaque, auditiunculis datâ operâ disseminatis, conflatam fuisse calumniam, quæ altissimas haberet radices, nec sine multorum pernicie illustrandas. Nulla tamen Moletio gravior accidit ærumna, quàm quæ ex intestinis suspicionibus domi orta est anno 1613. Ardebat sub id tempus communi nondum studio, sed plerisque dissentientibus, dissociandæ Provinciæ consilium, quod Aquaviva rejecerat, & diutiùs moveri per externos præsertim Principes, & Magistratus, gravatè ferebat. Mamertinæ tum Domûs gerebat Moletius magistratum, vir planè negotiosus, & quem omnes cùm domestici, tum externi singulis horis adirent, atque consulerent. Quare facilè subit nonnullis gra-

Admirabilis ejus in ærumnis, ac molestiis perferendis mansuetudo, ac temperantia.

Minis, & precibus Matris voluntatem expugnat, & ab ea, Fratris interfectori indemnitatem impetrat.

Apud Proregem de circumcisis pecuniis postulatur.

Ad causam dicendam Catanam vocatus, certissimis documentis calumniam propulsat.

Domesticæ disciplinæ causâ, gravis oritur intestina procella.

Graviores Patres de Moletio, & Carybde tanquam de auctoribus Provinciæ scindendæ suspicantur, & ad Aquavivã deferunt.

gravioribus Provinciæ Patribus suspicari, Moletium ejus esse ducem, atque auctorem consilii, quod Provinciam maximè perturbaret, & cum disciplinæ detrimento in partes scinderet. Nemo enim sibi non facilè persuaserat, nihil, nisi ex ejus arbitrio, ac voluntate Messanæ geri. Factus est etiam reus tanquam particeps consiliorum P. Jacobus Carybdes, qui Collegio præerat Mamertino. Utrumque Aquaviva novarum rerum postulatum ad se Romam venire jussit, Sed Moletius se, & Carybdem apud Aquavivam ita expurgavit, ut uterque absolutus redierit, & in magistratu permanserit. Desideravit tamen Aquaviva utriusque constantiam, & fortitudinem in coërcendis nonnullorum ingeniis, & in admonendo summo Societatis Antistite fidem ac diligentiam. Ejus rei testimonium ex autographis hausimus Claudii litteris ad Jordanum Cascinum, quæ sunt ejusmodi: *Non te fugit, quare Benedictum Moletium, & Jacobum Carybdem ad dicendam apud me causam Romam in jus vocaverim. Utroque Octavii Cajetani postulationibus semel & iterum interrogata, nihil, Deo sint laudes, deprehendere potuimus, quo eorum erga Societatem fidem, atque candorem culparemus. Quare eos, quemadmodum antea, ita modò, ut probos viros, & veros Societatis filios complexi sumus, & in Provinciam remittimus, ut intermissos peragant magistratus, & eodem loco apud omnes sint, quo antea fuissent. Sed in eo culpâ non vacant, quòd in re tam gravi, non in refractarios, ut par erat, animadverterint, neque eorum conatus & arrogantiam, concordiæ, atque obedientiæ inimicam fregerint, & certiores nos facere tardiu neglexerint. Harum litterarum participes eos feceris, quibus videbitur, nè testimonio careant, quæ apud nos gesta sunt. Quemadmodum enim utriusque existimationi consulendum est, & impertiendum innocentiæ testimonium; ita ad eorum, qui præsunt exemplum atque doctrinam, utriusque negligentiam accusari oportet, atque improbari. Romæ V. Calend. Maji Anno 1613.* Adjecta est autem Claudii litteris ea reprehensio, ipso Moletio flagitante, & Carybde non abnuente, ut suorum suspiciones turbulentissimo tempore amoverent, & querelas refellerent, qui utrumque austeritatis insimulabant, & queri non desinebant, quasi eorum accusationibus, Aquavivam haberent iratum, & infensum. Quare nemo erat, qui reperiret, quâ ratione Claudius eos in officio permanere jussisset, & innoxios esse declarâsset, quos in negotio, quod momenti tantum haberet, in officio nonnihil deliquisse fateretur.

Uterque ab Aquaviva Romam vocatus, cũ se, & Carybdem Moletius apud eundem expurgaverit, Provinciam repetit, & magistratum.

Aquavivæ litteræ ad Jordanum Cascinum, quibus Moletii, & Carybdis innocentiam amplificat, & suspicionẽ diluit.

Eorundem negligentiam ipso Moletio flagitante, Aquaviva in puniendis refractariis accusat, & improbat.

Co-

Digitized by Google

XXVII. Ceterùm ea fuit Moletii temperantia, & animi continentia, ut graviter lacessitus, & accusatus nè verbum quidem in accusatores regesserit; imò ab disciplinæ, & boni publici studio eos plurimùm commendâsset. Quæ quidem virtus Claudium mirificè delectavit, & admiratione defixit. Neque minor in eo eluxit ex innocentiæ fiducia, vultùs & orationis constantia. Expostulanti enim, & gravissimis verbis objurganti Claudio, respondisse scribit Pellizzerius: *Per te mihi liceat, Pater, coram & palàm profiteri; neminem esse, cui Benedictus de Societatis amore, & disciplinæ studio concedat. Atque quàm velim tibi persuadeas, non eà minorem flagrare in hoc pectore domesticæ pietatis, ac caritatis flammam, quàm quæ in tuo plurimùm excubat, atque ardet!* Quæ quum candenti vultu, oculisque rorantibus, intimo quodam ac repentino impetu pronunciâsset, Aquaviva lubens audivit, & in optimam partem accepit, tanquam liberum, & ab ingenuo exclusoque animo profectum veritatis testimonium. Itaque magno cum honore, octavo demum mense in Provinciam regressus, summâ omnium gratulatione exceptus est, additique sunt triennio administrationis ii menses, quibus abfuerat. Pluris etiam fecit Moletium Vitellescus, qui ejus in partienda Provincia, & in tuenda partitione judicium magno numero habuit, & Mamertinæ Domui senem admodum, & cæcutientem iterum atque iterum præfecit, & nullum incidebat grave negotium, quod eo inconsulto explicaret. Perspectam enim habuit rebus omnibus hominis integritatem, atque prudentiam, ab humanarum cupiditatum fuco purgatam. Porrò in Provincia tantâ floruit probitatis, ac Sapientiæ gloriâ, ut in Provinciali Conventu bis fuerit ad Romana Procuratorum Comitia designatus, quæ sub Aquaviva primùm anno 1611, deinde sub Vitellesco anno 1628 sunt celebrata, a Mamertina Provincia legatus, quum grandævus jam esset, & octogenario proximus. Quo tempore quum Romanam adornaret profectionem, & in horto domestico spatiaretur, in fœtam incidit canem, quæ utranque tibiam dentibus perstrinxit, & propemodum laceravit. Ex eo vulnere gravissimè decubuit, & summis adhibitis religionibus, propediem moriturus credebatur. Sed suorum lacrimis mortem ejus a Deo deprecantibus, qui B. Francisci Xaverii reliquias magno cum fletu admoverunt, paulatim receptus, ita convaluit; ut Octobri mense Romam navigaverit: vulnerum tamen dolorem, atque molestiam, dum vixit, ad patientiæ specimen perferre coactus est.

Reliquæ ejus Virtutes, & res gestæ referuntur.

Pellizzer. Chronol. Domûs Mamertin. ad ann. 1634. pag. 222.

Suum erga Societatem amorem, coram Aquaviva profitetur.

Detectâ jam Romæ calumniâ, in Provinciam regreditur, & summâ omnium gratulatione excipitur.

Quanti eum fecerit summus Societatis Antistes Vitellescus.

Ad Romanâ Procuratorum Comitia bis in Provinciali Cõventu designatur.

Fœta Canis utramque ejus tibiâ dentibus perstringit, & vulnus ab ea refert gravissimum.

B. Francisci Xaverii Reliquiis vulneri admotis, paulatim convalescit, & Romam navigat.

In-

XXVIII. Inter maximas ejus virtutes vehementer probat Pellizzerius laboriosam quandam continentiam, quam neque magistratuum, neque ætatis beneficio unquam dimisit, sed ad supremam usque valetudinem constantissimè retinuit. Quum in Mamertinæ Domùs præfectura versaretur, quæ inter Provinciæ præcipuas censetur, janitorem interdum egit, ædituum, emptorem, & corrogandis etiam ad quotidianum victum pecuniis dedit operam navitate incredibili. Quum verò ad januam ministraret, sarcinas, & manticas, & panni ac telæ involucra humeris imposita ad officinas perferre non dubitavit. Si quando contingeret domi ædificationem instituì, operis quotidie aderat per intervalla; & congerere lapides, & rudera egerere, & corbulas implere, & calcem subigere, & allaborantibus annonam administrare ad muneris sui partes attinere arbitrabatur. Ne calîgans quidem, & tibiis exulceratis, quenquam adhibere sustinuit, qui purgaret cubiculum, aut lectum sterneret, aut sibi ullo modò ministraret; sed palpans, & claudicans per se sibi omnia præstare obfirmatè perseveravit, quoad pedibus consistere potuit. In assiduis itineribus non aliâ conditione comitem se aliis addebat, quàm ut suâ unius interesset communium obsequiorum, ac sibi reservaretur non saluti modò singulorum, sed commodis etiam servire. Quare cibaria magno labore comparare, coquere, condire, apponere; mensam & lectum sternere, atque ad humillima quæque obsequia senex, & cruribus æger, & vir omnium gravissimus sese abjicere consuevit. Ejus rei testem laudat Pellizzerius externum Sacerdotem, qui cum eo tertio ferè ante mortem anno Panormo Messanam navigaverat anno 1630. Quum enim in ipsa navi febri ex nausea correptus in proximam stationem delatus esset, in qua nihil erat, quo æger recrearetur; Moletius admirabili caritate ad oppidum editissimo loco situm, quatuor millia passuum adrepere statuit, cibaria idonea, atque remedia summo studio conquirere, & suis humeris ad languentem reficiendum deferre, qui tantæ virtutis altitudinem prædicare, & Moletium inter eximios sanctitatis viros habere nunquam destitit. Præclarum etiam est illud, quòd Filiberto Principe Hispanicæ classis Præfecto in Africanam expeditionem exituro, & nostrorum hominum nonnullos, qui secum conscenderent, flagitante, titubantibus reliquis, Moletius ætate jam gravis, primus omnium periculo se, atque molestiæ addixit, & junioribus pudorem injecit, quorum ei se tres addiderunt, de quibus ad annum 1619 commemoravimus, ubi etiam

Ejus in magistratibus continentia singularis.

Dum Mamertinæ Domus magistratū gerit, ad humillima quæq; obsequia descendit.

Eximia Temperantiæ ejus monumenta.

Admirabilis ejus caritas erga alios, præsertim ægrotos.

Senex in Africanam expeditionem exit, & ejus in adjuvādis classiariis abundantia, & alacritas.

etiam qui fuerit ejus ardor, & fortitudo in perferendis laboribus, in classiariis adjuvandis, in adhortandis ducibus, in Societatis muneribus strenuè exequendis, satis attigimus.

XXIX. Ex quo se humanis rebus in Societate abdicavit, religiosam inopiam sanctissimè coluit. Amicorum largitiones, easque assiduas, & magnas in commune contulit. Nova indumenta nonnisi invitus, & jussus sibi admoveri passus est. Splendebat in ejus cubiculo pulcherrima quædam nuditas, quam opibus, & divitiis omnibus anteferendam jactabat. Quamvis corporis habitudine esset arida, exsucca, & æstuosa, neque in summis caloribus sitim nisi in communi mensa pacavit, famem verò nè in mensa quidem: minimi enim fuit cibi, contra perpetuum naturæ desiderium alimenta poscentis. Occupabat quotidie consuetum surgendi signum, & ante lucem evigilabat, subducebatque duas saltem quieti horas, quas in divinis laudibus, & contemplationibus collocabat, quibus quum indulgeret, cœlestibus affluebat deliciis, ac voluptatibus, præsertim quum ad aram immolaret. Et quidem sacrificandi studiosissimus, sive terrà, sive mari iter faceret, potissima ejus erat litandi cura. Secum enim deferebat Sacrificii supellectilem, etsi a stationibus Templum abesset, septem aliquando milliaria pedibus senex & tibiis affectus confecit, nè immolandi solatio careret. Maximè castus & pudibundus, quam ad nos attulisse diximus candoris integritatem, nè cogitatione quidem in Societate violavit, & propter oris elegantiam, non semel oppugnatam, fortissimè asseruit, quemadmodum moriens testatus est. Persuasum autem fuit omnibus, qui intimas animi ejus latebras optimè nôrant, primam vitæ innocentiam nullà unquam gravi culpà a Moletio commaculatam fuisse. Eà apud populares suos valuit opinione probitatis, ut plerique omnes, qui cum periculo ægrotarent, nonnisi eo accito, & præsente, conquiescerent, eò præsertim nomine, quòd non temere curandorum infirmorum virtute pollere credebatur. Documento fuerit puella Franciſca Cardilia, quæ quum aquam hauriret, fallente vestigio, in puteum dilapsa, & in caput obvoluta tempora & occiput ita comminuit, atque contrivit, ut ægrè recepta vix apud Moletium accuratissimè conquisitum sacram culparum confessionem exequi potuerit. Expiata in languorem incidit, sensibusque amissis, & agens animam, nono jam die sine alimentis morti proxima vitam ducebat. Quum repentè quasi arctissimo ex somno evigilans surgit, incolumem se esse exclamat, & cibum poscit. Rogata quid rei esset? *Ad-*

Ejus religiosæ inopiæ studiū; & usus admirabilis.

Deo supplicandi diuturna, & invariata constantia.

Ejus in pudore asserendo virtus, & apud externos opinio sanctitatis.

Curandorum morborum virtute maximè valuit.

Puellam in puteum dilapsam, & morti proximā sanitati restituit.

fuisse sibi Moletium, respondit, *& lenissimis, ut consuêsset, verbis jacentem erexisse, & nè metueret, confirmâsse. Utráque deinde manu, diffracta capitis ossa compressisse, & ut surgeret, magnà voce jussisse. Id se feciſse, & sibi redditam convaluisse.* Medicis adhibitis, qui de ejus salute desperaverant, & conclamatam destituerant, compertum est, & obducta esse vulnera, & ossa coaluisse. Apud domesticos etiam de cœlo est significatum, quanti Deus faceret amicum suum, uno & altero ostento. Mamertinam Domum administranti, prandentibus jam in priori mensa fratribus, & junioribus, obtulit sese promus, admonuitque, aurea mala deesse, quæ altera in mensa senioribus apponerentur, si fortè mittendus videretur qui ea confestim emeret. Tum Moletius; *Serò nimis, & alieno satis tempore id*, inquit, *animadversum. Quidni potiùs in cœlestis providentiæ fiducia conquieſcimus, in re etiam minimè necessaria, quæ ad delicias pertineret? Speremus, mi Frater, eam fore erga suos alumnos divinæ caritatis abundantiam, ut nè hanc quidem voluptatem desiderari patiatur.* Vix fratrem dimiserat, quum ad januam adstare nunciatur ignotus nauta, qui paulò ante Rhegio appulerat, deferebatque prægrandem sportam aureis plenam malis; sed dum nuncius perfertur, ille relictâ sportâ discessit, neque postea visus est. Supremâ decumbens valetudine, Martio jam exeunte, quum noctem egisset inediâ atque insomniâ molestissimam, secumque solus, & tacitus volutâsset, quid potissimùm languentis naturæ desiderium exsuscitaret; succurrit animo, recentis uvæ racemum posse gustandi appetitum lacessere, & vires recreare. Ridebat tamen delassatæ mentis ludibrium, quòd tam alieno tempore recentes uvas sibi proponeret. Ea cogitantem frater occupat, & in jacentis cubiculum recentium uvarum plenum calathum infert, cuidam domestico ab externis dono missum, quem P. Philippus Boemundus Anglus, qui Domui præsidebat, ad infirmum deferri jusserat. Moletius suarum sibi conscius cogitationum, quas nemini enunciaverat, cœleste munus agnovit, & divinæ caritatis suavitate delibutus, sublatis oculis, intimam animi gratulationem dulcissimis lacrimis testatus est. Deficientibus paulatim viribus sine febri, sine dolore, sine conflictu, integris ad summum usque spiritum sensibus ad immortalitatem demigravit XI Calendas Majas, anno ætatis secundo supra octogesimum, Societatis sexto, & sexagesimo. Conflari paulò ante curaverat prægrande tintinnabulum, quod in Mamertinæ Domùs turri collocatum, ut primùm pulsari cœpit, au-

Cœlestia in eum collata beneficia.

In summa pomorũ penuria, mala aurea ad januam repetiuntur.

Recentes Uvæ, quas infirmus alieno tempore tacitus appetit, ad eum opportunè deferũtur.

In Mamertina Domo suavissimè moritur, & super mensam a P. Samperio laudatur.

Digitized by Google

auctoris sui mortem luctuoso concentu Mamertinis nunciavit. Defuncti laudes, convocatis Sociis omnibus, qui Messanæ essent, super mensam recitavit P. Placidus Samperius, cujus fidem orationis secuti sumus.

XXX. Præcipua alia nostrorum hominum funera summatim delibare liceat. In Collegio Lilybœtano pridie Nonas Majas, diuturnà febriculà consumptus est P. Florianus Spetia Bevaniæ in Umbria ortus, qui quum Marco Cavæ Mazarienſi Pontifici ab epistolis diu fuisset, eique carissimus, quadragenarius, & Sacerdos Societati se mancipavit, & in ea annos admodum septem fortissimè meruit, quos ferè omnes Lilybœi collocavit, magno Civitatis emolumento. Mirum autem fuit, eum, qui grandævus, & aulicus ad Societatem accesserat, mores ita nostros arripuisse, ut teneriorem ætatem apud nos posuisse crederetur; prima enim stipendia, qui tiro esset, tanquam veteranus, & ad munera Societatis maximè idoneus facere instituit. Eà tamen fuit temperantià, ut emeritus jam, & qui plura numeraret stipendia, nunquam tiro esse desierit, eamque retinuerit verecundiam, quæ hospitem magis deceret, quàm domesticum. Sublevandis egenis, ac morientibus curas omnes impendit, neque ullum sibi tempus, nisi parcum, & modicum reservavit: minimo enim cibo ac somno assuetus, quas a miserorum obsequiis vacuas horas nanciscebatur, in divinæ contemplationis studio ponebat. Itaque ex laboriosissimo vitæ genere jecoris primùm, deinde pulmonis vitium cotraxit, in cujus diuturnitate conspicuum aperuit patientiæ theatrum, nihil unquam questus, neque ullà ratione dolorem significans, aut vivendi cupiditatem. Supremos octo vitæ dies, sui compos, sed gravissimum trahens anhelitum, & in momenta singula expiraturus, intimà animi alacritate cum Deo transegit. Elatus est annos natus septem, & quadraginta. Celebravere certatim funus ejus Lilybœtani, qui, quoad sepulcro illatum est corpus, manus & pedes osculari non destiterunt. In Monregalensi item Collegio XIV Calendas Quintiles brevi morbo absumptus est P. Antoninus Augustinus Thermis ad aquas Selinuntias ortus, de quo illud memoriæ traditum reperio, quod anno 1627, quum Panormi pestilentia flagraret, florentissimam ætatem periculo obtulit, & contagiosis mirà animi magnitudine morientium religiones tandiu administravit, quoad contagionis suspicionem prorsus deletam intellexit: quo in officio cum paucis superstes, incolumis semper & integer perseveravit. Reliquas præclari hujus viri res gestas oblivio hausit; ne-

P. Floriani Spetiæ ortus, & res gestæ.

Ejus eximiæ virtutes sūmatim attinguntur.

Ejus ægritudo, fatum, & exequiæ.

P. Antonini Augustini mors, & res gestæ.

In Contagiosorum obsequiis admirabili caritate versatur.

que quicquam præterea adnotarunt majores nostri, nisi quod quatuor votorum Sacramentum dixerit, & quadragenarius decesserit. Immaturâ etiam morte Melitæ, ubi ortus, sublatus est P Honoratus Pacius, anno ætatis undequadragesimo. Inter eximias ejus virtutes laudant monumenta Provinciæ candorem animi, & ingenuum, gratuitumque omnibus gratificandi studium, in cujus administratione graves, ut fit, atque perpetuas corporis, animique molestias fortissimè perpessus est. Arabicæ Orationis peritissimus salutares apud populares suos, qui eam maximè usurpant, sermones habuit, & Christianam disciplinam magnis incrementis amplificavit. Ad eam linguam in Collegio Maronitarum tradendam Romam evocatus, utilem adeo, atque assiduam Asiaticis alumnis excolendis dedit operam, ut e republica visum fuerit Vitelleſco, Honoratum ad christianos Libani montis incolas legare. Eam aggressus legationem, ex itinere fato interceptus, dum Melitæ navigandi opportunitatem præstolatur, ibidem Provinciæ spes cum vita ponit III Idus Sextiles. In Collegio itidem Cocinensi Malabaricæ Provinciæ, Septembri mense fatalem diem nactus est P. Andreas Bovesius, opulentissimis Parentibus Messanæ ortus, & Societati conciliatus. Adolescens Indicam peregrinationem flagitavit, & sacris litteris probè excultus ab Aquaviva impetravit. Intercessere cognati, ac necessarii, quibus gravissimum accidit, carissimum sibi consanguineum in remotissimas terras ad barbaras gentes amandari, nunquam deinceps remigraturum, nè spei juvenem vivum, & ante fatum lugere cogerentur. Coactis proinde medicis, ex eorum sententia Aquavivam docent, non eas esse Bovesii vires, & valetudinem, quæ diuturnam navigationem, & Oceani nauseas sustinerent. Adjuvabat eorum conatus Provincia, quæ habilem, & benè moratum adolescentem abs se divelli gravatè ferebat. Aquaviva optionem Bovesio fecit, sive permanendi, sive exeundi. Bovesius in incæpto perseveravit, & profectionem instituit, Oceanum superavit, & annos quadraginta inter Indos versatus, peragratis etiam vastissimis Bengalanorum, Peguanorum, Aracanorum regionibus maximo religionis incremento, sublevatis etiam, & ad christianam frugem adductis Lusitanorum præsidiis, anno ætatis quarto & sexagesimo Cocini extinctus est. In Collegio demum Mœnenino, ubi junioribus nostris eximia cum laude politiores tradebat litteras, humanæ peregrinationis cursum absolvit P. Blasius Chiafusius Thermitanus Selinuntius, qui quum in ea esset Colonia, quam Vitelleschi jussu Provincia in Æthiopiam

Melitæ, ubi ortus P. Honoratus Pacius mortem obit.

Ejus in Arabica Oratione summa peritia.

Ad Libanum montem designatus, Melitæ fato concedit.

P. Andreas Bovesius Indicâ peregrinationem ab Aquaviva petit.

Eam, superatis Parentũ, & Provinciæ difficultatibus, impetrat; tandem Cocini extinguitur.

P. Blasius Chiafusius in Æthiopiâ destinatus in Pyratas incidit.

Digitized by Google

piam destinaverat, & deducendam curabat, anno ferè 1628, in Pyratas incidit Tripolitanos, a quibus Cercinam delatus, extrema omnia in vinculis passus est, tres omnino menses, donec cum Sociis redemptus in Provinciam remeavit; sed ex crudelissimæ servitutis molestiis, atque miseriis ita valetudine affectus, ut in ipso firmioris ætatis, & laborum limine vitam finierit VII Calendas Octobres, quum annum ageret quintum supra trigesimum.

Redemptus, in Provinciam redit, & moritur.

XXXI. Ostendit Provinciæ annus 1635 prima incunabula novi Collegii, quod Messanæ oriri cœpit, a Sancto Francisco Xaverio appellatum, & *Tertiæ probationis* dictum, quoniam Conditorum ea mens fuit, ut Tertiani in eo Patres alerentur. Tam præclari operis auctorem fuisse constat Petrum Balsamum Messanensem Roccæ Floritæ Principem, Sancti Basilii *Baronem*, & Marchionem Liminæ, qui summos Messanæ honores, nunquam satis laudatus gesserat, & inter summos Siciliæ Proceres domi forisque habitus, omnes attigerat civilis scientiæ numeros, & Patriam consilio ac fortitudine ad eam evexit dignitatis, & opulentiæ amplitudinem, quæ post ejus fatum, civilibus non nihil inclinata dissensionibus, fortunæ vicissitudines, & temporum calamitates perpessa est. Quod quidem magnis, & maximè liberis Civitatibus usuvenire consuêsse, universæ antiquitatis monumenta testantur. Quàm præclarè verò de Societate ab initio meruerit, & mereri nunquam destiterit vetustissima Balsamorum Familia, disertè prædicant cum Domùs, tum Collegii Mamertini monumenta; ea præsertim, quæ Pellizzerius per annos accuratè digesta, latinè atque italicè memoriæ prodidit. Vix enim unus aut alter beneficio vacuus labitur annus, quo non Balsamorum generi plurimùm Societatem debere fateatur. Nam eorum munificentiâ, amplificatus utriusque Templi ornatus, & cultus, restituta & aucta sacra supellex, sublevatæ rei domesticæ difficultates, & perpetuâ liberalitate in publicis privatisque calamitatibus sociorum fortunæ recreatæ. His accessit invictum tuendæ Scocietatis studium, & ab obtrectatorum insidiis, calumniis, conatibus vindicandæ. Quoniam sive de Lycæo constituendo, sive de Societatis doctoribus in eo retinendis, sive de nostris juribus asserendis ageretur, Gens Balsamorum, neque Senatùs auctoritate, neque potentiorum Civium conspiratione, neque communis invidiæ quasi procellâ deterreri unquam potuit, quominùs a nobis adversùs injuriam, & contumeliam staret, & pro Societatis dignitate, atque gloria, ut pro aris & focis dimicaret. Quare Petrus

1635

Collegii a S. Xaverio appellati Messanæ ortus.

Petrus Balsamus ejus Collegii primus auctor.

Nobilissimæ Balsamorũ Familiæ erga Patriam, ac Societatem præclara merita.

Pellizzerius in utroque Chronico, Latino & Italico Domùs, & Collegii Mamertini.

Ejus liberalitate, & munificentiâ Societatis Domicilia in calamitatibus recreãtur.

UNIVERSIDAD BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

trus Balsamus acceptam a majoribus, hæreditario veluti jure, ornandæ Societatis voluntatem, insigni largitione testatam voluit; & nè perpetuitate careret, publicis legitimisque tabulis consignavit, ut non nesciret Orbis terrarum, quæ & quanta ejus essent erga Societatem merita, ut illustre ejus beneficium cum posteritatis memoria certaret. Censum itaque constituit satis amplum, quo quartum Messanæ Societatis Domicilium, ad eum quem diximus finem, poneretur, & Pompilium Lambertengum Provinciæ Antistitem beneficiarium suum appellavit, quem & Franciscæ Aragoniæ uxori obnoxium esse voluit: eam enim in honoris, & beneficentiæ societatem vocavit. Anno autem 1646 ejusmodi largitionem testamento ratam habuit, & legatis annumeravit, de quibus ei recusare nefas esset, qui cerneret hæreditatem. Placuit autem, ut quam Manibus ejus habemus gratiam, hæ paginæ declararent.

P. Benedicti Rogasii fatum, & res gestæ.

XXXII. Præclarorum Provinciæ funerum chorum hòc potissimùm anno tristem & luctuosum ducit P. Benedictus Rogasius, & temporum serie, & beneficio ætatis: nam VIII. Idus Januarias unum & alterum annum centenario minor e vivis abiit in Collegio Monregalensi. Randatii ortus anno 1537, ætatis quinto & vigesimo Sacerdos Societati se addixit, in qua annos tres & septuaginta sine cujusquam querela consumpsit.

Ejus in Provincia munera, & eximiæ virtutes:

Rebus agendis apprimè idoneus pluribus profuit Collegiis, sed diutiùs Catanensi, Drepanitano, Monregalensi, Lilybœtano, in quibus Minister, Procurator, Rector, rem domesticam, non parcendo, & alimenta corradendo, sed fideliter accuratéque administrando cumulatissimè provexit. Mentis optimæ candidam, & fucorum expertem bonitatem, quam a natura sortitus, primorum Provinciæ Patrum consuetudine, atque præceptis ita excoluit, ut ætate provectior, illis extinctis, eorum loco haberetur, tanquam ex antiquitate delapsum prisci candoris exemplum. Sinceram animi ingenuitatem comitari nunquam destitit summa integritas corporis. Nonagenario jam major non dentem non capillum amisit: sed nullo sensu debilitatus, & mirum in modum procerus, ac rectus, ævi magnitudinem dissimulare potuisset, nisi concolor argento, oris potiùs, quàm capitis canities senectutem indicâsset, neque tamen immodicam, sed viridem, atque florentem. Ad supremum usque vitæ triennium, non jejunium, non flagrorum usum; non ad mensam ministrandi, non diluculo surgendi, non de genu, & sine fulcro supplicandi consuetudinem intermisit; neque passus est, quenquam ad intima sibi adesse corporis, aut cubiculi officia;

Jejunandi, & corporis cruciandi assiduitas ad extremos usque canos deducta.

ne-

Digitized by Google

neque quicquam de disciplinæ severitate remisit. Quum verò ætatis annum numeraret quintum & nonagesimum, ultimum vitæ actum lecto affixus transegit, in quo singulare de se edidit patientiæ, atque virtutis spectaculum. Ægritudines enim quamplurimas, maximosque dolores, &, quæ diuturnos morbos consequuntur, ministrantium indiligentias, tædia, obliviones, acerbitates fortissimè dissimulavit, & interdum majoribus excusavit, nè qui deliquerant, plecterentur. Paulò ante mortem doloribus omnibus atque miseriis exemptus, languentibus sensim viribus, ad summum usque spiritum mentis, & sensuum compos anno ætatis octavo, & nonagesimo, quasi somno correptus vitam posuit.

In Collegio Monregalensi magno pietatis sensu sanctissimè moritur.

XXXIII. Numerat Collegium Næetinum inter eximios sanctitate viros, qui Provinciam illustrârunt P. Alphium Nanfitum Leontinum, qui annos duos & viginti ibi consedit, & domi foriſque maximam virtutum suarum opinionem, & desiderium reliquit. Anno 1595, quinto & vigesimo ætatis, Societatem Panormi amplexus, neque ultra annum in tirocinio commoratus, plura Provinciæ Collegia assiduis laboribus, & castigatissimæ vitæ exemplis strenuè juvit; sed præ ceteris Næetinum, in quo supremos, & emendatiores ætatis annos collocavit. Neque domo, neque cubiculo, nisi ad misericordiæ, & religionis officia pedem extulit. Latendi, silendique cupidus nullum remisit tempus, quod laboriosis solutus muneribus, Deo non concederet, & intimis religionibus consecraret. In domesticis colloquiis nunquam ex ore ejus verbum exculpi potuit, quod Deum non saperet, aut ad pietatem non referretur. Quod si nugæ inducerentur, neque integrum esset aliò sermonem derivare; aut silere, aut per negotii simultationem elabi consuevit. Ex incredibili eorum numero, qui eum animi sibi ducem optaverant, neminem aliquando est allocutus extra subsellium ad excipiendas confessiones designatum. In eis autem informandis, & ad sanctioris vitæ consuetudinem adducendis tanta fuit ejus industria, ut inter plurimos dignoscerentur. Quare si quis castigatiùs ageret, aut loqueretur, in proverbium abierat, de eo quærere: *Nunquid iste ex P. Alphii Nanfiti palæstra prodiit?* Quanquam cœlestium erat beneficiorum sedulus custos, & occultator; nonnulla tamen ex ejus ore exciderunt, quæ satis indicarent, fuisse eum conscium futurorum. Quum obvium habuisset quendam, cui res jampridem ex voluntate fluerent: *Quàm vellem*, inquit, *tibi seriò persuaderes, rerum tuarum imminere conversionem, quibus vereor, ut for-*

P. Alphii Nanfisi in Provinciæ Collegia, & præsertim Næetinum præclara merita.

Eximiæ ejus virtutes summatim attingũtur.

Colloquia, quæ Deum non sapiunt, constantissimè declinat.

Summæ ejus in informandis animis peritiæ testimonium.

Futuras calamitates secundis adhuc rebus portendit.

Digitized by Google

fortuna diutiùs aurâ secundâ adspiraverit ! Ex eo autem tempore aliæ ex aliis exortæ calamitates, Nanfiti memorem dictorum invasere. Impendentis etiam sibi mortis vaticinium publicè edidit, quum ad Sodales Marianos verba faciens, ipse se repentino quodam impetu interpellavit, inquiens: *Deus me vocat*. Et in ipso surgendi conatu exanimatus concidit. Sublevatus a Sodalibus, & per manus in cubiculum traductus paulò post e vivis excessit, VIII Calendas Majas, annum ætatis quum quintum ageret, & sexagesimum. Cohonestârunt funus ejus, præter publicum luctum, & communem sanctitatis conclamationem, Templorum universæ Civitatis rectores, qui sacris ex turribus lugubri concentu de morte ejus civibus significari jusserunt, & celebrandis exequiis cum suis quisque Collegiis interfuerunt. Populus interea cohiberi nullâ ratione potuit, quominus feretrum invaderet, atque diriperet. Obsistentibus autem Principibus Civitatis, quum alii alios impellerent, & confertissima multitudo in templum irrumperet, res ad tumultum spectare visa est, quod post eam memoriam nunquam acciderat. Immodicam illam Nætinorum pietatem Deo ratam fuisse de cœlo est declaratum, admotis enim indumentorum segmentis, admirabiles morientium curationes sunt consecutæ: Documento sit Marius Gancemius, qui lethiferâ tentatus paralysi, reliquis præterquam sacræ unctionis, prohibitus religionibus, supremos ducebat anhelitus. Sed filo capiti adhibito, quod ad P. Alphii staturæ magnitudinem dimensum apud se morientis filius habebat, sensus illico recepit, & dimissis pollinctoribus repentè convaluit.

Impendentis sibi mortis Vaticinium.

Magnificè funus celebratur, feretrum diripitur.

Quidam morti proximus, P. Nanfiti beneficio repente convaluit.

XXXIV. In Collegio Thermitano ad aquas Selinuntias, in quo inveteraverat, vitæ exitum nactus est P. Josephus Scarfia Calatahieronensis, & tradendis litteris, & rebus agendis, & civibus consilio, ac religione juvandis in paucis idoneus. Quare maximo in honore apud Thermitanos habitus est, & negotiis identidem civilibus absque partium querimonia admotus. In publicis privatisque controversiis compromittebant cives, eum petere arbitrum, cui propter summam integritatem, & municipalis juris scientiam ultro acquiescerent. Nam in secandis litibus æquitatem, judicii certitudinem, & gratuitam operam quum semel, atque iterum magnopere probâssent Thermitani; nemo erat qui non ejus arbitratu forenses nodos explicari mallet, quàm Legulejorum versutiis impediri. Sed nunquam aliàs P. Josephus Scarfia de Thermitanis optimè meruit, quàm anno 1624, quum frequentissimam Civitatem pe-

P. Josephus Scarfia de Thermitanis benemerentissimus.

Ejus in secandis Thermitanorum litibus æquitas, ac solertia singularis.

Grassante pestilentiâ, in officio caritatis incolumis perseverat.

Digitized by Google

pestilentia omnem in partem miserrimè comprehendit. Florentem enim ætatem quadragenarius præsentissimo periculo obtulit, & sesquiannum inter contagiosos mirà animi magnitudine versatus est; neque ullum fuit corporis, animique remedium, quod non excogitaret, & morientibus diu noctuque administraret, incolumis semper, & neque contagione, neque aliâ tentatus valetudine. Tantæ tamen virtutis, & pietatis fructum post decennium ibidem est adeptus XVIII. Calendas Januarias, ardenti jecoris vitio consumtus, annum vitæ ducens secundum supra quinquagesimum.

P. Jordani Cascini generis, & ingenii præstantia.

XXXV. Non alium uberioribus lacrimis luxit alumnum Provincia, ut P. Jordanum Cascinum, in his commentariis antea sæpè laudatum. Quum enim vitam in perpetuis egisset amplissimis magistratibus, omnium sibi animos insigni quadam caritate ita demeruit, ut non facilè judicaveris plusne diligeret, an diligeretur. Ortus est Panormi anno 1565 generosis Parentibus, quorum Majores Pisanæ Reipublicæ Patritii Civilia bella refugientes, Patriâ relictâ, cum nobilissimis aliis familiis, quarum nonnullæ connubiis amplificatæ inter Principes ad hanc memoriam florentissimæ numerantur, in Siciliam translati consedere. Adolescentiam traduxit malis artibus vacuam, optimis probè imbutam. Ingenium siquidem altum, & ferax amœnioribus primùm litteris in Collegio Panormitano dedit; deinde severioribus accuratissimè excoluit, & sacram profanamque Jurisprudentiam scitè didicit, cujus & lauream Catanæ meruit. Anno 1587, ætatis secundo ultra vigesimum humanarum rerum pertæsus Societatis militiam secutus est pridie Idus Martias. Tirocinio Mamertino aggregatus, ubi in Tironum codice *Jordanum Acaxinam* ipse se appellat, dedit operam P. Andræe Ungriæ tironum Magistro menses aliquot; sed annum ferè P. Antonio Parentucello Sarsanensi, viro clarissimo, cujus eximiam probitatem, & adolescentium exercendorum scientiam Jordanus commendare nunquam destitit, atque ejus institutionem tironibus & ipse postmodum præfectus, utpote rectam, & emendatam sibi proposuit. Undevigesimo mense, ex quo se nobis addiderat, tiro adhuc in Collegio Mamertino Philosophicas Artes arripere instituit, ubi tertio post mense Institutorem suum, P. Antonium Parentucellum extinctum flevit, atque laudavit, seque testem professus est memorabilis ostenti. Tironi mandaverat Parentucellus, ut ex tempore super cœnam e sugestu verba faceret. Ille imparatus, & verecundiâ prohibitus, cœnantibus cum Parentucello reliquis,

Rebus humanis vale dicit, seque mancipat Societati.

P. Antonius Parentucellus, teste Cascino, uno tempore duobus in locis visus est.

ſeceſſerat, & vehementer perturbatus ſolus in aula ſpatiabatur; quum ſibi Parentucellum adeſſe videt, blandè querentem, quòd ſibi dicto audiens non fuerit, & peramanter hortantem, nè dubitaret ſuggeſtum conſcendere, pollicentem denique, Deum obtemperanti adfuturum. Quibus verbis Tiro confirmatus ad ſuggeſtum citato gradu properat, atque inde Parentucellum cum reliquis accumbentem conſpicatur, & quod majorem habet admirationem, oſtentum animadvertit, neque terretur, ſed ejus præſentis fiducià egregiè concionatur. Quærit deinde nunquid Parentucellus e triclinio diſceſſerit: negantibus omnibus, comperit, eum uno tempore & in triclinio, & in aula fuiſſe. Eſt qui affirmet, tironem illum Jordanum ipſum fuiſſe. Sed rem parum exploratam aſſeverare non auſim: niſi fortè ad rem fecerit, quod Jordanus ſe teſtem dixerit, & narrationem ita ſubtiliter ſit exequutus, ut qui ejus pars magna fuerit. Philoſophiam emenſus anno ætatis ſeptimo & vigeſimo Theologicam diſciplinam aggreſſus eſt, nè tale ingenium ad maxima quæque idoneum puerulis erudiendis detineretur. Studiis optimè perfunctus, interiores litteras, ſive morum Philoſophiam jam Sacerdos Panormi tradidit, menſes admodum ſex, nam anno 1596, ab inita Societate nono, domeſticæ Reipublicæ admotus honores inchoavit ſub P. Vincentio Regio Panormitanæ Domûs Miniſter appellatus. Interim Aquaviva Julii Fatii litteris, & verbis, de Jordani virtutibus admonitus, quum pro ſua ſapientia, eum eſſe ſummæ gubernationis cardinem ſtatueret, ut homines ſibi parum cognitos, atque perſpectos non temere ad ampliores magiſtratus evocaret, eum ad ſe Romam venire juſſit, in S. Andreæ tirocinio tironum Magiſtri Socium eſſe voluit, & Tertianorum Patrum inſtitutionem ſpeciatim illi commiſit. Iis in muneribus officii ſui partes ita attigit omnes, ut Provinciæ elapſo jam anno redditum P. Franciſcus Miroldus, qui Tirocinio præerat, adminiſtrationis adjutorem anno 1599 habuerit, & non multò poſt ſucceſſorem. Erat inſtitutio ejus, ut hominis verè probi, & divinarum rerum ſcientiſſimi, recta, ſalutaris, ingenua, & planè intima, quæ motus animi componeret, cupiditatum radices extirparet, mentem ad Societatis diſciplinam fingeret, & emendatæ naturæ impetus uni Deo conciliaret. Sive publicè, ſive privatim tirones adhortaretur, uſus eſt dicendi genere facili, preſſo, & ad peſuadendum mirum in modum accomodato, quod infixos relinqueret acres pietatis aculeos, & non teneros modo adoleſcentes, ſed Tertianos etiam Patres animo afficeret, & maximè de-

Philoſophiam emenſus ſtatim ad Theologicã diſciplinam aggrediendã mittitur.

Ei Romam ab Aquaviva vocato Tertianorum Patrum inſtitutio committitur.

Ejus in Provincia mira gubernationis ſcientia.

Digitized by Google

delectaret. Quantà caritate alumnis suis studuerit, & ab iis dilectus sit, vel ex eo judicari potest, quod nemo fuit qui non intimos animi recessus ei quàm libentissimè panderet, certarent omnes vocem & nutum ejus intueri, & exacto biennio a disciplina, complexu, & lacrimis ejus flentes discederent.

XXXVI. Uno, & altero ostento de cœlo est demonstratum, quo numero per hæc tempora apud Deum fuerit Jordani virtus. Vincentia Luna lectissima mulier cœlestibus assueta beneficiis, & eximiæ sanctitatis gloriâ cùm vivens, tum post obitum inclyta, quum diu anceps hæreret, & maximè vereretur, nè fraude aliquà a recto salutis tramite aberraret, peteretque a sui Custode cœlesti genio, qui ei se per speciem ostenderat, quemnam potissimùm sibi legeret animi ducem, quem sequeretur, & in cujus judicio, ac dictis conquiesceret, respondentem audivit, ut Jordanum Cascinum in tirocinio latentem adiret, & ab ipsius Dei ore in ipsum arbitraretur quidquid ille diceret, atque sentiret. Quod ea facere non neglexit, & Jordanum, dum vixit, perpetuum habuit consiliorum arbitrum, & religiosi officii monitorem. In tirocinium Jordanus ante vespertinum crepusculum se recipiens inopem januæ adstantem videt, pannosum, infirmum, nudis ulcerosisque pedibus, & sanie manantibus. Commovetur, Fratrem Carolum Maidam januæ custodem odoratas domestico ex horto herbas legere, & calidam lavationem parare jubet; ipse ad proximum valetudinarium miserum hominem deducit, suis accuratissimè manibus ulcera, & pedes abluit, atque abstergit, cibum apponit, cœnanti ministrat, & potum miscet, recreatum, ac negantem licere sibi, ut Jordanus urgebat, ibidem pernoctare, pecuniâ donatum dimisit, multâ jam nocte, & ad januam reduxit, quam obseratam quum comperisset, & ad janitorem accersendum discessisset, testatus est idem Frater, neminem se ad januam, qui exiret inveniisse. Quod quum Jordano renunciâsset, totâ domo pauper ille conquisitus nusquam repertus est. Jordanus quid rei esset animadvertens in dulcissimas abiit lacrimas, & Maidam silere jussit. Nemini autem dubium fuit quin sub inopis specie aliqua cœlestis anima sese Cascino obtulisset, eumque ad misericordiæ officium excitâsset. Quinquennio in tirocinii administratione consumpto, quo tempore anno 1603 coram P. Dominico Candela quatuor votorum sacramentum dixit: anno deinde 1604 ad magistratum evectus est Collegii Panormitani, exultantibus omnibus, præsertim junioribus, quorum plerosque doctrinæ suæ alumnos nactus est.

Quo numero apud Deũ fuerit Jordani virtus; ostentis de Cœlo demonstratur.

Ejus in instituẽdis animis solertia ostento comprobatur.

Eximia ejus in pauperem misericordia.

Cœlestis Anima P. Cascinum sub inopis specie ad misericordiæ officium excitat.

Gubernationis ejus exquisita ratio commendatur.

Vix credi potest, quàm sedulam & efficacem exercuerit excolendæ juventutis industriam. Dies noctesque laborabat, ut Deo placere studerent, corpus domarent, & servire animo cogerent, naturæ appetitum frangerent, & disciplinæ custodiam primam haberent, neve ante virtutum doctrinam litterarum studium ponerent. Quid enim in hac militia litteræ sine virtute prodessent? Hæc quum factis, ac dictis identidem inculcaret, tanta morum conversio est consecuta, ut nihil Collegium a Tirocinio discederet, nisi quod non esset litteris interdictum. Ceterùm utrobique supplicandi, silendi, vexandique corporis consuetudo. Quæ quum Aquaviva accepisset, laudavit quidem mentis optimæ studium, sed Jordanum admonuit, ut seriò dispiceret, nè immodica religionum redundantia officeret litteris, & ab earum assecutione juveniles impetus averteret, ac nonnihil etiam frangeret. Sed Jordani institutio eo nitebatur, ut litteræ virtuti servirent. Quare summæ spei doctorem, & maximè idoneum, qui deprecatores adhibuerat, ut ad Rhetoricam artem Panormi tradendam designaretur, ad se venire jussum graviter increpuit: *Quòd putâsset gratiam in Societate quicquam valere. Sciret proinde, habuisse se in animo, quod ipse optaret, & mereretur, nemine deprecante, ultro deferre. Quoniam verò ambitiosius egisset, nè gravaretur infima Grammaticæ elementa Panormi docere, & ejus quam captâsset, commendationis fructum referre.* Hæc verò & hujusmodi alia severitatis plena documenta tantâ humanitatis suavitate condiebat, ut neminem iratum, aut tristem, neminem non sedatum, & obnoxium dimiserit. Erat enim omnibus exploratum, eum amico animo, & juvandi potiùs, quàm exacerbandi studio facere.

Rectæ gubernationis fructus.

Quemdam Rhetoricâ artem tradere cupientem, graviter increpat.

Ejus in Magistratibus solertia, & temperantia.

XXXVII. Facilitate autem usus est inusitatâ, quam perpetua oris, & animi jucunditas mirificè commendabat. Nunquam defatigatus satietate audiendi suorum quemquam interpellavit, quantum quisque voluit apud se dixit, neque ullo loco, aut tempore excluſus, neque ullâ fastidientis animi significatione ad silendum, aut secedendum compulsus. Quod quidem maximè mirum fuit in homine domesticis, externisque curis implicito, quem nemo domi, foriſque non consuleret. Universim verò in communibus, privatisque colloquiis nihil eo fuit officiosius, nihil facetius, & amabilius, immemor enim honoris quem gereret, & dignitatis; parem se minoribus præbuit, æqualibus inferiorem, senioribus docilem, & verecundum. Rogatusque ab amicis, quare id faceret, neque amplis-

simi

simi magistratûs rationem haberet, respondere consuevit: *Satis esse iis, qui in Societate praessent, eam gravitatem, quam munus ipsum secum affert, neque modicam, neque jucundam supervacaneam esse, atque molestam, quam studiosè quis praseferret. In eo summam esse capitis dignitatem, & cum reliquis membris concordiam, si eum in corpore eminentia gradum obtineret, quem natura ipsa tribuisset. Quod si altiùs vellet assurgere a corpore, ac membris divelli necesse esset, & sibi atque artubus dolorem efficere, conjunctioni, ac vitæ inimicum.* Quandiu in magistratu fuit, e suorum numero neminem amoveri curavit, neminem excluſit, quem major potestas designâsset: *Quemadmodum enim*, ajebat, *optimus Paterfamilias non eos alit, & instituit liberos, quos ipse legisset, sed quos natura sine delectu ex se genitos dedisset; ita sapientis est moderatoris eam continere familiam, quam majores regendam tribuissent, non quam ipse optavisset.* Si quos verò deprehenderet disciplinæ infensos, hos ut animo infirmos magnâ curâ retineri, ac juvari oportere arbitrabatur. Aggrediebatur eos beneficiis, exquisitisque paternæ benevolentiæ significationibus sibi primùm conciliabat; descendebat ad preces, quas interdum de genu adhibuit, nullum erat blandum remedium, quod non experiri conaretur. Quod si ille non se respiceret, serò demum ad duriora, sed lento gradu dilabebatur; sed mansuetudine nunquam consumptâ, emendatos immemor erratorum amicissimè complectebatur: contumaces verò, & pœnam, ac conspectum ejus refugientes, clementiâ nondum exhaustâ, patienter tulit, & non semel ad annum usque sustinuit; quoad vel per fidos internuncios, vel per se ipsi diuturnâ caritate victi ad sanitatem redirent. Ita quamplurimos cunctando longâ quadam veluti obsidione ad deditionem compulit, & Societati castigatos conciliavit; paucos vi expugnavit; ferè neminem loco movit, aut missionis compotem fecit, nisi de cujus salute desperavit. Quæ si cui fortè ad lentitudinem potiùs, & inertiam, quàm ad mansuetudinem, & lenitatem pertinere videantur; hunc ego orare non desinam, ut priùs diligat, & verè diligat; deinde Jordanum accusat, & sententiam ferat, atque quid sit optimum factu definiat. Hospites peramanter exceptos non admonebat modò, ut quandiu vellent permanerent, sed etiam cogebat, ut quam diutissimè apud se diversarentur. Monregalensem Ludimagistrum post dierum aliquot commorationem, ad discedendum ornatum, & commeatum petentem enixè rogavit, ut alterum saltem diem secum

Dicta ejus memorabilia prudentiæ plena, atque virtutis.

Singularis ejus erga subditos benevolentia.

Severitatis ejus ratio, & modus

Ejus eximia erga Hospites Comitas, & benevolentia.

Digitized by Google

Erga ægrotantem hospitem signa dat singularis benevolentiæ.

cum retineri pateretur. Quod quum ille feciſſet, eo intervallo virulentâ febri tentatus juſſus eſt a Jordano in valetudinario decumbere, juſſique ſunt qui valetudinario præeſſent, rebus omnibus ægrotantem juvare hoſpitem, quem & medicis accuratè Jordanus commendavit. Quæ quum cognoviſſet ſenior quidam Frater, qui domeſticam rem curabat, ad Jordanum advolavit, & vehementer queſtus eſt, quod proficiſcentem juvenem retinuiſſet, cujus diuturna ægritudo Collegio Panormitano oneri maximo futura eſſet: tum Jordanus, poſitâ pauliſper, contra quàm conſueverat, manſuetudine, excanduit, atque *Haccine eſt*, inquit, *Fratrum noſtrorum in Fratres pietas? Equidem non vulgarem humanitatis fructum retuliſſe me arbitror, quòd ægrotaturum retinuerim, ut in magno, opulentoque Collegio, ubi tanta medicorum, miniſtrantium, remediorum copia ſuppetit, optimi adoleſcentis ſaluti accuratiùs, quàm alibi conſuleretur. Quàm vellem, bone ſenex, ut tibi aliquando, etſi ſerò, perſuaderes, caritatem in Societate nunquam fuiſſe oneri, niſi iis, qui Societati oneri ſunt, & nihil niſi buccæ, atque numerus. Quod ut re ipsâ intelligas, jubeo te, miſſis omnibus aliis curis, uni huic infirmo dare operam, & diu noctuque miniſtrare, atque adeſſe. Domi non defuturos, qui ſine te rem domeſticam curent, & muneri tuo ſatisfaciant.* Narrabat hæc idem ſenex profluentibus lacrimis, memor Jordani præceptorum, & pietatis.

Fratrem, qui forte apud ipsũ de hoſpite retento, ac ægrotante querebatur, ſeveriſſimè arguit, eique infirmo operã dare jubet.

Mira ejus in Magiſtratibus lenitas, & manſuetudo.

XXXVIII. Fuit autem Jordanus in eo plurimus, ut eos quibus præeſſet, quàm minimè fieri poſſet, contriſtaret. Quum in domeſtico ſuburbano ſpatiaretur, in juniores fortè incidit, qui furtim poma legerent. Eos præteriens, ac ſubridens ſalutavit, addiditque: *Meminerint poma ſibi nonnulla facere reliqua, quæ & ipſe, & alii deguſtarent.* Majorem habet ſuavitatem, & judicii altitudinem quod ſequitur. Ad furtivam cœnam, externis inſtructam epulis, juniores quidam inter ſe, ſibi condixerant, & jam in remotum conclave clanculum ſeceſſerant, ibique explicatis epulis accubuerant; quum Jordanus, quem nihil fugiebat, certior factus, ad eos ſilentio irrepit, ſeque hilari vultu repentè oſtendit, aſſurgentes prohibet, metu pallentes *Bono animo eſſe jubet, & blandis verbis queritur, quod quum tam lautè epularentur, Jordanum ſuum non vocâſſent. Nunquid putâſſent, ſe neque dentes, neque gulam habere? Aut tam helluonem credidiſſent, ut omnia voraturum formidâſſent. Veniſſe ſe non vocatum, ut intelligerent, & ſe palatum habere, ſed non immodicum. Contentum ſe*

Juniores in ſuburbano poma legentes lepidiſſimè arguit.

Aliud lenitatis ejus ſingulare teſtimonium.

Juniores aliquos ad furtivam cœnã decumbentes opprimit, & ſalſiſſimè alloquitur.

fo-

fore, si quid fortè reliquiarum apponeretur. Nè gravarentur tam verecundam umbram admittere, quæ non alia de causa irrepserat, nisi ut cœnæ, & cœnantibus bene precaretur. Quæ quum salsissimè pronunciâsset, crucem manu significans accubuit, gustavit singula, & jam hunc jam illum facetè appellans nihil fecit reliquum, quo ad animum exhilarandum omnes lacesseret; donec eduliis consumptis, attonitos ad quiescendum dimisit. Postero die singulos ad se venire jussos interrogavit primùm: *Nunquid hesterna cœna mimus, quem nè eos contristaret, & ipse egerat, detestâsset? Doluit deinde vicem suam, quòd adultos filios haberet, qui nondum intelligerent, quanti eos Pater faceret atque diligeret, & humanissimè quæstus est, irrogatam paterno amori injuriam, quod non abs se petiissent quidquid ipsis collibuisset, quum non ignorarent, non modò impetraturos, sed ultro delatum iri, tantùm ut divinari potuisset. Denique ad severitatem compositus gravissimis verbis eos accusavit, quòd immodicè sibi indulgerent, ac licentiæ assuescerent. Quòd non filiorum fidem & pietatem, sed servorum fraudem, & diffidentiam, fallendo sequi maluerint. Quòd non cogitarent, furtivas ejusmodi delicias ex disciplinæ odio, aut certè tædio proficisci, liberioris vitæ desiderium alere, & defectionibus viam sternere.* Itaque tandiu eos exagitavit, quoad in genua provoluti ad pedes ejus acciderent, flentes veniam peterent, & mutuis lacrimis, atque complexibus digrederentur. His artibus magistratus gessere Majores nostri, atque his elementis juventutem instituendam putârunt, & militiæ nostræ sobolem paraverunt, utilem, & ingenuam. Sed ejusmodi administratio laboriosissima est, & maximè ingeniosa, nec sine eximia caritate constare potest.

Cum aliis accumbit, & Convivii fit particeps.

Admirabilis ejus ratio conciliandi, corripiendique delinquentium animos.

XXXIX. Panormitani Collegii perfunctum magistratu P. Bernardinus Confalonerius, qui Provinciæ præsidebat, sibi ab Epistolis esse voluit, & negotiorum participem, atque officii sui monitorem, quod munus etsi potestate caret, inter potissimos tamen magistratus apud nos numeratur. Assiduâ ejus consuetudine cognovit Confalonerius, quàm opinione major esset viri probitas, atque innocentia, & quantò reliquos anteiret humanæ divinæque prudentiæ illustri quadam altitudine, unde eximiæ existeret sapientiæ, & maturitatis in explicandis consiliis abundantia. Quare biennium ferè penes se Jordanum retinuit, & post Ludovici Mansoni casum, Panormitanæ Domui anno 1610 præficiendum curavit. Eo in magistratu ad gravitatem nonnihil conari visus est. Nam qui juniores ut Mater

Ejus in Provincia magistratus referuntur.

Domum Panormitanã regendam sumit.

Digitized by Google

ter assiduitate, & studio temperaverat, seniores exemplo, atque justitiâ, ut Pater rexit. Procuratores, qui rationes, & rem domesticam conturbaverant, loco movit, reliquos Mansoni facilitate parum sapienter usos in officio continuit, ære alieno, quod grande conflatum fuerat, Domum liberavit, integravit ædificationem, Templi cultum & obsequia erexit, munera Societatis ad legem, & numerum revocavit, disciplinam denique, ut domestici mores poscerent, strenuè vindicavit: neque eam gubernandi rationem deinceps dimisit, nisi quum semel, atque iterum tironibus, ac junioribus præsidere coactus est. Quod maximum fuit perfectæ consummatæque sapientiæ documentum; quod non naturâ, aut ingenio, sed consilio ac ratione duceretur, & se atque alios temperaret. Sed non in eo magistratu nisi duos ultra annum menses permansit. Confalonerius enim magistratu abiturus, potestatem in Jordanum transtulit, & cum Aquaviva egit, ut Provinciæ Antistitem eum appellaret. Redditæ sunt Claudii litteræ, quibus Provinciæ præficiebatur prope exitum anni 1611, Idibus enim Octobris initum ab eo magistratum comperio. Vir strenuus, & domesticarum legum scientissimus, qui Provinciæ mores, & homines intimè noverat administrationem instituit rectam, ingenuam, inculpatam, quam neque Generis, neque Patriæ, neque oris commendatio inclinaret, neque gratia molliret, neque amicitiæ vincerent; sed labor, probitas, virtus, litterarum gloria unicè flecteret. Duos tamen sibi proposuit, tanquam præcipuos cardines, qui muneris sui summam continerent: utrumque scilicet Provincialis militiæ delectum Ducum, atque Tironum; nè tironibus virtus; Ducibus sapientia deesset. Mira autem fuit ejus in candidatorum adolescentium explorandis ingeniis industria, & in dignoscendis perspicacia. Quo factum est, ut nonnullos maximè flagitantes, magnis frustra adhibitis deprecatoribus, constanter excluserit, alios nè cognitos quidem antea, primo intuitu probaverit, & nostro numero addiderit. Usu autem ipso perspectum fuit, eos quos ipse rejecerat, a Lambertengo, & Mastrillo postea auctoratos, aut parum coaluisse, aut Provinciæ jam inutiles, jam graves fuisse. In nominandis autem magistratuum candidatis, tantâ usus est accuratione, atque constantiâ; ut amicum, & popularem apud majores, & gratiosum, qui non vulgares honores gesserat, in ordinem coegerit, & ad privatam vitam quàm diutissimè compulerit, quod in magistratu astutè ageret, fucatasque versutias, & aulicas artes ad potestatem afferret religiosam. Universim autem caritatem, & mansue-

Eo in magistratu domesticam disciplinâ promovet, & Domûs, Templique cultum auget.

Tirocinio Panormitano summa cum laude præest.

Universæ Provinciæ Antistes ab Aquaviva P. Cascinas appellatur.

Eximia ejus cura, & perspicacia in deligendis Tironibus, eorumque Ducibus.

In nominandis magistratuum Cãdidatis ejus accuratio, atque constantia.

Digitized by Google

suetudinem gubernationis comitem, & administram habuit, curavitque ut ejus ductu, atque consilio minora imperia gererentur, quam & singulis litteris iis, qui Collegiis præessent, inculcabat. Quòd si mutuis conquestionibus socii cum sociis, sive inter se, seu cum majoribus dissiderent, prætermissis injucundis cognitionibus, quæ animos exasperarent, & simultates ac suspiciones incenderent; utrisque suadebat, ut in sanctam caritatem compromitterent, eamque arbitram vellent dissidiorum, quæ nemo alius explicaret. Mentibus ita pacatis, atque invicem conciliatis, inopinatæ pacificationes sunt consecutæ, quæ nullâ ratione coire posse videbantur.

Caritate, ac mansuetudine simultates componit.

XL. Verùm, contra quàm fieri consuevit, nescio quo fato contigerit, ut tam emendata potestatis administratio nonnullorum offensionem incurrerit gravem, & periculosam, quæ plurimos etiam patronos domi forisque nacta est. In eum enim conspirare non destiterunt turbulenta quædam, & aspera factiosorum ingenia. Fax in Jordanum conjurationis fuit, auctore Tornamirâ, P. Natalis Masutius, qui minimè esse debuit, propter insignia, quæ ab eo acceperat beneficia. Quum enim difficilis homo esset, nugax, suspicax, & iniquus Majorum consor, atque obid, & alias malas artes popularibus etiam suis maximè invisus, ac Collegiis planè omnibus excluſus, aditum semper habuerat, atque receptum ad Jordani gratiam, & caritatem, qui quem omnes expulerant, ubicunque magistratum gereret, humanissimè complectebatur, & odiosum reliquis caput unus ferre poterat. Quam quidem Jordani erga Natalem amoris abundantiam, utpote invidiosam, & planè immodicam, nonnihil perstringit Matina. Additque Tornamira, eò processisse Jordani benevolentiam, ut quum Masutius in persolvendo divinarum precationum pensо miserrimè angeretur, & earum recitationem ad mediam usque noctem quotidie duceret, ille, ut ejus laborem, atque molestiam sublevaret, quamvis maximis esset distentus occupationibus, & consuetis jam horis diurnas preces peregisset, ultro socium se dabat, laboranti aderat, & sacras iterum precationes alterius exequebatur. Hic igitur ipse Natalis Masutius Jordani beneficiarius, magistratum ejus oppugnare modis omnibus aggressus est, dicta ac facta omnia perscrutari, ac reprehendere, domesticos atque externos adversùs eum incitare, prima partiendæ Provinciæ consilia movere, & in omnem partem disseminare, apud Senatum Mamertinum, calumniis, & querimoniis se dulò agere, ut Jordanus vel Messanâ excluderetur, vel ut veniſſet, cum igno-

Ærumnarum series, quibus Cascinus per calumniam afflictus est.

Tornamira exitus infelices pag. 42. ad annum 1611.

Eximiæ Cascini erga calumniatorem signa benevolentiæ.

Matina in Hist. Dom. Professæ Panorm. ad annum 1610.

Tornamira ibid. pag. 43. ad eund. annum.

P. Natalis Masutius Jordani beneficiarius modis omnibus magistratûs ejus domi, forisque oppugnare aggreditur.

ignominia pelleretur. Ille ab amicis edoctus, atque ut sibi consuleret admonitus: *Sub Dei se esse potestate*, respondit, *eorum animis iram timeret, & præsidium speraret*. Quare nihil territus Messanam venit, neque nisi lustratis Societatis domibus digressus est. Senatus autem hominis veritus dignitatem, ac sanctitatem, nullis cujusquam obtestationibus adduci potuit, ut Jordanus aut cum dedecore, aut sine honore decederet. Sed non propterea Masutius furere desiit. Assiduis enim susurrationibus, crebrisque litteris graviores Provinciæ Patres adversùs Cascinum ita incendit, ut conquestionum significationes Romam usque pervaderent. Sed quum contraria, & invicem pugnantia perferrentur; nam alii lenitatem, & indiligentiam, alii acerbam sevenitatem, & nimiam quandam minimarum etiam rerum curam accusabant; Aquaviva satis cognovit, conflata esse testimonia, quæ parum sibi constarent. Ad sedandas tamen Provinciæ turbas, & coërcenda turbida ingenia, quæ Cascini mansuetudine ali potiùs videbantur, P. Pompilium Lambertengum cum potestate in Siciliam legavit, ut Provinciam lustraret, & Jordani adversarios in officio contineret. Sed humanarum rerum cæca interdum, & tenebris involuta conditio effecit, ut contrà accideret. Pompilius enim ut Messanam descendit, Masutium nactus, in versutias ejus incidit, & homo probus ac rectus, & maximè ingenuus usqueadeo captus est, ut infesto in Cascinum animo Panormum venerit, & reliquam administrationis ejus partem æruminis cumulaverit: argumento sit, quod quum P. Carolus Mansillus, qui Jordano succederet Messanam appulisset, Lambertengus qui fortè aderat, eum e vestigio magistratum jussit capessere antequam Jordanus, qui Provinciam lustrabat admoneretur. Quare contigit, ut uno tempore tribus summis, atque contrariis imperiis Provincia regeretur. Jordanus interea nihil pro se locutus, nihil contra adversarios admirabili sanè temperantiâ fortunæ impetum sustinuit, Pompilio acerrimè præcipienti fide summâ obtemperavit, & uni Deo causam commisit; donec ejus patientiâ, atque virtute victus Pompilius, & compertis Masutii fraudibus, illum magno deinceps in honore habuit, hunc postea cum duobus aliis Sacerdotibus exauctorandum curavit, & ex nostrorum albo delendum. Atque hic est ille Natalis Masutius, de quo, ut alibi meminimus, scribit Ribadeneyra, quod quum Româ in Provinciam remeans a pyratis captus esset, & in Africam abduceretur, fœdissimâ jactatus tempestate, ex qua naufragium imminebat, B. P. Ignatium in præsenti periculo oravit, ut sibi præ-

Graviores Provinciæ Patres adversùs Cascinum a Masutio per calùniam incensi, apud Aquavivã conqueruntur.

Aquaviva P. Pompilium Lãbertengum ad Provinciam lustrandam, & cõquestiones sedandas cum potestate mittit.

Pompilium Masutius suis versutiis in Cascinum incendit.

P. Carolus Mansillus, Cascino, a Lambertengo Provinciæ præficitur.

Calumniâ detectâ, in calumniatorem Lambertengus acriter animadvertit.

Ribadeneyra in Vita B. P. Ignatii inter extravagant.

Digitized by Google

præsto esset, audivitque clarà voce pollicentem: *Se neque naufragio periturum, neque in Africam abactum iri.* Utrumque eventus præstitit: quoniam & procella statim cum vento conquievit, & prope Lopadusam Pyratæ in Christianorum triremem incurrerunt. Quod ideo in memoriam revocavimus, ut intelligeretur, malæ mentis homines, neque humanis, neque cœlestibus beneficiis a maleficio deterreri. Porrò Masutius ex Societatis castris ejectus, & ab amicis, atque cognatis propter morum perversitatem exclusus, mœrore ac solitudine in publico valetudinario miserrimam vitam clausit.

In Masutium B. Ignatii collata beneficia, & vaticinia.

Calamitates, in quas incidit Masutius, referuntur.

XLI. Jordanus itaque magistratu quum abiisset, in Panormitana Domo nonnihil privatus quievit, ut magnopere flagitabat. Quo tempore ita se ad disciplinæ leges composuit, ut qui nunquam præfuisset, & qui non ex summo magistratu, sed tum primùm ex tirocinio prodiret. Neque semel minores etiam magistratus temperantiam ejus, ac patientiam tentare ausi sunt. Exemplo esse potest, quod quum matutinis horis ad eum Senatores aliquot, & Principes Civitatis veniissent, & per gravissima negotia immolandi tempus intercepissent, cuperetque Jordanus, imminente jam prandio, ad aram facere, misit ad eum Minister qui denuntiaret, ut Sacrificio potiùs abstineret, quam familiæ ordinem interturbaret: neque Jordanus verbum addidit. Sed Aquaviva Jordani conscius meritorum, ut tantæ virtutis hominem ab obtrectatorum injuria vindicatum Italiæ ostenderet, a Provincia evocandum censuit, & Romam venire jussit, ubi peramanter exceptum ad Venetæ Provinciæ magistratum designavit, quem & mirabili cum æquitatis, & sapientiæ laude gessit. Quum eo in munere versaretur, anno 1615 Aquavivà extincto, Conventum Bononiæ peregit, & cum duobus aliis ad summa Romana Comitia venit, in quibus creatus est Vitelleschus. Paulò post in Provinciam remigravit, & Pompilio Lambertengo, qui in Provinciam cum potestate redierat, plurimùm adnitente, Collegii Panormitani magistratum iterum gessit anno 1617, iterumque anno 1623 Tirocinii Panormitani. Quo in magistratu quum esset, eà, quam diximus sedulitatis, atque doctrinæ gloriâ, pro B. Rosaliæ Exuviarum veritate, anno 1625 strenuè dimicavit. Idem anno 1626 Provinciâ in duas scissâ, Panormitanæ præfectus est, eamque usque ad Vivaldi adventum triennium administravit. Collegium deinde Panormitanum anno 1630 tertiùm rexit. Tertiùm quoque Provinciam anno 1631. Demum anno 1635, qui supremus fuit vitæ ejus, recèns institutum S. Francisci Xa-

Reliqui, quos Cascinus jam extra Provinciam, jam in illa gesserit magistratus, referuntur.

Ab Aquavivæ Romam vocatus, Venetæ Provinciæ præficitur.

Provinciæ restituitur, ubi præcipuos obit magistratus.

Digitized by Google

verii Domicilium primus omnium incoluit, gubernavit, & exutus mortalitate corporis sui exuviis decoravit. Annum itaque agens primum & septuagesimum, quum ei lotium non iret, stranguriâ diu excruciatus, vitæ finem adesse cognovit, quod quum & Medici pronunciarent, admonitus Jordanus; *Benedic*, ait, *Anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus*. Premebatur tum S. Francisci Xaverii Domus, ex ipsa novitate, rerum omnium inopiâ. Nam & angusta erat supellex, & angustissimum ædificium, & mira erat paucitas ministrantium. Quæ omnia curando seni, & gravissimè laboranti parum accommodata videbantur. Quare de infirmo in Domum Panormitanam traducendo Patres deliberabant. Quod quum ad Jordanum delatum esset: *Sinite me*, inquit, *cum S. Francisco Xaverio, in hoc ejus scopulo vitam ponere*. Supremis sacris expiatus, rogatusque, placeretne eo defuncto, corpus ejus in ampliſſimum Panormitanæ Domùs Templum efferri, quòd in eo domicilio nonnisi ædicula esset, funeri celebrando parum idonea, respondit: *Nunquid putatis, me qui integer, & incolumis nullam ad hunc diem vitæ meæ rationem habui, velle morientem de extincto corpore statuere, & quo loco humandum sit definire?* Quatuor continentes dies acerrimis, lotio intercepto, vexatus torminibus, atque doloribus, & amissâ vocis facultate animam agens, non obscurè tamen significans quantos, & quàm patienter cruciatus perferret, confluentibus turmatim externis, atque domesticis, maximum moriens de se edidit christianæ fortitudinis, ac tolerantiæ spectaculum. Inter suorum lacrimas, qui communem veluti Patrem lugebant, consumptus est XII Calendas Januarii anno ab inita Societate undequinquagesimo, post dictum coram P. Jo: Dominico Candela Provinciæ Antistite, quatuor votorum sacramentum, secundo supra trigesimum. Placuit Doriæ Purpurato, Panormitano Pontifici, & Senatui Panormitano, ut coram defuncti corpore parentalia non sine solemni sacrificio, atque concentu instituerentur, & funeralibus honoribus publica cum laudatione, quam edidit luculentam Divinarum Artium doctor P. Franciscus Delbene Panormitanus, memoria ejus commendaretur, quibus & ipse adfuit cum plerisque Senatoribus, & Primoribus Civitatis, qui religionis gratiâ, vilissimas etiam res, quibus ille usus esset, flagitârunt, & in religiosis monumentis habuerunt. Corpus ejus præter morem Societatis cypressino est illatum sarcophago, additumque elogium plumbo inscriptum, & sepositò in loco terræ mandatum.

Proximæ mortis nuncium libentissimè accipit.

Psalm. 102.

Dicta ejus memorabilia.

Ejus in ferendis cruciatibus patientia admirabilis.

Ejus beata mors, exequiæ, & funus.

Primores Civitatis Cascini reliquias sibi dari poscunt.

Ea

Digitized by Google

XLII. Ea autem Jordani virtutum summa fuit, ut nullam in eo quisquam desideraverit, aut non maximam deprehenderit; quanquam in eo ille maximè laborabat, ut communiter viveret, & quæ admirationem, aut novitatem haberent rectè facta, suorum oculos fugerent. Quare occultam ejus sanctitatem maximopere prædicabat Simon Buccerius, tanquam nulli secundam, & plurimis anteferendam. Legam tamen suboscura quædam summæ probitatis vestigia, quæ industriam ejus effugerunt. Mira fuit hominis cum Deo familiaritas, conjunctio intima, assidua, & horarum omnium colloquiorum consuetudo. Noctis præsertim spatium, quod a curis, atque negotiis vacuum, unicè suum dictitabat, tribuebat ferè totum divinis rebus, somni desiderio magna ex parte subtractum. Nudis semper genibus, & manantibus identidem lacrimis, ad plures horas Deo supplicare senex quoque consuevit. Intimum cilicium setis intextum, atque a collo ad crura promissum, ut itinerum comitem, ita mensæ, & quietis socium habuit. Quum Provinciæ Collegia lustraret, accidit, ut oblivioſus Frater lintea, quibus culcitram sterneret non attulerit: Jordanus oblivionem lucro apposuit, & lectum ipse sibi concinnavit, nè Fratris memoriam excitaret. Quàndiu semel, iterum & tertiùm Collegii Panormitani magistratum gessit, octavo quoque die, quo cessarent juniores, & animo laxamentum ruri darent; ipse diluculo in culinam irrepebat, superioris cœnæ lances perpurgabat, sordes scopis accuratè amovebat, vasa culinaria abstergebat, aquam, & ligna humeris comportabat, & coquinaria obsequia ad meridiem usque curà summà exequebatur. Quod quum coquus animadvertisset, pridie ejus diei, qui vacationi erat destinatus, quasi rem gratam Jordano facturus, lances, ollas, & coquinarium omne instrumentum, atque culinam ipsam ita perpolivit, atque ornavit, ut nihil esset reliquum, quod alterius operam requireret. Tum Jordanus blandè questus est, quòd sibi laboris fructum præripuisset, jussitque, ab inusitata deinceps diligentia abstineret. Quum natalitii, feriatique cœlitum dies magno apparatu Panormi agerentur, Juniores, ac Fratres omnes ad religiosum spectaculum prodire gaudebat. Ipse vacuæ domùs januæ aderat, & janitoris officio fungebatur, clavibus lateri affixis. Quo in munere ad se confluentibus Senatoribus, & fori, ac curiæ Optimatibus longè majus temperantiæ spectaculum præbuit. Atque eo etiam tempore visus est mendicantium greges mirà oris, animique jucunditate excipere, singulis elargiri stipem, & intima etiam indumenta exue-

Præclarissimæ virtutes ejus, & egregia facinora.

Mira ejus cum Deo colloquendi consuetudo, & mactādi corporis ratio.

Ad humillima quæque Fratrū nostrorum munera adhuc Rector descendit.

Ejus erga inopes inexhausta misericordia.

exuere, ut pauperis nuditatem contegeret. Percrebuit autem inter pauperes, cœlestes etiam Spiritus ad eum veniſſe, quaſi opem peterent; reverà ut declararent, quanti Deus faceret inexhauſtam ejus erga inopes miſericordiam. Magno fuit in honore apud Doriam Pontificem, qui maximis in negotiis ei potiſſimùm deferebat, quòd conſilia ejus certa, recta, & ab omni aſſentationis fuco remota, nunquam exitu caruiſſe compererat. Quanti Jordanum propter inſignem ejus integritatem, atque prudentiam, Siciliæ Proreges fecerint, ut novis oneribus, ac vectigalibus publicè, ac maximè infenſum, vel ex eo judicatum eſt, quòd Orſonæ Dux, qui ex Sicula adminiſtratione ad Neapolitanam gradum fecerat, ex Veneta Provincia reducem, & ſalutandi gratiâ ſecretum poſtulantem, ſtatim admiſerit, ſui copiam familiariſſimè fecerit, & decedentem ad ſcalas uſque deduxerit, ſtupentibus Neapolitanis Principibus, & impensè ſciſcitantibus, quinam eſſet tam gratioſus Jeſuita, cui Orſonæ Dux dignitatis retinentiſſimus, & officiorum magis, quàm pecuniæ parcus id honoris impertiverit? Jordano defuncto, oſtenderunt ſe pleriſque Manes ejus, præſertim amicis, quos de cœleſti, qua fruebantur, felicitate admonuere. Illud majorem habet fidem, de quo teſtatur Vincentius Dominicus, Doriæ Purpurati Vicarius, qui graviter decumbens, ſibique ab cœleſti Judice valde metuens, Jordanum lætiſſimâ fronte ſibi adſtantem vidit, audivitque ex ejus ore hæc ipſa verba: *Quid vereris, Vincenti? Domino ſervimus, maximè bono, atque clementi*. Scripſit P. Jordanus S. Roſaliæ Panormitanæ Virginis Hiſtoriam, tribus libris comprehenſam, italicâ oratione: atque res ejus geſtas, quas antiquitas hauſerat, & oblivio penè deleverat tantâ accuratione, & veritatis ſtudio illuſtravit, ut qui eas legerit, non multùm deſideret noſtri hujus ſæculi eruditionem, ſagacitatem, & judicii cenſuram, atque ſolertiam. Pretioſas tamen vigilias, quibus vitâ fermè totâ allaboravit, maximis perpetuiſque diſtentus curis, ineditas morte occupatus reliquit. Prodiere tamen vetuſtarum S. Roſaliæ Imaginum exemplis ornatæ, P. Petri Salerni operâ Panormi anno 1651. Laudavere P. Jordanum Caſcinum Matina, Tornamira, Philippus Labbè, Nadaſi, Paruta, Bibliotheca Societatis, Petrus Salernus, & Antoninus Mongitore, qui ſuperiorum loca conſignat, & duo alia ejus opuſcula commemorat eodem argumento Romæ, & Panormi dum viveret prælo commiſſa.

Quanti eum fecerit Doria Pontifex, & Orſonæ Dux Siciliæ Prorex.

Manes ejus Vincentio Dominico ſe oſtendunt, & cœleſtis Judicis miſericordiam extollunt.

Sanctæ Roſaliæ Virginis hiſtoriam ſcripſit.

Antoninus Mongitore Biblioth. Sicul. Part. 1. pag. 369, & 370.

XLIII. Quod attinet ad Provinciæ negotia P. Pompilius Lambertengus Comenſis, qui Provinciam tertiùm adminiſtrabat,

Digitized by Google

bat, vitâ ante abiit, quàm magistratu, quem gerebat anno jam tertio. Ex fluxu sanguinis moriens P. Livium Trigonam Placentinum Domûs Mamertinæ Præpositum, qui sibi extra ordinem, se defuncto, succederet, appellavit. Decessit autem in Collegio Mamertino acutâ febri consumtus XVII Calendas Septembres annos natus undeseptuaginta. Elatus est insuetis honoribus: nam corpori cum funalibus cereis apparuere Nobiles Mariani Sodales; laudavit virtutes ejus P. Fabritius Spucces Panormitanus, cujus eloquentia in Domûs Mamertinæ Templo, insigni Civitatis concursu, clara habebatur. Nulla fuit optimi virtus Antistitis, quam in eo quisquam desideraverit. Ingenio fuit candido, simplici, aperto, ac minimè suspicaci. Quare primi ejus aditus patebant versutiis, atque fallaciis malorum, sed non diutiùs. Nam veritate compertâ, pro ea strenuè, etiam adversùs se dimicabat, incredibili rectitudine, mutabatque conversis studiis animum, neque verebatur, deceptum se fuisse, ingenuè confiteri. Quapropter quum insolens malarum artium in Provinciam cum potestate primùm venit, Jordano Cascino delatorum injuriâ infensus fuit, & nihil veritus hominis dignitatem, magistratus opinionem, modis illum omnibus exagitavit admirabili fortitudine, quem errantem existimaverat. Perspectis tamen obtrectatorum calumniis, nemo fuit qui eum plus diligeret, & in eo colendo, atque ornando magis laboraverit. In altero proinde, ac tertio Provinciæ magistratu præcipuos Jordano honores detulit, gravioribus eum curis admovit, & nihil absque ejus consilio, & auctoritate movendum censuit. Nunquam temere locutus, in familiaribus etiam colloquiis tam sedulò verba pensitavit, ut non facilè statueres, accuratiúsne scriberet, an confabularetur, vir alioqui facundus, & copiosus: de quo tradit Tornamira, quod fortuitas inter epulas in Cisalpinis Calvinianæ superstitionis principem fregerit, & ad hæresim ejurandam compulerit. Quum annos ferè decem in Provincia meruisset, neque in ea privatus unquam fuisset, sed in summo semper magistratu versatus esset; ita præfuit, ut nihil non commune cum privatis haberet; ita privatorum continentiam æmulatus est; ut ex oris dignitate, ex morum elegantia, ex gravitate verborum omnes intelligerent, dignum esse cui reliqui obtemperarent. Aquavivæ, & Vitellesco apprimè carus, Italiam ferè omnem, extra ordinem cum potestate lustravit; & ordinarios Provinciarum summos adiit magistratus, quos extra alpes etiam in Polonia, & Lituania, maximâ semper cum commendatione probitatis, & sapientiæ memora-

P. Pompilii Labertengi fatum, exequiæ, & eximiæ virtutes.

Incredibilis ejus in magistratibus rectitudo.

Samis Labertengi verbis cõmotus Calvinianus quidã, Calvino maledicit.

Magistratus, quos summa cũ laude gessit, referuntur.

Febri correptus sanctissimè moritur.

rabiles gessit. Deo supplicandi consuetudinem singulis diei horis familiarem habuit, & negotiorum administram. Nullam enim, ut minimam administrationem Deo inconsulto suscepit: Ex itinerum molestia, quam nullis commodorum condimentis temperabat, & ex assidua cruciandi corporis acerbitate, quam cum supremis etiam canis, atque laboribus conciliavit, vitæ sibi exitum repræsentâsse, Medici existimârunt, qui extremo morbo adfuere. Ejus testimonio, qui morienti Pompilio summa salutis sacra remedia administravit, cognitum est, Pompilium veneris in omni vita omnino expertem fuisse, & pudorem fortiter asseruisse, quum puella solum nacta ex insidiis erumperet, & ei procaciter insultaret. Extincti manes candidissimis radiis circumfusi obtulere se Venerabili Mariæ Roccafortiæ inter cœlestium ephæborum choros, Ambrosianum Canticum alternis concinentium; eique gratias egerunt, quod piacularibus ejus suffragationibus fuerint sublevati.

Tornamira de B. Virgine par. 3. pag. 132. & Diar. part. 2. pag. 21.

Puellam eum ad Venerem allicientem Pompilius strenuè dejicit, & evadit.

Manes ejus cœlesti luce circũfugi Mariæ Roccafortiæ se ostẽdunt.

XLIV. Ad prolixi anni, & Capitis exitum properanti occurrit P. Michaël Neurida Chius Leonis Allatii Avunculus, qui Collegii Mamertini negotiorum causâ Panormum venerat, & in Tirocinio Panormitano quinquagenarius conquievit. Adolescens Romam venit; & in Græcorum Societatis Collegio diu excultus, jussu Clementis VIII. cum Moletio, Castagnola, & Buccerio Chium navigavit, ibique Societatis Domicilii magno studio fundamenta jecit. Byzantium inde profectus apud barbarum Principem Societatis causam strenuè propugnavit, adversariorum fraudes delevit, nostros homines a calumnia vindicavit, & quod antea id tempus extundi non potuerat, aditum Societati patefecit, & ut sedem ibi figeret, impetravit. Romam reversus, & Græcorum Collegio redditus; paulò post tanquam debitam laborum mercedem, Societatem poposcit, & Aquavivâ lubente, Latinis Atticisque litteris eruditus assequi meruit in Romano S. Andreæ Tirocinio. Studiis in Collegio Romano peractis, Sacerdos in Provinciam missus Messanæ consedit, ibique Collegii Mamertini rem domesticam, fide ac navitate summâ procuravit. Morum ejus suavitatem, pietatem, religionem, doctrinæ præstantiam, consuetudinis integritatem & elegantiam pluribus exornat P. Melchior Inconferus æqualis & amicus ejus in Epistola ad eumdem Leonem Allatium, qui eam laudato in Codice edidit. Memorabile ibi narratur Neuridæ vaticinium, quod est hujusmodi. Pridie Calendas Majas Senatorii ordinis Patritius, Societati infensissimus, cui postridie magistratus sortitione obveniret, Neuridam ad se

Michaelis Neuridæ erga eam, quam nondum adierat, Societatem, studium, & benevolentia singularis.

Leo Allatius de Ecclesiæ Occidentalis, atque Orientalis perpetua consensione.

Societatem tandem petit, & obtinet.

Eximiæ ejus virtutes, & res gestæ.

Leo Allatius ibidem.

Quidam Societati infensissimus, ut Neurida prædixerat, miserrimè moritur.

gra-

gratulationis causâ venientem conspicatus, contumeliis, ac diris omnibus excepit, addiditque, *Proximum esse diem crastinum. Facturum se, quum illuxerit, ut intelligeret, quid Senator iratus posset, & quas ærumnas, atque calamitates esset Societati illaturus.* Tum Neurida, qui silens, & patiens debacchantem tulerat, placidè subridens, reposuit: *Plures adhuc ad crastinum horæ intercedunt. Tam dira Societati, & sine causa minitanti crastini gratiam a Deo factum iri non arbitror.* Quæ quum dixisset, aversus abiit. Sed senatorius candidatus eâ ipsâ nocte cum familia, & amicis quàm lautissimè cœnaturus, statim ac accubuit, ac gustare cœpit, primam buccam transmittere non potuit, & extantibus, atque emissitiis oculis, hiantibus buccis, faucibus tumentibus in ipso trajiciendi conatu, terrificum edens gemitum exanimatus est. Quæ res ut Civitatem consternavit, ita Neuridæ vaticinationi fidem fecit. Decessit P. Michaël Neurida VI Idus Majas, quum annos quamplurimos cum in Societate, tum in Provincia summa cum laude consumsisset, majoribus æquè, ac minoribus apprimè carus.

Pellizerius Histor. Dom. Mauertinæ ad annum 1637.

CAPUT VII.

P. Nicolaus Bersetius Provinciæ magistratu insignitur. Messana celebratur Provincialis Conventus. Collegium Melitense magno in periculo versatur. P. Alexander Nevola extra ordinem Provinciam administrat. Deinde ad triennium P. Cæsar Boscus. Domicilii Nasitani, & Collegii Randatiensis initia. Alius Panormi Provincia Conventus. Indicitur annus secularis, & magno apparatu celebratur. Inclyta nostrorum hominum funera, aliaque res gesta ad annum usque 1640.

QUinto jam mense, ex quo P. Livius Trigona Provinciæ magistratum extra ordinem gesserat, III Idus Januarias P. Nicolaus Bersetius Vercellensis, qui Lambertengo succederet, Messanam appulit, ubi parum commoratus, quòd ad agendum Provinciæ Conventum eò erat paucos post menses remigraturus, Panormum contendit. Inde Provincialia Comitia ad VII Calend. Majas Messanam convocat; sed ardente tum sævissimo inter Hispanos, & Turcas bello, quum de contrahenda pecunia, qua ad tuenda Insulæ litora classis adornaretur, esset agendum, flagitarentque Cu-

1636

P. Nicolaus Bersetius Provinciæ Conventum indicit, qui Messanæ cogitur.

Curiæ Principes, ne Bersetius abesset, ampliatus est Comitiorum dies ad IV Idus. Postridie ejus diei Patres, qui in Mamertinam Domum convenerant, P. Paulum Garlanum Corilionensem primùm appellant, qui Conventûs Acta consignet; socium deinde Garlano adjiciunt P. Georgium Tagliaviam Castroveteranensem. Jubent ad seligenda negotia, de quibus ad Conventum referre liceret, P. Cæsarem Boscum Panormitanæ Domûs *Præpositum*, & P. Livium Trigonam Mamertinæ; qui Idibus dictus est Provinciæ Procurator, ut Romanis Comitiis interesset, eique, si fortè abitinere prohiberetur, subrogatus P. Josephus Augustinus, Panormitanus. Postridie Idus deliberatum est, essentne Romæ cogenda Majora Comitia, negavitque Conventus cogi oportere. Trigonæ potissimùm mandavit Conventus, ut cum Vitelleſco sedulò ageret de sacris honoribus ab Romano Pontifice P. Bernardo Colnago impetrandis, cujus fama virtutum, & gloria prodigiorum, quùm anni jam quinque, & viginti invidiam obliterâssent, major in dies, atque splendidior ferebatur. Ceterùm Senatus Mamertinus, pro perpetua ejus in Societatem beneficentia, aureos quinquaginta supra ducentos *Professorum* Domui dono misit, nè deesset, quo Patres, qui ex Provincia convenerant, & familiam cumulaverant, paulò lautiùs, quàm domestica ferret inopia, haberentur. Livius autem Trigona III Nonas Octobris Romam ad Comitia profectus, & prope Calendas Apriles sequentis anni in Provinciam regressus. Mutii rescriptum de curandis Bernardi Colnagi honoribus, attulit in hanc sententiam. *Pium omnino, & justum Provinciæ desiderium, uti quàm maximè commendamus, ita priùs explere non possumus, quàm huc ad nos mittantur Processus Ordinarii auctoritate confecti: quos quum primùm ex Provincia acceperimus, tunc omni conatu curabimus, ut a Summo Pontifice Remissoriales litteras impetremus, quibus liceat, necessarios etiam ad Beatificationem, & Canonizationem Processus rite conficere.*

P. Livius Trigona Procurator ad Romana Comitia designatur.

Provinciæ Postulationes in Romano Conventu exponendæ.

Senatûs Mamertini erga nos liberalitas.

Ad Provinciæ Postulationes Vitelleſci rescriptum.

II. Duo & triginta hoc anno functa Provincia numeravit. Nos reliquis transmissis, tria commemorabimus, quæ rarum habent exemplum, & rerum gestarum gloriam. Desideratus est Calendis Martiis in Domo Panormitana P. Franciscus Rajatus Panormitanus sexagenario propior. Inclinatâ, quò ad vixit, usus est valetudine; laboriosam tamen, & requietis expertem vitam duxit, neque alium adhibuit medicum, quàm patientiam, aut aliud remedium, præter cibi parcitatem, quam ad inediæ fines provexit. Inclytus Musarum cultor, & latinitatis mun-

P. Franciscus Rajatus in Domo Panormitana moritur.

Digitized by Google

munditiarum scientissimus florentem ætatem in erudiendis Panormi externis, Mœnis verò domesticis junioribus posuit; & utrobique inter auditores suos Aloysium Lanuzam numeravit, quocum propter morum similitudinem conjunctissimè semper vixit. Natu jam grandior supremam vitæ partem ad animarum salutem contulit, Panormitanæ Domùs perpetuus incola: nisi quod ad declinandam malorum hominum invidiam, bis tempori cedendum fuit. Quoniam semel & iterum aliò ablegatus, Nobilitate summo studio flagitante, eódem est revocatus. Marianam itaque Nobilium Sodalitatem, & secretiorem alteram, quam *Mortificatorum* appellant, uno tempore excoluit, & tanta cum laude rexit, atque summæ opinione virtutis, ut utriusque disciplinam vix austeriorum Ordinum *Cœnobita* assequerentur. His accensebantur sodalitiis Senatores, Optimates, Curiæ Primores, & Principes Civitatis usque adeo frequentes, ut angusta jam esset Ædes amplissima, quò ad religionis officia sodales convenirent, seque flagris cæderent, pedes invicem oscularentur, levissimis de culpis objurgati pœnam ultro subirent, & quidquid ad frangendas hominum præsertim Nobilium cupiditates pertineret, cupidissimè exequerentur. Neque modò privatæ eorum vitæ ratio, tanquam emendatissimum christianæ probitatis exemplum Civitati præluxit; sed prodiere interdum magno agmine Rajato subsequente, per vias publicas bini laureatos hinc inde calathos ansis manu gerentes, quibus spectante ac flente pópulo, omnis generis cibaria pauperum Hospitio deferrent, & præcincti ministrabant. Rajatum verò, ut filii Parentem observabant. Nihil sive privatum, sive publicum, eo inconsulto, movere audebant; ejus & dictum, & nutum rebus omnibus intuebantur. Tanta erat hominis dignitas, pudor, comitas, innocentia, & in explicandis negotiis, atque consiliis certitudo, atque navitas! Verùm ea res obtrectatores quamplurimos Rajato reperit, quorum calumnia Majores nostros adegit, ut Panormitanæ Domùs columen, atque ornamentum Drepanum primùm, deinde Lilybœum avocarent. Quod quidem bonis omnibus gravissimum accidit, & Rajato ipsi non satis jucundum, quum perspiceret animo, tot ac tantas res abs se institutas, se absente interituras. Qua de re Matina nonnihil Majores accusat, quòd adversariis potiùs, quàm amicis aut credendum, aut obsequendum censuissent. In ea commoratione animo laborantem, & corpore parum firmum Rajatum amicum suum ostento Deus recreavit. Quum enim in Rapusanæ Villæ suburbano, arboribus consito,

Munera, quæ in Societate sũma cum laude gessit, describuntur.

Nobilium, ac Mortificatorum Sodalitates summæ opinione virtutis Panormi excoluit.

R. P. Petrus a Panorm. Paradis. Seraphic. tom. 2. pag. 154. & seqq.

Quænam sub Rajato Duce religionis officia cùm publica, tum privata sodales darent, & exempla virtutum.

Ejus in explicandis negotiis certitudo, atq; navitas.

Malorum hominum invidiâ Panormo ablegatur.

Matina Historia Dom. Professæ Panormitanæ pag. 100. & seqq.

Mirabili ostento ejus innocentia cōfirmatur.

quemadmodum auctor est P. Nicolaus Nicolosius, solus spatiaretur, & secum ærumnas suas volutaret, tacitusque doleret vicem suam, quòd nihil neque humanum neque divinum ex sententia flueret, sed calamitates in eum omnes conjurarent, subvereri cœpit, iratum sibi esse Deum, seque aliquà esse gravi culpà obligatum, cujus causà cœleste numen haberet infensum, sibique esset de salute desperandum. In eo alternantis spei, atque timoris æstu ad Deum conversus, & prætervolantem aviculam conspicatus, *Te precor*, inquit, *cœleste numen, ut hac me molestiâ liberes; & si tibi non sum invisus, ac cœlo designatus, fac ut isthac Avicula ad me advolet, & in hanc manum descendat*. Quæ quum flens inculcaret, Avicula converso volatu, in manum ejus se demisit, & lacrimas auxit, sed flendi causam mutavit. Nam summà voluptate liquescens, ex eo tempore cœlestem potiùs, quàm humanam agere vitam instituit.

Silvius Tornamira Tom. III. de Nostrorum Virtutibus pag. 257. Nadasi de Signis Prædestinat. pag. 120.

Panormitanæ Domui redditur, & ad consueta pietatis officia restituitur.

III. Panormitanæ Domui post sextum annum, adnitente nobilitate, redditus, se major, ac longè melior consueta pietatis officia quasi cœlestium jam honorum candidatus, inusitatà quadam oris, & linguæ suavitate ita cumulavit; ut si divinum nectar effunderet, & eos quibuscum ageret, ad supernarum rerum curam, atque amorem incenderet. Quum Templi præfecturam gereret, & solemne in eo sacrificium Deiparæ natali die perageretur, exquisitissimo cum concentu, quem P. Erasmus Marotta musicorum numerorum scientissimus concinnaverat, summáque voluptate confertissimi omnium ordinum cives detinerentur, prodiit ille ex cubiculo candenti facie, rubentibus oculis, ac Deo plenus ad Templum properabat. Propiùs accedens ut modulantium voces, & cytharædorum, atque tibicinum mirà concordià consonantium melos accepit auribus, exhorruit, quasi frementium belluarum inconditum tumultum exaudiret; atque obvium sibi ædituum vehementer commotus objurgavit, & *Hæc est*, inquit, *mi Frater, Templi Societatis religio? Qui sunt hi, quos audio, rixantium bestiarum latratus, rugitus, fremitus?* Ædituus verò mirans, ac stupens, *Quid ais Pater*, respondit, *aut quos fremitus somnias? Sacrum suavissimo cum concentu, qualem antea nunquam audivimus, plaudentibus omnibus, celebratur*. Ea in altercatione, ad quam non mediocris factus est prætereuntium concursus, Rajatus sibi redditus, in se descendit, & quid rei esset animadvertens, verecundià percitus sese inde proripuit, & in cubiculum abdidit. Rogatus deinde ab ædituo fa-

Quanti eum Deus fecerit, mirabili ostento confirmatur.

Modulantium voces, Bestiarum rixantium fremitus esse putat.

mi-

miliarissimè, quo mentis, vel aurium ludibrio ea monstra sibi audire visus sit; *Committam tibi*, inquit, *quod esset reticendum, modò fidem silendi dederis*. Quâ datâ, *Scito*, addidit, *adfuisse me paulò ante, quàm mihi occurreres, superis cœleste melos concinentibus, quo quum adhuc calerent aures, & animus suavitate redundaret, ut incidi in sacrificii concentum, cujus horam non advenisse credideram (nam ideo exieram, ut pro meo munere ejus inchoandi tempus non prætermitterem) testor cœlum & terram, putâsse me, nedum ranas, & anseres inter olores strepere, sed latrantium ac mugientium confusis atque terrificis vocibus templum personare. Proh quàm ab humanis distant cœlestia!* Quis autem crederet fieri posse, ut tantæ vir religionis, ac probitatis, & de Panormitana Domo optimè meritus, quem nemo non observaret ac vereretur, in easdem iterum incideret malarum mentium insidias? Adversarii enim vacuas nacti aures P. Augustini Vivaldi Provinciæ Antistitis Panormitanæ, eo tempore a Mamertina sejunctæ, qui paulò ante Januâ Panormum venerat, homo provincialium rerum imperitus, & Rajati virtutum, ac meritorum non æquus admodum cognitor, ab eo extorquere potuerunt, ut Rajatus abesse cogeretur. Quare anno 1630 Thermas proficisci jussus est ad Aquas Selinuntias, ut in eo Collegio sub P. Francisco Puccio Mœnenino, Tertianorum Patrum institutionem aggrederetur. Quo quidem in munere annum exegit sanè faustum, & in Provinciæ fastis memorabilem: nam ex ejus disciplina prodiere Sacerdotes divinis rebus adeo eruditi, ut Agrigentinam jurisdictionem, ad quam in expeditionem exire jussi sunt, & Agrigentum ipsum cum finitimis oppidis concionando lustraverint, ac divino veluti injecto igne, ad christianæ frugis elegantiam compulerint. Sed P. Franciscus Piccolomineus, statim ac cum potestate Panormum attigit, ut si nullum haberet negotium, de quo vehementiùs laboraret, humanissimis litteris Rajato mandavit anno 1631, ut ad intermissa munia in Panormitanam Domum quantocius rediret. Revertentem universa Civitas, maximè verò nobilitas Patriæ veluti Patrem, gestientibus omnibus complexa est. Uno ante mortem mense, quo die Purificatæ post puerperium Deiparæ memoria colitur, gravissimè decumbenti, atque ex vita discedere flagitanti oblata est per visum splendida illa cœlitum supplicatio, quâ Beatissimæ Superûm Animæ Virgini Matri magno agmine gratulabantur. Quum & ipse inter cœlestes sociorum animas a sensibus avocatus versaretur, a Deipara petiit,

Ejus rei ratio, & testimonium.

Nova oritur in P. Rajatum non levis procella.

Thermas ad Aquas Selinuntias proficiscitur, ibiq; Tertianorum Patrum institutionē aggreditur.

Iterum Panormum redit non sine magna Civium gratulatione.

ut

Gravissimè decumbenti Deipara inter Superos se ostendit, & de exitu admonet.

ut liceret sibi ad corporis officium non reverti, atque in Beatorum Patria cum laureatis civibus apud eam permanere. Negavit Virgo id fieri posse, quando ad mortalitatis cursum explendum nonnihil adhuc dierum supereſſet; quo temporis spatio molestiarum, ac meritorum a Deo præstitutam, esset mensuram adæquaturus. Sex ipsos menses lecto affixus ante obitum jacuit, maximis in miseriis atque doloribus, quos assiduâ cœlestium rerum contemplatione mitigabat. Inciderunt hoc anno in Sabbati diem Calendæ Martiæ, quo die P. Aloysius Lanuza, qui sacras magni jejunii conciones Catanæ habebat, aliquandiu cum eo, qui Minister erat Collegii, domestico in horto prope noctem spatiatus, repentè oculos attollit, atque in cœlum suspiciens, plaudensque manibus, quasi magnum aliquid conspiraretur. *O Rajate!* exclamavit, *O Rajate!* Ut se tamen respexit, ostentum occultare studuit, aitque: *O vanas hominum mentes! Mihi omnia alia cogitanti memoria occurrit Magistri mei, cui plurimùm debeo, P. Francisci Rajati. Quàm scire vellem, ubi sit, quid agat, quo sint loco res ejus!* Tum in cubiculum silens se recipit. Adnotavit Minister diem & horam. Et proximis quidem litteris Catanam allatum est, P. Franciscum Rajatum, adultâ jam nocte, e vivis abiisse. Ex quo intellectum est, dum adhuc viveret, eum se Lanuzæ ostendisse, ut tam necessario tempore laboranti hic amico subveniret. Ceterùm eâ ipsâ horâ, quâ Rajatus corpore excessit, P. Vincentio Raymundo Catanensi viro gravissimo, quocum conjunctissimè vixerat, Messanæ obtulere se etiam manes ejus candidissimâ specie, quam tamen igneæ quædam subtilissimæ striæ, & diffusæ in omnem partem scintillæ involvebant, quasi indicarent, piacularem ejus cruciatum neque gravem esse, neque fore diuturnum. Quod & verbis confirmârunt, & mœrentem ex domesticis ærumnis amicum molestiâ exemerunt. Comitati sunt funus ejus Nobiles Mariani Sodales, magno ardentium funalium agmine, & quæ circa corpus essent, raptavit populus omni ex parte circumfusus, propter exploratæ virtutis opinionem.

P. Aloysio Lanuzæ dum adhuc viveret, videndum se præbuit.

Defuncti Manes P. Vincentio Raymundo se ostendunt, & mœrētem sublevant.

Ejus exequiæ, & funus.

IV. Candidissimis Societatis hominibus annumerandus est P. Dominicus Raphaël Lucensis. Adolescens apud avunculum, qui jampridem negotiorum causâ in Siciliam venerat, & Messanæ consederat, diversatus, & in Collegio Mamertino religione, ac litteris eruditus innocentiam apprimè coluit, & anno ætatis decimosexto, decursâ Philosophiâ, Doctoris sui placita magnâ cùm ingenii, tum facundiæ gloriâ propugnavit.

P. Dominici Raphaëlis ingenium, & morum innocētia.

Sub

Sub id tempus, ut naturæ desiderium turpia poscentis excitari sensit, superatis lubricæ ætatis, & procacium adolescentium insidiis, corporis animique integritatem Deo nuncupavit, & sacramento obstrinxit, quam & ad mortem usque sanctè servavit. Et quidem eo periculo admonitus, a pueritia concepium adeundæ Societatis propositum declaravit, & avunculo invito primùm, deinde in sententiam adducto, strenuè explicavit. Ut enim Messanæ auditum est P. Jacobum Alexandrum ad capessendam Provinciam Rhegium Julium venisse, eò se contulit, & causam suam ei tantopere probavit, ut Societatem uno colloquio impetraverit, eique persuaserit, ut ad ponendum religiosæ vitæ tirocinium, procul a propinquorum conspectu Panormum mitteretur. Eodem tempore, cœlestis Genius adolescentis custos Fratri Simoni Buccerio, qui inter sanctissimos ejus ævi viros meritò censetur, in Tirocinio Panormitano agenti, sese in conspectum dedit, & sedulò admonuit, adfuturum peregrinum adolescentem, qui tironibus se aggregaret, cujus & animi virtutes, & oris lineamenta ei cognita esse vellet, ut advenam foveret, atque intelligeret, Deo sibique magnæ curæ esse ejus institutionem, atque salutem. Tum Dominici Raphaëlis dotes, & corporis habitum, atque vultùs imaginem tam exquisitè exposuit, ut Buccerius, eo primùm viso, confestim apud se statuerit, eum ipsum esse, de quo fuerat edoctus. Tironum numero additus IX Calend. Novembres anno 1623. Jordano Cascino Tirocinii Magistro divinarum rerum scientissimo sedulam dedit operam, & Buccerii animum adeo sibi demeruit, ut consiliorum, virtutum, & cœlestium ejus beneficiorum ab eo particeps effectus fuerit. Quare & vitam ejus accuratè descripsit, quam ut ineditam maximè probavimus, quum Buccerii res gestas memoriæ prodidimus; ejusque autographum inter pretiosa Provinciæ monumenta, adjecto Dominici Raphaëlis nomine, quod ipse dissimulat, custodiri studuimus, cùm propter operis, tum propter Auctoris dignitatem, & fidem. His religiosæ vitæ doctoribus, tanquam reliquarum virtutum fontem, summam hausit & intimam cum Deo conjunctionem, quam aluit semper, & magnis in dies incrementis augere nunquam destitit. Ex Buccerii præsertim familiari consuetudine de suis rebus silendi invariatam didicit tenacitatem. Quo factum est, ut ex fallendi, atque occultandi studio cœlestia in eum collata beneficia æqualium scientiam, & scriptorum industriam fugerint prope universa. Quorum tamen non vulgare extat testimonium, de quo non ante compertum est,

Societatem poscit, & obtinet.

P. Simon Buccerius de futuro Tirone a cœlesti Genio admonetur.

Panormi Societati adscribitur.

Ejus cum Deo singularis conjunctio, & admirabilis Temperantia.

est, quàm Raphaël morti proximus id enunciari vetuerit, ut paulò post ostendemus. Est autem illud, quod adhuc tironi de cœlo est prænunciatum, se ante virilem, & peregre, & Romæ, & anno ætatis trigesimo, & Sacerdotem, moriturum. Quæ in ipso eventu comperta sunt, & contestata. Ut prodiit e Tirocinio, biennium latinis litteris Mœnis dedit, quas deinde quadriennium Panormi tradidit, unus omnium maximè acceptus, & ingenii, atque doctrinæ laude in paucis ornatus. Divinis postmodum Artibus quatuor item annos in Collegio Romano illustrem, & singularem dedit operam, doctoribus unicè carus, & ab ingenii ac memoriæ ubertate magnopere commendatus. Litterarum eruditione absolutà, aliam religionis ac pietatis sub P. Decio Striverio Spoleti inchoavit, quod est nobilissimum Umbriæ Oppidum, ubi tunc temporis Romana Provincia Tertianos Patres ad virtutum palæstram revocabat. Verùm quæ fuerit à primi Tirocinii biennio ad Spoletinæ institutionis exitum vitæ ac meritorum ejus ratio, temperantia ejus hausit, cujus industriâ, præter perpetuam vitæ elegantiam, & exquisitam disciplinæ custodiam, nihil præterea eluxit, quod non esset commune cum pluribus.

Adhuc Tiro, quomodo, ubi, & quando fuerit moriturus, de Cœlo admonetur.

Humanas, divinasque Artes summa laude discit, ac docet.

V. Mors tamen apertissimo testimonio declaravit, quæ & quanta esset virtutum, ac meritorum ejus excellentia. Quoniam ad Rhetoricam Artem Florentiæ tradendam designatus, Septembri ineunte, æstivis sideribus nondum imbre temperatis, quum Spoleto exisset, Romæ ex itinere febri tentari sensit, & tertio die graviter ex ea decubuit. Præcipuorum medicorum coacto concilio, nullum fuit pretiosum remedium, subactis etiam ad potionem margaritis, quod haustum ex cœli vitio venenum frangeret. Quare supremis perfunctus est religionibus. Tum singulos qui aderant complexus Patres, Fratresque, repentè quasi cœlesti Numine instinctus, formatum expromsit sermonem latinâ oratione, cujus illud fuit argumentum: *Lætus & beatus morior, quia morior in Societate Jesu.* Ejus autem lætitiæ causas, desumtis ex sacrorum Bibliorum, Patrumque eruditione sententiis, cœlesti quadam facundiâ, & vocis atque oris constantiâ ita illustravit, ut si non ex tempore, neque moriens diceret, sed integer, & meditatus. Quod quidem divinæ potiùs, quàm humanæ eloquentiæ flumen ad ea verba conquievit: *Nihil me in morte conturbat. Quoniam Princeps hujus mundi in me non habet quicquam. Neque hæc dico ex animi mei confidentia, sed ex divina misericordia, & ex sanguine hujus* (Christum significabat, cujus simu-

Febri tentatur, & ex ea graviter decubit.

Suam lætitiam, quòd in Societate moriebatur, latinâ oratione illustrat.

lacrum

lacrum manu tenebat, & attollebat) *ex hujus meritis certus sum, me salvum fore. Ideo ridens in morte gaudeo, simul & pereo. Quacumque de me superiores mei decreverunt, omnia semper meliorem in partem interpretatus sum. Nunquam carni, & sanguini acquievi. Ideo in morte me beatum existimo, & divina bonitas facit, me ridentem mori.* Tum qui aderat, & manantibus uberrimè lacrimis orationem acceperat, P. Cornelius a Lapide, graviſſimus meritis, & ætate ſenex, tanquam alter Simeon cœleſti afflatus luce in morientis amplexum ruit, & *O mi Pater*, inquit, *mi Pater, hodie manè feci ſacrum pro te, ſed Deus exaudire me noluit, quia placita Deo eſt anima tua, quam poſt annum tirocinii tertium, ad cœlum rapit. Rapit inquam, in innocentia, nè intellectum immutet malitia, nè negotiis & confeſſionibus, & peccatis alienis implicatus difficillimam reddas animæ tuæ rationem. Purgatorium ignem aut brevem, aut nullum paſſurus es. Ego te precibus, & ſacrificiis aduſque cœli limina comitabor.* Adfuit & P. Decius Striverius, qui per eos dies ad Romanæ Provinciæ Conventum Romam venerat, Raphaëlis conſcius arcanorum, quòd ejus proximè in Spoletino Tirocinio inſtitutor fuerat, & ſuperioribus annis eum in Sicilia cognoverat, ubi quadriennium cum poteſtate verſatus erat. Hic ut morientis lætitiam cumularet, commemorare cœpit, quemadmodum de mortis loco, ac tempore, in Tirocinio Panormitano fuerat admonitus; ſed Raphaël, quem vocis officium jam defecerat, prima dicentis verba ut intellexit quorſum ea tenderent, ut potuit, interpellavit; nam nutibus, & allato ad labia dexteræ manûs indice, ſignificavit, ut in tanta adſtantium frequentia id quod non erat efferendum, reticeret. Itaque inter communes Collegii, & Provinciæ Romanæ lacrimas, quæ tum Conventum agebat, & funeri interfuit, extinctus eſt, eo loco & tempore, quod Panormi tiro didicerat. Neque prætermittendam arbitror P. Petri Spucces Panormitani mentionem, de cujus Familiæ erga Societatem meritis redibit ſermo ad annum 1639, quum de Fabritii fratris rebus geſtis commemoratio ſe offeret. Quatuor fratribus, omnium natu maximus ad Societatem viam ſtravit, & aditum patefecit. Singularis ferebatur doctrinæ ac ſapientiæ ejus opinio, quam inſignis quoque probitas, & domeſticæ continentiæ ſplendor illuſtriorem reddidit. Doriæ Purpurato, & Panormitano Pontifici gratioſiſſimus, & dux animi, & conſiliorum particeps, & officiorum arbiter habitus eſt. Quam tamen tanti viri gratiam & intimæ

Quibus potiſſimùm artibus Raphaël beatæ mortem ſibi cõparaverit.

P. Raphaëlis virtutes, P. Cornelii a Lapide teſtimonio confirmantur.

Admirabilis tẽperantiæ exẽplum.

P. Petri Spucces Societatem merita, virtures, & res geſtæ.

familiaritatis consuetudinem, non aulicis captavit assentationibus, sed doctrinæ præstantiâ, & rectè sapienterque sentiendi candidâ quadam libertate sibi demeruit, & ad mortem usque retinuit. De decretis Sanctæ Rosaliæ corpori honoribus optimè meritus, pro ejus veritate strenuè laboravit, opusculum edidit, & auctoritate, atque eloquentiâ plurimùm dimicavit. Supremos vitæ annos, quam omni litterarum genere instructus majoribus tradendis in Patria disciplinis ferè omnem impendit, in Panormitana Domo castigatissimè egit. Virorum Principum, & Curiæ Præfectorum, atque universæ nobilitatis concursu singulis diei horis requisitus, & ad intima negotia familiarissimè admotus, ejus famam, & rem morum integritate, consiliorum certitudine, & crebris amicorum largitionibus amplificavit. Diem suum ibidem clausit assiduis defatigatus laboribus ante senium, III Idus Sextiles, anno ætatis supra quinquagesimum, quarto.

Mamertinum S. Francisci Xaverii Domicilium publicatur.

VI. Adumbratum anno superiore Mamertinum S. Francisci Xaverii Domicilium, in Terrænovæ Vico, qui situs est in pomœrio Civitatis apud Musellas, hoc anno lætis auspiciis est inchoatum, & maximis explicatis difficultatibus, habitari cœptum pridie Nonas Januarias; quo die P. Livius Trigona paulò ante quàm Provinciæ magistratum poneret, Ædem S. Francisco Xaverio dictam lustravit, ac publicavit, & primùm in ea Deo litavit, constituitque P. Nicolaum Sollimam, nobilem Messanensem, qui Domicilio præesset, eique addidit ad Templi officia Sacerdotem, & ad domestica obsequia Fratrem, quorum nomina oblivione hausta sunt. Eximii memor beneficii Mutius, postridie Nonas Quintiles, Petrum Balsamum, & Franciscam Aragoniam ejus uxorem Roccæfloritæ Principes, Mamertini Tertianorum Tirocinii conditores publicis litteris salutavit, & universæ Societati, quæ illis adhuc vivis prodessent, sacrificia indixit terna singulis Sacerdotibus, sena siculis provincialibus; Fratribus verò non absimilem sacrarum precationum numerum; quòd aureorum millia viginti Societati contulissent, ex quibus annui mille redirent. Quoniam verò per domestica negotia Messanam venimus, non abs re fuerit P. Antonini Narii Brontini ex vetusta Epirotarum Colonia prope Ætnam, qui hoc anno per jejunii ferias in Domûs Mamertinæ Templo conciones habuit ornatas & salutares, eloquentiæ fructum exponere. Magnis annonæ difficultatibus universa Sicilia laborabat: sed ante omnes inopiâ premebantur Mamertini, cùm propter opulentissimæ Civitatis frequentiam,

Erga benemeritos de Societate P. Mutii Vitelleschi gratus animus.

Magna frumenti inopia universam Siciliam, & præsertim Messanam exagitat.

tùm

tum quòd propter eorum agri conditionem, stirpibus magis, quàm frugibus alendis idonei, frumento non utuntur, nisi magna ex parte importato. Auxere malum publicum finitimiorum oppidorum accolæ, quorum incredibilis est in proximis collibus, & agris numerus, Messanam, ut filii ad matrem confluentium. Senatus tertio jam mense conquirendo, parcendo, vigilando, frumentum viritim metiendo, rem frumentariam sustentaverat. Sed panis jam publicis in macellis nusquam venalis proponebatur. Plebs enim pistorias officinas turmatim invadebat, & recentem ex furno panem tanto impetu diripiebat, ut in ipso emendi certamine, atque concursu, plerique pedibus conculcati, atque contriti interierint. Impendebat jejunii exitus, & jam populi motus ad tumultum & arma spectare videbatur, quòd potentiores, ut familiis consulerent, privatim frumenta condiderant, & in vulgus edebatur, bidui frumentum supereſſe. Tum P. Antoninus Narius, Senatu adnitente, nè Civitas ancipiti calamitate everteretur, ac fame, & ferro periret; populum convocat, & pridie *Paraſceves*, Christi pro communi salute cruciatus exposuit. Ad Cives deinde conversus eos gravissimis verbis objurgavit, *quòd publicam arumnam tam molliter ferrent, neque meminissent, longè majorem communibus flagitiis deberi pœnam. Nunquid cum Deo depugnare vellent, & seditione potiùs exacerbare, quàm irati numinis ultionem pœnitentiâ lenire? Caverent proinde, nè fatalem inopiam aliena potiùs avaritia, quàm intemperantia ſuæ assignarent. Quàm rectiùs a Deo inopiam deprecarentur, & numen ejus expiati pacarent, quàm per ſummum ſcelus Patriam concuterent, & flagitia flagitiis, plagas plagis cumularent! Quod ſi deprecatorem ſe apud Deum habere diffiterentur, injuriosè profecto, ingratèque agerent, qui ſub Deipara eſſent clientela, & de ejus ad ſe miſſa olim Epiſtola gloriarentur. Tot ergo cœleſtibus beneficiis in Mamertinos perpetuò effuſis, nondum meruit Divina Mater, ut ii opem ab ea peterent, & ſperarent, atque in ejus fiducia conquieſcerent? Num beneficio ejus fame, bello, peſtilentiâ, noſtrâ etiam memoriâ redempta Civitas ignoraret quid ea poſſit, aut non reminiſceretur quid Mamertinorum causâ velit? Abjeciſsentne & Patrona vetuſtiſſima clientelam, & dulciſſima Matris amorem, pietatem, religionem? Flagitarent itaque per Deiparam a Deo panem, & annonam: neque vererentur, eam tam juſtis precibus defuturam.* Eam Narii orationem tantus populi motus est consecutus, ut nemo

Publicæ egestatis effectus enumerantur.

Nostri Concionatoris studio, malo publico subvenitur, & populi motus sedantur.

Oratio ad populum Mamertinum a P. Antonino Nario per id tempus habita.

P. Narii hortatu ad Deiparã, ab Epistola nũcupatam, Mamertini confugiunt.

fuerit, qui non se a tumultu ad spem, & religionem converteret. Maximi eo die, & postridie facti sunt ad Ædem Principem & expiationis, & colendæ Virginis gratiã civium concursus. Quin & ipsà *Paraſceves* nocte auditæ sunt per vias Civitatis famelicorum voces, annonam a Deo per Mariam petentium, & in lacrimas, atque ejulatus, panem conclamantium. Audiit optima Mater filiorum luctum, atque clamorem. Crastina enim lux sereno cœlo lætissima, flante austro, tres eximiæ magnitudinis, ex Leucopetræ promontorio, in quod desinit Apenninus, onerarias ostendit, quæ frumentum ex Apulia Neapolim veherent, & prospero cursu succederent, ac freto appropinquarent. Agnovit Senatus cœleste subsidium, & armatum navigium cum Senatore obviam mittit, qui militares preces adhibeat, ne graventur, populum Mamertinum extremà fame prostratum sublevare; & frumentum duplo pluris quàm emissent, distractum iri polliceatur. Tum qui commeatui præerant negotiatores sine cœlesti numine fieri potuisse negabant, ut qui hesterno die sinum Tarentinum paucis horis præternavigâssent clementiore vento, putâssentque fretum de nocte se, quod maximè optabant, transituros, ut tenebris tegerentur, & Mamertinos eluderent, de quorum inopia ad eos jam fama pervenerat; eodem austro, qui cum sideribus vehementiùs flare cœperat, nihil totâ nocte processerint, & in Leucopetræ promontorio, ubi lux eos reliquerat, postero die repererit, quasi ad anchoras subsistitissent. Quare lubentes supremo jejunii die, quod Sabbatum est maximè omnium sanctum & religiosum, eà ipsà horà portum intrant, qua solemni sacrificio Christi redivivi, plaudentibus tubis, tintinnabulis, atque tormentis, quotannis *Gloria* canitur, & memoria celebratur; insaniente propemodum magis, quàm exultante præ lætitia Civitate, & Deiparæ laudes, ac grates conclamante. Expositæ sunt ex navibus millia quatuor tritici medimnorum, (Salmas Siculi appellant, Romani Rubios) pro quibus erogata sunt ex ærario Civitatis aureorum quinquaginta ferè millia.

Populus Mamertinus oneraria naves portui succedẽtes videt, & missam a Deipara annonam comperit.

Ejus ostenti fides, & series.

Naves frumento onustæ B. Virginis numine Mamertinum portum vitare nequeũt

VII. Eo subsidio recreata Civitas finitimis etiam oppidanis admirabili magnitudine animi copiam fecit. Quare in eadem annonæ incommoda paucos post dies recidit. Verùm recenti periculo admonita, & P. Antonini Narii memor præceptorum, quæ talem successum habuerant; Nonis Aprilis, omnium ordinum summam supplicationem indixit, cujus agmen subsequente Senatu, atque Curiã, cum Principibus Civitatis, claudebat Deiparæ Capillus argenteo loculo, & perspicuis crystal-

Mamertina Civitas in eadem annonæ incommoda recidit.

Magnis Religionibus Deiparæ supplicatur.

Digitized by Google

stallino opere specularibus circumseptus: quo in populi conspectum dato, maximus omnium repente clamor sublatus est, & erratorum a Deo veniam, & a Deipara panem petentium. Tertio post die, ut illuxit, alter se in freto obtulit navium commeatus, secundo euripo, ac vento carbasis omnibus prætereuntium, quarum Mamertini duas assequuntur, & interceptas in portum compellunt. Nè verò cuiquam subdubitare fas esset, eam esse Deiparæ præsidio submissam annonam, postero die duæ aliæ apparent frumento onustæ, sed armatæ Batavorum naves, quæ nullà vi adigi potuerunt, ut cursum converterent: nam tormentis, quibus erant instructæ, Mamertinorum naves arcebant, & ad noctem usque prælio deducto, tenebrarum, & austri ferentis beneficio usæ, extinctis luminibus se subduxerunt, & nusquam ampliùs visæ sunt. Sed missum a Lauretana Matre munus abducere sunt prohibitæ, & Mamertinis reddere coactæ sunt. Nam albescente cœlo, neque pro Batavorum, aut Mamertinorum opinione, neque ut venti, aut maris conditio tulisset, repertæ sunt intra muralis tormenti jactum juxta portûs munitiones ad occidentem Solem, & Mamertinam classem ad orientem, tantà propinquitate, ut nullo negotio deprimi possent. Quare ostento commoti, & periculo exterriti Mamertinis se dedidere, qui ad litus effusi, obortis lacrimis, & magnis clamoribus Deiparæ gratulantes, Templorum turribus, & Castellorum tormentis lætitiam significantibus, cœleste subsidium exceperunt. Cumulatum autem est gaudium, ex quo in vulgus auditum est, tam insignem frumenti vim, quæ medimnorum sex ferè millia attingebat, Anconæ impositam, & ex Lauretani Sacrarii cellis, & horreis expromptam fuisse. Senatus interea Mamertinus, cui nostrorum hominum in rebus agendis perspecta erat auctoritas, atque fides, ut cœlestibus beneficiis humana etiam consilia servirent, P. Joannem Baptistam Appianum Taurinensem pridie Nonas Apriles Panormum ad Proregem legatum misit, ut rem frumentariam explicaret, Item Majo ineunte, P. Nicolaum Solimam Mamertinum cum iisdem mandatis Neapolim destinavit; Idibus denique Juniis, P. Joannem Melismenum Messanensem eôdem ejus negotii causà legavit. Qui omnes, rebus ex sententia confectis, gratuitum laborem, & operam magna cum laude præstiterunt, & summà civium gratulatione Messanam remeârunt.

Mamertinorum calamitatem Lauretana Virgo, ostento semel, & iterũ sublevat.

Duæ Batavorũ Naves frumentum Messanæ exponere negant; & magno in periculo versantur.

Batavi ostento commoti tandem portum intrant.

Senatus Mamertinus per nostros homines rem frumẽtariam curat.

VIII. Improsperè illuxit Collegio Melitensi annus 1637; insigne enim, ac memorabile acceptum est detrimentum, quod nisi Historiæ fides cogeret, quàm lubentissimè oblivione hau- 1637

Collegium Melitense maximo in periculo versatur.

hauſtum vellemus. Erat tum Inſulæ Princeps Joannes Paulus Laſcaris, qui duos ante annos ſummum magiſtratum adierat, vir maximè probus, atque ſeverus, & morum cenſor ac vindex gravior, & accuratior, quàm pleraque juventus ferre poſſet. Hic maximè rebus noſtris ſtudebat, ad nos ventitabat, & P. Sebaſtianum Seleglies Hiſpanum Olivenſem, doctum, & pium hominem quàm ſæpiſſimè adibat, & apud ſe quotidie eſſe jubebat; neque qui Collegii magiſtratum gerebat, P. Georgium Tagliaviam Caſtroveteranenſem, magni judicii virum, minùs impensè diligebat. Sed præ reliquis familiariſſimè utebatur P. Jacobo Caſſiâ Melitenſi, viro in paucis ſtrenuo, & auſtero, apud quem expiationis officium exercebat, & intimas verſabat animi latebras. Quo factum eſt, ut nemo ſibi non perſuaderet, univerſam Inſulæ adminiſtrationem Caſſiæ conſilio geri, atque imminutam juventutis licentiam, & ejus coërcendi conſilia ex Societatis Collegio prodiiſſe. Communem incitavit ſuſpicionem unum & alterum Laſcaris Principis edictum, quorum primo cavebatur, nè liceret mulieribus per bacchanales ferias, perſonam induere, & ſexu diſſimulato vagari. Altero, nè illæ auderent ludicro intereſſe, quod Nobiles Itali adoleſcentes in ipſorum hoſpitio ſe daturos edixerant. Utraque contumacibus eſt virgarum pœna propoſita, Eà re incenſi nonnullorum animi ducem nacti ſunt Salvaticum quemdam nobilem Patavinum, qui quum bacchanales ludi Melitæ haberentur, perſonatus cum aliis prodiit, qui Jeſuitarum inceſſum, & habitum de ridiculo imitarentur, & ita indutus, ut in pectore ac tergo duas oſtenderet tabulas cum ejuſmodi elogio majoribus literis & Romanis, & Arabicis propoſito: *Eliminandos eſſe Jeſuitas, quòd Patriæ hoſtes, publicæ tranquillitatis oſores, & afflictæ libertatis auctores eſſent.* Quibus cognitis, Laſcaris Salvaticum contumeliæ auctorem in vincula conjici imperat, & ad Santelmi Arcem compelli in anguſto ac fœdo conclavi. Hoc veluti ſigno dato, Itali adoleſcentes, qui participes erant conjurationis, ſupremo bacchanalium die armati conveniunt, & inter pocula de Salvatico vinculis eximendo ſtatuunt. Itaque ſub meridiem conſurgunt omnes; Linguarum, & Nationum Hoſpitia circumeunt, & pleramque juventutem inter epulas hilarem ad facinus impellunt. Convolat ad arcem frequens juvenum globus, Salvaticum poſcit, & ab Arcis Præfecto extorquet. Concurrunt Salvatico duce, ad Collegium Societatis, liberos adhibent remiges, Januam arietibus expugnant, & magno impetu irrumpunt. Sed quum Socios, qui in ipſo ac-

Periculi cauſa exponitur.

Unum, & alterum Principis edictū nobiles Adoleſcētes exaſperat.

Salvaticus quidam nobilis in Societatem invehitur.

Inſulæ Princeps Salvaticū in vincula conjici jubet.

Nobiles Adoleſcentes ad arcem convolāt, & Salvaticum ab Arcis Præfecto vi extorquent.

Collegium Melitenſe invadūt, toramque domum diripiunt.

cum-

cumbendi solatio sunt deprehensi, & occultis sese latibulis abdiderant, initio non reperissent, ad domum diripiendam se convertunt, officinas, atque conclavia evertunt, utensilia, ac supellectilem omnem, scamna, abacos, mensas, lectos, culcitras, libros, & quidquid esset domestici instrumenti ex fenestris in viam projiciunt; quæ moveri non poterant corrumpunt, ædes tantùm non incendunt: ceterùm nihil prætermittunt, quo iram, & exulcerati animi offensionem declarent. Interea qui Socios perquirebant, & latebras omnes rimabantur ex quindecim, nonnisi undecim elicere potuerunt. Quatuor enim, qui sese accuratiùs occuluerant, perscrutationem omnem effugerunt. Hos fuisse reperio, P. Sebastianum Seleglies elegantissimum hominem, quem nemo haberet suspectum, P. Athanasium Kirkerium, qui paulò post Melità solvit, & duos Sacerdotes Melitenses, qui eo die a suis vocati, domi non erant. Comprehensos ad litus sine maleficio deducunt, & Lascari renunciari curant, nè cunctetur, cursoriam rostratam navim ad solvendum singulis horis paratam permittere. Negat obfirmatè Princeps se id facturum. Urgent illi tantis clamoribus, ut ad apertam vim, & tumultum descensuri viderentur. Quare Ghisius Romani Pontificis Legatus, & Judex Religionis cum Senioribus Joannitis Principi persuadent, nè gravetur, in malis, nonnihil cedere tempori, nè servire cogatur. Tum Sociis ad conscendendum adactis, reclamantes nautas, quòd Eurus sæviret, & exeundi facultatem adimeret, Salvaticus districto gladio, ad solvendum compulit. Itaque Gaulum cum periculo delati sunt, atque inde in Siciliam transmiserunt, ubi rei eventum opperiuntur. Sed Insulæ, & Ordinis Princeps, quamquam se potissimùm a suis neglectum, atque contemptum intelligebat, læsamque imperii sui majestatem non ignorabat; veritus tamen Urbani VIII animadversionem, quæ totum Ordinem probro involveret, privatum dolorem reipublicæ concessit, & ad Legatum suum Romam scripsit, ut ea de re ad Romanum Pontificem ita referret, ut juvenilem levitatem, poculorum licentiam, quemadmodum scribit Pozus, & jocularem bacchanalium temulentiam excusaret. Pontifex, Nostris silentibus, sapientissimè capi se passus est, jussitque ejectos postliminio redire, atque in integrum restitui, detrimenta reparari, & argenteam lampadem viginti librarum pondo Societatis Templo multæ nomine attribui. Inter hæc Princeps supellectilem recipi curavit, atque in tuto deponi, damnum ab iis ipsis, qui intulerant, cumulatissimè reparari jussit, Nostros ho-

Nostri sæviente Euro, Melità ad discedendum cōpelluntur, & tandem in Siciliā trasmittunt.

Urbani VIII Pontificis, & Lascaris Principis in hoc negotio pertractando eximia dexteritas.

honorificè accersitos atque reductos, magno nobilitatis, atque bonorum omnium consensu ac gratulatione Collegio reddidit.

Nostri, uno & altero demptis, Bonorum omnium gratulatione Melitam repetunt, & eorum damna reparantur.

Nostri, demptis Tagliavià, qui magistratu jam abierat, & P. Jacobo Cassià, qui Messanæ consederat, Melitam repetunt, sed argenteum donarium eximiæ magnitudinis affabrè elaboratum auctoribus suis remittendum censent; quòd acceptæ illatæque injuriæ monumentum extare nullum vellent, quam & superioribus beneficiis, & reconciliatæ in præsentia gratiæ condonarent. Rectiùs enim se facturos existimârunt, si triste facinus, cujus memoria cùm Societati contumelioſum, tum Joannitis Equitibus non satis honorificum, oblivione deleretur. Quorum & nos vestigiis inhærere æquum esset, si Bartholomæus Pozus Joannita rem italicis literis non evulgâsset publicè editam, nobisque dissimulandi potestatem ademisset. Neque enim putaretur venià dignum, & ab Historiæ fide minimè alienum silentium, quod non sublatus jam offensionis metus excusaret. Quare Pozo gratiam habemus, quòd nostram posteritatem tam insigni exemplo, quod eruditionem & mores habet, carere noluerit. Verùm Salvaticus, qui se ex Insula ejecerat, quidquid inter homines transactum sit, transigere cum Superis nequaquam potuit: nam sequenti anno eo ipso die, quo Societati vim & contumeliam attulerat, miserrimè necatus est, ut ad annum 1640. Ita illi ipsi, quorum tanta essent, & tam præclara in Societatem merita, conversis illico studiis, tantà Societatem plagà, atque ignominià affecerunt, quantam nescio an graviorem inter Christianos ea retulerit: ac nobis documento fuerunt, Principum gratiam non negligendam, aut aspernandam, sed neque magnopere captandam, aut ostentandam; eamque pro sale nobis esse oportere, cujus usus sive immodicus, sive nullus minimè est salutaris; sed si in alterutram partem peccandum sit, minùs officit nullus, quàm immodicus. Illud denique admonendum censeo, quod quum Bartholomæi Pozi narratio Provinciæ monumentis optimè congruat, in eo dissentit, quod ejusmodi eventum ad annum accuratiùs rejicit 1639. contra quàm apud Tornamiram adnotatum reperio, qui ad hunc annum præposterè repræsentavit.

Historia Sacr. Religion. Melit. S. Joann. Jerosolym. ad annum 1693. pag. 39. & seqq.

In malignum calumniatorē Deus animadvertit.

Tornamira Ghirland. Centur. 17. decad. 3. exempl. 3.

P. Carolus Vigintimillius Panormi moritur.

IX. Inter præcipua hujus anni funera, quæ septem supra viginti numerantur, illud præsertim dolendum, quo P. Carolus Vigintimillius elatus est, pridie Calendas Februarii post paulò ante dictum Votorum quatuor sacramentum annos tres & triginta, Panormi natus, ex nobilissimo Normandorum genere, ad quos Pitinei dominatio pervenit. Primus ex ea familia

Digitized by Google

lia, Sicularum clarissima humilem Societatis disciplinam mirâ magnitudine animi amplexus est. Adolescentiam apud nos exegit candidam, & morum suavitate integram, & honestam, neque minùs sublimioribus litteris maximè idoneam. Humanarum divinarumque artium eruditionem omnem emensus, ingenii atque facundiæ inter æquales primas tulit. Sed ex disceptandi contentione adversam contraxit valetudinem, cui sublevandæ Neapolim, suadentibus Medicis, ire jussus annum ferè dedit curis omnibus vacuus. Ibi quum esset amplificandæ Societatis ornandæque Provinciæ, supra quàm credi potest, studiosissimus, Beatricis Vigintimilliæ, propinquitate & animo sibi conjunctæ, in S. Francisci Xaverii condendo Panormi tirocinio conatus adjuvit, & aviti patrimonii partem, ut ad annum 1634 demonstravimus, non exiguam contulit, quà census augeretur. Neapoli parum confirmatus Panormum remigravit, & in eo domicilio beneficiario suo consedit, cujus magistratum a Jordano Cascino proximus gessit, ac recrudescente morbo post biennium conquievit, magno Provinciæ luctu, cui maximum sui, sed longè majus eorum, quæ præstiturus fuisset, desiderium reliquit. Posteris etiam est commendandus P. Hieronymus Justinianus Panormi ortus, sed Chio oriundus ex inclyta Justinianorum familia. Domùs Panormitanæ perpetuus accola quasi parum fuisset eam virtutibus, exemplis, laboribus quandiu vixit, locupletâsse, re etiam non mediocriter recreavit. Quum enim necessariis hæredibus superstes fuisset, quæ ad se pervenerat, paternam, atque maternam substantiam ei liberalissimè addixit. Reclamantibus autem cognatis, & affinibus renunciari jussit: *Carissimam habere se matrem, eamque pauperrimam, quam a filio non sublevari nefas esset, Domum Panormitanam.* Diem obiit supremum postridie Calendas Majas anno ætatis quarto & quadragesimo, Societatis septimo supra vigesimo, ex quo quatuor Votorum sacramentum nuncupaverat, undecimo.

Ejus ingenium, & morum innocentia singularis.

De S. Francisci Xaverii Panormitano Collegio benemeritus.

P. Hieronymi Justiniani ortus, virtutes, mors, & merita in Domum Panormitanam.

Ejus dictum memorabile.

X. Honoris quoque causâ Provinciæ fastis adjiciendus est P. Adamus Hartunghius, natione Germanus, Patriâ Heilingenstatensis Moguntinæ Jurisdictionis. Hic unus fuit ex domesticis Junioribus, qui superioribus annis ex utraque Rheni Superioris, atque Inferioris Provincia, pluribus commeatibus in Siciliam studiorum causâ trajecerunt. Quum enim per ea tempora arma plurimùm in Germania valerent, & diuturno sævoque bello Rhenanæ Civitates conflagrarent, neque duæ Societatis Provinciæ, quæ exercitibus premebantur adole-

P. Adami Hartunghii ortus, & funus.

Ex Germania in Siciliam trajicit, ubi studia ponit, & qua de causa?

Siculæ Provinciæ erga Rhenanas in suis alumnis alendis munificentia.

scentes alere possent, peterentque ab finitimis Provinciis alumnorum suorum hospitium, & alimenta. Jordanus Cascinus, qui Siculæ præerat, nè requiri quidem passus est, sed communibus Provinciæ votis Mutium enixè rogavit, ut ex Rhenanis Provinciis quemvis adolescentium numerum ad se mitteret, in Provincia instituendum. Se & pro commeatu venientium ac redeuntium liberaliter soluturum, & gratuità caritate quandiu in Provincia essent, alimenta suppeditaturum. Transmiserunt itaque aliis alii temporibus Rhenani quamplurimi Juniores, de quorum numero nihil habeo comperti, quòd alii aliter tradiderunt. Statuere tamen possumus, eos non admodum supra aut infra triginta fuisse. Ex rationibus autem Provinciæ deprehendimus plura pluribus annis erogata iis alendis, ac deducendis, & remittendis aureorum millia. Neque obiter testari desinam, cumulatissimè relatam ab Germaniæ Provinciis Provinciæ Siculæ vicem & gratiam, annis memoriæ nostræ nuperrimis, quum centenis ferè provincialibus cùm Emeritis, tum Junioribus ex Sicilia ejectis, gratuità pecunià exules juverunt, neque in Romanis universæ Societatis tabulis nomen referri voluerunt, ut ad annum 1717 exponendum occurret. In his igitur Rhenanis adolescentibus, quorum nonnulli in Provincia inveterârunt, fuit P. Adamus Hartunghius, lectissimus planè juvenis, & omnibus corporis animique virtutibus ornatissimus, cui Calatahieronense Collegium obvenit, ut divinas ibi artes assequeretur. Quibus laudatissimè exactis, & Sacerdotio insignitus Drepanum missus, ut Tertianis cum Patribus institueretur, decimo mense in Germaniam a suis, & a Deo in cœlestem Patriam evocatus V Idus Septembres paulatim morbo consumtus, commutato itineris exitu, Deo lætus, atque naturæ concessit, anno ætatis duodetrigesimo, non sine magno utriusque Provinciæ doloris sensu.

Germaniæ Provinciarum gratus animus erga Provinciam Siculam.

Franciscus Ficarra Thermis ad aquas Selinuntias vitam ponit.

XI. Sed uberioribus dignum lacrimis Provinciæ se obtulit, qui paulò ante præcesserat, Francisci Ficarræ immaturus exitus, qui inter candidiores Societatis adolescentes meritò censeri potest. Apud Thermas Selinuntias postridie Nonas Junias anno 1615 generosis ortus natalibus, infantiam naturæ beneficio nactus est pacatam, facilem, & mirum in modum religionibus deditam. Nam neque vagitus edidit, neque flentem quisquam vidit, aut iratum, neque puerilia sectatus est. Sed primam ætatem condendis altaribus, imitandisque supplicationibus dedit. Trimus flagellum sibi ex funiculis contexuit, & remotis in locis terga cædere, atque corporis cruciando assue-

Quænam fuerit in paterna domo ejus vitæ ratio, & virtutes.

fuescere cœpit, ac matrem de nocte excitare, ut sacris precationibus defunctorum manes, & præsertim extincti patris sublevaret. Singularem per idem tempus exeruit mansuetudinem, & indolis suavitatem. Quoniam nedum pauperes juvare instituit, & petentibus subtractum sibi jentaculum liberaliter impertiri; sed formicas etiam alere, & eis annonam congerere visus est, & aviculas caveà inclusas usqueadeo commiserari, ut earum causam ageret, nè libertate carerent. Quod quidem gratificandi studium, & naturam & ætatem vincere existimabant, qui mores ejus rimabantur. Silice ab æquali impetitus, quum ex frontis vulnere sanguis manaret, rogarentque domestici, quinam auctor fuisset; nullis precibus adduci potuit, ut percussorem enunciaret: ajebat enim velle se & sanguinem, & injuriam saucio pro se Christo concedere. Quinquennis communium jejuniorum consuetudinem usurpavit, adjecitque cujusque generis pomorum, rerumque dulcium abstinentiam. Et quasi id parum esset, pridie eorum dierum, quibus Deipara colitur; & singulis Martii sextis feriis, & supremo bacchanalium Jovis die, qui lautitiis omnibus concedi solet, nihil sibi præter panem & aquam nonnisi semel indulgebat. Cœlestium rerum contemplationem, docente nemine, cum lacte hausit, & maximis in deliciis habuit. Plures quotidie horas Deo de genu flens & silens tribuebat: & nè interpellari, aut deprehendi contingeret, captabat latebras, & interdum mutabat. Litterarum maximè cupidus ingenium ad eas attulit ita summum, & altum, ut decimo ætatis anno latinè sciret, & non ineleganter scriberet, quum apud nos linguæ elementa didicisset. Quo tempore quæ in gymnasio Societatis a Ludimagistro audierat Christianæ vitæ præcepta, & religionis rudimenta, convocatis viciniæ pueris in paternæ domùs atrio, tantà vocis & oris suavitate exponebat, ut & domestici, & vicinia tota confluueret, neque lacrimas teneret. Cum condiscipulis verò ita versabatur, ut vererentur omnes cœlestem animam humano corpore, ac specie in terris agentem. Nemo enim satis mirabatur illustrem quendam, & beatarum mentium dignum candorem, qui in vultu, oculis, verbis, incessu elucebat. In ipso oculorum conjectu ac temperantia, in loquendi ac sentiendi maturitate, quæ senilem præseferret sapientiam, in familiari & quotidiana consuetudine eminebat insitatus quidam pudor, & intimæ splendor virtutis, qui cùm æquales, tum majores ad Dei in puero residentis cultum, & amorem excitaret. Marianam Sodalitatem ita coluit, ut Deiparæ

Ejus nedum erga pauperes, sed etiam Bruta misericordia singularis.

Ut Percussorem suum enunciaret, nullis precibus adduci potuit.

Adhuc puer castigatioris vitæ rationem aggreditur, & constantissimè retinet.

Summa ejus cum Deo familiaritas.

Quæ in gymnasio a Ludimagistro audierat, domi, pueris convocatis, exponebat.

Ejus morum innocentia singularis.

Deiparam summâ religione colit, & ejus religionem perpetuò exequitur.

ephebus haberetur. Sodalitatis Sacellum matutino cum crepusculo primus omnium adire, pavimenti sordes scopis perpurgare, aram floribus ornare, & sacrà supellectili instruere, subsellia digerere, Sodales cogere, & piorum librorum lectione ad silendum adigere, atque ad pietatis officium componere. Quæ res Marianæ religioni pretium fecit adeo magnum, ut maxima deinde extiterit imitationis æmulatio, quæ teneros adolescentium annos ad innocentiam fingeret, & primas vacuarum mentium curas ad pietatem adduceret.

D. Francisci Xaverii exemplo commotus, repentinum Societatis amplectendæ votum concipit.

XII. Agebat jam ætatis annum decimum quartum æqualium omnium moribus, & litterarum scientiâ facilè princeps, quum religiosum secessum, & humanarum rerum fugam cogitanti S. Franciscus Xaverius optandæ Societatis mentem injecit, Nam pridie ejus diei, qui Xaverii memoriam habet, ac religionem, jussus est in gymnasio, condiscipulis audientibus, vitam ejus de scripto recitare. Quod quum accuratè faceret, & in ejus ad Indos profectionem incidisset, quando nè salutatis quidem consanguineis Europæ valedixit, ejus exemplo commotus, repentinum amplectendæ Societatis votum concepit, quod lacrimæ, atque singultus declarârunt, eò vehementes, ut lectionem interciperent. Neque per nos stetit, quin nobilissimus candidatus statim ad Societatis castra transiret. Sed pertinacissimè obstitit mater, cujus amor expugnari non poterat. Nimirum tantæ virtutis, ac spei filium, qui nec fratres, neque sorores haberet, abs se divelli, & viduitatis augere solitudinem maternus animus ita ferebat, ut ejus amissi vulnus nonnisi morte sanari posse intelligeret. Sed nè filium vitâ cariorem contristaret, summopere flagitanti de commeatu recusare non audebat. Diem tamen ex die ducere instituit, & in ea tergiversatione biennium consumsit. Quare Franciscus matris obsequio satis se fecisse arbitratus, nè diutiùs duceretur, postridie Calendas Februarii, qui dies *Purificatæ* Deiparæ sacer, est Thermis omnium celeberrimus, & maximis colitur lætitiæ significationibus, quum religiosis spectaculis ferveret Civitas, & publicum gaudium privatarum rerum curam adimeret, insciis omnibus, silentio mœnibus se subduxit, & fidum nactus comitem, itinerum non ignarum (Paulum Friscium præclarum adolescentem popularem suum, consilii, propositique participem, qui cum eo Societatem adiit, & res ejus gestas perscripsit, atque Provinciam longævus illustravit) viæ se commisit rusticis contectus indumentis, nè agnitus ex fuga retraheretur, quam summâ hieme per avias semitas laboriosissimè,

Mater ab ineundæ Societatis proposito filium avertere conatur.

Ficarra, insciâ Matre, nè in dies âplius duceretur, fugam arripit, & nostrorum numero adjungitur.

len-

Digitized by Google

lentissimèque molitus est: nam non ante Calendas Aprileis inter tirones relatum comperio. Ficarram excepit, qui tirocinio præerat, P. Hieronymus Tagliavia, tanquam cœlo delapsum candoris & innocentiæ specimen, quod reliquis ad imitandum proponeretur. Sed ut morum ejus elegantiam cognovit, & animi latebras exploravit, adolescentis mentem cœlestibus elementis adeo imbutam reperit, & divinis in rebus exercitatam, ut non erudiendus modò non esset, sed aliis informandis admoveri commodè posset. Nihil in eo deprehendit quisquam, quod non esset maximè probum, & emendatum. Motus animi, & surgentis naturæ cupiditates non fractas tantùm, & domitas, sed omnino nullas ostendit, ut si neque ex communi limo concretus, neque communis culpæ particeps unquam fuisset. Corpus ut innocuum, & veneris omnis perpetuò expers jejuniis, flagris, ferreis catenis, & aculeis, vigiliis, inediâ, immodicisque laboribus eatenus exagitavit, quoad per Majores licuit, quorum nutus omnes, tanquam divinæ voluntatis significationes intuebatur. Perpetuam atque mutuam ejus cum Deo conjunctionem, a quo nihil erat, quod sive prandentis, sive ludentis, sive confabulantis mentem avocaret, & cœlestium colloquiorum non intermissa consuetudo, & occultarum rerum scientia, & aperta de cœlo ostenta declarârunt. Georgio Blanco, qui unâ in tirocinio versabatur, & intimis curarum ambagibus defectionis consilium volvebat animo, neque cuiquam enunciaverat, obvium Ficarra se præbuit: & *O te miserum!* inquit; *quid cogitas, aut qua somnias fortunarum, & suavioris vitæ commoda, si Societatem abjeceris? Stygii hostis fraudem agnosce, inania & falsa pollicentis; eamque pro virili parte repelle, atque in Societatis retinendæ voluntate perdura.* Quibus verbis titubantem exterruit, & attonitum confirmavit. Qui quum rem Hieronymo Tagliaviæ flens detulisset, ab eo audîsse fertur: *Majoris esse conditionis Franciscî Ficarræ virtutem, & probitatem, quàm sibi quisquam persuaderet.* Videre non semel commilitones, columbam cœlesti luce coruscantem ejus dormientis lectulum circumvolare, quasi corporis somnique custodem.

Quanti eum fecerit P. Hieronymus Tagliavia Tironũ Institutor.

Reliquæ ejus virtutes referuntur.

Georgium Blã, cum Societatẽ deserere volentem, sapientissimè confirmat.

Columba cœlesti luce coruscans ejus dormientis lectulũ circumvolat.

XIII. Ad litterarum palæstram post biennium evocatus, P. Joanni Scorso Panormitano eximiæ sanctitatis viro dedit operam, seque ei adeo probavit, ut non alio magis Scorsus, quàm eo discipulo gloriaretur, propter ingenii præstantiam, & perfectissimæ vitæ similitudinem. Sed Philosophicæ disci-

Studiis designatus, in iis magna dat indicia præstantis ingenii.

pli-

Qua de causa Philosophicæ disciplinæ doctorem nactus fuerit infensum?

plinæ doctorem nactus est sibi infensum, & non nihil infestum, quòd scita ejus alacriùs, & acutiùs oppugnaret, quàm propugnaret. Quod quum Franciscus ingenuè, & pro viribus ingenii faceret, ille verò in malam partem acciperet, & tum suspectum habere cœperit; quotidiana exinde adolescenti optimo expromendæ virtutis occasio se obtulit. Quidquid enim sive diceret, sive faceret, objurgatione dignum doctori suo videbatur. Quare cùm privatim, tum publicè crebris reprehensionibus immerentem infectatur. Condiscipuli exemplo, auctoritate, & assentatiuncula quadam adducti eadem audent, rusticitatem exprobrant, inconditum loquendi genus deridٍent. Ficarra verò assiduam ærumnarum palæstram lucro apponere, oris jucunditatem nunquam dimittere, æquales eò impensiùs diligere, Doctorem suum magnopere vereri, objurganti habere gratiam, nihil unquam de eo conqueri, omnia silentio premere, sibique imputare, Deo gratias agere, quòd in eos incidisset, qui vitia, & sordes ejus agnoscerent, & tantà caritatis abundantià emendare conarentur. Verùm corporis vires animi virtutem assequi non potuerunt. Quare assiduis attritæ victoriis, atque triumphis, qui certamina consequebantur, extenuationem contraxerunt adeo tabificam, ut suavissimus adolescens exinanitus incederet, neque tamen a studiorum contentione, & austerioris disciplinæ cursu quicquam deflecteret. Ea res valetudinem ejus paulatim inclinavit, & ita demum afflixit, ut nullis deinceps remediis reparari potuerit. Medici serò adhibiti, a studiis, gymnasiis, & libris adolescentem advocari jubent, & disciplinam remittere. Qui tamen, nè omnino cessaret, impetravit, ut domesticas officinas adire liceret, & Fratrum laborem sublevare. Quare coquo, & pistori accuratissimè aderat, & laboriosa quæquæ obsequia strenuè administrabat. Sed morbi gravitas rusticationem poscebat. Missus proinde in suburbanum unà cum aliis, qui variis affecti ægritudinibus eódem concedere jussi sunt, ipse qui gravissimè omnium ægrotaret, non secus ac si aliorum potiùs, quàm suà causà rus venisset, reliquorum obsequiis sese totum addixit, quibus ad aram, ad mensam, ad lectum ministrare nunquam destitit. Hieme ibi consumtà visum est Medicis, vere ineunte, languentem, & tussi in dies acriore, atque singultu laborantem patrio solo restituere, si fortè nativorum siderum beneficio recrearetur. Mater, qui florentem amiserat, ut tabo marcentem ad se reversum vidit, maximè querens, quòd filium sibi ereptum, neque Societati profuturum in ipso æta-

Ejus in ferèdis adversis patiẽtia, & admirabilis temperantia.

Ex assiduis animi victoriis tabificam extenuationem cõtrahit.

Inclinatà valetudine, a studiis avocatur; & ad nostrorum Fratrum officia descendit.

Valetudinis causà Cœlum vertit; & tandem patrio solo restituitur.

Mater Filio persuadere conatur, nè diutiùs in Societate permaneat.

ætatis exordio lugere cogeretur, omnem materni amoris facundiam excitavit, ut adolescenti persuaderet, nè diutiùs in Societate permaneret, aut saltem curationis gratiâ ad paternam domum se reciperet. Cui Franciscus: *Desine*, inquit, *o mater navim jam fatiscentem, & naufragio proximam è portu velle deducere, & fluctibus committere, quam, si in fluctibus, atque periculis esset, sapienter in portu versari malles, ut ibi sedatè navigationis cursum clauderet, & tranquillè conquiesceret. Visne ergo ad præmium, atque ad laborum metam properanti, quam tandiu optavi, quaque in manibus est, palmam præripere, & secessionis meæ fructum in ipsa maturitate filio adimere? Præclarè, credo, mecum agerem, si qui florens, & junior, & integer Deo me devovi; ætate provectior, & profligatâ æger salute, adventante jam exuendæ mortalitatis articulo, a Deo deficerem, & ad humanas res, quibus me olim abdicavi, respicerem. Quare si me amas, si ærumnis, atque doloribus meis parcere cupis, si mortem mihi repræsentare non vis, denique si meo conspectu atque colloquio delectaris, noli quæso te, mihi molestiam afferre; aut ea de re quicquam ampliùs commemorare. Illud tamen fore recipio, ut longè majus ex me mortuo gaudium percipias, quàm ex me vivo perciperes.* Quod quidem vaticinii instar fuit. Tantum fuit matris solatium, quum filio extincto, de collatis corpori ejus honoribus, deque cœlestibus per eum impertitis beneficiis prædicari cognovit.

Ficarræ ad Matrem respõsio plena virtutis.

XIV. Inter hæc Franciscus, mensem post quintum quàm Thermas venerat, quum Medici sublevatum iri sperarent, & matri pollicerentur; Idibus Sextilibus P. Marium Dominicum Panormitanum Collegii Rectorem adiit, & inopinatò ab eo magnopere petiit, sibi ut liceret, suprema morientium sacra sumere. Tum Dominicus: *Quid properato opus est?* Franciscus autem: *Equidem indignum me scio esse. Cuperem tamen intra biduum vitam claudere, eo ipsò die, quo Deipara ad superos evolavit.* Quod quum sæpius inculcâsset, Medicos convocari jussit Dominicus; quibus spem salutis magnam facientibus, & periculum abesse pronunciantibus, non ausus est flagitanti indulgere, veritus nè levitatis notam incurreret. Sed ut illuxit dies ante Calendas Septembres octavus supra decimum, quo die Virginis ad Cœlum Assumptæ memoria celebratur, Ficarra iterum atque iterum a Dominico postulat, nè diutiùs cœlesti Viatico se carere patiatur. Dominicus quum stantem videret, & nunquam aliàs valentiorem, negavit eo esse

Quum de salute ejus sperarent Medici; sibi uni visus morti proximus, suprema morientium sacra sibi dari poscit.

esse loco res ejus, ut summæ religiones deberentur. Tum Franciscus divinâ quadam delibutus suavitate, quæ ex ore & oculis eluceret: *Hodie est*, inquit, *dies Deipara consecratus. Absonum planè est, Christianum, & religiosum adolescentem sine supremis religionibus e vita discedere.* Ex eo demum Dominicus intellexit, Franciscum de cœlo didicisse, eo se die moriturum. Divinum proinde panem ad eum detulit, & Medicos acciri jussit, quorum sententiâ nullam fuisse properandi causam est declaratum. Sub noctem Franciscus sacrum infirmorum Oleum flagitat, seque paulò post abiturum denunciat, neque ab Dominico impetrat. Urget per internuncium, & primâ noctis horâ fit voti compos. Quæ quum Dominicus ad P. Hieronymum Tagliaviam se administrâsse scriberet, subdit: *Habebat vultum Angeli, & verba Angelica proferebat, quod sine maximo fletu commemorare non possum; nam dum hæc scribo suâ sponte prosiliunt lacrimæ.* Singulos deinde, primùm externos, deinceps domesticos complectens, & nominatim valedicens, ut qui peregrè esset migraturus, omnibus admiratione defixis, & rei exitum expectantibus, præsertim Medicis, qui tentatis, venis, nullum imminere periculum asseverabant, denique de secunda noctis vigilia sudor extitit, & anhelitus nonnihil gravior. Accurrit Dominicus, qui ad quiescendum secesserat, & divina patientem reperit, sublatis oculis, brachiis decussatis, candente vultu, leniſſimè susurrantem, quasi cum Cœlitibus colloqueretur. Ea species ita animum ejus affecit, ut iisdem ad Tagliaviam litteris testatus sit: *Hominem non vidi, sed Angelum.* Franciscus autem eo quo diximus statu corporis, mediam ante noctem uno & altero anhelitu efflavit animam. Postridie effusa Civitas cum Magistratibus, & universæ nobilitatis concursu funeri adfuit, auditæque sunt populi voces Sanctitatem conclamantis. Prohiberi multitudo non potuit, quominus feretrum invaderet, neque vestibus, neque capillis parceret, & cutem etiam capitis abraderet. Corpus flagitante Civitate, arcâ ligneâ servatum est, & communi sepulcro illatum. Sed tanta fuit cœlestium beneficiorum copiâ & magnitudo, quibus Deus testatus est Franciſci manes apud superos secum esse, ut paucos intra menses centena numerarentur, juratis testibus comprobata. Quibus commotus P. Nicolaus Berzetius, qui Provinciam administrabat, adnitentibus Thermitanis, quorum incredibilis multitudo commune sepulcrum Franciſci gratiâ frequentabat, & crebris ornabat votis atque donariis; potestatem fecit tumulandi cor-

Mortem sibi imminere non obscurè significat.

Virtutis ejus, & innocentiæ testimonium.

Morti proximus divina patitur.

Eo, quo prænunciaverat die, contra Medicorum opinionem vivere desiit.

Elatus est magna cum acclamatione Sanctitatis.

Plurima Deus per Ficarram pluribus contulit cœlestia beneficia.

po-

Digitized by Google

poris sepositò in loco sub aræ gradu, quæ in Ss. *Crucifixi* Sacello posita cernitur. Quare lectis ossibus, & plumbeo in loculo collocatis, quarto post mense sub hujus anni exitum eo, quo diximus loco infossum est Ficarræ depositum, additumque plumbo insculptum ejusmodi elogium: *Franciscus Ficarra Nobilis Saccensis, morum integritate, & virgineo candore servato nobilior obiit 15 Aug. 1637. Ætatis 23.* Et ex eo tempore maximi facti sunt ad eam Sacelli partem supplicantium concursus, relatique in publicis tabulis beneficiarii quamplurimi, qui ei se vitam, & incolumitatem debere profitebantur. Memoriæ prodidere Franciscì Ficarræ virtutes quatuor Societatis Scriptores duo latinè, totidem italicè. In his est P. Paulus Frisia, qui disertissimè omnium res ejus singulas adnotavit. Hunc nos ut maximè conscium & accuratum, quod popularis, æqualis, amicus, & contubernalis ejus fuit, potissimum auctorem secuti sumus.

Ficarræ depositum honoris causà effoditur, & sepositò in loco collocatur.

P. Paulus Frisia in Vita inedita Franciscì Ficarræ.

XV. Non absimili funere, & probitatis opinione elatus est in Collegio Catanensi, quarto magistratùs mense P. Vincentius Raymundus, cujus præclarissima extant intra & extra Societatem eximiæ monumenta virtutis. Catanæ ortus anno 1569 in ea disciplinarum Arce summum & altum ingenium litteris, & artibus omnibus, humanis æque ac divinis optimè excoluit, & ita Civitati probavit, ut adolescens in florentissima Academia sacri Juris prudentiam tradiderit, tanto Auditorum concursu, atque proventu, quantum ejus ætatis memoria neque majorem, neque parem laudavisset. Sed singularem doctrinæ excellentiam & commendavit, & superavit morum elegantia & integritas non vulgaris. Quum enim castigatissimè ageret, & loqueretur, & inculpatam vitæ rationem exequeretur, Sacerdotio initiatus totum se ad publicæ misericordiæ administrationem contulit, & miserorum pater audire meruit. Suis edixerat, nè quem pauperem ex domo, & foribus ejus vacuum dimitterent. Quod si præstolantem ipse conspicaretur, institutum domi suæ cum Nobilibus colloquium abrumpere solitus est, nè inopem moraretur, & beneficium cunctando aut imminuere, aut negare videretur. Nunquam accubuit, quin obvium aliquem inopem, non modò hospitem, sed convivam etiam, & ejusdem mensæ, pateræ, poculi participem haberet. Virginibus dotem, honestis familiis alimenta suppeditabat, cavensque nè quum ad petendum accederent vagari cogerentur, curabat ut misericordiæ stipendia ad earum domos perferrentur. Cruciandi corporis studium pri-

P. Vincentii Raymundi ortus, virtutes, & funus.

Adhuc adolescens in Catanēsi Academia sacri juris prudentiam summa cum laude tradit.

Singularis ejus erga inopes misericordia.

Cruciandi corporis consuetudo, & atrocitas.

mùm habuit. Cibo usus est modico, atque vulgari, vocatusque ad lautissimas amicorum, & Catanensis Pontificis epulas nihil præter panem gustavit, quamvis edulia omnia delibare videretur. Eadem fuit somni conditio, quem nonnisi tenuem sibi indulgebat, atque molestum, duris asseribus linteo suppositis, qui jacentem torquerent, & soporis suavitatem interpellarent. Intimum cilicium, & aculeatas catenas nunquam posuit. Cruentam flagrorum consuetudinem non temere intermisit, omnia excogitavit, quæ dolorem corpori efficerent, & vires extenuarent. Quæ cum Secusio Patriarchæ Catanensi Antistiti delata essent, modum imponendum censuit, & Raymundo auctor fuit, ut sibi parceret, nè naturæ sibi necessitudinem, sæviendo repræsentaret. In divinarum denique rerum contemplatione magnam diei noctisque partem collocare consuevit. Quo tempore quibus gaudiis, illapsisque cœlo deliciis animus redundaret dulcissimæ lacrimæ significabant, quæ non guttatim, sed perpetuo fluxu manabant. Tam illustrem bene audiendi, atque merendi abundantiam præcipui honores sunt consecuti. Nam in *Canonicorum* Collegium cooptatus, & in eo Cantoris prærogativâ insignitus, primus omnium Doctoris in Lycæo munus, atque stipendium retinuit, neque dimisit summus Catanensis Pontificis Vicarius appellatus, quum sacram omnem jurisdictionem regeret, atque lustraret, quòd nominis ejus umbra Academiam magis ornaret, quàm aliorum labores, atque vigiliæ. Et sanè Orsonæ Dux sapientissimus virtutum & hominum cognitor & æstimator, quum ad Philippum Regem scriberet, laudaretque Siculos homines, quos Insularum, & Sacerdotiorum dignos existimabat, inter principes Vincentium Raymundum nominavit. Tanta fuit ejus extra Societatem virtus, & opinio virtutis.

Intimæ ejus cum Deo conjunctionis documēta: & quātam vim lacrimarum inter orandum effunderet.

Catanæ ad præcipuos honores promovetur.

XVI. Ille tamen, qui motus animi adeo fregerat, ut tam honores aspernaretur, quàm alii sectantur, de abdicatione ac secessu cogitavit. Quod ut sapienter præstaret, incertus adhuc animi quod potissimùm vitæ genus sequeretur, ut Deo placeret, P. Alphonsum Cajetanum consilii sibi ducem optavit, eique totum se tradidit. Cajetanus fluctuantem apud se in Collegio retinuit, & a curis atque negotiis remotum, sacris B. Ignatii exercitationibus informavit, ut in ea veritatis, & christianæ perfectionis officina cœlesti igne excoqueretur animus, & rectum salutis tramitem mens pervideret. Septimo secessùs die adfuit Divina Mater clienti suo, tum maximè supplicanti, eique apertè significavit: *Nihil Deo fore gratius, quàm si rebus*

De honorum abdicatione, ac secessu cogitātem, P. Alphonso Cajetano se tradit.

Dum sacris Beati Ignatii exercitationibus dat operā, ei Deipara occurrit, & ut Societati nomen det, hortatur.

Digitized by Google

bus humanis nuncium remitteret, honoribus se subduceret, & Societatis militiæ nomen daret. Rem proinde cum Cajetano transigeret. Omnia fore proclivia, modò imperata facere maturaret. Sè præsto futuram, & aditum quibuscunque intercluſum difficultatibus reseraturam. Nunquam aliàs lætior nuncius Raymundi animum exhilaravit. Ad Cajetanum advolat, & eadem de re cœlitus admonitum reperit. Ut enim de Deiparæ oraculo audivit, non secus ac si de re explorata accepisset, tantùm adjecit: *Æquum erat, ut dulcissima Societatis Parens, qua sua est in nos clementia, alium pro Bernardo Colnago, qui per hos dies extinctus est, ejus similem Catanensem submitteret, a quo damnum sarciretur, & virtutum ejus desiderium leniretur.* Fit certior Jordanus Cascinus, qui Provinciam obtinebat, atque ejus litteris Raymundus Panormum evocatur, ubi domesticis rebus Catanæ compositis, præter omnium opinionem, cognatis, necessariis, amicis, academiâ, atque omnium ordinum civibus cum Senatu, & Principibus Civitatis hequicquam dissentientibus, X Calendas Sextiles Tirocinio adlectus est annos natus duos & quadraginta, anno 1611. P. Hieronymum Tagliaviam animi ac disciplinæ magistrum nactus, non priùs de suis cum eo rebus communicavit, quàm ab homine divinarum rerum scientissimo compertum est, missum sibi ab Deipara non rudem militiæ tironem, sed peritissimum Ducem, qui amplissimis rebus gestis Provinciam illustraret, aliisque præiret. Ipse interea quasi inter pueros repueraſceret, doctrinæ, dignitatis, & honorum quos gesserat, planè immemor, non secus ac si teneros annos in Societate exegisset, ita indolem ac mores ad disciplinæ normam finxit, ut qui consuetudinem ejus intuebantur, emeritum ac veteranum ante crederent, quàm Tironem. Annum fermè Panormi egerat, quum ad Mamertinum tirocinium, quòd Provinciæ res ita ferrent, proficiſci jussus, in P. Josephum Raguſam Julianensem incidit, virum doctrinâ atque virtute præstantem, qui tironibus præerat, & hospitem non ut novitium disciplinæ alumnum, sed ut Doctorem ac Ducem complexus est. Sed ejus pudor, ac temperantia consuetos modestiæ fines Mamertinis Tironibus transire visa est. Nam quem æqualem habere magnum fuisset, quanti denique fuit omnium infimum, & ad humillima quæque officia demissum intueri? Sed tantæ splendor virtutis in tirocinii latebris diutiùs occultari non oportebat. Quare quum apud P. Alphonsum Cajetanum, primum animi sui ducem, qui extra ordinem Tirocinii magistratum ge-

Eadem de re P. Cajetanus cœlitùs admonetur.

Panormum evocatur, & Nostrorum numero adjungitur.

Mores nostros facilè induit, nõ sine aliorum admiratione.

Ad Mamertinum Tirociniũ proficiſcitur, ac inter tirones versatur magna cum opinione virtutis.

rebat, maxima cum voluptate privatum sacramentum dixisset, designatus est sacræ morum doctrinæ interpres in Collegio Mamertino, ubi in eam venit eruditionis, ac sanctitatis opinionem, ut nemo Messanæ esset vir nobilis aut pecuniosus, qui eo inconsulto testamentum conderet, aut negotium moveret. Familiare erat civibus, ut sententiæ ejus acquiescere compromitterent, eumque secandarum litium arbitrum darent: quoniam propter singularem juris scientiam, & morum integritatem, Judicum quoque Subsellia auctoritatem ejus verebantur, & in gravissimis causis nonnisi ex ejus sententia pronunciabant, a qua mirum fuit, ad majorem potestatem provocâsse neminem; quòd dicta ejus tanquam ex oraculo missa acciperentur. Magno etiam in honore fuit apud Pontifices Mamertinos, in quibus Carolus Mastrillus, nihil erat, quod non ex nutu ejus administraret, neque ad jurisdictionem lustrandam exire unquam voluit, quin eum haberet comitem lateri affixum. Quibus in expeditionibus vix dici potest, quàm austeram vitæ rationem instituerit, quibus concionibus paganos erudierit, quantam ex caritate, ac misericordia frugem retulerit, quantum pro cultu religionis, & divini nominis gloria laboraverit. Quum verò Messanæ audiretur, Raymundum pro suggesto dicturum, confluebant tantâ frequentiâ cives, ut nullum esset Templum, quod omnes reciperet. Eâ doctrinæ, atque virtutis acclamatione excitatus Mutius Vitelleschus jussit, Raymundum anno admodum nono, quàm Societati se aggregaverat, ætatis primo & quinquagesimo, publicum & summum coram Decio Striverio, qui Domui præerat Mamertinæ sacramentum diceret.

Privato sacramento jam dicto, sacræ morum doctrinæ interpres Messanæ designatur.

Ejus in eo munere scientia, & opinio sanctitatis.

Quanti eum fecerint summi Viri, exponitur.

XVII. Anno deinde 1627. Mamertinæ Domui præfectus est. Et qui privatus tantum virtutis jubar effuderat, domesticæ Reipublicæ admotus longè majorem exprompsit probitatis ac sapientiæ lucem. Quod quidem proprium ac summum est optimarum mentium insigne. Pullulant enim in magistratibus latentia vitiorum semina, quæ ambitiosa quædam verecundia, & alienæ potestatis metus occultaverat. Raymundus in honore maximas exeruit virtutes, quæ in privata vita theatro caruerant, & delitescere cogebantur. Maximus in præcipiendo pudor, exquisita in satisfaciendo diligentia, plectendi usus serus & parcus, aditus faciles & amabiles, quotidiana consuetudo suavis & aperta, in eos quibus præerat, ingenuus & communis amor, paterna caritas, gratificandi studium, displicendi metus, observantiæ abundantia, vitæ non necessitu-

Mamertinæ Domui præficitur.

Gubernationis ejus exquisita ratio commendatur.

di-

dinum modò, sed etiam commodorum cura incredibilis, gubernationis ejus scientiam usque adeo commendârunt, quod pauci consequuntur, ut invidiam & obtrectationem omnem effugerit, & simul disciplinam amplificaverit, & ut primum, ita novissimum magistratùs diem æquè laudatus, atque dilectus transegerit. Publicis hisce sapientis ac moderati gubernatoris virtutibus cumulum addidit invariatus privatæ consuetudinis habitus, perpetua sui despiciendi constantia, & indefessa actuosæ vitæ solertia, qua suorum labores sublevaret, & sibi cum magistratu curarum, ac molestiarum omnium molem obvenisse ostenderet. Quotidie aut ad mensam, aut ad culinam ministravit, & servilium munerum particeps esse voluit. Deteriora, ac viliora sibi apponi jussit, neque passus est cuiquam nisi laborum, & molestiarum prærogativâ antecedere. Quibus rebus factum est, ut nunquam aliàs pauperrima domus tantâ pecuniâ abundaret, quâ ædificatio promoveretur, nunquam lautiùs alimenta suppeterent, nunquam templi supellex tot donariis, ac largitionibus aucta floreret. His artibus tanta cum laude clausit magistratum, ut non facilè judicaveris majorĕne suorum gaudio eum adierit, an dolore posuerit quarto supra triennium mense. Neque tamen diu privatus quievit: nam P. Nicolaus Gusmanus, cui honorem transmiserat, anno exacto, postridie Idus Novembres fato est occupatus; ipse quinto post die magistratum extra ordinem repetere coactus, quarto ab inde mense, Mutii litteris, legitimum capessere jussus est anno 1632: de quo, quum superiora renovare non liceat, nè legentibus satietas efficiatur, illud commemorâsse sit satis, quod alterum hoc triennium laudatissimo illo superiore longè fuit salutarius, utilius, atque emendatius, quòd usus rerum omnium, sed præsertim rectæ administrationis, ac sapientiæ magister, ex bono optimum fecerat, & gubernationem ejus tanquam justitiæ, prudentiæ, ac caritatis exemplum illustravit. Sed humanarum rerum ea est conditio, ut viris etiam summis nunquam invidia, aut obtrectatio pepercerit. Quum enim magistratu abiisset, non defuere qui spectatissimos canos, & de Mamertina Domo optimè meritos contristarent, atque supremum vitæ annum ærumnis ac molestiis cumularent. Quod non sine cœlesti consilio factum arbitror, ut amici sui Deus diuturnâ patientiâ purgaret animum, & ab humanis sordibus expiatum ad se evocaret. Sed quum Raymundus temperantiâ admirabili invidorum suorum calumniam non propulsaret, & tantùm ratam non haberet, atque causam ejus uni

Singularis ejus in Magistratu caritas, ac temperantia.

Mamertinæ Domùs magistratum repetit, & summâ cum laude gerit.

Gravissimis insectationibus Messanæ afficitur; & in iis perferendis admirabilis mansuetudo, ac temperantia.

uni sibi assignaret, & ex eo plus æquo angeretur, ac dies noctesque in luctu esset, misit Deus P. Francisci Rajati manes, qui eo temporis momento, quo Panormi decessit, ei se Messanæ, ut anno superiore est demonstratum, conspiciendos dedere, & admonitum ut eam ante fatum expiationem lucro apponeret, molestiâ liberârunt. Sed Majores censuere Raymundum ab æmulorum oculis cum honore subducere, & in Patriam cum potestate remittere. Quare postridie Nonas Majas Messanâ solvit, Catanensis Collegii Rector designatus. Eò quum venisset sexto & vigesimo, quàm exierat anno, magno nobilitatis, & civium concursu celebratus est adventus ejus. Nam maximorum erga se meritorum non immemor gratissima Civitas obviam effusa est, & egredientem Patriæ Patrem salutavit, atque ad Collegium deduxit: ubi mense magistratûs quarto, & anno ex quo quatuor Votorum sacramento Societati se addixerat, pridie Nonas Septembres, annos natus octo supra sexaginta, diuturno morbo consumtus est. Atque ut gratum animum, neque ullo modò abalienatum erga Domum Mamertinam ostenderet, aureos ei ferè centum moriens dono misit. Elatus est sumptuosissimo funere, quod conspicuo Cenotaphio, & magno cereorum funalium agmine in Templo Societatis solemni ceremoniâ institui curavit ære suo beneficiarius, & necessarius ejus Franciscus Amicus, Catanensis Pontificis summus Vicarius, coram Senatu, Patritiis, & Optimatibus, Acadamiæ Doctoribus, atque utriusque *Cleri* primoribus, Sed nihil tam funebres honores illustravit, quàm communis ejus commemoratio virtutum, & repentina omnium Ordinum acclamatio sanctitatis.

P. Rajati Manes ei se ostendunt, & molestiâ liberant.

Catanensis Collegii Rector designatus; paulò post Catanæ fato concedit.

Mamertinæ Domui moriēs aureos ferè cētū dono mittit.

Inusitatis exequiis funus ejus illustratur.

XVIII. Insigni quoque cum laude vitam Drepani clausit pridie Idus Novembres P. Bernardus Crescentius Agrigentinus, cujus inclyta sunt erga Provinciam, & Collegium Drepanitanum merita, in quo & inveteravit. Nam & philosophicas artes ibi tradidit, & sacras morum quæstiones disertè primus edidit, & Gymnasium publicavit, & Nobilium Sodalitatem cum dignitate rexit, & magistratum quadriennium gessit legitimum, extra ordinem verò quandocunque Rector abesset. Quibus in muneribus ita versatus est, ut nemo in eo quicquam desideraverit, præter muneris perpetuitatem. Ceterùm antiquissimæ ingenuitatis ac probitatis homo, atque in divinis rebus supra vulgarem conditionem versatus, ex intima cum Deo familiaritate, quam assiduis alebat colloquiis, & religionibus, nil tam hausit, quàm inauditum omnibus gratificandi stu-

P. Bernardus Crescētius Drepani vitâ claudit.

Ejus erga Societatem merita, virtutes, & res gestæ.

Digitized by Google

ſtudium. Quare non erat domi foriſque qui ad eum, ut ad communem parentem non confugeret, & in caritatis ejus ſuavitate conquieſceret. Quum Drepani anno 1624 peſtilentia graſſaretur, Creſcentius primus omnium officio ſe pietatis addixit, & reliquis exemplo fuit, ut periculum aſpernarentur; a quo quum incolumes domeſtici omnes evaſerint, illi eſt aſſignatum, quaſi ejus virtutibus, ac precibus cùm ſuam, tum aliorum ſoſpitatem Deus condonâſſet. Sed quanta fuerit P. Bernardi Creſcentii in doloribus perferendis virtus animi, neque me verbis exequi poſſe arbitror, neque unquam legiſſe memini. Quoniam ex acidæ ſalſæque pituitæ acrimonia nervis per univerſum vitæ ſpatium toto corpore affectis, diurni nocturnique dolores ſunt conſecuti adeo acres, & vehementes, ut quivis alius graviſſimè decubuiſſet, & nè lintei quidem contactum ferre potuiſſet. Ipſe verò jacere non ſuſtinuit niſi paucas noctis horas, quas ſomni expers non ſecus ac inter vepres, & prunas volutaretur, medicum non adhibuit, neque remedium, præter patientiam, & inediam. Ceterùm ſtans, ac diſcurrens, & incredibili oris jucunditate, laborioſiſſima quæque Societatis munera ſtrenuè adminiſtravit, & integros atque incolumes perpetuâ corporis animique defatigatione ſuperavit. Quod quemadmodum humanis viribus fieri poſſet, non erat qui aſſequeretur. Nam quaſi acutiſſimi dolores, quibus ſine intermiſſione urebatur, in naturam abiiſſent, aut iis natura aſſueſcere potuiſſet, neque gemitum edere auditus eſt, neque ullam dolentis ſignificationem viſus eſt unquam oſtendere. Quanta autem eſſet dolorum magnitudo, atque conſtantia & extrema corporis macies, & ſumma adductorum nervorum durities, & membrorum articuli ardentium carbonum ſimiles, & oris ſpecies, quæ expirantis mortui effigiem referret, facilè declarabant. Supremos quatuor vitæ annos, exacerbatis mirum in modum doloribus, toto quaſi corpore ambuſtus tranſegit. Vitium enim nervorum cutem exedit, atque ita incendit, ut ſi ex ulceribus fervens ſanies fuſi inſtar metalli manaret. Quare Jobi ulcera & tolerantiam oſtentans, quum omni ex parte intus & extra torreretur, nemo adduci poterat ut crederet, talia vivum hominem pati poſſe, niſi videret. Creſcentius verò quaſi parum eſſet maximis in tormentis quàm diutiſſimè vivere, ad ſupremum uſque vitæ menſem, communi mensâ nunquam abſtinuit, ſingularem cibum nunquam admiſit, conſueta jejunia nunquam intermiſit, diſciplinæ conſuetudinem rebus omnibus retinuit,

Ejus eximia caritas in inſerviendis peſte afflatis.

Ejus in perferendis doloribus virtus animi ſingularis.

Infirmus laborioſiſſima quæque Societatis munera ſtrenuè adminiſtrat.

Acerbiſſimorum dolorum ſuorum ſeries deſcribitur.

Adhuc æger communis vitæ conſuetudinem retinet.

So-

Societatis officia cumulatissimè præstitit, rogatusque quâ ratione id fieri denique posset, dictitabat: *Non aliâ re dolorum suorum leniri acerbitatem, quàm assiduitate laborum.* Itaque quum Tertiani Patres prope Calendas Novembres Drepanum institutionis causâ convenirent, designatus est eorum institutor Crescentius; qui tamen ante susceptum negotium, nauseâ atque inediâ præter morem & modum debilitatus, exinanitis viribus aliquando decubuit, & paucos intra dies, tantâ animi lætitiâ, quantâ corporis molestiâ, annos natus sex & quinquaginta extinctus est. Reliqua admirabilis hujus viri egregia facinora, & quæ vivens ac moriens de cœlo acceperit beneficia temperantia ejus hausit, qua quidquid honorificum sibi esset futurum accuratissimè occultavit. Nam quæ supersunt eorum vestigia, obscuriora sunt, quàm quæ & fides & lux historiæ desiderat. Illud tamen ostento simile fuit, quod quum inopinata, propter perpetuas ægritudines mors ejus accidisset, & funus privatâ ceremoniâ haberetur, tanta repentino quodam impetu ad feretrum ejus civium multitudo concurrere visa est virtutes prædicantium, & sanctitatem conclamantium, ac quæ corpus contingerent diripientium, ut pium illum ac religiosum tumultum, honoribus omnibus anteferendum, divinitus excitatum plerique omnes existimarent.

Antequam Tertianorum Patrum Institutionem susceperisset, Drepani extinctus est.

Feretrum diripitur, & sanctitatis ejus fama augetur.

XIX. Non vulgaribus etiam ornatus virtutibus in Nætino Collegio desideratus est præmaturo admodum fato, P. Michaël Montaltus Calatanixetensis. Innoxiam & vitiorum expertem pueritiam traduxit, atque ut in omni vita incolumem servaret, anno ætatis quartodecimo Societatem adire statuit, & propositi vindicem sibi Dei Matrem optavit, & propitiam expertus est. Quum enim in S. Margaritæ Templo, ac die, ad *Deiparæ* Aram, & Simulacrum ab ea peteret, ut conceptam abs se voluntatem adjuvaret, hanc ab ejus ore missam vocem accepit: *Hilari latoque animo te esse jubeo. Nihil est quod verearis, te conata non perfecturum.* Patre plurimùm dissentiente, domo se fugâ subduxit, schedâ relictâ, quâ de secessionis causa, & consilio significabat. Pater Panormum advolat, neque filium ibi reperit, qui ad Agrigentinum Pontificem confugerat, ut causam ejus tueretur. Pontifex dat negotium Seraphicis Cœnobitis, quos *Reformatos* vocant, ut adolescentem penes se dies aliquot retineant, & voluntatem ac mores ejus accuratè rimentur; atque ex eorum suffragio, Patre nequicquam reluctante, Michaëlem Societati adjudicari jubet. Quod quum ille Deiparæ acceptum retulisset, Tirocinio Ma-

P. Michaëlis Montalti morũ innocentia singularis.

E paterna domo fugam arripiens, Deiparâ adjuvante, Societati ascribitur.

mer-

Digitized by Google

mertino adjectus est, ubi vitæ planè cœlestis elementa didicit, & ad mortem usque excoluit, ac eò usque provexit, ut uberrimam exinde maximarum virtutum laudem cumulaverit. Religiosæ inopiæ apprimè deditus, indumentis nunquam usus est, nisi vetustis, & quæ nemo alius adhiberet. Intimas autem vestes nunquam mutavit, ut laceras, & quæ neque hiemem, neque algorem prohiberent in alpestribus præsertim itineribus, quæ concionum causà, frigidissimis anni temporibus pannosus & algens conficere necesse habuit. Singulis ferè mensibus reculas suas perscrutabatur, ut iis se abdicaret, & ad Majores deferret quæ superflua esse viderentur, libri, imagines, icones, amuleta, utensilia. Quum in Collegio Panormitano litteris daret operam, & plerique communi morbo decumberent, a Majoribus impetravit, ut ægrotantibus ministraret, quo in munere tam accuratè versatus est, ut præter diurnum caritatis officium sordidissimis etiam obsequiis impensum, nocturnam etiam præstaret operam, & cum periculo laborantibus noctes adesset integras indutus & sedens, atque ita somnum carperet brevem, & injucundum. Ex animo obtemperandi gloriam, quidquid juberetur, cum paucis communem habuit. Sibi enim persuaserat non sui esse judicii, sed ejus qui præciperet, dispicere, esset ne humanis viribus consentanea, quæ facienda præscriberentur. Quare obedientiæ fiduciam privatæ prudentiæ fines transire passus est; neque quid ipse posset, aut alios jubere deceret, sed quid sibi conandum esset pensitabat. Jussus proinde certa de re ex tempore publicè dicere, & ex domestica confabulatione ad templi suggestum gradum facere, nullà usus tergiversatione, & nè ad cogitandum quidem sumto spatio, identidem ad concionandum prodiit; quodque prodigii instar est, nunquam aliàs tam disertè, copiosè appositè verba fecit. Levissimis autem de rebus a Majoribus publicè super mensam admonitus, & objurgatus, interdum verò & sine culpa castigatus, nullam animi offensionem ostendebat, neque conspectum, aut ejus refugiebat sermonem, qui injuriam aut contumeliam irrogâsset, sed mirà oris & animi alacritate captabat ultro colloquium, & pietatis obsequia duplicabat.

Præclarissima religiosæ ejus inopiæ exempla.

Ægrotantibus ministrat in sordidissimis etiã obsequiis.

Admirabilis ejus obedientiæ monumenta.

Obediendi studio, ex tempore pro suggesto cum laude verba facit.

XX. Ut doctoribus dare operam desiit, sacræ eloquentiæ totum se tradidit, quam non ex libris modò, sed ex divinæ caritatis fontibus maximè hausit, & salutarem, plenam, concitatam, atque ad efficiendum animi motum non mediocriter idoneam exprompsit. Quum enim multùm secederet, atque sileret, & in secreto conclavi plures diei ac noctis horas cum

Studiis emensis, sacræ eloquentiæ se tradit.

Digitized by Google

Deo transigeret, ex cœlestis contemplationis officina arma sumebat, quibus a via salutis aberrantes populos oppugnaret, & ut Christo se dederent, cogeret. In cibo, ac somno capiendo admirandum in modum parcus, lectulo plerunque abstinuit, rarò indumentis exutus, & nudus, noctes interdum sedens, & caput leviter acclinans exegit. Nondum Sacerdos carnis sibi usum interdixit, quam deinceps nunquam gustavit. Singulis sextis feriis, & Sabbatis institutum ab adolescentia jejunium ad vitæ exitum produxit, cujus inediam pane interdum & aquâ tolerabat. Dei Matris religionem quibuscunque rebus potuit domi forisque amplificavit, & ipse in primis coluit. Nullum fuit colloquiorum ejus suavius argumentum, præter Virginis laudes, & dotes, de quibus publicè atque privatim dulcissimè prædicabat. Unum ejus erat inter assiduos labores corporis & animi laxamentum, flores legere, quibus sertum contexeret, & Deiparæ Simulacra redimiret. Marianos dies, qui religiosi maximè habentur, summo in honore habuit. Nam dies octo qui proximè antecedunt, ac subsequuntur, secessu, jejuniis, precationibus, corporis cruciatu, in obsequiis ejus collocabat. Pridie verò nihil sibi præter panem & aquam indulgebat, tantùm ut inediam, neque famem depelleret. Noctem verò totam in virtutum ejus meditatione vigilans collocabat. Tot igitur tantisque meritorum ornamentis cumulatissimè instructus, & ante canos cœlo dignus, in lentam incidit febrim, atque tabificam, quæ diutiùs dissimulata, & suprà quàm æquum erat, neglecta, quum inedià aleretur, potiùs leniretur, & omnino inveterâsset, ad medicorum industriam tam serò pervenit, ut nullis remediis vinci potuerit, quin ægrum macie consumtum in Næetino Collegio extingueret VIII Calendas Novembris, annos natum duodequinquaginta. De P. Michaële Montalto Jacobus Riela in hanc sententiam commemorat: *Mira de hoc homine, qua miram sanctitatem redolent, ab iis narrantur, qui familiariter ipsum nôrunt, quorum præcipua, quum nostram memoriam, & ætatem fugerint, in cœlo deinceps aperienda prætermittimus.* Sed Silvii Tornamiræ diligentiam pleraque, quorum meminimus, non effugerunt. Funus ejus Næetina Civitas concursu, & prædicatione virtutis plurimùm commendavit.

Quanta Montalti fuerit cibi, ac somni parcitas.

Singularis ejus erga Deiparam religio, & cultus.

Lentâ febri consumtus in Næetino Collegio extinguitur.

Riela Chronol. Provinc. Siculæ ad ann. 1637.

Tornamira Ghirland. exêpl. part. 3. Centur. 1. Decad. 4. Exempl. 10.

XXI. Claudit funerum agmen hujus anni P. Leonardus Mercurius Syracusanus, cujus in servitute defuncti neque diem obitûs, neque mensem Provinciæ Fastorum Scriptores adnotârunt. Gymnasiorum cursu peracto, divinis litteris optimè

Digitized by Google

mè imbutus consanguineorum voces, & incredibiles conatus, quibus eum detinere nitebantur, nè Oceani periculis, & incommodis se committeret, aspernatus est, & in Brasiliam navigavit, in qua magnis perfunctus laboribus annos ferè viginti consumsit, domi foriſque laborioſus, & utilis. Quoniam barbaros quamplurimos condocefecit, & religione expiatos accuratissimè excoluit, & domestica officia gessit amplissima. Pernanbuci divinarum artium disciplinam nostris junioribus laudatissimè tradidit, Tironibus informandis præfuit, & pleraſque Societatis Colonias, ac Domicilia ſumma cum fidei, & ſapientiæ gloria adminiſtravit. In repentina barbarorum incurſione conquiſitus, circumventus, & penè comprehenſus, ſingulari Dei beneficio, neque agnitus, neque ut ipſe putabat, viſus, ex eorum manibus dilapſus eſt, & ad nobiliorem victoriam, & palmam reſervatus. Nam quum Pernanbucó ſolviſſet, ut ad Januarium Amnem egrederetur, a Batavis piratis captus, & diu multúmque crudeliſſimè excruciatus, & perpetuis ærumnis exinanitus, in vinculis exanimatus eſt anno ætatis undequinquageſimo, & Oceano ſepultus.

P. Leonardus Mercurius animarum ſtudio in Braſiliam navigat.

Ejus in illa Provincia munera, & magiſtratus.

A Batavis piratis captus, & crudeliter habitus, in vinculis vitam ponit.

XXII. Superioribus annis, duabus Provinciam auctam fuiſſe Coloniis ex eo habemus compertum, quod anno 1638 dimiſſæ ſunt, Sociis inde evocatis, & ad proxima Collegia ſe recipere juſſis. Hoc enim anno adnotatum reperio, deletum eſſe Collegium Randatienſe, & unà Domicilium Naſitanum, quorum ante interitum didici, quàm ortum. Eorum enim origines ex nullis Provinciæ monumentis exculpere potui. Actum quidem de Naſitano domicilio ſuperioribus annis non me fugit, ut in loco eſt demonſtratum. Sed ibidem adnotavimus, tenuiſſimo cenſu ad id conſtituto, negotium non coaluiſſe. Quare ſuſpicor eo ſe cenſu Societatem hoc anno abdicâſſe. Verùm quod ad Randatienſe Collegium attinet, titubâſſe arbitror Tornamiram, ex eo deceptum, quod in ſuperiore Provinciæ Conventu, quem anno 1636 celebratum oſtendimus, cenſetur P. Joſephus Majorana, quaſi jure magiſtratùs, quem in Collegio Randatienſi gereret, ſuffragatoribus eſſet annumeratus. Sed in Actorum Autographo, quod conſulere non ſum gravatus, P. Joſephum Majoranam inter Votorum quatuor *Profeſſos* relatum comperi, hoc titulo: *P. Joſephus Majorana, Superior Reſidentiæ Randatienſis*: cui ſanè magiſtratui in Provinciali Conventu locum non eſſe, non eſt qui ignoret. Quare antiquitatis prærogativà latum ab eo ſuffragium relinquitur, quum præſertim, & ejus ætas, & *Profeſſionis* vetuſtas

1638

Collegium Rãdatienſe, & domicilium Naſitanum dimittuntur.

Quid de Randatienſis Collegii ortu ſentiendum ſit, exponitur.

Digitized by Google

optimè congruant. Incredibile autem est, proximis duobus annis & publicatum Collegium Randatiense, & extinctum fuisse. Nullum itaque fuisse arbitror: sed Domicilium paucis ante annis, spe magis quàm re conflatum, hoc demum anno antiquatum fuisse, & a nostris hominibus non temere resignatum, propter Oppidi infrequentiam, & alendæ, ut par erat, familiæ difficultatem.

In Asiaticis Insulis, & præsertim Chio Nostrorum labores, & res naviter gestæ.

XXIII. Nunquam aliàs lætioribus nunciis Chium Domicilium Provinciam recreavit. Jam in eo duodecim numero Socii versabantur, in quibus Sacerdotes omnino septem, selecti homines, & ad Societatis officia maximè idonei, qui rem Christianam in Asiaticis illis Insulis amplificare studerent. Tria latinarum litterarum Gymnasia sunt publicata, quatuor Marianæ Sodalitates. Utraque maximà Græcorum frequentiâ, quorum qui bonà sunt mente, Italiæ artibus ac religionibus non mediocriter delectantur. Templum elegantissimè ornatum, & sacrà supellectili instructum, publicæ supplicationes Romano more ac ritu institutæ, vernaculà oratione crebræ conciones habitæ, quamplurimi Græcorum, hæresi ejuratà, Christianis sacris eruditis atque expiatis, ex saluberrimis ad Ægei maris insulas excursionibus insignes relati pietatis, ac religionis fructus, quos qui hæc leget per se faciliùs judicaverit, quàm nos singulatim exequamur. Duo tamen nefas est, a Deo per B. Aloysium Gonzagam impertita præterire beneficia.

Adolescens morti proximus B. Aloysii Gõzagæ beneficio convalescit.

Gravissimè, & propediem moriturus jacebat Marianæ Sodalitatis adolescentulus, Joannes Antonius Marchisius, ex pestifera febri, quæ nullis remediis sedari potuerat. Jamque parentes maximo cum familiæ luctu de funere cum libitinariis transegerant. Adfuit cum nostro Sacerdote Junior, ejus magister, & B. Aloysii attulit imaginem, docuitque diem ejus solemnem parum abesse, (nam Junio ineunte hæc gerebantur) & simul morientem hortatus est, ut pridie ejus diei se jejunaturum voveret, si beneficio ejus convalesceret. Quod quum ille fecisset, & inter preces ac lacrimas imaginem exosculatus in pulvinum subjecisset, leni somno correptus conquievit. Tum adstare sibi videt cœlesti formâ juvenem, nostro indutum vestitu, qui mœrentem consolatus, fatalem non fore morbum pollicetur. Accessit & Matrona pulcherrima, cujus speciem excelsa quædam majestas commendabat, quam cœlestis ille juvenis orare cœpit, ut ægrotanti subveniret. Illa ejus precibus morientis salutem se concedere, ait, & rogata quis esset formosus ille Jesuita, qui de morientis salute tantopere laboraret; Aloysium

B. Aloysius morienti se videndum præbet, & recuperandæ valetudinis spē facit.

Gon-

Digitized by Google

Gonzagam eum esse respondit, propter singularem ejus a puericia corporis animique candorem, sibi carissimum. Ad hæc verba Marchisius evigilat, magnis clamoribus familiam convocat, quæ per quietem vidisset narrat, & se valere confirmat. Medicus repentinam incolumitatem Deo assignat. Adolescens votum exsolvit, & cœleste ostentum ubique prædicat. Magna exinde Aloysii Gonzagæ religio, & apud Turcas etiam in pretio habetur. Nam postridie ejus diei, qui XI Calendas Quintiles Gonzagæ est consecratus, Nobilis quidam Mahumedanus nomine Mehemetus in ipso foro acerrimis correptus doloribus exanimatus concidit. Quare per manus domum deductus, ut sibi redditus est, tam vehementer torqueri sensit, ut si distractis nervis membratim discerperetur. Maximis propterea clamoribus, & ejulatibus viciniam terrere cœpit, & ad insaniam, atque furorem adactus videbatur. Accurrit cum reliquis christiana mulier. Docet, quàm salutaris sit in magnis casibus Aloysii virtus, & opem pollicetur, si restitutus beneficii memor argenteum donarium conferret. Ille nihil non promittit, Aloysium maximis gemitibus invocat, & gossypium sibi admoveri flagitat, quod Aloysii imaginem tetigisset. Affert illa, & ut furentis corpus attingit. Ille extemplo sublevatus consurgit, & incolumis in omnem partem discurrit, ut si acerbissimos illos dolores somniâsset. Consequens erat, ut promissis staret, seque Christo dederet. Sed litteræ indidem in ipso negotio datæ, nonnisi rei utriusque spem commemorant.

Eventus rei fidem facit.

Mahumedanus quidam acerrimis, quibus erat correptus doloribus per B. Aloysium liberatur.

XXIV. Messanæ VI Calendas Apriles, qui dies eo anno in Sabbatum incidit, pridie Palmarum & Olivarum religionis, horà diei nonà, terra movit tantà vi, ut principis Templi dextimam contignationem afflixerit, cujus ruinà decem admodum oppressi detritique sunt homines. Quod si is casus post horæ spatium incidisset, quum frequentissima Civitas singulis Sabbatis eò horà decimà ad Marianas laudes coire soleat, non aliàs tam insignis plaga accepta fuisset. Magnæ propterea Matri, sub cujus clientela sunt Mamertini, est imputatum, quod tanta ruina tam paucos interceperit. Maximus tamen terror cives omnes incessit; neque fuit, qui post Solis occasum apertis inlocis non pernoctaret, compactis ad id repentè casis utcunque materiatis, metatisque castrorum more tentoriis. Ingentem per se metum trepidatione summà cumulavit postridie allatus ex finitima Calabria maximæ cladis rumor non obscurus. Nuntiatum est enim uberiùs fortè quàm veritas pateretur, Cosentiam, ex cujus agro initium terræ succussionis factum esset,

Ingens terræmotus Messanam terret, & principis Templi cõtignationem affligit.

Domus deseruntur, & apertis in locis subitariis casis habitatur.

set, cum proximis Oppidis, atque Castellis excisam esse, & planè deletam, quinquaginta oppidanorum ac paganorum millibus ædificiorum ruinà consepultis. Quo tempore P. Athanasius Kirkerius Melitam contendens, quum S. Eufemiæ Sinum præternavigaret, conspicatus est, S. Eufemiæ Civitatem conspicuo loco in litore positam terrà movente, hauriri fluctibus universam. Civibus itaque trepidantibus, sibique ex alieno excidio metuentibus adfuere nostri homines, qui ex Mamertina Domo prodiere quamplurimi, & diversis in locis bini, aut terni ad areas, quò confertissima multitudo, desertis Templis confugerat, advolant, & pro concione populum admonent: *Imperitè eos agere, qui ab irati Numinis animadversione, industriâ potius, quàm religione tutos se esse posse sperarent. Nullam hominum valere solertiam adversùs cœlestis potentiæ vim. Habere Deum & fulmina, & mortes, & terræ hiatus, a quibus nullis se areis tuerentur. Quàm sapientiùs metum pietatis officio servire cogerent, & cœlestem indignationem religionibus averterent, culpas abigerent, ad Aras & Sacerdotes confugerent, sacris animum expiarent, & publicis supplicationibus, superûm opem, & gratiam sibi demererentur! Hanccine Patronæ ipsorum Mariæ gratiam pro hesterno beneficio referrent, ut præsidium ejus negligerent, & ab ea nihil peterent, nihil sibi pollicerentur?* His excitata sermonibus Mamertinorum pietas, Ninivitarum luctùs, & pœnitentiæ spectaculum de se præbuit. Tristia enim & luctuosa e vestigio exiere atratorum supplicantium agmina, qui nudis pedibus, cinere conspersi, magnis onusti crucibus, atque ponderibus, vepribus ad vivum involuti, tractibus catenarum, tergo flagris cruento, erratorum veniam a Deo peterent, & pœnitentis animi dolorem significarent. Intercedebant utriusque sexùs impuberum globi, qui passo capillo, pede mero, & Christi cruciatuum insignia ostentantes, magnis clamoribus, & fletibus misericordiam ingeminabant. Ea species animos omnium ad religionis studia convertit. Populus ad Delubra se effudit, & perpetuis expiationibus assiduam dedit operam, quæ supremos jejunii dies, tanto silentio, ac religione complevit, ut in frequentissima Civitate solitudinem factam esse crederes. Exceptæ sunt peccatorum confessiones non modò annuæ quamplurimæ, sed eorum etiam, qui jam anno sexto, trigesimo, ac quadragesimo expiationem quà neglexerant, quà refugerant. Mirum est autem qualem, & quantam frugem ex Christiana Civitate ruinarum metus expresserit. Nam ad tri-

Nostri Mamertinos cives admonent, ut Numinis iram pœnitentiâ lenire studeant.

Instituuntur per id tempus quamplurimæ religiones.

Quinam fuerint ex eo metu relati pœnitentiæ fructus?

triginta numerati sunt, qui humanis rebus se abdicarent, & religiosum aliquem Ordinem sequerentur, in quibus octo Barbatorum *Seraphicorum* disciplinam amplexi sunt. Ceterùm abjecta scorta, aleatorum tabernæ funditus deletæ, amotæ superstitiones, repressa perjuriorum licentia, hæreses ejuratæ, reparata furtorum damna, restitutus rebus omnibus Christiani nominis splendor. Ita divinà clementiâ factum est, ut Mamertinæ Civitatis flagitia metu pœnæ magis, quàm pœnâ expiarentur.

Quamplurimi humanis rebus valedicto, religiosam disciplinam, amplectuntur.

XXV. Sed per majoris jejunii ferias noster Sacerdos in Calabriam excurrerat, & Biancum in Brutiorum finibus propter inferum mare situm oppidum magnis concionibus ad salutis studia compulerat, & vitiis expurgaverat. Et nè pietatis officia in cultu dilaberentur, tres ibi excitaverat piorum hominum Sodalitates, quorum interesset institutas religiones tueri. Quo beneficio commoti, ut Hospiti gratiam haberent Oppidani, Sanctos Ignatium, & Franciscum Xaverium præcipuos sibi Patronos delegerunt, eorum imagines solemni supplicatione per oppidi vias circumtulerunt, annuos eis decrevere honores & pecuniam, qua quotannis haberentur, templum dedicavere pro præsenti copia satis magnificum, eosque sibi votis, atque donariis demereri conabantur, quum in eorum tutela salutem esse oppidi voluissent. Neque præsentem ipsorum opem cœlestes Patroni diu desiderari passi sunt. Nam circumductis eorum imaginibus, & optatissimi imbres arentes jamdiu Segetes irrigaverunt, & Turcicarum triremium classem ad diripiendum oppidum irruentem truculentissimus Boreas avertit, atque litora vitare coëgit, & quod caput est, quum finitima oppida terræmotus evertisset, & cladibus ac luctu complêsset, nonnisi Biancitanis pepercit, quorum nemo unus periit, neque ullum ædificium afflictum est. A communibus ad singularia beneficia descendit Pellizzerius, quorum quamplurima enumerat. Nos satis habemus id unum adjungere, vix ullam indicari potuisse Biancitanam familiam, cujus non votivæ tabellæ recentium Patronorum cœlestem beneficentiam, in eo quod diximus Templo, testarentur.

Nostrorum operâ tres piorum hominum Sodalitates in Brutiis instituuntur.

Biancitani SS. Ignatium, & Xaverium sibi Patronos deligunt; eisque annuos honores decernunt.

Erga Oppidanos cliente gratus Patronorũ animus.

P. Paulus Pellizzerius Chron. Dom. Mamert. ad ann. 1638. pag. 265. & seq.

XXVI. Paucos hoc anno Provincia desideravit. Non enim plures extulit, quàm quatuordecim; in quibus nonnulli sunt, quorum res gestas apud Provinciæ Scriptores aliquo numero fuisse comperio. Primum serie temporis locum obtinet P. Bartholomæus Cangelosa Panormitanus, cujus egregium fasti Provinciales facinus memorant, quo quanti Socie-

P. Bartholomæi Cangelosæ singularis ergaSocietatẽ amor.

ta-

tatem faceret, declaravit. Quum enim noſtro numero adlectus pede altero claudicare cœpiſſet, & vitium dies ipſa, ac diſciplinæ labor incitaret, Provinciæque Optimatibus viſum eſſet, adoleſcentem muneribus noſtris parum idoneum ad ſuos remitti oportere, neque ullis lacrimis, aut precibus flecti poſſent, ad ſummum Societatis Antiſtitem provocavit, ut cauſam coram diceret, a quo & impetravit, ut Romam ea de cauſa contenderet, ſeque paratum turpiter claudus oſtendit, terreſtri itinere viæ ſe committere, & ſi pedibus non valeret, genibus iter conficere. Itaque Claudius Aquaviva, ut pro ſe, oculis magis, quàm linguà dicentem audivit, miſericordiâ tactus, cauſam ejus adeo ſibi probari paſſus eſt, ut commodè in Provinciam remeare juſſerit cum mandatis, nè pedum vitium ei fraudi eſſet, qui tantam animi virtutem, & retinendæ militiæ noſtræ ſtudium exprompſiſſet. Neque qui ſubſecuti ſunt mores ejus Aquavivæ ſententiam fefellerunt. Floruit enim in Provincia virtutum & litterarum gloriâ conſpicuus. Nam in majoribus ſemper Collegiis, artes tradidit, præſertim verò Meſſanæ, ac Panormi ubi ſacras etiam morum Quæſtiones, & Hebraicæ linguæ elementa cum dignitate ad extremos uſque canos profeſſus eſt, & in Collegio Panormitano docentem mors deprehendit, annos natum ſeptem, & ſeptuaginta, III Idus Februarii, anno, ex quo Societatem adierat, quarto & quinquageſimo: ſeptimo ſupra trigeſimum, ex quo quatuor Votorum ſacramentum dixerat.

Retinendæ Societatis ſtudio, Romam contẽdit, & coram Aquaviva cauſam dicit, & obtinet.

Quæ, & qua laude in Societate munera obierit.

XXVII. Suis Provincia annumerat P. Michaëlem Madrenſem Syracuſanum, in ea natum, eductum, & ad ſummos uſque canos verſatum, quum non ipſe, ſed Collegium Rhegienſe, in quo nonagenarius extinctus eſt, a Provincia deſciverit. Ibi enim multos ante annos conſederat, quàm Neapolitana Provincia illud ſibi Collegium adjudicaret. Revocatus autem in Provinciam, & magnopere flagitatus, fieri non potuit, ut aliquando exiret. Plus enim apud Vitelleſchum valuere Rhegienſium officia in eo retinendo, quàm Provinciæ in deducendo. Candidiſſimum hominis ingenium ſingularis virtutum concentus exornavit. Perpetuam habuit morum & vitæ magiſtram, intimam cum Deo familiaritatem, cujus nedum vigilans, ſed dormiens, & ſomnians aſſiduis colloquiis alere conſuevit. Inter immolandum quanto animi ſenſu morientis Chriſti cruciatuum memoriam excitaret, & vulnera ſibi proponeret, perennes lacrimæ ſignificabant, quibus litantis ſinus maderet. Viriles annos, quibus Siciliam concurſavit, ſacris concionibus,

P. Michaëlis Madrenſis Patria, virtutes, & res laudabiliter geſtæ.

Ejus cum Deo familiaritas ſingularis.

ma-

Digitized by Google

maximo christianæ rei incremento præbuit. Perorantem enim, atque incredibili vocis, & actionis concitatione, quæ cœlestem furorem indicaret, quodammodo debacchantem ferre nemo poterat, quin ei totum se victum & expugnatum dederet. Maturiorem ætatem clementioribus exercuit religionibus, & laboriosam excipiendarum confessionum palæstram ad extremum usque vitæ spatium primus adire, novissimus intermittere solitus est. Maximè senem, & cruribus exulceratis, ad quælibet disciplinæ, & caritatis officia acerbissimo cum dolore properantem, vultu Deipara atque colloquio suo dignum censuit; & oris, atque verborum suavitate usqueadeo recreavit, ut ex eo tempore cœlesti voluptate delibutus, quasi alter Simeon mortem tanquam votorum summam invitaret, & quo die adfutura esset, gratulabundus domesticis enunciaret. Fato jam adventante, universæ vitæ maculas accuratissimè expiavit; sed qui magno cum fletu confitenti aures commodavit, nullam se gravem noxam deprehendisse affirmavit. Annibali Afflicto Rhegiensi Pontifici, viro in paucis sanctissimo, atque lectissimo, cujus in sacris annalibus magna est & clara memoria, annos quamplurimos a confessionibus adfuit, & consilio atque operâ, rebus omnibus præsto fuit. Itaque cum quo conjunctissimè vixerat, mors arctiùs conjunxit. Nam eodem ferè die uterque extinctus, tumulatusque est, inusitatâ acclamatione virtutis, & probitatis. Elatus est Madrensis VI Idus Apriles, anno ætatis nonagesimo, ab inita Societate quinto & septuagesimo, quadragesimo septimo quàm quatuor Votorum sacramentum edidit. Funeris honores eò usque Rhegienses cumulavere, ut qui sibi persuaserant, manes ejus a corpore ad superos evolâsse. Quare direptum est feretrum, & quæ ejus fuisset supellex summo studio conquisita. Extant litteræ P. Philippi Delfini ad P. Vincentium Marottam Rhegio datæ VII Calendas Decembres anno 1642, quarto nimirum a Madrensis obitu, in quibus est: magno in honore Rhegii esse ejus ocreas sanie respersas, quibus marcentes, & exulceratas tibias contexerat, quòd plura iis adhibitis collata sint cœlestia beneficia, quorum septem enumerat, quæ majorem habent fidem, reliquis prætermissis; additque ex eis ocreis, quæ apud Collegii Rhegiensis Rectorem custodirentur, quum is subdubitâsset, nè putri sanie puterent, odorem suavissimum, & planè cœlestem exhalâsse, quem ad id convocati Patres, fratresque omnes percepissent.

Incredibilis ejus in perorãdo vis, & efficacia.

Deipara ei se videndam præbet, eumque de proxima morte certiorem facit.

Præclarum innocentiæ ejus testimonium.

P. Madrensis eodem die, quo Pontifex Rhegiensis, cui a confessionibus aderat, decessit, extinctus est.

Rhegiensis populus ejus feretrum diripit, & reliquias sibi dari poscit.

Ejus ocreæ sanie respersæ suavissimum odorẽ exhalant, iisque adhibitis, plura collata sunt beneficia.

XXVIII. Inclytis etiam Provinciæ hominibus aggregan-

P. Matthæi Gareti assidua de Deo colloquendi ratio, & Legum observantia.

dus est P. Matthæus Garetus Drepanitanus, sive ut Tornamira auctor est, Eryce natus, cujus memoriam non litteræ, non facundia, non magistratus, non mirificæ res gestæ commendant, sed intimum Deo placendi studium, quod mentem ejus ad religionem finxit, & medullas omnes ita pervasit, ut in factis, ac dictis ejus eluceret. Quidquid propterea ageret aut loqueretur, Deum spirabat. Nemo fuit sive externus, sive domesticus, qui non ab ejus colloquio ad divinum amorem, & obsequium excitatus discederet, quasi pectori infixos pietatis stimulos Garetus reliquisset. Domesticæ autem disciplinæ tam diligens imitator habitus est, ut una omnium vox esset, si Societatis leges interirent, eas ex P. Matthæi Gareti moribus exscribi posse. Eum, Dei admonitu secuta est animi ducem & arbitrum, atque cœlestium beneficiorum participem Ven. Soror Maria Roccafortia, quæ inter candidiores ejus ætatis animas numerabatur, & ejus nutum ut hominis planè cœlestis, & divinæ voluntatis conscium, atque interpretem verebatur. Sed omnium est locupletissimum P. Bernardini Piccini testimonium, viri divinis in rebus maximè exercitati, de cujus eximia sanctitate nemo unquam satis prædicaverit. Hic quum de P. Matthæo Gareto sermo non semel incidisset, ita de eo commemoravit, ut inter illustriores Provinciæ sanctos homines recensendum non dubitaverit, quo tempore Paraninfus, Colnagus, Carminata, Josephus Scamacca, Carolus Romanus, Octavius Cajetanus, Cæsar Cossus, & clarissima illa, de quibus adhuc egimus, Provinciæ lumina in vivis agerent. Vivere desiit in Collegio Drepanitano anno ætatis duodesexagesimo V Idus Septembres. Sed quæ alta sunt, & humanis impervia mentibus Dei judicia, obtulerunt se Roccafortiæ manes ejus piacularibus involuti flammis, quòd supremum vitæ morbum, diuturnitate gravissimum ita cœlestis Patriæ desiderio temperaverit, ut occultà quadam satietate vivendi, molestiæ magis liberationem, quàm divinæ voluntatis obsequium respexerit; quare Roccafortiam deprecatricem adhibuit; & ejus beneficio pœnà exemtus perhibetur.

Vita inedita Ven. Sor. Mariæ Roccafortiæ.

Duo singularis virtutis ejus præclara testimonia.

Drepani moritur, & manes ejus Mariæ Roccafortiæ se ostendunt, & opem petunt.

XXIX. Peregrè demum ante viriles annos Romæ Philosophiæ, & vitæ cursum absolvit Jacobus Corina, honestissimo genere Messanæ ortus, cujus res gestas inedito volumine comprehensas, in adversariis suis se adnotavit legisse P. Dominicus Stanislaus Albertus, & Vitam M. S. laudat Tornamira. Sed ea monumenta oculos, & industriam mei scribentis effugerunt. Quare Jacobi Rielæ brevitatem, qui perpauca delibavit, ino-

Jacobus Corina Romæ vitæ cursum absolvit.

Silv. Tornam. virtutes, & exempla Nostrorum III. Cal. Novemb. 1638 pag. 140.

pia

pla me cogit, ut sequar, meique juris faciam. Certâsse in eo natura visa est, ut non facilè judicaretur, fueritne benignior in fingendo corpore, an in cumulandis animi dotibus liberalior. Nihil eo adolescentulo fieri potuit elegantiùs, in quo virtutis fulgebat indoles, summum ingenium, mentis alacritas, & nativus quidam innocentiæ splendor, qualem virtus effunderet si oculis cerni posset. Eximiam enim oris venustatem tantus pudor, & sanguis commendabat, ut non aliam futuram fuisse crederes virtutis imaginem, ea si vultum humanum induisset. Pietati conjunctam corporis animique integritatem iis in Societate præsidiis munivit, quæ futuram ætatem præstarent, & suâ sponte alienum a vitiis animum disciplinæ conciliarent. Ad Philosophicas Artes cognoscendas Adolescens Romam missus temperantiâ, verecundiâ, hilaritate, & quam ex tirocinio hauserat exquisitâ domesticarum legum custodiâ, Collegii Romani oculos in se convertit. Itaque in eo virtutum, ac litterarum theatro, Corina digito monstrabatur, quod inter æquales, primas ingenio ac moribus partes ageret. Sed triennio vixdum consumto, sanguinem absque tussi rejecit. Eo morbo tentatus a Mutio flagitavit, nè cunctaretur quod jamdiu exoptaverat, atque petierat, Indicæ sibi peregrinationis gratiam facere, ut sanguinem pro Christo in acie potiùs inter barbaros funderet, quàm morbo prodigeret. Mutius spem fecit, & quum sanguis stetisset, ad Tiburtini cœli salubritatem eum designavit, ut Grammaticæ interim rudimenta ibi traderet, & vires confirmaret. Sed sanguis intimo illapsu pulmonem labefecit, ex quo macies est consecuta. Incredibili oris, & animi jucunditate, tanquam qui ad cœlestia gaudia properaret proximæ mortis nuncium accepit. Confluebant ad morientis lectulum juniores, seque invicem excitabant, quasi morientem Aloysium Gonzagam visuri essent. Ipse, deficiente naturâ, mirum in modum exultans suprema ea ipsa verba pronunciavit: *Nunquam credidissem tam facilè ac dulce esse in Societate Jesu mori*. Flentibus reliquis, leniter subridens in Collegio Romano animam effudit, & in eo ridentis habitu terræ mandatus est III Calendas Decembres, quum numeraret ætatis annum tertium supra vigesimum.

Singularis Corinæ corporis, animiq; venustas, pudor, & innocentia.

Romam mittitur, ubi maxima dat exempla virtutis.

Morbo tentatus Indicâ expeditionem a Mutio flagitat.

Incredibili animi jucunditate proximæ mortis nuncium accipit.

XXX. Commutatus est cum initio anni 1639 summus Provinciæ Magistratus. P. Nicolaus Berzetius, Januario exeunte, anno jam quarto ex quo potestatem adierat, eam Panormi P. Alexandro Nevolæ Panormitano extra ordinem transmisit, dum novus Provinciæ Antistes a Mutio designaretur: matura- 1639

P. Nicolaus Berzetius Provinciæ Magistratum P. Alexandro Nevolę extra ordinem transmittit, & ex Provincia solvit.

vitque profectionem, nè Januensem classem prætermitteret, quæ Messanæ in anchoris substiterat, & navigandi tempestatem ibidem præstolabatur. Itaque VII Calendas Martias ibi conscendit, & magno cum desiderio Provinciæ, bonis avibus solvit, quum Domui Mamertinæ amoris sui perenne monumentum reliquisset, particulam corporis S. Stanislai Kostkæ, quæ aureà inclusa coronide in argentei ejus simulacri pectore crystallo perspicua cernitur. Interea P. Alexander Nevola Provincialem Conventum Panormi ad VII Idus Majas cogendum pronunciavit. Sed Aprili mense P. Cæsar Boscus Panormitanus, qui Romanæ Domùs magistratu jam abierat, Sicilienſis Provinciæ Rector est appellatus. Quare ejus litteris rejectus est Comitiorum dies ad IV Idus. Verùm quum ex itinere valetudine detentus Setiæ consedisset, jussit Mutius, Conventum ante XIII Calendas Junias, cogi non oportere. Boscus utcunque recreatus III Nonas Majas Panormum attigit, & ad diem præstitutum Comitiis præfuit. Optatus est ad Acta perscribenda P. Stephanus Turturetus Messanensis, ejusque adjutor P. Placidus Carnovalius Panormitanus. Ad seligenda verò negotia, de quibus referretur, dicti sunt P. Alexander Nevola, & P. Hieronymus Tagliavia. Renunciatus est postridie P. Josephus Castelnovus Panormitanus, qui Domui præerat, designatusque, qui ei fortè prohibito succederet P. Josephus Augustinus Panormitanus. Postero die summo consensu censuerunt Patres, *summum Societatis Conventum non esse cogendum*. Septimo Comitiorum die de iis est deliberatum, quæ ad Mutium essent deferenda. Duo seligam, quæ ad narrationem maximè pertinent. Primùm fuit, ut quemadmodum in superiori Conventu postulatum fuerat, nè Bernardi Colnagi sacri honores negligerentur, ita modò summopere Provincia flagitaret, rationem haberi Franciſci Cajetani, cujus maximæ essent virtutes, & præclara apud Deum, ac Societatem merita, atque quotidiana essent cœlestia beneficia, quibus sanctitas ejus declararetur. Alterum erat: integrandas esse preces, ut Collegium Rheginum Provinciæ redderetur. Quum enim in proximo Conventu anno 1636 ita Patres censuissent: *Rogandus videtur Adm. R. P. Noster, ut Collegium Rheginum Siculæ Provinciæ iterum conjungatur; experimento enim didicimus, non contemnenda incommoda tum illi Collegio, tum nobis ex ejus separatione provenire, quemadmodum P. Procurator, cui bene nota sunt, Patrem Nostrum poterit certiorem facere.* Rescripsisset autem Vitelleschus, *Diligenter functus est officio*

P. Cæsar Boscus Provinciæ Rector appellatus Provincialem Conventum Panormi habendũ pronunciat.

P. Josephus Castelnovus ad Romana Comitia designatur.

Nè sacri honores Franciſci Cajetani negligantur, & ut Collegium Rheginũ Provinciæ reddatur, Conventus a Mutio postulat.

suo

Digitized by Google

suo P. Procurator in proponendis rationum momentis, quibus Provincia existimat, petitque, Collegium Rheginum sibi rursus adjungendum: aquum tamen omnino visum, nihil decernere, nisi auditis tum Patre Provinciali, tum iis, quæ fortè in contrariam partem adducet Neapolitana Provincia. Utrique rei quamprimùm operam dabimus. Deinde collatis omnibus, de re ipsa deliberabimus unà cum Patribus Assistentibus, & quod optimum visum fuerit, statuemus. Triennii morà interpositâ, negotium prorsus conticuerat, quod sibi Mutius cogitandum, atque explicandum sumsisset. Quare rogata est Provinciæ postulatio in hanc sententiam: *Postulandum videtur a P. Nostro, ut spem hic conceptam de Collegii Rhegini accessione ad Provinciam Siculam expleat quum primùm videbitur; pensatis iis, quæ in responsione ad hujusmodi petitionem proximè præcedentis Congregationis ad deliberandum de hac re, rectè censuit expendenda.* Verùm in Provinciæ monumentis nullum litteris mandatum extat Mutii rescriptum, quod qua de causa interierit, reperire non possum, quum reliqua omnia in Actorum Codicem relata sint. Sed quod ad Rheginum Collegium attinet, re ipsâ edocti sumus accuratiorem fuisse Provinciam in eo repetendo, quàm fuerit in retinendo. Retinere autem facilè fuit; dimissum recipere, iis præsertim invitis, qui possiderent, ita difficile, ut neque sperandum, neque movendum fuisset.

Quid ad postulata Mutius rescripserit non extat.

XXXI. Cæsar Boscus, dimisso Conventu, Messanam venit, ibique sextili mense redditæ ei sunt Mutii litteræ, quibus jubebatur, annum Societatis sæcularem Provinciæ indicere, qui toto terrarum Orbe sacer atque solemnis futurus apud nos esset. Quum enim V Calendas Octobres initium sumeret annus centesimus, ex quo Societatis disciplinam anno 1540 Paulus III Farnesius Pont. Max. ratam habuisset; debebatur bonorum omnium largitori Deo publica hujus Ordinis gratulatio, quem non modò totum jam sæculum conservâsset, sed ex parvis ortum initiis aluerit, ornaverit, magnis incrementis auxerit, ex minimo maximum fecerit, & ad eum amplitudinis apicem adduxerit, quem vix ejus aut novitas, aut indignitas ferre posset. Curaret proinde, ut Provincia Sicula inter florentes florentissima, ad quam tanti beneficii pars non exigua perveniisset, neque diligentiæ, neque sumptui parceret, & grati animi significationes omnes expromeret, quibus & suam erga communem Matrem testaretur pietatem, & pro reliqua ejus incolumitate vota susciperet, & divinæ clementiæ abun-

Annus Societatis sæcularis Provinciæ solénis indicitur.

dan-

dantiam futuris etiam sæculis polliceretur. Boscus gravissimis litteris Messanà datis singula Collegia, & Domos excitavit, ut publicam, atque magnificam trium saltem dierum supplicationem instituerent, iis etiam adjectis Templorum, viarum, ædificiorum, ignium, concentuum, tormentorum ornamentis, quæ magnæ æstus lætitiæ pro loco & tempore suaderet. Sed Mamertina Domus, in qua Boscus residebat, quum ejus rei nuncium prima accepisset; prima quoque sacram ceremoniam ad dictum diem, tam ornatè, splendidè, ac sapienter apparavit, ut universæ Provinciæ præluxerit, & ceteris novæ religionis appositè excogitatum exemplar proposuerit. Quare ad brevitatem plurimùm facit ea dumtaxat attingere, quæ Messanæ edita sunt inusitatæ celebritatis documenta, ut judicari exinde possit, quæ aliis alibi sæcularis anni mensibus in Provincia, & Panormi potissimùm gesta sint. Adjuvit brevitatis consilium monumentorum inopia. Unus enim Pellizzerius Mamertinæ ceremoniæ partes singulas memoriæ prodidit. Reliqui universè de ea commemorant, neque quicquam adjiciunt, nisi omnium maximam, maximéque summo popularium consensu probatam, ornatamque fuisse.

Singula Provinciæ Collegia & Domus ad sæcularem annum celebrandum Bosci litteris excitãtur.

Mamertina Domùs magna dat inusitatæ celebritatis documenta.

P. Paulus Pellizzerius Chronic. Dom. Prof. Mamertinæ ad annum 1639.

XXXII. Itaque P. Antonii Jannopolis Messanensis, qui negotium in se recepit, in concinnandis Mamertinæ Domùs Atrio, ac Templo plurimùm opera excelluit. Nullum enim fuit pretiosæ supellectilis genus, omni ex parte in opulentissima Civitate conquisitum, quod non conferret, ut ad legem & normam utrunque ornaret. Propositæ sunt in atrio Primorum Societatis Decemvirûm ab Ignatio ad Bobadillam Imagines, item sex summorum ejus Antistitum ab eodem Ignatio ad Mutium Vitelleschum; quæ Ordinis exortum, & processum indicarent. In Templo omnia elegantiam, & magnificentiam, nam nihil non erat miro cum artificio contectum purpurà, & argento auroque distinctum. Datum est triduum sacris honoribus. Ad VII Calendas Octobres magno symphoniacorum concentu solemne peractum est Sacrificium coram Senatu, & frequentissima nobilitate, quæ & eruditè, copiosèque P. Felici Gerardo Neapolitano de Societatis infantia, adolescentia, atque officio dicenti adfuit. Ad quadraginta deinde horarum religionem proposita est divina *Eucharistia* magnis multisque funalium flammis circum ardentibus, incensisque thuris, amomi, & odoratarum rerum acervis, quæ perpetuo suffitu Societatis supplicationem & gratulationem testarentur. Nostri interim linteati, ac candidati, singulis horis

Mamertinæ Domùs Atriũ, & Templum affabrè concinnatur.

Quamplurimæ religiones per triduum instituuntur.

diu

diu noctuque ante Aram bini de genu supplicabant. Postridie post matutinam concionem, Nostris ministrantibus, triginta numero pauperibus lautum datum est epulum in atrio ad id ornato. Ex convivis autem decem sortitione lecti sunt, qui pileo, calceis, novisque laneis indumentis donarentur. Quod quidem publicæ misericordiæ spectaculum, magnà utique civium frequentià, ac voluptate est celebratum. Fulgentibus jam sideribus, in ipsa Domùs, & Templi area incensa est nitratis sulphuratisque cellulis contecta moles, quæ igne concepto, perpetuo crepitu ignes exploderet, & fulgura, ac fulmina utcunque assimularet. Tertio supplicationis die ad Aram maximo ritu fecit Lucas Cochilia nobilis Mamertinus, Societatis amicus, & necessarius, & tantùm non domesticus. Concionatus est insigni facundià P. Joannes Catalanus e Rhegino Collegio evocatus, qui miro auditus silentio Stellatorum Equitum Collegium, qui eo die altis in subselliis publicè interfuerunt, tanta cum voluptate horæ spatium detinuit, ut quod contra nobilissimæ coronæ spem citò peroraverit, questi sint. Paulò ante Solis occasum prodiit e Domùs Templo sacra magno agmine supplicatio. Post Crucis signum, *Eucharistia* apparebat Mariana Nobilium Sodalitas, cereis instructa facibus, Nostri Tirones sequebantur, deinceps Sacerdotes, bini omnes cum funalibus: post hos infulatum *Canonicorum* Collegium: *Eucharistiam* denique splendido comitatu stipabant externi dignitate, ac sacerdotiis conspicui Presbyteri, Senatores verò suspensum hastis tentorium manu gerebant. Processit agmen longo anfractu, interjectis musicorum ac symphoniacorum choris, qui Canticum Ambrosianum alternis modularentur; & areà Basilicæ proximà perlustratà, eódem se recepit per atrium, cujus adeundi potestas eo triduo facta est mulieribus. Adultis jam tenebris, datum est iterum nocturnorum ignium spectaculum, & publicæ religioni, gestiente Civitate, finis impositus.

Nostri pauperibus, quibus lautum dant epulum, ministrant.

In ipsa Domùs, ac Templi area semel, & iterum datur nocturnorum ignium spectaculum.

Sacra Nostrorum, ac exterorum supplicatio per id tempus instituitur.

XXXIII. Tragicum sanè eventum, ac luctuosum affert Tornamira, quem in Provincia contigisse, sed non imprudens neque locum, neque tempus familiæ causà memorat: ab hoc autem anno parum abesse nonnulla indicant, quorum meminisse ad historiæ fidem non pertinet. Antoninus in utroque jure laureatus adolescens adulterii jampridem habebat consuetudinem cum Navicularii uxore Bertonia, marito absente. Filius tamen adultus aderat, qui Patris injuriam, & familiæ ignominiam diutiùs ferre non potuit. Quare cum æqualibus ali-

Tornam. Ghill. Part. 3. Cent. 11. Decad. 2. Exempl. 2.

Perditus Adolescens a Mœchæ Filio miserrimè jugulatur.

Digitized by Google

aliquot conjuravit, proximà nocte cum matre jacentem mœchum interficere. Rem odoratus noster Sacerdos ter eo die seperatis temporibus, Antoninum admonuit, deterruit,& pluribus obsecravit, ut eà saltem nocte, mœchæ domo abstineret, quoniam insidiæ essent adornatæ, & periculum immineret. Deridet adolescens credulum ac simplicem sine causa metuentis animum, aut etiam monstra narrantis, ut fictis falsisque terroribus insanam ejus cupiditatem a maleficio avocaret. Furentem ille juvenem paulò ante noctem quartùm convenit, de genu orat, ut quando Sabbati dies esset, Deiparam saltem respiciat, & ejus gratià, eà se nocte domi contineat; vincit denique, ut Antoninus se facturum polliceatur. Veritus tamen, ut perditus adolescens promissis staret, Patrem ejus certiorem fecit, & enixè inculcavit, nè pateretur, filium post lucernas domo pedem efferre. Res jam in tuto esse videbatur: nam Antoninus & Deiparæ religione, & patris obnuntiantis auctoritate commotus indumenta posuerat, ut se quieti daret. Verùm ut audivit mœchæ, quæ proximè habitabat, eum ad se evocantis sibilum, nullis paterni amoris precibus, lacrimis, obtestationibus detineri potuit, quominùs statim accurreret, & in ipso turpissimæ voluptatis complexu, qui terrores injecti essent mœchæ narraret, ac occinentis Jesuitæ stultitiam glorians rideret. Sed mœchæ filius qui dormientem aggredi constituerat, de secunda vigilia, ut stertentem audivit, e latebris consurrexit, & arctissimo somno comprehensum securi impactà cecidit, ac tempora bifariam diffidit. Neque Antoninus ullum ampliùs signum vitæ dedit, nisi quod leniter suspirans oculos nonnihil aperuit, & statim clausit. Percussor tamen ictum ingeminavit, quantùm viribus conari potuit, & caput humeris exemit, atque in eo conatu tres matris digitos amputavit; ea enim quum evigilâsset, & erectam securim sibi imminere timuisset, manu, ut se tueretur, porrectà, ictum excepit, qui per ejus vulnus in mœchi cervicem descendit. Matri tamen filius pepercit, eamque Patris iræ reservare se ait, nè parricidio se pollueret. Elatus est Antoninus, civibus terrore perculsis, & plerisque dubitantibus, essetne christiano more sacro in loco tumulandus. Vicit inter contrarias & extremas media sententia, & in Seraphicorum claustro est altissimè infossus. Sed terror ex terrore ortus est longè major. Nam eà nocte, quæ proximè est consecùta, larvis & monstris, maximisque ululatibus, interturbatam ferunt Seraphicorum quietem, & ut illuxit pervulgatum fuisse,

Filius cum Matre jacentem mœchum interficere meditatur.

Antoninus nostrum hominē, eum de insidiis admonentem deridet.

Mœchæ filius Antoninū dormiētem aggreditur, & occidit.

In Seraphicorū claustro infoditur.

visum

visum a Cœnobitis Antoninum jumento insidentem, per intima vagari conclavia, quasi tartareis stipatus furiis ad orcum properaret. Percrebuit etiam, effosso loco, ubi fuerat terræ mandatum, repertum non fuisse corpus ejus. Hæc vulgi dissipata rumoribus auctoritatem desiderant, communi credulitate longè majorem. Certis autem auctoribus compertum habeo, repertum, ut illuxit, a Seraphicis Cœnobitis in summo ipsorum conclavi domesticum jumentum, quo ad pistrinum infimo in loco circumagendum utebantur. Addit Tornamira, vidisse se Cœnobii scalas, altas, acclives, marmoreas, læves, & quæ neque jumenti sustinere vestigia, neque a jumento superari potuissent, nisi virtus, humanà major intercessisset. Quæ eò pertinent, ut qui ostenta narrantibus parum credulos se esse jactant, & gloriantur, videant, nè ipsi sibi nimiùm sint credduli, quum tam facilè salutis sibi obtrudunt fiduciam, & rem incredibilem sibi a Deo pollicentur, ac monstri similem; nempè pro flagitiis præmium, pro turpi fuga triumphum, & pro cœlesti irâ clementiam.

Antonini manes, tartareis, stipati furiis per Seraphicorum conclavia vagari, conspiciuntur.

Tornamira ibidem prope finem.

XXXIV. Floruit ad hunc usque annum inter illustres solertià, & probitate viros, P. Vincentius Pompejanus, Lilybœtanus, qui externus Sacerdos quum esset, & divinis in rebus exercitatus, ac salutaria Militiæ nostræ officia jampridem magnà curà æmularetur; maluit mores nostros ex ipso fonte arripere, & anno ætatis primo, & quadragesimo, ad Societatis castra transire, quibus non se ipsum modò contulit, sed fortunas etiam suas omnes secum attulit, & Collegio Lilybœtano devovit, ut humanis curis solutus, non nisi cœlestibus tangeretur. Quod tantà præstitit fidelitate, ac magnitudine animi, ut ejus Patrimonii, quod Societati adjudicaverat, neque administrationem suscipere unquam voluerit, neque partem ullam sibi retinere, neque ultro delatam admittere. Strenuus itaque, atque indefessus, sive in castris, sive in acie versaretur, domi forisque utilis, & jucundus supremos vitæ annos in Patria transegit, & Lilybœtani Collegii splendorem maximis virtutibus cumulavit, quarum nobilissima fuit, & heroicis digna temporibus patientia. Nam majorem in modum calculosus, triennium stranguriâ cruciatus est: neque in doloribus planè acerrimis aut gemitum edidit, aut a domestica victûs consuetudine deflexit, aut disciplinæ officia intermisit. Quare annos natus duos supra quinquaginta, X Calendas Februarias, de Collegio Lilybœtano optimè meritus, ibidem conquievit. Illustris est etiam in Collegio Syracusano P. Petri Uribarri memoria.

P. Vincentius Pompejanus Societati se adjũgit.

Fortunas suas omnes Lilybœtano Collegio adjudicat.

Ejus in ferendis maximis doloribus invictus animus, & constantia singularis.

P. Petri Uribarri patria, virtutes, & res laudabiliter gestæ.

ria. Valmasedæ in Hispania ortus, adolescens Panormum venit litterarum omnino expers; sed Societatis adeundæ desiderio, quum vitæ annum secundum ageret & vigesimum, ludimagistrum audire cœpit, & ferulam inter pueros pertimescere; atque in addiscendis salebrosis, spinosisque, quæ nunquam attigerat, latinitatis elementis tandiu perstitit, quoad Societatis amor laboris tædium vinceret, & labor assiduus refugientis ætatis, & naturæ recusationes. Post triennium in infimis Grammaticæ stipendiis consumtum, anno ætatis quinto & vigesimo, ad Societatis officia satis idoneus nostro numero adjectus est. Sed longè accuratiùs, ac laborioſiùs disciplinæ rudimentis operam dedit. Nam ex Tirocinio Mamertino Sacerdotio insignitus, & nihilo inferior emeritis, ac veteranis prodiit. Insignes ejus virtutes Collegii Syracusani, in quo illæ ætatis plurimum posuit, monumenta ita perstringunt. *In Societate vir fuit divinarum rerum studiosus, amans, & scientissimus; corporis castigationi deditus; caritate in pauperes apprimè conspicuus, quibus quàm maximè suà profuit industrià; nihil sibi antiquius, atque jucundius, quàm ut quæ sui status essent munia, omnibus, si fieri posset, numeris redderet absolutissima; cujus rei honestorum Popularium Mariana Sodalitas argumento esse posset, curà & beneficio ejus florentissima.* Diem suum obiit in eodem Syracusano Collegio XVII Calendas Majas, magnis honoribus elatus, ac tumulatus anno ætatis duodesexagesimo.

Societatis adeundæ studio, Adolescens Grãmaticæ rudimentis dat operam.

Virtutes ejus summatim attinguntur.

XXXV. Inter eximios ejus alumnos numerat Domus Mamertina P. Raphaëlem Sergestum Chium, cujus præclara censentur in Provinciam merita, quam gratuito labore concionando illustravit. Viriles, florentesque ætatis annos eloquentiæ tradidit, & nudam ingenuamque facundiam exercuit, quam naturæ potiùs beneficio, & supplicandi assiduitate, quàm doctrinæ artificio, aut litterarum cultu elaboratam, Siculis ita probavit, ut ubicunque ad dicendum prodiret, primi atque præcipui ad eum concursus fierent, quòd audientium animis, & lacrimis dominaretur, & incredibiles cieret populi motus, ex quibus salutares existerent perditorum hominum expiationes. Concionandi contentionem non ante dimisit, quàm viribus ex assiduo labore defectus, valetudine prohiberetur. Quare aciem cum castris commutavit, & in Mamertina Domo consedit, ubi annos quamplurimos domi, foriſque æquè laudatus meruit. Sed præclaram præcipuè operam in excolenda Mariana Nobilium Sodalitate collocavit, quam mirificè ornavit,

P. Raphaëlis Sergesti Messanæ obitus.

Concionum ejus salutaris, nuda, & efficax eloquentia.

au-

Digitized by Google

auxit, & ad inusitatum splendorem adduxit; in eo præsertim commendatus, quod quum summus esset arbiter nobilitatis, & omnia publica atque privata ex ejus consilio, ac sententia gererentur, neque cujusquam invidiam excitavit, neque aditum offensionibus ullum reliquit. Quod fieri non poterat, nisi persuasum omnibus esset, & eum rectè sentire, & vacuum a cupiditatibus animum negotiis admovere. Pridie nonas Novembres, anno ætatis undesexagesimo, extinctum insuetis honoribus Nobiles Mariani Sodales, magno agmine pullati extulere. Præclara est etiam in Provinciæ commentariis P. Fabritii Spucces Panormitani commemoratio. Patrem habuit Hieronymum Spucces, qui Panormi medicinam fecit, & in medendi scientia primas tulit, quo medico dum vixit, universa Panormitana Societas usa est, eique plurimùm debet, quòd præter gratuitam Nostris impertitam diu noctuque operam, quinque etiam lectissimos filios eidem lubens contulit, quorum Didacus, & Franciscus, ille jam Sacerdos, hic post dictum quatuor votorum sacramentum exauctorati sunt, & infaustissimo exitu consumti: Petrus, Fabritius, & Josephus magnis in Provincia perfuncti muneribus, eam litteris & amplissimis rebus gestis illustrârunt. In his fuit Fabritius natu medius, qui inter ævi sui summa ingenia locum nactus, Musarum delicias adolescens delibavit omnès, atque consumsit. Quum enim in Collegio Panormitano humaniores traderet litteras, cuperetque Franciscus Castrus Dux Taurisani Siciliæ Prorex, dari Tragœdiam S. Pelagii *Martyris*, gentilis sui, eam Fabritius ex tempore latinè condidit, & scænæ commisit, tantà Proregis & Civitatis Principum commendatione, ut quintùm reponi jusserint, dixeritque Dux Taurisani: *Eat ad Superos, qui jucundiora & meliora desiderat*. Studiorum palæstrà solutus corporis, animique vires ad sacram eloquentiam appulit omnes, & oratoriam ita professus est, ut in paucis emineret. Nam nulla fuit rectè, ornatéque dicendi virtus, quam non expromeret, certabantque amplissimæ vel extra Provinciam Civitates, ut tam insignis facundiæ fructum & voluptatem perciperent. Tradit autem Riela quod maximè mirum est: in eo, quum prolixas admodum, & concitatas longè ultra clepsydram haberet conciones, nihil nisi brevitatem displicuisse. Rerum quoque agendarum peritus magno apud Optimates numero fuit, qui cùm morum ejus elegantià, tum suavitate consuetudinis, & consiliorum rectitudine maximè delectabantur. Senatùs denique Panormitani ad Philippum Regem legatus, ex itinere

Ejus erga Marianam Nobilium Sodalitatem præclara merita.

Eximia Sergesti dexteritas in tractandis negotiis.

P. Fabritii Spucces ingenii dotes, ac monumēta virtutum.

Ejus Genitor de Societate benemeritus.

Sancti Pelagii Tragœdiam condit, eamque Scænæ summacū laude quintùm committit.

Eloquentię ejus præstantia singularis.

Riela Chronol. Provinciæ Siculæ ad annum 1639.

Senatùs Panormitani Legatus ad Philippum Regē eligitur, & Neapoli moritur.

Neapoli decubuit, & octavo die V Idus Decembres mortalitate exutus est, immaturo planè fato, annos natus septem & quadraginta, quorum triginta in Societate posuerat.

P. Joannis Petri Castelli ortus, patria, virtutes, & res gestæ.

XXXVI. Annis longè gravior desideratus est, in Domo Mamertina, P. Joannes Petrus Castellus Messanensis, qui anno 1600 Sacerdos jam, & divinarum litterarum, atque eloquentiæ gloriâ spectatus, annum ætatis agens septimum & quadragesimum Nostris in Romano Tirocinio aggregatus, septennium ferè in ea Provincia perstitit. Siciliæ tamen redditus Rhegini Collegii bis per intervalla anno 1611, & 1622 magistratum probabili industriâ, & caritatis abundantiâ gessit. Reliquum vitæ spatium in Mamertina Domo consumsit, ex qua tamen interdum in expeditionem exiit, & finitimos pagos salutaribus concionibus erudivit. Ceterum quandiu Domi fuit divinorum librorum mysteria & nodos mirâ est eruditione pro suggesto interpretatus, & perpetuus atque omnium horarum concionator facundiam in promptu habuit. Nam quandocunque admoneretur, quacunque de re ad dicendum paratum

Admirabilis ejus eloquētia, ac memoriæ singularis, & inaudita præstātia.

se præbebat Majoribus, & propter singularem memoriæ facultatem, quam ad effœtos usque canos retinuit, & assiduum cœlestia meditandi studium, nunquam hæsit, aut titubavit; nusquam cum satietate, semper cupidè auditus est. Reperti sunt eo defuncto milleni varii generis formati sermones eleganter descripti, quos omnes ita verbatim memoriâ complectebatur, ut nè apices quidem, aut lituræ, aut interpolata vocabula eum effugerent; non secùs ac si quæcunque scripserat, omnia ante oculos proposita intueretur. Reliquam vitæ consuetudinem

Asperrima ejus in cruciādo corpore cōsuetudo.

castigatissimam habuit. Sobrius, cibi ac somni parcus, silendi latendique studiosus, domando corpori, & subigendis animi cupiditatibus apprimè deditus, annum ætatis agenti sibi sextum & octogesimum nihil indulsit, quod non commune esset, aut singulare; neminem sibi admoveri passus est, qui intima cubiculi officia administraret, & senectute usus neque viridi, neque integrâ, consueta jejunia religiosè servavit, rogatusque, ut aliquando sibi parceret, & ætatis vacationem naturæ concederet, respondere solitus est, *Non tam ciborum delectum prodesse corpori, quàm copiam officere*. Hausit perfectioris vitæ elementa, & Societatis amplectendæ consilium,

A Bernardo Colnago Societatis amplectēdæ consilium haurit.

quum Romano Lycæo inter summos ejus Doctores daret operam, a Bernardo Colnago, cujus intimam quoque familiaritatem sibi conciliavit; narrabatque accepisse se ab eo, quemadmodum immolanti se Deipara ostendisset; rogatumque quo

vul-

Digitized by Google

vultu ea esset : adjecisse ; nonnihil prolixo, & flavo, sed tali ac tantà venustate, quam neque colores imitarentur, neque mens hominum fingeret, aut cogitaret. Quum sui juris adolescens Messanæ esset, Cœruleorum Sodalitati nomen dederat, cujus ea sunt instituta, ut supremo supplicio damnatis præsto sint, & summas conferant christianæ disciplinæ religiones; opusculum quoque ad id ediderat, ex quo salutis verba morituris inculcanda peterentur. Is autem codex iterum atque iterum renovatus & auctus, magno ad hanc ætatem ubique terrarum est in honore apud ejus misericordiæ administros. Sodales ergo beneficii memores, ut de fato ejus auditum est, domesticis privatisque exequiis persolutis, publicas cum ceris, & concentu adjecerunt, & Sodalitatis indutum insignibus terræ mandârunt, ætatis anno sexto & octogesimo, nono & trigesimo quàm Societati se adjunxerat, sexto supra vigesimum ex quo quatuor Votorum sacramentum nuncupaverat.

De Cœruleorum Sodalitate Messanæ benemeritus.

In Mamertina Domo moritur, & magnificis exequiis ornatur.

XXXVII. Acerrimæ anno 1640 inter Domum Mamertinam, & finitimos quosdam amicos exortæ sunt controversiæ, quòd non exiguam soli partem illa sibi adjudicaverat, quam hi sui esse juris contendebant. Sed quandiu apud Ædiles jure & legibus est disceptatum, a nobis stetere Judices. Amicis tamen, qui in adversarios, ut fit, evaserant, gravissimum accidit causà cadere. Quare ad apertam vim, & injuriam descenderunt; quasi id demum esset vim vi propulsare quod contra publicam auctoritatem patraretur. Inopinantibus enim nobis, & sacræ supplicationi vacantibus, locum invadunt, murum evertunt, casam ibi sitam affligunt, armis & armatis omnia complent, supplicatio intermittitur, mulieres tumultum veritæ, & direptionem, in omnem partem diffugiunt, & luctu ac gemitibus viciniam miscent. Postridie P. Cæsar Bonifacius Mamertinus Panormum missus quarto die eò pervenit. Prorex ab eo edoctus, gravissimis litteris Senatùs, & Urbani Prætoris inertiam accusavit, quòd in libera & christiana Civitate privatam vim contra leges valere passi sint, neque legitimi imperii potestate prohibuerint; jussitque omnia in integrum restitui, solutumque partibus esse jure agere. Res tamen, quum inimicà mente dimicaretur, asperrimis implicita difficultatibus, neque compromisso, neque compositione, neque judicio sedari potuit.

1640

Pellizzer. Chronic. Domùs Mamertin. ad annum 1640 pag. 278. & seqq.

Messanæ graves inter Nostros, ac Externos simultates exoriuntur.

Simultates Nostri sedari studeant.

XXXVIII. Curatum est interea, nè Bajulorum pubes, quorum Messanæ propter mercaturæ, & negotiorum officia mira est multitudò, religionis rudimenta nesciret. Prostant enim in foro pueri quamplurimi, qui statim ac ingredi possunt, ad mi-

Bajulorum Sodalitiũ Messanę instituitur.

minuta obsequia negotiatoribus locant operam, & laboriosæ vitæ assuescunt, quam tamen ab annis teneris sine doctrina & cultu agunt rudem, & a christianis moribus alienam. Institutum est itaque in Mamertina Domo Marianum Sodalitium, quò ejusmodi adolescentuli singulis quintis feriis convenirent, & religionis elementis imbuerentur. Coacti sunt per idoneos homines ferè ducenti, & nè laboris intermissionem, atque mercedis jacturam causarentur, habita est inopiæ ratio, ac sapienter constitutum, ut qui Sodalitio præstitutis horis adessent, tribus obolis singuli donarentur, quibus damnum redimerent, & ad religionis eruditionem allicerentur. Vix dici potest quàm jucundum Mamertinis acciderit, quod Societas tam salutarem institutionem excogitaverit; quam quum in dies auctiorem, ac florentiorem viderent, nè congiarium numero deesset, neque spportularum administratio multitudini impar inveniretur, Cæsar. Romanus nobili genere civis aureos ferè quadringentos præsenti pecunià contulit, quibus collocatis viceni quotannis redirent; trecentos verò Franciscus Rossus, ex quibus eádem conditione annui quindeni perciperentur.

Eorum, qui Sodalitio adsunt, tribus obolis singuli donantur.

Cæsaris Romani, & Franciscí Rossi in hoc Sodalitium liberalitas.

XXXIX. Exiit ex Domo Mamertina noster Sacerdos extra fines Provinciæ, ut in majori jejunio sacras Bovæ, quod est juxta Leucopetræ promontorium in Brutiis situm Oppidum, conciones haberet. In ipso autem laboris initio Bovanorum animos adeo sibi devinxit, & ad pietatis officia incendit, ut eis facilè persuaserit, nè dubitarent sacrarum Virginum Collegium instituere, cujus Templum S. Franciscí Xaverii nomen, & religionem præseferret. Corrogata est uno & altero die tanta pecuniæ vis, ut duodecim puellis alendis esset satis, & ædibus comparandis, quò statim Bovano Pontifice connitente, totidem Virgines illatæ sunt, quæ Collegium inchoarent. Sed Templum excitari minimè poterat, quòd ea Civitas ædificationem non instituit, nisi lapidibus ex remotissimis lapicidinis magno labore atque sumptu importatis. Grave autem erat strenuo Concionatori prolatari ædificium, & ad aliud tempus rejici; nam interjecta mora, se præsertim absente, multos casus reciperet, quibus civium studium relangueſceret, & consilium dilaberetur. Quare urgere cœpit, ut ad ædificationis spem alendam, & confirmandam, Templi spatium, & locum metari, & fundamenta saltem jacere nè gravarentur. Nil se tam cupere, quàm inchoatum ad formam ac legem operis suismet oculis ædificium intueri. Cives obtemperant, & operas actutum admovent. Sed ostenti loco habitum est, quod

Pellizerius Chronic. Domûs Mamertinæ ad annũ 1646 pag. 293. & seqq.

Nostri Sacerdotis operâ Bovæ sacrarũ Virginum Collegiũ instituitur.

S. Xaverii Templum Collegio adjungitur, ac in eo excitando difficultates.

quum

quum terra ex eo latere egereretur, quod Virginum ædibus confine erat, ingens fossoribus occurrit lapicidina, ex qua saxa peterentur, & in ejus sectura, idoneo loco cisterna deprimeretur, quæ sinu amplissimo aquas receptaret, & Virginibus usui esset. Immissis itaque sectoribus, magna quadrati lapidis congeries eruta est, quæ præter Templi usum, tanti veniit, quanti emenda calx esset, & operæ locandæ. Repertæ sunt etiam juxta lapicidinam fossiles arenariæ, ad subigendam calcem aptissimæ, quæ arenam operi suppeditârunt, & venalem quoque, cujus pretio Templi ornamenta pararentur. Eà re commoti qui aderant ædificii curatores, quasi de cœlo admoniti, ut maturarent, tantà celeritate ædificationem urgere studuerunt, ut ante jejunii exitum fanum absolverint, & concinnaverint, atque in eo noster Sacerdos S. Francisci Xaverii laudationem recitaverit, & ad ejus Aram non sine lacrimis immolaverit. Sed inter ædificandum duo etiam cœlestia beneficia ejus delubri religionem auxere. Nam in caput, & cervicem fabri murarii ex alto collapsæ parietinæ, inopinato casu imprudentem afflixere. Ex ruderibus tamen, atque lapidibus, quibus est obrutus, incolumis receptus est, & sine vulnere, aut contusione. Longè mirabilius fuit illud, quod quum eximiæ magnitudinis quadratum lapidem contis operæ volverent, & prætereuntem puellum lapis intercepisset, putarentque omnes comminutum, atque detritum, repertus est intra lapidem cavus ad pueri staturam dimensus, qui corpus exceperat, & a necis periculo exemerat. Quare sublevato nonnihil saxo, adolescentulus sospes evasit.

Lapicidinæ, & fossiles arenariæ S. Xaverii beneficio reperiuntur.

Eà re Cives commoti, ædificationē urgent, & quàm citissimè absolvunt.

Duo S. Francisci Xaverii cœlestia beneficia.

XL. Inter præcipua hujus anni funera principem sibi locum vendicat P. Josephus Clara Clusanus, apud Japones Christi causà cum cruciatu necatus. Extant autographæ ejus litteræ anno 1636, IX Calendas Martias in Goano Collegio, ad Petrum fratrem Clusam datæ, in quibus erat, Ulysippone se VII Idus Apriles superioris anni cum P. Marcello Mastrillo solvisse, & nullum fuisse periculorum, & ærumnarum genus, quod in gravi, ac diuturna navigatione non incurrisset. Nam & brevibus impeditam, & contagione, atque incendio tentatam navim, & corruptis cibariis, fame se ac siti exinanitum, piratarum insidias ægrè vitâsse docet, & octo ipsos menses in quotidiano vitæ discrimine, ac corporis cruciatu fuisse. Habuisse tamen in Mastrillo S. Franciscum Xaverium viæ ducem, ac comitem, & ærumnarum propulsatorem, auctorem verò remediorum. Perpetui enim imbres linteis excepti, aquam suppeditâ-

P. Josephus Clara apud Japones, Christi causâ cum cruciatu necatur.

Periculorum, & ærumnarum genera, quæ in diuturna navigatione incurrit, exponūtur.

Digitized by Google

Sancti Xaverii beneficio, pluribus periculis liberatur.

ditârunt, & furentem jam ignem sedaverunt. Inusitatus maris æstus navim syrtibus impeditam explicavit, & ab insidiis removit. Ex tribus autem & triginta sociis, sanguinem ex nausea rejecere plerique, morbo afflicti sunt omnes, desideratus est nemo. Altero ab adventu ejus in Indiam anno, in Japoniam, sævientibus in Christianos Principum decretis, penetravit, ibique per avia itinera in silvis tandiu delituit, & nocturnam operam ad se confluentibus Christianis præstitit, quoad agnitus, & in vincula conjectus gravissimo supplicio affectus est.

In Japonia Christi causâ crudelissimè necatur.

Quoniam inaudito mortis genere, infixis jugulo acutis calamis, guttur iterum, atque iterum crudelissimè trajectum est, & in eo vulnerum cruciatu, lentâ ac diuturnâ nece, P. Josephus Clara, incerto die ac mense, vitam amisit. Quod verò ad annum attinet, Bartolus, supputatis accuratè temporibus, triumphum ejus ad annum 1643 rectiùs amandavit.

P. Livii Trigonæ ingenium, virtutes, & res gestæ.

XLI. Sed primus omnium, pridie Nonas Jan. decessit P. Livius Trigona Plateensis, cujus prudentiæ, atque doctrinæ splendor annos quamplurimos in Provincia illuxit. Inter maxima suæ ætatis ingenia florentem, Artes sibi liberales adsciverunt, in quibus primam virilium annorum partem, singulari cum gloria, Panormi, ac Messanæ collocavit. Sed propter eximiam in rebus agendis dexteritatem, a litterarum stadio avocatus, domesticæ Reipublicæ admotus est, & anno 1609 P. Ludovico Mansono, qui Panormitanæ Domui præerat, Minister additus. Ex eo autem tempore perpetuos in Provincia magistratus gessit, ad quos factus, natusque in ipso negotio inventus est. Primum ejus rei specimen Domus cepit Panormitana, in qua administrationis ejus, & caritatis, memoriâ dignum extat exemplum, quod deinceps in moribus receptum, universa Provincia complexa est. Ejus temporis consuetudo obtinuerat, ut in serotina jejuniorum refectione, nihil præter panem apponeretur. Sed Majorum arbitrio relinquebatur, obsonii aliquid senioribus Patribus indulgere. Quod sine plurimorum obtrectatione fieri non poterat, eorum præsertim, qui corporis laboribus dediti ægrè ferebant, nullam sui rationem haberi, quum nonnullorum haberetur, quorum minor esset delassatio, & alimentorum necessitas. Eam tamen rem nemo jam tentare audebat, quòd plerique frustrà movissent. Seniores enim pristinam tuebantur consuetudinem a Majoribus traditam, & juniores audaciæ postulabant, quòd eam recusarent jejunandi conditionem, quam ipsi olim, quum juniores essent, animo æquo tulissent. Mira quidem fuit in eo more abroganda

Ejus in Magistratibus solertia, & temperantia.

Josephus Masina Histor. Domûs Panormit. ad annum 1610

Consuetudo olim jejunandi in Provincia, & variæ ex ea Nostrorum exortæ conquestiones.

do Trigonæ alacritas, atque constantia. Persuasit Ludovico Mansono, alienam esse a disciplina Societatis, publicam in communi jejunio alimentorum, & mensæ non æquam communionem. In eandem sententiam adduxit Bernardinum Confalonerium, Provinciæ Antistitem. Itaque data est optio senioribus: constituerent ipsi, omnibus obsonium apponendum esset, an nemini: nihil esse medium. Sed nonnisi eorum silentio, & temperantiâ compertum est, quid mallent. Quare obsonium datum est universis; factumque est æquitate decreti, ut ea indulgentia in Provinciæ mores abierit. Quod eò accuratè exponendum censui, ut luculentiùs appareret, quemadmodum in parvis, ita in magnis etiam rebus, iis qui communiter vivunt, omnem indulgentiæ aditum præcludi oportere. Omnes namque deberi sibi contendunt, quod conceditur paucis, & constare nequit universorum disciplina, a qua nonnullis, ut gravioribus, licet recedere. P. Jordanus Cascinus, qui Mansono successit, & post annum ferè Provinciam administravit, Livium Trigonam in utroque magistratu adesse sibi voluit; eoque, industriâ, ac fide cognitâ, ad manum usus est, non Scribæ loco tantùm, sed consiliorum etiam, ac gubernationis participe, & negotiorum administro. In magistratibus deinde consenuit; & Collegia Rheginum, Næætinum, bis Calatahieronense, Melitense, Drepanitanum, Domum denique Mamertinam, ab caritate, & præsidendi scientiâ maximè commendatus, administravit. Parem consecutus est laudem, quum morientis Lambertenghi auctoritate, totius Provinciæ Antistes, extra ordinem est appellatus, & amplissimum magistratum sex ferè menses obtinuit, quo quum abiisset, quanti eum Provincia faceret, publicè ostendit: nam in Provinciali Conventu, ad Romana Comitia, summo consensu, legatum designavit. Domestici juris scientissimus, ad ejus normam se, aliosque, integritate, temperantiâ, mansuetudine, & sentiendi, agendi, loquendique prudentiâ composuit. Itaque in paucis clarus, externis etiam, propter morum elegantiam, & rectitudinem consiliorum, maximopere jucundus, & utilis, postridie Cal. Januarias, anno ætatis quinto, & sexagesimo, in Panormitana Domo morbum contraxit, ex quo in ipso virtutum, & honorum cursu, diem clausit supremum.

Eam consuetudinem, admirabili dexteritate, Mansonus abrogat.

Ejus in Provincia perpetui Magistratus; & in his prudentia singularis.

Panormi morbum contrahit, & ex eo sanctissimè moritur.

XLII. Maximum in Ignatio Cagliaresio Melitensi, Provincia damnum fecit. Nunquam enim tantas, ac tam præclaras spes graviori funere mors præcidit. Ortus est in Civitate, quam Melitenses *Victoriosam* dicunt, anno 1618, pridie Nonas Sextiles, ex Balthasaris Cagliaresii Melitensis Pontificis sorore,

Ignatii Cagliaresii Patria, virtutes, & res gestæ.

nobili genere, cujus maxima sunt in Societatem merita. Neque illud parùm illustre, quod Balthasar, Ignatii avunculus, ut Melitam allatum est, tres nostros homines, dum Chium adnavigabant, in Africanos piratas incidisse, mille & quingentos aureos ultro erogavit, quibus statim redimerentur. Sed illud longè illustrius, quod mater ejus dives, & vidua, filium unicum, qui solitudinem solabatur, & tali indole adolescentulum, qui spem familiæ, eamque maximam sustentabat, vix puberem Societati devovit, cui ille tertio, post annum decimumquartum mense, se aggregavit. Religiosæ vitæ palæstram, tantà animi virtute aggressus est, ut intimam cum Deo conjunctionem, & summam ejus colendi voluntatem, ex Tirocinio Panormitano secum deduxerit, sed præcipuè dulcissimum Deiparæ placendi studium, quam ille jampridem, quum Seminarii Panormitani esset alumnus, veluti sponsam sibi caritate conjunxerat, & anulum amoris, & nuptiarum testem, P. Alfonso Cajetano custodiendum tradiderat. Exacto vix biennio, ut ad litterarum eruditionem se contulit, capitis contraxit ægritudinem, quam non nisi cum vita posuit. Sed non propterea studiorum contentionem remisit; quum enim litteris se involveret, recreari se, & vim morbi minùs, quàm cessando, se sentire affirmabat. Quare admirabili fortitudine animi, quinquennium æger, & viribus defectus in Rhetoricis, & Philosophicis Artibus collocavit, non ut discipulus, sed ut magister. Summo enim fuit ingenio, & inter maxima præstantissimo. Memoriâ verò tantopere præstitit, ut quidquid legeret, audiret ve, quasi menti inscriptum gereret, & ex tempore pronunciaret, quovis ordine juberetur. Linguas autem Arabicam, Hebraicam, Gallicam, Hispanensem, Germanicam, Italicam tam probè, & plerunque sine Doctoribus, ita arripuit, ut eas scribendo, atque loquendo explicatè usurparet. Latinis verò litteris, assiduâ lectione, supra vulgarem Grammaticorum conditionem imbutus est. Scriptores enim aurei ævi, atque argentei consumsit, & animadversionibus illustravit. Ejus proinde lucubrationes magno in honore apud eruditos fuere, & inter celebriores, effectioresque ejus ætatis vigilias numerabantur. Mathematicas Artes, quæ nè a veteranis quidem, & emeritis exhauriri unquam possunt, candidatus, & tiro percurrit omnes, & nulla fuit immensæ disciplinæ pars, quam non attigerit, ac commentariis enucleaverit. Nam & Geometriæ Euclidis elementa, & Arithmeticas notiones, & cœli conversiones, & siderum, ac Planetarum Orbes, cursum, respectus, & musicorum

Tres nostri homines a piratis capti ab ejus Avunculo redimuntur.

Panormi nostro numero adjungitur.

Memoriæ ejus, ac doctrinæ usus, opinio, atq; præstantia.

Linguarum scientia singularis.

In Mathematicis artibus plurimùm valet.

Digitized by Google

rum numerorum proportiones, & Sacri Boschi Sphæram, & Clavii Algebram sibi tradidit, atque adnotationibus exegit, & universam Ptolemæi Geographiam rubricâ descripsit, & castigatissimas exprompsit tabulas, adjectis fluminum, montium, oppidorum nominibus, & Regnorum, ac Regionum finibus, Orbis denique terrarum longitudinum, ac latitudinum dimensionibus. Expatiatus est etiam in temporum omnium historia, adnotatis quoque memoriæ causâ, eventorum generibus, & congruentium annorum, & seculorum ordinibus. Quod maximè mirum fuit in adolescente, perpetuis tentato valetudinibus, & qui remedii loco, mutandi cœli gratiâ, in assiduis itineribus versatus est. Quare singulare ejus ingenium, & monstri similem intelligendi facultatem provinciales nostri, *Melitensem Phœnicem*, dictitabant. Neapolitani verò Socii, apud quos universæ Philosophiæ Theoremata propugnavit, *totius Europæ portentum*, publicè appellaverunt, dignumque, qui ad eas Artes tradendas e vestigio admoveretur. Reperta sunt, eo paulò post extincto, tot manu ejus de iis, quas diximus disciplinis, descripta volumina, quot nè senex quidem, & integer conficere potuisse videretur. Defunctus est autem anno ætatis secundo supra vicesimum. Sed inauditam ingenii, & doctrinæ excellentiam superavit virtutum abundantia. Quum Philosophiæ daret operam, valetudinis causâ in Patriam remissus, & rure apud matrem diu diversatus, vitam instituit, qualem in Tirocinio aggressus fuerat, disciplinæ domesticæ servantissimus. Nullas non rejecit materni amoris blanditias. Surgendi, cubandique tempus nunquam præteriit. Præstitutas religionibus horas ad clepsydram implevit. Omnia Societatis officia, junioribus præscripta, accuratiùs servavit, quàm si inter nos versaretur. Ad capitis sedandum dolorem, quum mitiora remedia, & lavationes, atque Galenica, nauseam facientia, pocula nihil profuerint; ventum est ad Hippocraticas, & Plinianas adustiones, adhibitumque calvariæ futuris ferrum candens; inusta sunt etiam tempora, atque cervices, ut ex cauteriis cerebri vitium efflueret; neque quisquam satis mirari potuit, ejus in perferendis doloribus constantiam, & cœlestem alacritatem, quasi nihil interesset, corpus, an vestis adureretur. Ingravescente nihilominus capitis valetudine, Melità evocatus, nè quid intentatum relinqueretur, ad Neapolitani cœli temperiem navigare jussus est, ubi ea, quæ narravimus, edidit præclarissimi ingenii documenta, neque satis reperiri poterat, qua ratione, exhaustis corporis viribus, capite

Quibus nominibus nostri cùm intra, tum extra Provinciâ eum commendaverint.

Valetudinis causâ in Patriâ remittitur.

Domesticarum legum exquisita custodia.

Ejus in perferendis doloribus constantia, & alacritas.

quàm graviſſimè affecto, tantum publicæ palæſtræ laborem ſuſtinuerit, qui incolumem delaſſaret. Is fuit ſupremus vitæ actus, quam in Collegio Neapolitano ſanctiſſimè, ſuaviſſimèque clauſit, ubi religionis, ac pietatis illuſtria reliquit impreſſa veſtigia, V Idus Apriles, quum annum ætatis numeraret ſecundum ſupra viceſimum, & ab inita Societate, ſeptimum.

Melitâ evocatus, Neapolim navigat, ubi ſanctiſſimè moritur.

XLIII. Contrà tamen maturo admodum fato ſublatus eſt in Tirocinio Mamertino, Frater Franciſcus Micciardus, Mœneninus, anno nimirum ætatis ſeptimo, & octogeſimo. Ad annum uſque octogeſimum Sartorem egit tam inſigni accuratione, atque labore, ut domeſticis omnibus majorem in modum ſatisfecerit, nihil unquam petentibus denegaverit, minimà ſemper impensà, & in maximis etiam Collegiis, ſine adjutore. Quàm Deo carus eſſet, graviſſima declaravit ærumna, quæ ſupremos vitæ annos miſerrimè exagitavit. Ex aſſidua ſuendi, ſarciendique contentione, candida præſertim linteа, quæ ad lucernam tractare non intermiſit, oculorum acies uſqueadeo eſt debilitata, ut interdiu quoque caligaret. A familiaribus verò admonitus, nè candidam ſupellectilem ut exitialem oculis, diutiùs verſaret, *Quid mihi opus eſt oculis*, reſpondit, *niſi quibus ad obedientiæ fructum, & obſequium utar?* Itaque in officio permanſit, & oculos amiſit, ſeptem ferè annos cæcitati ſuperſtes. Nunquam viſus eſt lætior, quàm quum luce privatus, quæ apud homines eſſent, jam intueri non poterat; Ajebat enim: O *me beatum, qui obtemperandi ſtudio oculis meis Chriſto litavi! Præcipio laborum meorum præmium, induſtriæ lucrum, & cœleſtium ſpectaculorum pignus locupletiſſimum, quum quæ apud homines ſunt, jam intueri non poſſum, & oculi non niſi ad lacrimas relicti ſint.* Quod reliquum fuit vitæ ſpatium ſolus, ac ſilens cum Deo tranſegit, & vacationem ætati negatam, cæcitati concedere coactus, dies, noctesque diuturnum otium ad divinarum rerum contemplationem adduxit, quaſi requiem nactus intimam, cœleſtia gaudia præguſtaret. Eà fuit erga Societatem pietate, ut ejus incrementa quotidie multis cum lacrimis a Deo peteret, ac proſpera omnia iis aſſiduè precaretur, qui de ea optimè meruiſſent, externis potiſſimùm, qui opes, & alimenta contuliſſent; atque ut idem facerent, alios hortaretur. Inter hæc, non vulgari probitatis, ac religionis opinione, III Nonas Majas, ſenectute potiùs ſolutus, quàm morbo peremptus eſt, quum annum Societatis ageret ſextum, & quinquageſimum.

Frater Franciſcus Micciardus Meſſanæ vitam ponit.

Sartorem agit inſigni accuratione, atque labore.

Ex aſſidua ſuendi contentione intuendi facultatem amittit.

Ejus dictum memorabile.

Intima ejus cum Deo familiaritas, ac in Societatem amor.

XLIV. Mortalitatis quoque metam attigit P. Demetrius Li-

Digitized by Google

Licander Mamertinus, intimarum virtutum gloriâ inclitus, quem Provincia tanti fecit, ut ampliſſimos, perpetuoſque magiſtratus ei detulerit, quos ita geſſit, ut iis, quibus præerat tum gravis eſſet, & injucundus, quum poteſtatem poneret. Arduam enim, & nunquam ſatis conſumtam gubernationis ſcientiam, tot, tantiſque lenitatis, manſuetudinis, continentiæ præſidiis temperavit, ut domeſtici æquè, ac externi eum diligerent, & magis nutum ejus, quàm aliorum poteſtatem, aut reprehenſionem vererentur. Adminiſtravit Collegium Syracuſanum, Lilybœtanum, bis per intervalla Catanenſe, Drepanitanum difficillimo tempore, & Mamertinum. Tertianis Patribus, annos ferè ſex, Drepani Inſtitutor; Mamertinis tironibus, annos admodum octo, Magiſter præfuit. Mamertinam denique Domum tanta cum laude rexit, quantam pauci ſunt domi, foriſque conſecuti. Nam & domi valuit concordia, laboris æmulatio, ac conſtans diſciplina, & foris civium amor, exiſtimatio, beneficentia. Quum igitur annos ferè quadraginta, intermiſſis nunquam magiſtratibus, in poteſtate verſatus eſſet incredibili ſapientiâ, in ſurditatem incidit, & oculorum caliginem, quam tamen vincere conabatur, & in cubiculo delitescens domeſticas orationes adornabat, quæ ſuis, ſe defuncto, prodeſſent. Sed fato interceptus, poſt diuturnam ægritudinem, in Domo Mamertina laboris, & vitæ finem invenit, XIV Calendas Sextiles, annos natus ſeptem, & ſeptuaginta, atque inter eximios Provinciæ viros relatus eſt.

P. Demetrii Licandri præclariſſima gubernationis ſcientia.

Magiſtratuum ejus non intermiſſa ſeries exponitur.

Surdus, ac cæcus in ægritudinem incidit, & Meſſanæ moritur.

XLV. Elatus ibidem eſt VI Calendas Octobres, Frater Paulus Sperlinga, Calatahieronenſis, anno ætatis ſecundo infra octogeſimum. Annos in Societate ſex, & quinquaginta tam emendatos exegit, & maximè religioſos, ut ſine cujuſquam offenſione, atque querela vixerit, & ad reliquam diſciplinæ conſuetudinem, magnum adjecerit auſteritatis, & intimæ religionis momentum. Magnam noctis partem ante divinam *Euchariſtiam* de genu, & extenſis hinc inde brachiis, collocare ſolitus eſt, profluentibus interea lacrimis, quæ cœleſtia cogitantis, & cupientis animum declararent. Somnum nonniſi modicum, & indutus naturæ indulſit, neque lintea unquam admiſit, niſi ex morbo decumbens. Cibo uſus eſt vulgari, & minimo; atque ad quotidianam parcitatem jejunia, octavo quoq; die, acceſſere, non communia modò, & uſitata, ſed quæ omnia excluderent alimenta, præter panem, & aquam. Severum hunc jejunandi morem ſervavit etiam, & in genua provolutus, pridie eorum dierum, qui Dei Matris religionem præſeferrent.

F. Pauli Sperlingæ fatum, & virtutes.

Ejus erga divinam Euchariſtiam ſumma religio.

Quanta ejus fuerit cibi, & ſomni parcitas.

Hor-

Digitized by Google

Cruciandi corporis consuetudo, & atrocitas.

Horridam setis tunicam indusii loco, corpori admovit, neque unquam exuit; & quasi id parum esset, ferreo cingulo ilia perstrinxit, & aculeatis catenis ad vivum, totum corpus, manante interdum sanguine, sauciavit. Tertio quoque die, nudos humeros flagello super mensam cecidit; clanculum verò cruento flagro non pepercit. Sed hæc communia cum multis. Illud habitum est singulare, quod tanquam omnium, & singulorum famulus, nullius unquam cessationis sibi gratiam fecit. Nemo illum sedentem vidit, aut otiosè confabulantem. Colloquium cum externis, nisi de salutaribus rebus, nunquam miscuit. Domesticis omnibus officinis senex, & æger irrequietus aderat, quibus deberi arbitrabatur, quidquid temporis, proprium munus vacuum relinqueret. Quotidie ad mensam, & culinam, atque immolantibus ministravit. Domo exeuntium perpetuus comes, pallio nondum posito, uno reducto, alium deducebat. A remissioribus autem quibusdam æqualibus non semel objurgatus, quòd pravum morem, & gravissima Fratribus onera inveheret: *Sinite me*, ajebat, *æternitatis annonam mihi parare, uni mihi molestum. Quum præsertim meus hic labor senis, & infirmi levamento potiùs, quàm oneri vobis sit. Equidem dum stare potero, interdiu Martham, de nocte Mariam agere non desinam.* Ita ad summos usque tres vitæ menses apud nos sanctissimè meruit. Tum acerrimis excruciatus doloribus, subalaribus innixus furcillis, ad Sacellum domesticum adrepebat, nè sacrificii fructu careret, donec deficiente naturâ, consumtus, & magnâ sanctitatis acclamatione, externis etiam feretrum diripientibus, elatus est.

Ejus temperantia, atq; assidui laboris studium singulare.

Quomodo aliis eum objurgantibus respondere sit solitus.

In Nostros Salvatici Amicorum conspiratio iterum Melitæ exuscitatur.

XLVI. Attingamus jam Collegii Melitensis negotia, quæ fatalia, & turbulenta excurrentis anni initium deprehendit; sed ante exitum Februarii, admirabilis æquè, ac funestus eventus sublevavit. Sæviebat adhuc in Socios, quos P. Nicolaus Ursus deduxerat, Salvatici amicorum conspiratio, neque exactus jam ferè annus superioris procellæ reliquias obliteraverat. Ursus ipse vir sanè probus, ac sapiens, & virtutum omnium laude conspicuus impetebatur. Inventi sunt enim, qui per fenestram in cubiculum ejus, sordes, & infames libellos projicerent. Ludi jam bacchanales agebantur, & duodecimus excurrebat mensis, quàm nostri homines ejecti fuerant, quum magno apparatu, atque concursu, ea ipsa danda erat comœdia, quæ superioris anni bacchanalibus causam tumultui dederat. Quum enim Insulæ Princeps Lascharis publicè edixisset, nè comœdiæ darentur, in quibus muliebres personæ inducerentur,

Novæ conspirationis causa illustratur.

Digitized by Google

tur, & ea jam esset adornata comœdia, in qua illas in scenam prodire necesse erat, rogatusque Lascaris ab Actoribus ipsis, qui juvenes erant equites, ut theatro adesset, & edicti severitatem remitteret, atque comœdiam reponi sineret, ut honestæ mulieres spectatum admitterentur; cum utriusq; rei potestatem facere sine culpa se posse negâsset; magna nobilibus adolescentibus injecta est suspicio, Jesuitas edicti, atque repulsæ auctores esse, quòd eorum consiliis Principis aures paterent. Deprecatores tamen amicos adhibent Equitum seniores; quibus vehementer urgentibus, ut juventuti nonnihil indulgeret; respondit Lascaris ingenuo satis animo familiariter, religione se prohiberi, quam tamen unus abstergeret P. Jacobus Cassia, quo animi duce utebatur, si ab eo doceretur, culpam abesse. Cassia verò vinci non potuit, neque adduci, ut petentibus morem gereret. Ea res enunciata suspicionem ita incendit, ut nemo jam dubitaret, tristem illam Principis austeritatem e Societatis Collegio prodiisse. Quare intercluſum est theatrum, & pro comœdia irati Juvenes eam, de qua diximus, dedere tragœdiam. Eadem itaque hoc anno indicta erat comœdia. Servabat extimum theatri aditum Robertus Solarius, eques vicennarius, magnæ spei adolescens, equè strenuus, ac pius, sed ingenio in paucis miti, ac moderato, qui in mandatis habebat, ut populares aditu prohiberet, dum Equites prima occuparent subsellia. Hunc Deus injuriarum vindicem delegerat, & cœlestis iræ administrum. Adstitit cum primis ad januam, fervente nondum spectatoribus theatro, Salvaticus, qui Presbyterum quendam secum admitti postulabat. Negavit Solarius fieri posse, ut quisquam, nisi post Equites, reciperetur; pollicebatur tamen, amicum ejus, primum ab Equitibus admissum iri. Salvaticus non acquievit, & negligi se arbitratus, quòd res in via gereretur, quam præstolantium turba compleverat, conviciis, & contumeliis urgere non destitit, nè amicum aditu excluſum, extra januam relinqueret: neque tamen Solaris constantiam fregit. Quare aversus pedem retulit, quasi jam discessurus, & irâ inflammatus sive casu, sive consultò manum ensis capulo admovit. Solarius peti se ad singulare certamen arbitratus, furentem occupavit, & mirâ celeritate ense districto, Salvatici pectus, & præcordia ferro transmisit, atque amicitiâ necessarium, & disciplinâ fratrem interfecit. Salvaticus corde transverberato, in ipso vulnere exanimatus concidit. Sublatus est omnium clamor, atque una vox fuit: *Vindicta Dei*. Ut in Theatro de Salvatici nece auditum est, Actores

Muliebres personas in scenam prodire, Lascaris obstinatè vetat.

Ejus consilii invidia in nostros recidit.

Importunus quidam casus Salvaticũ exasperat.

Salvaticus a necessario suo miserrimè necatur.

res ad prodeundum induti jam, ac parati, personas exuere cogitabant. Lascaris de casu admonitus, rogatusque, dandáne comœdia esset; nihil cunctatus: *Sinite*, inquit, *mortuos sepelire mortuos suos. Mementote, quæ Salvaticus, anno superiore, in innoxios Dei servos, & amicos, per hos ipsos dies patravit. Digitus Dei est hic. Nulla est causa, cur funeri ejus ulla doloris, aut luctûs significatio impendatur. Discant hujus Ordinis Milites, quanti Salvatico steterit, Magistro suo dicto audientem non fuisse. Quantò rectiùs, ac salutariùs cum Salvatico actum fuisset, si nostræ potiùs, quàm divinæ animadversioni relictus fuisset. Scenicum opus intermitti nolo. Placet nobis, comœdia adesse, quæ extincti Equitis & culpa, & pœna fuit.* Me jam viro, vivebat adhuc Solarius ferè nonagenarius, qui Ordinis sui honoribus, præter summum Magistratum, perfunctus omnibus, Venetiarum *Prior*, Melitæ, nostrâ hac ætate fato concessit. Auctor est P. Vincentius Modica Melitensis, audisse se ex eo jam octogenario, & Salvatici casum lugente: *Assequi nunquam potui, quonam fato contigerit, ut amicum, & necessarium confoderem, quum nihil tale cogitaverim, neque quicquam menti occurrerit, præter honestam defensionem. Sed manus rationem occupavit, atque consilium, & eò properavit, caco quodam impetu, quò cœlestis ira, eam me imprudente, impellebat. Atque utinam ad eruditionem Ordinis nostri, hæc posteri non ignorarent! Ad ejus enim disciplinam, atque splendorem plurimi interest, ea non occultari, quæ mores habent, & tantum neglectæ obedientiæ exemplum continent.* Tradit idem Modica, neque dissimulat Tornamira, quinque alios Equites, ejectionis, & in Lascarim contumaciæ participes, alio alium tempore, infaustum Ducis exitum, uno dempto, secutos esse. Alius enim amentiâ correptus, dedit se ex edita fenestra præcipitem. Alter quum ventrem exoneraret, vultu, ac statu nitentis; sine vita est repertus. Tertius igneâ glande percussus peregrè occisus est. Quartus in navali prælio mersus, ac depressus occubuit. Quintus reliquis superstes, Neapoli ortus, qui debitum sibi, & Siculo Equiti collatum pingue Ordinis beneficium, P. Georgii Tagliaviæ officiis imputaverat, & dolore ardens, Salvatico se tradiderat; commilitonum casibus exterritus se respexit, & facti pœnitens, humanis rebus se abdicavit, Joannitarum militiam cum Sacerdotio commutavit, perpetuo in secessu vitam egit, Nostris Neapoli totum se præbuit, & religionibus maximè deditus, ac Societati addictissimus, tam castigatè supremos annos con-

Lucæ cap. 9. Matthæi c. 8.

Exodi cap. 8.

Lascaris, auditâ Salvatici nece, comœdiam prætermitti vetat.

Casûs hujus P. Vincentii Modicæ testimonium.

Salvatiei Sociorum infausti exitus.

Horum unus, Sociorum casibus exterritus, ad bonam frugem se recepit.

sum-

sumpsit, ut apud suos, *Pœnitentis* nomen invenerit. Hæc ab præclarissimo, nobilissimoque Joannitarum Ordine, cui nunquam satis declaraverim, quantum Societas debeat, ita accipi cupimus, & oramus, ut ad ejus splendorem, & ornamentum diligenter exposita. Quum enim ea litteris jampridem, & vulgi rumoribus pervulgata, amplioribus etiam, quàm veritas pateretur, ornata phaleris circumferrentur, quibus detractis, historiæ fides constaret; gratum fore non dubitavimus Ordini amplissimo, ac sapientissimo, cujus tanta sunt virtute, & sanguine, parta in Christianam Rempublicam merita, paucorum crimina privatorum publica, & vera illustrari, quæ neque communi consilio, neque Senatùs auctoritate, sed contra Principis voluntatem, & dignitatem patrata sint. Accedit tam esse ab assentationis, & ambitionis fuco Joannitarum remotum animum, ut qui res eorum Ordinis gestas memoriæ prodiderunt Joannitæ Scriptores, eam esse voluere præcipuam erratorum pœnam, quæ domi, ac belli contracta sunt, ut ad posteritatis doctrinam litteris mandarentur. Non enim aliud illustrius esse potest incorruptæ, ingenuæ, & minimùm astutæ, ac duraturæ specimen disciplinæ, quàm publica privatorum vitia nolle occultari, & auctoribus suis ea relinquere, neque pro illorum indemnitate pugnare; quasi aut Solem maculæ, aut Venerem nævi, ignominiâ, ac fœditate notarent.

Joannitarum Ordinis laus attingitur, & ab eo excusationis venia petitur.

CAPUT VIII.

Turba maxima in Socios Mamertinos. Unus, & alter Provincia Conventus. P. Thomas Reyna Provincialem adit magistratum. Insignia Nostrorum funera, aliique eventus ad annum usque 1645.

1641

MAmertinæ Nobilium Convictionis narrationem, ac fatalem ejus ortum, qui nihil abfuit ab interitu, aliquantò altiùs ordiri præstat, ut historiæ series, & fides constet. Joannes Melismelius Mamertinus, adolescens mercaturam fecit, & anno ætatis duodetrigesimo, Marchisiam Giarrottam matrimonio sibi conjunxit; ex qua Didacum filium suscepit. Uxore post biennium extinctâ, Societati se addixit, anno 1608, ætatis tertio, & trigesimo: in qua Sacerdotio insignitus, bonis omnibus filio transmissis, anno 1631, pridie Calendas Sextiles, quatuor se votorum religione obli-

P. Joannis Melismelii ante initam Societatem notitia.

gavit. Didacus filius, Nonis Martii, anno 1627, summum Societatis Antistitem Patrimonii hæredem, eà conditione testamento nuncupavit, ut si orbus ipse decederet, Nobilium adolescentium Collegium Messanæ institueretur, a S. Ignatio dictum, cujus esset penes Societatem administratio. Decimus nondum annus abierat, quum Didacus sine liberis diem suum obiit, IV Calendas Februarii, anno nimirum 1637. Quare Vitelleschus, qui universæ Societatis magistratum gerebat, crevit hæreditatem per P. Joannem Melismelium, extincti Didaci Parentem, cui & liberam ejus, datis ad id tabulis, administrationem legavit. Melismelius Romam profectus, ut condendæ Convictionis consilium apud Vitelleschum explicaret, Idibus Octobris, cum publicis ejus litteris, hoc anno Messanam remeavit, quibus jubebatur, Nobilium Adolescentium Collegium excitare, & quæ oporteret, transigere. Optatissimus ejus adventus Optimates exhilaravit, quibus nihil erat jucundius, quàm bonarum artium publicari palæstram, cujus beneficio generosa juventus informaretur, eorumque liberi procul a Parentum complexu, & paternæ domùs blanditiis, a teneris annis virtuti assuescerent, & litteris imbuerentur. Melismelius nihil cunctatus, ea de re Senatum participat, quo lubente, & plurimùm gratulante, negotium aggreditur, amplissimam Balsamorum in Montis Virginis regione domum conducit, & annui locarii nomine, aureos quinquaginta supra ducenos constituit; ædes ornat, & ad Convictionis usum concinnat, infert utensilia, & supellectilem, intimum Sacellum instruit, & sacrum aptat instrumentum, omnia magno sumptu, quæ usui essent, componit. Jam enim nobiles quamplurimi adolescentuli dederant nomina, & propediem inferendi putabantur.

Didacus Melismelius Nobilium Adolescētium Collegiū, propriā hæreditate instituēdum curat.

De eo Collegio constituendo consilia.

Balsamorum domum Melismelius conducit, & ad Convictionis usum concinnat.

II. Sed plebs Mamertina, cujus magna tum erat cum nobilitate potentiæ obtrectatio, ferre non poterat, publicam institui juventutis Academiam, a qua plebeji ordinis pubes arceretur. Erant in ea navi opulentissimi Negotiatores, & honestissimæ Publicanorum Societates, quos in amplissimo Siciliæ Emporio plurimùm valere, necesse erat. Hi quasi populi partes tuerentur, vi magis, quàm jure, Reipublicæ clavum tenebant, & obnoxiam sibi multitudinem concitabant, nè pateretur, negligi ipsorum liberos, & ambitione paucorum, omnia uni sibi arrogare nobilitatem, quæ veluti parum esset, honorum sibi prærogativam adjudicare, nihil non moliretur, ut a commodis etiam plebem excluderet. Graviſſimum quoque accidit mercatoribus, Didaci Melismelii popularis sui opibus, cu-

Plebis Mamertinæ ea de re turbæ, & conquestiones.

Digitized by Google

cujus pater negotiator fuisset, & Optimatibus semper infensus, Convictionem parari, ad quam nullus vetustissimis civium familiis pateret aditus. Publicam hanc Ordinis sui ignominiam, & planè injuriam, Societati nostræ assignabant, cujus ambitione factum ferebant, ut P. Joannes Melismelius, Didaci pater, qui Optimatibus nunquam antea studuisset, statim ac Societatis disciplinam amplexus est, ad nobilitatis partes, ut ejus gratiam nobis aucuparetur, desciverit, & filio persuaserit, ut familiæ patrimonium alendis Optimatum liberis conferret. His accedebat ipsorum Optimatum discordia, quorum plerique obærati, & negotiatoribus obnoxii, eorum studia clam sequebantur, alii privatas simultates bono publico anteferebant, alios repulsæ dolor urebat, quòd in primo adolescentium delectu, liberos suos potentioribus posthabitos, propter loci angustias, invehere non licuerat. His Mamertinorum dissentionibus, occultæ alebantur civilis belli scintillæ, quod sævum postea, ac truculentum exarsit, nec nisi cum reipublicæ pernicie, & periculo omnium salutis extinctum est. Laborabat jam mole, ac magnitudine suâ, quæ ad summum amplitudinis apicem excreverat, opulentissima Civitas. Certabant omnium ordinum cives, disjectis legum veluti mœnibus, immodicam libertatem, tanquam Equum Trojanum intra muros invehere, & quidquid collibuisset, per vim, & arma expugnare. Nec defuere Cassandræ, quæ assiduis obnunciationibus fatum imminere, & interitum Civitatis præcinerent. Sed eæ ipsæ voces ad temperatiora consilia cives adhortantium suspectæ habebantur. Et siquid licentiæ adversaretur, contra libertatem, atque Rempublicam factum fuisse jactabatur, quod esset armis etiam privatis, & populi impressione propulsandum.

Jaciuntur, nonnullorum invidiâ, adversùs Societatem turbarum semina.

Aliæ Convictionis instituendæ difficultates.

III. Quibus ita fluentibus, III Idus Novembres, qui Convictioni infensi habebantur, *Cœnobitarum* nonnullis facilè persuadent: *Contra eorum jura facere Jesuitas, qui ipsis inconsultis, & planè insciis, novum extunderent, & adornarent Domicilium, quasi per speciem instituendæ nobilis juventutis. Quid si labentibus annis, in alios usus converterent; quemadmodum superioribus annis, Collegium Societatis, nè finitimis quidem Cœnobitis admonitis, nedum consentientibus, in Professorum Domum repente migraverat, ex qua ad mendicandum prodirent, & sacra vicinorum officia interturbarent? Cavendum propterea, nè eò pedem inferant, & si intulerint omni ope connitendum, ut exturbentur.* Incensi ejusmodi vocibus *Cœnobitæ*, magno agmine, Blasio Pro-

Nefarii quidã, Cœnobitarum nonnullos in nos concitant.

to Mamertino Pontifice tum absente, ad Senatum convolant: de vi, & injuria conqueruntur: summis clamoribus flagitant: *Nè patiatur, Jesuitas iis in ædibus pernoctare, quas per nefas occupâssent. Quod si justa reclamantium voces negligerentur, ipsos sibi consilium capturos, & vim vi repulsuros.* Senatus paulò ante noctem, P. Franciscum Giuntam, qui Domui præerat, accersiri jubet, & ab eo modis omnibus petit, ut quando esset tempori serviendum, *Nè cunctaretur, P. Joannem Melismelium, & reliquos, qui unà essent Jesuitæ, ex iis, quas apparâssent Convictionis ædibus, ante sidera ad se recipere; verebatur enim, nè quid proximà nocte turbaretur. Metuendum esse, nè tenebræ pudorem minuerent, & licentiam incitarent. Postridie se curaturum, ut æquis conditionibus transigeretur, quoniam ea res ad bonum publicum pertineret, & suà magis, quàm nostrà interesset, Convictionem tueri, in qua ipsorum essent liberi instituendi.* Giunta nihil non legitimè factum docet, Senatui gratias agit, quod Societatis causam in se recipiat, obtemperaturum se pollicetur, tantùm orat, ut reliquis amotis, duobus ibi Fratribus permanere liceat, qui illatam supellectilem tueantur. Senatus ratam habet conditionem, & Giuntà digresso, *Cœnobitas* certiores facit. Negant hi, se passuros, ullum ibi Jesuitam conquiescere, nè possessionis, aut præscriptionis jura prætenderentur. Quare Senatores quatuor periculum, & multitudinem veriti Giuntam adeunt, rhedà excipiunt, & ad Convictionem deducunt: simul orant, ut suos omnes inde submoveat, supellectilem famulis in interiori conclavi custodiendam relinquat, sibi curæ fore, ut armatorum præsidium ad fores excubaret. Ineunte jam nocte, ad Convictionem ægrè penetrant. Nam tria ferè hominum millia ædium insulam omni ex parte circumsederant, magno tumultu conclamantium, ut Jesuitæ ex ea domo omnes facesserent, nisi vellent, eam, igne injecto, conflagrare. Itaque inter sibilos, & insultantis plebis convicia, summa cum ignominia, ac contumelia prodeunt omnes, & tam insignem ex boni publici studio capiunt fructum. Senatores interea multitudinem arcent, & januam militibus servandam committunt. Sed eodem tempore, *Cœnobitæ* ædes a tergo invadunt, & per posticum irrumpunt. Sacellum diripiunt, quidquid moveri poterat, auferunt, reliqua comminuunt, aut igni corrumpunt. Supellectilem omnem evertunt, & non secus, ac si arcem aliquam vi cepissent, omnia sibi jure belli licere arbitrantur, tanquam hostium exuvias, atque manubias nacti es-

Cœnobitæ ad Senatum Mamertinum convolant, & de injuria conqueruntur.

Nostri, Senatûs auctoritate, in paratis ædibus pernoctare prohibentur.

Obtemperandi studio, ædes nostri relinquunt.

In relictas ædes Cœnobitarum furor, & impetus.

Digitized by Google

essent. Nihil intactum relictum fuisset, nisi viri quidam nobiles, silentibus magistratibus, ultro accurrissent, & a Senatu impetrâssent, ut nocturnæ custodiæ duplicarentur. Senatus, ut illuxit, Pontificis Vicario causam adjudicavit. Hic Societati jampridem infensus, ex Balsamorum domo utensilia omnia amoveri jussit, & ante *Professorum* Domùs januam congeri. Quæ, quum Giunta, & Melismelius recipi non oportere existimarent, & secus viam congesta manerent, nè sequenti nocte diriperentur, amicorum curà in proximam domum sunt delata, atque deposita, incredibili tamen quà jacturà, quà detrimento.

Ex ædibus utensilia per adversarios amoventur, & secus viâ congeruntur.

IV. Inter hæc Protus Pontifex Mamertinus, quo absente, & inconsulto, Convictionis negotium tentatum fuerat, neglectum se fuisse ratus, *Cœnobitarum* causam suscepit, & acceptam a nobis injuriam ratam habuit. Nam etsi quid nobis Romani Pontificis auctoritate, atque litteris liceret, non ignorabat, optiméque nôrat, Convictionis Domicilium neque sacrum esse, neque religiosum, neque Templum habere, neque ex eo quenquam ad mendicandum prodire; putabat tamen, *iis ipsis de rebus, ante Mamertinum fuisse Pontificem admonendum, & Cœnobitarum Antistites consulendos, quàm Convictio adornaretur. Silentium Societatis ansam dedisse suspicionibus, quasi non rectè fieret, quod clam iis, quorum interesset, fieri animadverterent. Nullam fuisse Melismelio causam, cur tam accuratè reticeret, quod legitimè enunciatum, certissimum haberet exitum, & legitimam, atque probabilem Reipublicæ utilitatem. Eos proinde in culpa esse, qui superbo, ac pertinaci silentio, contumeliam potiùs extorsissent, quàm injuriam accepissent; non eos, qui sapienter cavissent, nè injuria irrogaretur, & omnia in integrum restitui curavissent. Quum præsertim magnum in mora pretium esset, atque periculum. Nam si nobiles postridie illati fuissent adolescentes, quis eos ejiceret, quos excludere tantum fuit.* Hæc eò tendebant, ut magis, ac magis perspectum esset, nihil esse in rebus humanis, quod non in alterutram partem flecti possit, prout diversa hominum studia, & variæ cupiditates animo dominantur. Ceterum *quid tam familiare sapientibus, quàm jure suo, sine cujusquam consensu uti velle, nè jus ex libero servum fiat? Nunquid suspiciones expurgari non poterant, si jure potiùs, quàm vi, & manu ageretur? Quod si excusari superiora vellet, qua ratione, rejam compertà, & exploratà, posteriora sanarentur, quibus Convictio obfirmatè impediretur?*

Proti Pontificis Mamertini maxima offensio.

Protus adversariorum causam tuetur.

Duplicem P. Giuntæ a Cœnobitis impactam dicam, Protus approbat.

tur? Protus verò in eodem perseverat, & ut nostros, quominus ad majorem provocent potestatem, prohibeat, P. Franciscum Giuntam in jus vocat. Duplicem ei finitimi *Cœnobitæ* apud Pontificem Mamertinum dicam impegerant. Querebantur enim, novum tintinnabulum, & eo longè majus, quàm quo ipsi uterentur, in Domùs turri suspensum nuper fuisse, quod ipsis injuriosum, atque molestum, demitti flagitabant. Postulabant etiam *Professorum* Domum deleri, quæ nullo ipsorum consensu, anno 1608 a Collegio sejuncta fuisset; atque vel ea ad Collegium, vel hoc ad eam remigraret. Visa est Proto Pontifici utraque postulatio æqua, atque probabilis, & parat causam cognoscere. Giunta infensum, suspectumque judicem ejurat, & Romanum Pontificem appellat, apud quem causam se velle dicere ostendit. Adversarii summi judicis nomen, & majestatem veriti, ab incœpto destiterunt, neque Domum Mamertinam coram Pontifice Maximo oppugnare ausi sunt.

Giunta Romanum Pontificé appellat, & Mamertinum, ut suspectum ejurat.

Novi Mamertinæ nobilitatis conatus, ut nobilium Collegii negotium conficeretur.

V. Porrò Nobilitas flagrabat cupiditate incredibili inchoandæ Convictionis, quæ præter maximum emolumentum, summo etiam ornamento Civitati futura esset. Quum enim ejusmodi Nobilium adolescentium Collegia, non in Italia modò, atque Europa, sed in novis etiam Americæ Coloniis essent plurima inter barbaros constituta, nec sine Siculæ Nobilitatis dedecore, in florentissimam nondum Insulam invecta essent, ad Messanensium gloriam pertinere arbitrabatur, si tam salutaris inferendæ institutionis initium a Mamertinis fieret, & Messanæ primùm ea coalesceret. Nullum proinde erat tempus, quo non Senatus Melismelium urgeret, & propè compelleret, ut ad Convictionis excitandæ consilia rediret, & modis omnibus polliceretur, fore se licentiæ vindicem, & optatissimi Operis assertorem, atque custodem. Melismelius, collatis cum Giunta consiliis, Balsamianas ædes deserit, & ampliorem Pentedactili domum, e regione Domùs Mamertinæ, pluris locat, elegantiùs concinnat, & cibariis, atque utensilibus opulentiùs instruit. Frequentes Senatorum excubiæ, atque vigiliæ diurnà, nocturnáque custodiâ fores tuentur. Habitus fuerat ex præcipua nobilitate adolescentium delectus. Dictæ erant publicando Collegio coram Senatu, & Principibus Civitatis, Calendæ Februariæ sequentis anni 1642. Sed pridie ejus diei, ille idem conspirationis globus cum plebecula erumpit, & fulgentibus jam astris, ædes obsidet, & in fores accuratè obseratas impetum facit. Custodiæ tamen januas strenuè defendunt, & adi-

Eam institutionē Senatus urget, & operam suam Melismelio promittit.

Melismelius Balsamianas ædes deserit, & Pētedactili domum conducit.

Novi in hanc domum adversariorum furores, & impetus.

tu

tu prohibent. Tum qui audentiores, contiguas ædes invadunt, tecta conscendunt, & per fenestras sese in Collegium inferunt, ex quibus supellectilem omnem populo diripiendam projiciunt, tantis clamoribus, & eo tumultu, atque furore, quo munitissimæ turres expugnantur, & prædæ militum conceduntur. Reliqua libenter oblivioni committimus, etsi majorem habent eorum infamiam, qui injuriam intulerunt, quàm eorum, qui perpessi sunt. Magnæ tum ea de re inter Senatum, & Protum Pontificem, qui adversùs Optimatum commoda stare ferebatur, exarsere controversiæ, quæ cives in partes distraxere, neque cum Proti morte, sed cum Civitatis ruina sedatæ sunt. Boscus interea, qui Provinciæ magistratum nondum expleverat, & his turbis interfuit, P. Victorinum Mannamum Messanensem designavit, qui cùm Panormi, tum Romæ jura experiretur. Sed in ipso negotio compertum est, altiores esse injuriæ radices, quàm quæ oculis cernerentur, & *Cœnobitas* alioqui probos, & amicos, ac de Societate optimè meritos nihil movere, nisi clandestinis factiosorum conatibus propè coactos; rem verò perpetuis calumniarum, & cavillationum ambagibus extrahi, neque Protum Pontificem ad æquiora consilia flecti posse; visum est Provinciæ Primoribus, cedendum saltem, si non tempori serviendum: nè si qua fortè gravior seditio Civitatem civilibus armis involveret, intestinis partium odiis, & simultatibus causam dedisse videremur. Jussit proinde Boscus Convictionis causam conticescere, & omnem ejus rei cogitationem dimitti. Erant ea quidem silentio, & tenebris mandanda potiùs, quàm litterarum luce illustranda. Verùm non tam historiæ fides, ut calumniæ propulsandæ necessitudo ad ea exponenda adegit, quæ rectè silerentur, sed rectiùs fieri desiissent. Quandoquidem non defuere, qui nostris hisce temporibus jactarent, per nos stetisse, quominus Mamertinum generosæ juventutis Collegium conderetur, & comestæ Melismelianæ hæreditatis calumniam, & dicam nobis impingerent.

Per fenestras plebs sese in Collegium infert, & supellectilem diripit.

Ea de re inter Senatū, & Protum Pontificem exortæ controversiæ.

Nostri Convictionis instituēdæ consilium ponunt, & quæ de causa.

Societati iniusta calumnia propulsatur.

VI. Quoniam verò Melismelianæ hæreditatis mentio incidit, minimè alienum ab instituto ducimus, paucis docere, qui fuerit ejus exitus, & quos ad usus ea demum pervenerit. Posito jam Convictionis instituendæ consilio, reperti sunt, nescio quo casu, apud Franciscum Mannam, Scribam Mamertinum, Didaci Melismelii posteriores codicilli, anno 1633 editi, ac consignati, quos Sebastianus Cesius Scriba Romanus, in sua acta Romæ transtulerat, anno 1641, & Messanæ anno 1646 Joannes Dominicus Milanesius, Scriba Mamertinus. His Didacus

Quos ad usus Melismeliana hæreditas tandē pervenerit.

sius tabulis, superioris testamenti fidem abrogaverat, & si fortè contingeret, se orbum decedere, Joannem Melismelium, Societatis jam *Professum*, Patrem suum, fiduciarium hæredem scripserat, atque mandaverat, ut is supremæ suæ voluntatis interpres, ac testis haberetur, cui arbitratu suo liceret, quidquid videretur variare, convertere, ac constituere, quin cuiquam solutum esset, Joannem patrem in jus vocare, & quæ facienda censuisset, cognoscere. Censuit itaque P. Joannes Melismelius, Collegii Nobilium abjectâ curâ, nascenti tum Sancti Francisci Xaverii Tertianorum Patrum Tirocinio hæreditatem addicere, eâ conditione, ut a Sancto etiam Ignatio nuncuparetur, & Magistrum aleret, qui latinæ grammaticæ rudimenta traderet. His ad P. Vincentium Caraffam delatis, qui Mutio Vitelleschio jam extincto, universæ præerat Societati, ejus Messanam allati sunt codicilli, quibus Melismelii voluntatem ratam habuit, datæque sunt Caraffæ litteræ, XI Calendas Decembres, anno 1647. Sed Melismelius per ea tempora Romam venerat, ibique coram Caraffa, hæreditate se abdicavit, eamq; Mamertino Tertianorum Patrum Tirocinio adjudicavit; ejusque largitionis legitimum testimonium publicis mandavit tabulis, III Idus Decembres ejusdem anni Cæsar Colonna, Scriba Romanus: & eo ipso die, alios Caraffa edidit codicillos in membrana descriptos, quorum auctoritate, Balsami, & Melismelii hæreditates coaluere, & ex duabus, unum conflatum est Sanctorum Ignatii, ac Francisci Xaverii Collegium. Redibant autem ex hæreditate Melismeliana aurei quotannis ferè quingenti.

P. Joannes Melismelius, Convictionis abjectâ curâ, S. Xaverii Collegio hæreditatê adjudicat.

P. Vincentius Caraffa, Melismelii voluntatê ratam habet.

VII. In Plateensi Collegio duos, uno mense, desideravit Provincia insignes viros, in officio caritatis, ævo adhuc florente, extinctos. Contagiosæ febres Plateæ grassabantur, quarum pleræque fatales erant, & septimo, aut nono die, peremptoriæ. Versabatur tum ibi P. Antonius Marzanus Leontinus, vir planè strenuus, & indefessus, quem neque diurni labores in custodiis, in valetudinario, in Templo, in foro, neque vigiliæ in morientium obsequio delassabant. Is crebris funeribus perturbatam Civitatem, princeps lustrare aggreditur, laborantibus subvenire, salutis remedia administrare, animis, corporibusque medendis diu, noctuque sedulam navare operam, rebus omnibus præsto esse. Quare ex contagiosorum consuetudine, febrim contraxit ardentem, atque tabificam, cujus veneno, septimo die peremptus est, Nonis Julii, anno ætatis tertio, & quinquagesimo. Proximus huic publicæ se misericordiæ de-

Plateæ pestis grassatur.

P. Antonius Marzanus in officio caritatis extinguitur.

Digitized by Google

devovit ibi ortus P. Hyacinthus Ligregnus, qui quum in Patria, ejus Collegii magistratum obtinuisset, & rectissimè administrâsset, ab eo jam vacuus, & sacrarum, quæ in moribus versantur, quæstionum scientiâ clarus, totum se popularibus suis adjuvandis tradiderat. Itaque contagiosos adire non dubitavit, & in eo misericordiæ munere, communi morbo tentatus est, atque ibidem consumptus, VIII Calendas Sextiles, anno ætatis primo supra quadragesimum, summo jam quatuor Votorum sacramento insignitus. Hos, anno ætatis quarto, & sexagesimo, pridie Nonas Octobres, secutus est P. Erasmus Marotta, Tissæ natus, quam Rogerii *Comitis* ætate, in Randacium, converso nomine, jam abiisse, ejus ævi monumenta testantur. Romæ adolescens musicorum numerorum disciplinam accuratissimè arripuit, & incredibili Romanorum voluptate professus est, propter vocis suavitatem, & modulorum scientiam. Qua in re tantopere excelluit, ut ante virilem ætatem, emeritos Urbis Phonascos superaverit, & inter vocis magistros, atque cantùs modulatores, primas tulerit, ex quo lautis auctus est Sacerdotiis, & singularem nominis celebritatem invenit, atque divitias. Sed humanarum rerum pertæsus, secedendi consilium in Provincia explevit, in qua Mamertino Tirocinio, annos natus quinque, & triginta, se addidit, ac virtutum omnium magis, quàm harmonicæ artis concentu, Societatem ornavit. In Domo Panormitana annos ferè duodetriginta meruit, & Templi ejus splendorem, & rem amplificavit, ædificationem adjuvit, atque divinum cultum erexit, & mirificè cumulavit, concinendi facultate. Ad efficiendos enim pios, & salutares animi motus, plus ille modulatione valebat, quàm clarissimi oratores concionibus. Nam pro temporis conditione, lacrimas jam dulces concentu eliciebat, jam tristes exprimebat. Quare mirabiles fiebant ad sacra Officia Nobilitatis, Procerum, Curiæ, Civium, & Magistratuum concursus, nè demptis quidem Proregibus, quos ille omnes dulcissimè plures admodum horas detinebat. Musicum organum, quo ante id tempus Nostri nonnisi gestatorio, & commodato utebantur, fixum, ac stabile primus intulit, & ad musicæ artis normam tam scienter elaborari curavit, ut eo quamvis minimo, & exili, non aliud Panormi esset stridulum magis, atque canorum. Quod principio contectum, & quàm maximè fieri potuit, ab omnium oculis remotum occultabatur. Sed alterum postmodo est additum, deinde tertium: neque ulla fuit deinceps ejus rei occultatio. Quod quidem propter intestinas eorum temporum suspiciones Eras-

P. Hyacinthus Ligregnus in eodem officio consumitur.

P. Erasmi Marottæ ortus, patria, & eximiæ virtutes.

In concinendi facultate plurimùm valet.

Musicum organum in Panormitanâ Domû primus intulit.

mo fraudi fuit: nam neque invidiam vitare potuit, neque Panormi consistere. Nondum enim metus refrixerat, nè sæpè aliàs tentata quotidiani concentùs consuetudo inveheretur, quam B. P. Ignatius, ut nostris institutis infensam, & nostris moribus, ac officiis minimè consentaneam, a Societatis Templis excluserat. Veritus itaque P. Jacobus Dominicus, nè Marottæ opera eò tenderet, quò Societas maximè nollet, quum præsertim, & ipse psalleret, atque caneret, & Nostrorum adolescentium sobolem ad id pararet, cum Pompilio Lambertengo, qui Provinciæ, & Vitelleschо, qui Societati præerat, enixè egit, ut Erasmus Panormo ablegaretur. Mutius vehementer admiratus, id Erasmo culpæ verti, quod neque invitis, neque nesciis majoribus, sed lubentibus, ac gratulantibus egerat; innoxium, & optimè meritum hominem invidiæ subducendum putavit, jussitque eum sine dedecore exire, & Mænenini Collegii, eà tempestate florentissimi, magistratum capessere. Perturbata est eo nuncio Civitas, & nobilitas mirum in modum exarsit. Quare, & Carminata cum gravioribus Patribus, & externorum plerique Proceres, qui rebus nostris studebant, Lambertengum absentem per nuncios, & litteras quàm celerrimè admonuerunt, ut ab ea mente desisteret, dum Mutius consuleretur. Marotta tamen, memorabili obedientiæ exemplo, omnium consilia, & conatus intercepit: nam triduo equum conscendit, & consuetà vultùs, & animi hilaritate, Mænas concessit, pridie Calendas Octobres, anno 1619, octavo admodum, quàm Societatem injerat. Eam Erasmi digressionem, tam graviter, scribit Matina, Panormitanos tulisse, ut quum per eos dies menstrua *Eucharistici* Epuli administratio incidisset, hominum nonnisi quatuor, & viginti millia convenissent, quum ad quinquaginta ferè millia confluere consuêssent. Sed ex eventu cognitum est, non optimum consultorem metum fuisse, & nullam fuisse causam, cur timeretur, & tantum Panormitanæ Domui, ac Templo detrimentum inferretur. Et sanè insignia non constarent illustrium hominum exempla, nisi humana consilia a veritatis semita interdum aberrarent, & a rectitudine nonnihil deflecterent. Jam qui tam religiosè obtemperare didicerat, sanctissimè, ut fit, in honore aliis præfuit. Nihil enim eo fieri poterat sapientius, jucundius, moderatius, nihil humanitate, ac caritate redundantius, nihil in excogitandis suorum commodis accuratius: neque ulla fuit virtus optimi Antistitis, quam non ut primo, ita novissimo administrationis die apud domesticos, atque externos

Nè concentùs consuetudinem in Provinciam inveheret, Panormo ablegatur.

Mænenino Collegio præficitur.

Matina Histor. Dom. Prof. Panormit. ad annũ 1619. pag. 120. prope finem.

P. Marottæ digressionem Panormitana Civitas graviter tulit.

Exquisita ejus gubernationis ratio commendatur.

ex-

Digitized by Google

exprompserit. Exacto vixdum triennio, communibus omnium vocibus Panormum revocatus, supremos viginti propemodum vitæ annos ibi sine offensione consumpsit; Domui reddi tus, tantà Civitatis gratulatione, quantam non Tullius ab exilio revertens nactus est. In eo namque jam non tam musicæ artis præstantia, quàm summæ virtutis, & temperantiæ gloria eminere ferebatur. Nempe ad morum suavitatem, elegantiam quoque, & gravitatem adjecit, non sine mansuetiorum litterarum, & sacræ doctrinæ splendore. Excipiendis pauperrimorum confessionibus infinito labore, maximè addictus, nobilissimis etiam viris, atque Proceribus aures commodare coactus est, & in his Montalti Duci, atque ejus uxori; quibus auctor fuit, ut secederent, & humanis rebus valedicerent. Laboribus denique, & benemerendi studio extenuatus, mortalitatem explevit. Extra Societatem ediderat Torquati Tassi *Amyntam* harmonicis digestum, & exornatum numeris. In Societate verò, *Cantus pios musicis modulis expressos.* Memorat Tornamira alium Erasmum Marottam Panormitanum, qui nondum Sacerdos exauctoratus, quum ex duabus Siculis triremibus alteram conscendisset, unà cum triremibus ab Africanis piratis captus, & ingruente procellà demersus, miserrimè fluctibus haustus est, anno ferè 1623. Quod ideo adnotandum fuit, nè nominum similitudo homines etiam confunderet.

Panormum revocatur, maximâ Civitatis gratulatione.

Ejus constantia in excipiendis confessionibus.

Anton. Mongit. Biblioth. Sicul. & Sothuel. Biblioth. Soc.

Tornamira exitus infelic. pag. 27.

VIII. Dictus est Cæsaris Boschi litteris, anno 1642, Provincialis Conventus, & III Nonas Majas in Mamertina Domo coactus. Designatus est, qui acta conscriberet, P. Georgius Tagliavia Entellinus, seu Castroveteranensis, datusque ei adjutor, P. Arcadius Perremutus. Ad negotia probanda, de quibus esset in Conventu referendum, delecti sunt PP. Josephus Castelnovus, Nicolaus Sollima, & Ignatius Balsamus. Appellatus est Procurator, qui ad Romana Comitia legaretur, primis suffragiis, maximo consensu, P. Josephus Augustinus Panormitanus, Studiorum ibi Præfectus; destinatus verò P. Franciscus Giunta Messanensis, qui Mamertinam Domum administrabat, ut ei, si casu aliquo detineretur, succederet. Rogati Patres, eísémtne summa Societatis cogenda Comitia, censuerunt, dissentiente nemine, convocari non oportere. Deliberatum est de Provinciæ mandatis, quæ Augustinus Romam ad Mutium Vitelleschum perferret, quorum ea sunt præcipua. Postulavit Conventus, ut Vincentiæ Cannitæ Nobilis feminæ hæreditas, quæ condendo Panormi S. Ignatii Collegio, erat supremis ejus tabulis designata, utpote exigua, litibus obnoxia, primoribus

1642

Provincialis Conventus Messanæ cogitur.

P. Josephus Augustinus ad Romanum Conventum profecturus designatur.

Civitatis ægrè ferentibus, quintum Societatis excitari domicilium, S. Franciſci Xaverii Collegio addiceretur. Reſcripſit Mutius, id ſui juris non eſſe, ſed Romani Pontificis. An verò ea eſſet res movenda, placere ſibi, ad deliberandum ſpatium ſumere. Requiſitum eſt etiam, ut ad regendam Provinciam deſtinarentur provinciales viri, vel qui in Provincia fuiſſent, vel qui noſtros homines, & mores nôſſent, nè contingeret, ut ſi alienigena, & novus mitteretur, tum primùm municipalia negotia, & ingenia deguſtaret, quum ei ſuccederetur; obſecratumque eſt, Provinciæ nomine, ut exeunte jam Cæſaris Boſchi magiſtratu, Franciſcus Piccolomineus, qui Provinciam tanta cum laude luſtraverat, & ut coaleſceret ex duabus unam fecerat, Provinciæ cum poteſtate redderetur. Subjecit Mutius, jus eſſe Societatis pervetuſtum, & ſanctè retinendum ad mutuæ caritatis alimentum, provinciales magiſtratus ſine Provinciarum delectu iis demandare, qui maximè utiles, & idonei haberentur, quibus utinam Provincia Sicula nunquam careret! Miſſurum ſe fuiſſe lubenti animo, quem flagitâſſent, Franciſcum Piccolomineum, eo tamen aliis curis implicito, delatam fuiſſe Provinciam Thomæ Reynæ, homini non ignoto, & Sicularum rerum ſcientiſſimo, ſacras quippe conciones cùm Panormi, tum Meſſanæ olim habuerat. Illud quoque eſt inculcatum; quando unum, aut alterum Provinciæ domicilium duodenis alendis impar eſſet, ut præverterentur incommoda, quæ exinde oriri poſſent. Ad ea Mutius. Mirari ſe, quod ea domicilia nominatim non appellentur, neque cauſæ declararentur, cur duodeni non incolerent. Ceterùm quæ prætermiſſa eſſent, Provinciæ Antiſtes exponeret, & quæ conſtituerentur, expectaret. Rogatum eſt præterea, ut Fratres ad publicum ſacramentum, exacto decennio, non evocarentur, niſi quadriennium ſaltem rei culinariæ dediſſent. Viſa eſt Mutio parum commoda poſtulatio, & ad Provinciæ Rectorem rejicienda. Quid ſi ad utiliora eſſent idonei? Quid ſi valetudine, aut corporis imbecillitate prohiberentur? Nonnulla inſuper adjecta ſunt, quæ ad litterarum, & morum diſciplinam pertinerent, quæ omnia Mutius ad leges, & conſuetos Societatis, & Provinciæ mores referri juſſit. Demum redintegratæ ſunt preces, ut ſacri honores Bernardo Colnago decernendi curarentur. Repoſuit Mutius, in eo priùs laborandum, ut Provinciales Pontifices forenſia Colnagi acta conſcriberent, quàm Romana Curia interpelletur, eo potiſſimùm tempore, quo Regnantis Urbani decreta prodierant, quibus cavebatur, nè ante annum quin-

Provinciæ poſtulationes Romam deferendæ.

Præſertim nè alienigenæ Provinciæ præficerentur.

Mutii Vitelleſchi ad ſingula reſcriptum.

quinquagesimum ejusmodi actiones Romæ instituerentur. Adjecta est extra ordinem postulatis, quinque Collegiorum professio, quam superior census non complectebatur. Profitebatur fide publicâ Collegium Siclense, alere se posse Socios quatuor, & triginta. Totidem Collegium S. Francisci Xaverii Panormitanum, Mutycense quinque supra viginti; Salemitanum quatuor, & sexaginta; Collegium S. Francisci Xaverii Mamertinum admodum sexdecim.

Quinque Collegiorũ instituta Professio Romam mittitur.

IX. Illustrium virorum numero, quos hoc anno desideravit Provincia, princeps est accensendus P. Balthasar Bernardus Narensis, etsi peregrè extinctus, inter barbaros extra Provinciam morbo decessit. Anno ætatis duodetrigesimo, sacrarum litterarum studio nondum decurso, Siciliæ, & Europæ valedixit, atque anno 1634 ad Orientis Insulas navigavit, quarum ei Mindanaus, inter Philippinas maxima obvenit. Navigationem nactus est in Oceano diuturnam, gravem, & procellosam, in qua biennium periculorum, ærumnarum, ac valetudinum plenum collocavit. Reliquos sex vitæ annos perpetuis ægritudinibus afflictus, inter barbaros Mindanainos transegit, vires corporis magnitudine animi sustentans. Mirum est, rerum omnium inopiam, quàm facilè perpessus sit, & quantâ alacritate infirmus, & propemodum elinguis Christiana officia administraverit, donec deficiente naturâ, in ipso maximorum laborum æstu, V. Nonas Maji eum vita reliquit, annos natum quatuor, & triginta. Dignus est etiam, de quo commemoretur P. Dominicus Bambara, Guidomandri natus, quod est Mamertinæ jurisdictionis propè Scalettam oppidulum, qui anno ætatis quinto supra trigesimum jam Sacerdos Mamertinis tironibus est aggregatus, sed profanis, divinisque litteris tam probè eruditus, ut extra Societatem, sacram Doctoris lauream sit consecutus, & in ea anno 1632 quatuor Votorum sacramentum dixerit. Quam secum adduxerat morum elegantiam, & christianæ virtutis scientiam apud nos usquèadeo auxit, ut emenso vix tirocinio, ad Mamertinam Domum translatus, ibi conquieverit, veteranis longè laboriosior, & utilior. Marianam, quam *Ministralium* vocant, Sodalitatem perpetuò curavit, eamque ad eum splendorem, numerum, ac disciplinam provexit, ut florentissima inter florentes haberetur. Sodalibus verò ita præfuit, ut & ipse singulos tanquam filios impensè foveret, atque amaret, & ipsi eum veluti patrem observarent, ac vererentur, atque assiduè, moroséque objurgantem non ferrent modò, sed quàm maximè etiam diligerent. Magno etiam

P. Balthasar Bernardus apud barbaros Mindanainos strenuè vitam relinquit.

P. Dominicus Bambara jam Sacerdos Societati se devovet.

Ejus in Domo Mamertina labores, & pietatis officia.

etiam apud sacras Virgines fuit in honore, quas concionibus, & salutaribus consiliis, gratuità semper operà juvit; nam ex eorum claustris nihil unquam, vel minimum ad se pervenire passus est. Ex hac ejus temperantia magna Domui Mamertinæ annona provenit, ad quam assiduæ, uberrimæque largitiones, ejus potissimùm gratià conferebantur. Nihil a strenuo Societatis milite, tam alienum putabat, quàm aliquando cessare. Nugas propterea, inanesque confabulationes summopere vitavit, neque ulla fuit diei, noctisve pars, præter modicam quietem, quam naturæ desiderio indulgebat, in qua publico perfunctus munere, vel Bibliothecæ non daret operam, vel ante divinam *Eucharistiam* de genu supplicaret. Quantùm sibi inimicus, atque despectus, tantum erga alios jucundus, atque benevolus, neminem a se tristem dimisit, & si pauper esset, indonatum. Ad finitima oppida excurrere consuevit, eaque ad Christianæ disciplinæ cultum incendere. Novissima ejus excursio Tauromenitanis saluberrima fuit, sibi utique fatalis. Quum enim ibi veris initio, mensem posuisset, & inter maximos labores, diurnos, atque nocturnos, neque famem interdiu jejunus, nisi modicà cœnà pacaret, neque justi soporis solatium naturæ permitteret; ut Messanam regressus est, languentibus paulatim viribus, febricula extitit, quæ vigesimo ferè die decumbentem peremit. Naturà formidolosus, & mortis, dum vixit, admodum metuens, mirabatur, tantam sibi inesse morienti lætitiam animi, quæ ex ore, & oculis redundaret. Supremis lustratus religionibus, & morti proximus, nullo tamen amisso corporis sensu, visus est interdum leni risu, exultantibus oculis, & plaudens manibus, quasi rem jucundissimam, atque optatissimam intueri, rogatusque, an sibi adesset Dei Mater quam religiosissimè semper coluerat, velut annuens subrisit. Eà ipsà horà, qua Nostris omnibus lecto adstantibus, cœlesti Viatico donatus est, quum Christianis execrationibus lymphata mulier lustraretur, scisciranti Sacerdoti: *Cur Dominico Bambarà mariente, ad eas epulas non accurrerent*, respondêrunt malæ furiæ: *Accurrisse se quidem, sed crocitantes, qui circa lectulum cum candelis aderant, corvos ferre non potuisse, seque inde ejecisse*. Elatus est Nonis Junii, annos natus sex, & quinquaginta, primo, & vicesimo ab inita Societate. In extincti cubiculo nihil non commune, aut singulare repertum est, præter vulgarem Christi morientis Imaginem, lignea in cruce depictam. Quum efferretur, feretro apparuere Mariani Sodales cum funalibus supra bis centum, qui & funeri interfue-

Bambaræ virtutes, & in excolendis sacris Virginibus solertia, ac temperantia.

Ex sacrarum excursionum laboribus morbū contrahit.

Morienti Deipara se ostendit.

Præcipuis honoribus funus ejus celebratur

fuerunt, & exequias lacrimis sunt prosecuti, & quæ circa corpus essent, amoris, & religionis gratiâ abstulere.

F. Franciscus Petrus Messanæ sanctissimè moritur.

X. Maturo satis fato ibidem tumulatus est Frater Franciscus Petrus, Savocæ ortus, in Mamertinæ jurisdictionis Pago, qui apud Antoninum est *Tamaritium Palmarum*. Nullam in eo quisquam virtutem desideravit, quæ Fratres Societatis Adjutores maximè deceat. Secutus est enim vitæ genus humile, laboriosum, religionibus deditum, & inopiæ, ac parsimoniæ studiosum. Apud Mamertinos tirones annos quamplurimos emendatissimè meruit, quo tempore Sanctorus Arcudius, externus spectatæ probitatis Sacerdos eò secesserat, & hospes consederat, qui Franciſci consuetudine, & virtutum admiratione captus, præsertim quum supremo in morbo molesto, ac diuturno, ejus operâ uteretur, quòd cœlestis homo admirabili caritate sibi adesse, ac ministrare videretur; tirones Mamertinos fortunarum suarum hæredes, testamento moriens scripsit. Ultimum vitæ actum Franciscus Petrus, in Mamertina Domo grandævus jam, & æger spectandum dedit, ubi ad domestica munera parum idoneus, Domo exeuntibus perpetuus comes additus est. Quo in labore officii sui partes tam accuratè præstitit, ut palliatus singulis ad januam præsto esset, neque ullum fuerit, summâ etiam hieme, diei, noctisque tempus, quo ætatem, aut ægritudinem excusaret, quominus claudicans, & utroque vestigio titubans sedulam requirentibus navaret operam. Supremum vitæ triennium magnis in molestiis, atque doloribus patienter exegit. Extremis enim manuum, pedumque articulis marcescentibus, atque olidâ sanie manantibus, neque ingredi poterat, neque vestes exuere, neque cibum ori admovere, neque sibi per se vitæ officia administrare, neque quemquam reperire, quem non odor fugaret. Quare interdum sedens, identidem indutus somnum capere, sæpè oblivione, aut casu, diem jejunus transigere, quotidie chirurgi manum, & ferrum, putris caruncułæ corruptelam amputantis, & ossiculorum cariem abradentis, sublatis in cœlum oculis, lætantis vultu perferre. His in ærumnis, & cruciatibus, nunquam lætior, quàm quum vehementiùs torqueretur, Deum animo cernens, & in voluntatis ejus numine suavissimè conquiescens, nonis Sextilibus, annum ætatis numerans septimum, & septuagesimum, mortalem vitam cum æterna commutavit.

Ejus virtutes, & ex iis relati fructus.

Singulis domo exeuntibus, vel claudicans ad januam comes præsto fuit.

Ejus in ferèdis doloribus patientia singularis.

XI. Uberiorem scribendi copiam suppeditant P. Pauli Franciſci præclarissimæ res gestæ, quas accuratè executus est

Tor-

Digitized by Google

Tornamira, a quo in eo dissentit Riela, quod funus ejus anno, qui proximè consequitur, 1643 assignat. Ortus est Bisbonæ, anno 1566, obscuris parentibus, eò tamen illustribus, quòd talem filium edidere. Anno ætatis quinto ultra vicesimum, Tirocinio Mamertino, anno 1591, eà conditione additus est, ut perpetuus esset Ludimagister, & in pueris erudiendis, totius vitæ operam collocaret, idque P. Bartholomæus Riccius, qui Provinciam administrabat, in Tironum codice adnotari jussit. Neque per eum stetit, quin molestum, laboriosum, & humile munus ad canos usque eà, qua aggressus fuerat, alacritate retineret. Verùm Sacerdotio initiatus, quintum vix annum in ea palæstra consumsit. Talis enim in eo eluxit prudentiæ, probitatis, ac fidei abundantia, ut P. Jacobus Dominicus Rector Provinciæ, eum Aquavivæ litteris, strenuè reluctantem, & Riccii decretum frustra opponentem, a ludo distraxerit, & anno 1606, ad Collegii Rhegini magistratum traduxerit. Magnum ibi temperantiæ, fidei, mansuetudinis, caritatis theatrum, ut domesticis, ita externis aperuit. Morum candor, atque suavitas, omnibus domi, forisque gratificandi studium, recta cogitandi, sentiendique æquabilitas, remotus ab avaritia, & avaritiæ suspicione animus, communis, atque gratuita misericordiæ, & salutarium consiliorum administratio, Rheginos ita sibi conjunxit, ut nihil eo nesciente, aut inconsulto moverent; atque omnia ultrò conferrent, quæ ad sublevandas rei domesticæ angustias, & commoda suppeditanda pertinerent. Annibal Afflictus Rheginus Pontifex, magnus virtutum, & hominum cognitor, & æstimator, atque ipse probatissimus, eum sibi animi Ducem, ac magistrum admovit, & dicta ejus, tanquam ex ipsius Dei ore missa verebatur. Unum, & alterum triennium eo in honore continenter versatus, invitis omnibus, sese indè subduxit, ad Collegii Thermitani Selinuntiorum initia, post P. Paulum Cajetanum, evocatus, qui magistratu proximè abierat, vir, cujus nomen apud Thermitanos est in paucis clarum, & magnum, dignus propterea, qui P. Paulo Francisco sui simillimo, munus transmitteret. Hoc in honore, quæ apud Rheginos optimè gessit, emendatiùs etiam, atque elegantiùs cumulatissimè administravit, nulla enim fuit sapientissimi, sanctissimique Rectoris virtus, quam non exereret. Quibus artibus Selinuntiorum voluntates, ut nemo alius, sibi devinxit, ac Societatis rem, & nomen amplificavit; Joannem Baptistam Perollum Collegii Conditorem, ex amico amicissimum fecit, & ad ponenda insigni ceremoniâ Templi, ac Domicilii fundamen-

P. Paulus Franciscus eà conditione Societati adjungitur, ut perpetuò pueros erudiat.

Lib. 1. Tirocin. Mamertini ad ann. 1591.

Propter eximias ejus virtutes, a ludo distrahitur, & Collegio Rhegino præficitur.

In eo magistratu gerendo sobrietas, & virtutum concentus.

Ad Thermitani Collegii initia Rector evocatur.

Ejus operâ, illius Collegii Templum, ac Domicilium amplificatur.

Digitized by Google

menta nummis ad id percussis, excitavit, ædificationem instituit, censum explicavit, sacram supellectilem ad splendorem adduxit, suis exemplo magis, & labore, quàm potestate antecessit, ac contrà quàm plerique faciunt, absentibus nunquam obtrectavit, sed eorum famæ, & existimationi maximè studuit, virtutes commendavit, elevavit naturæ vitia, errata excusavit; sed præsentes sine arbitris, si quid esset reprehendendum, coram admonuit, tanquam singulorum honoris custos, atque defensor, & culparum omnium insectator. Quo factum est, ut nemo eum non ex animo diligeret, cui se paternæ caritatis studio carissimum esse non ignoraret. Sed homo parendi cupidus, crebris litteris ab Aquaviva contendit, ut privatæ sibi vitæ gratiam faceret, & impetravit. Catanam proinde translatus, annos ibi undetriginta privatus exegit, nisi quod anno 1622, Mutii Vitelleschi litteris, ejus Collegii magistratum adire jussus est. Quod quum inopinatò, & contra voluntatem accidisset, atque ad Mutium rescriberet, rogaretque, ut quieto sibi per eum esse liceret, ostento est deterritus, quominus delatum sibi onus recusaret. Magna erat illi familiaritas cum quodam ex cucullatis, barbatisque Seraphicis *Cœnobita*, eximiæ probitatis, ac religionis viro, cui summa Dei Mater sese ostendere solebat; ab eoque enixè petierat, ut quum primùm sui copiam ea faceret, ex illa quæreret, quid in Pauli Franciſci moribus divinis oculis displiceret, aut qua potissimùm in re ei gratificaretur. Quod quum ille fecisset, respondissetque *Deipara Virgo desiderare se in Paulo Francisco obedientiam*, ad eum statim venit nunciaturus, quæ de cœlo accepisset, & litteras ad Mutium dantem reperit; quas Franciscus satis intelligens, quorsum ea *Deipara* verba spectarent, illico concerpsit, & concremavit, ac magistratum capessivit, inter laudatos laudatissimum. Quamdiu Catanæ fuit, Marianam Nobilium Sodalitatem regere non intermisit. Rexit autem annos ferè triginta, nobilitati eò usque gratiosus, ut digito Patritius notaretur unus, aut alter, qui nomen non dedisset, neque disciplinam ejus sequeretur. Cæterùm non aliter ad eum omnes confluebant, quàm si Nobilis, & Christianus non haberetur, qui non ad Marianum ejus Sodalitium ventitaret. Mirum autem fuit, hominem minimè negotiosum, silendi, latendique cupidum, Deo deditum, & ab humanis rebus prorsus alienum, qui domo nunquam pedem efferret, neque quemquam adiret officii causà, ab omnibus ita consuli, ut arbiter esset negotiorum, lites secaret, simultates componeret, omnia nutu dige-

Ejus in magistratu comitas, & prudentia singularis.

Memorabilis temperantiæ ejus notitia.

Collegii Catanensis magistratum recusans, ostento deterretur.

A Deipara per barbatum Cœnobitam admonitus magistratum capessit.

Catanæ Nobilium Sodalitatem summa cũ laude rexit.

Ejus in rebus gerẽdis eximia dexteritas.

Digitized by Google

reret, præter nuptiarum concordiam, quibus conciliandis adduci non potuit, ut adesset. Nullius rei tam parcus, quàm temporis, quæcunque negotia, ut ardua, & impedita, paucis pro re nata verbis ex tempore explicabat, sed adeo compositis, atque selectis, ut si rem longâ meditatione consumsisset.

Ejus gratiâ, Joannes Torres Osorius, Pontifex Catanensis B.P.Ignatii Templi ædificationem adjuvat.

XII. Joannes Torres Osorius, Pontifex Catanensis, in gravissimis etiam causis decernendis, non aliâ re tam movebatur, quàm quòd P. Paulus Franciscus ita, aut secus censuisset. Quem quantifaceret, ex eo judicari potest, quod quum a P. Paulo audivisset, flagrare eum desiderio incredibili ponendi Catanæ Templum B.P.Ignatio; aureorum se decem millia collaturum receperit. Sed paulò post ad ampliores Insulas in Hispaniam evocatus, non immemor pollicitationis, pretiosum currum, sub hasta vendidit, ut mille aureos repræsentaret, & desiderio ejus satisfaceret. Homo minimè tristis, & severus, sed apertus, jucundus, & facilis, litterarum verò, nec planè rudis, neque in primis scientissimus, neminem tamen semel est allocutus, qui non ingenuam, & intimam ejus sanctitatem deprehenderet, ac prædicaret, etsi interdum nonnisi unum, aut alterum verbum ex ore ejus eliceret. Quod quemadmodum fieret, non erat, qui assequèretur. Sed ex eo factum arbitror, quòd elucéret in verbis ejus divinitatis in eo residentis, & linguam excitantis auctoritas. Nam præter assiduam, & omnium horarum cum Deo conjunctionem, quinque ut minimùm, sed plerumque sex clepsydras per intervalla de genu, & manibus ante pectus conjunctis, quotidie supplicando exhauriebat. Quo tempore divina pati, cœlestia cognoscere, & cum cœlitibus per speciem colloqui consuevit. Ei enim sæpenumero jam B. P. Ignatium, jam Franciscum Xavierium, jam manes, qui lustrali igne exercentur adstitisse, disertus est auctor Tornamira, qui res ejus gestas volumine comprehendit. Sed quæ sanctorum virorum est sapientia, inter cœlestes honores, atque delicias, unus uni sibi inimicus, corporis, animique dolores non patienter modò tulit, sed omni ex parte captavit. Asperum, hispidumque cilicium, quod ab humeris, & brachiis ad poplites descenderet, ab adolescentia intimè indutum nunquam exuit, nisi ager, nè Fratres animadverterent, aut quum setis usu attritis, mutandum fuit. Quod quum ei exprobraret lymphatus homo, quem sacris exercebat obtestationibus, per contumeliam adjecit: *Nunquid erit obtemperandum homini horrido, hirto, spinoso?* Jejuniorum consuetudinem a primis annis institutam, ad effœtos usque canos produxit, non usitatam modò,

Privatis colloquiis plurimùm prodest.

Cœlestis ejus vitæ admirabilis consuetudo.

Tornamira in Vita inedita P. Pauli Francisci.

Quæ fuerit ejus in cruciando corpore ratio, & austeritas.

Digitized by Google

dò, atque communem, sed præcipuam, & singularem, magno cum delectu dierum, atque ciborum; quem præsertim adhibuit in bacchanalibus, quum religiosi etiam viri, sibi ante summum jejunium, nonnihil indulgent: tunc enim nil, præter unum admisit obsonium, modicum, atque vulgare, nè in communi satietate, aliquem desiderari contingeret, qui cum Christo esuriret. Recentium pomorum appetentissimus, quum Catanæ esset, ex domestica vite pendentem uvam adamaverat, & naturæ desiderio victus, cubiculo demum exierat, ut ad racemum legendum properaret. In ipso tamen carpendi conatu, quasi evigilans se respexit, & intemperantiæ accusavit, eamque sibi pœnam constituit, ut nunquam deinceps, quovis anni tempore, neque uvam, neque fraga, neque ulla poma gustaret, & in proposito annos quamplurimos, ad mortem usque permansit. Rhedam nunquam conscendit, nedum ætate florens, & integer, sed neque senex, & infirmus: rogatusque precibus omnibus, ut vehi sineret summà hieme, densis tenebris, nimbis ruentibus, & quum Collegium quàm longissimè abesset, respondit, voti se religione prohiberi, vel si ex itineris labore, vita deficeret. Quum magnum, atque vetustum intumescentis poplitis tuber ferro, & igne secaretur, neque dolorem gemitu, aut mærore indicavit, neque ullam prætermisit exultantis animi significationem, ut si acerrimo cruciatu quàm maximè delectaretur.

Jejunandi assiduitas ad extremos usque canos deducta.

Recentium pomorum, & Rhedæ usum sibi perpetuò interdixit.

XIII. Jam verò motus animi ita ab initio fregerat, atque pacaverat, ut nihil illi gravius accideret, præter honores. Post Catanensis Collegii magistratum, imis precibus impetravit, ut reliquum vitæ spatium privatus transigeret. A Catanensi Pontifice accersitus, quum aditum expectaret, ab aulicis parum cognitus, ludibrio habitus est, & contumeliâ affectus. Tum manibus, oculisque sublatis exultans, & ad Socium conversus, nihilo perturbatior, sed cœlesti quadam oris alacritate: *Utinam*, inquit, *eo, quo famuli, verborum apparatu, Dominus me quoque exciperet!* Quum ante Christi in cruce morientis signum supplicaret, tricesimo jam die, vocale quoddam murmur aures ejus pulsabat, quo admonebatur, ut *Famâ, & existimatione Christo litaret*. Neque tamen obsequi audebat, veritus, ut id sine Societatis dedecore contingeret. Sed eádem voce iterum, atque iterum requisitus, quidquid honoris, ac famæ penes se esset, denique Christo concessit, inquiens: *Fiat voluntas tua. Ceterùm Societati, quam nemo alius cariorem haberet, ipse prospicies*. Vix ea, mente conceperat, quum

Admirabilis ejus, ac insignis tẽperantiæ monumenta.

Ut famâ, & existimatione Christo litaret, divinitus admonetur.

Ea de re diu, multùmque deliberat; ac tandẽ Christo concedit.

Digitized by Google

per legitimum nuncium redduntur litteræ, in quibus erat, se ad religionis causam dicendam, Panormum citari. Postulatus autem fuerat apud religionis Censores violatæ *Eucharistiæ*, quòd quibusdam ad sacram mensam accedentibus, pro una, singulis duas appositisset buccellas, quasi perperam de cœlesti mysterio sentiret, putaretque, & fortè etiam doceret, plus duabus inesse, quàm uni, virtutis, ac sanctitatis: neque totum in una cœleste Convivium contineri. Tum demum Franciscus comperit, quid ea Christi vox sibi vellet. Panormum ad ignominiam profectus, incredibili bonorum omnium dolore, sed insigni oris, & animi sui hilaritate, quæ innocentiam testaretur, se judicibus offert. Non inficiatur, id a se factum esse, de quo nullà adhuc lege cautum esset, nè fieret. Rogatus autem quare id fecisset? non alia de causa, respondit, nisi ut Christus sub panis specie latens diutiùs in eo permaneret, qui plures buccellas sumsisset. Sed nihil tam ejus innocentiam declaravit, quàm hominis aspectus, admirabilem præferens mentis, animique candorem, quem judicibus vel silens ita probavit, ut indemnem, atque magnificè laudatum dimiserint, datis etiam Catanam publicis litteris, quibus ignominiam excusarent, & eximiam ejus virtutem, ac probitatem, compertam sibi, atque exploratam docerent. Certiùs tamen, & luculentiùs de cœlo est significatum, quæ, & quanta fuerit P. Pauli Franciscì innocentia. Catanam enim magno gratulantium Patritiorum comitatu ingredienti, Nobilis delatoris feretrum occurrit, qui paulò ante extinctus, lugubri pompà efferebatur. Quem casum ita interpretati sunt Catanenses, ut si nihil ab ostento distaret. Mirum quantum ex eo tempore sanctitatis ejus opinio, non eam modò Civitatem, sed universam quoque Siciliam permeavit. Nam, & Patriarca Secusius, & Maximus, Catanenses Pontifices, nutum ejus veriti sunt, & ex remotis etiam Civitatibus, ejus visendi, & consulendi gratiâ, gravissimi viri confluebant. Apud Catanenses verò quoties publicè dixit, maximi ad eum concursus facti sunt, nec sine lacrimis audiebatur. Pupillorum, & *Reparatarum* Collegia ad nutum ejus instaurata, & ad lautum censum deducta sunt. Ejusdem operâ, *Cœnobitis* emendicantibus, crebris subventum est largitionibus, & B. Agathæ cultus amplificatus, quem P. Bartholomæus Petracius exsuscitaverat. Neque pecuniæ parcebatur, modò ille significaret. Cumulavit virtutis existimationem futura, & occulta enunciandi facultas. Nam aliis diem, & horam funeris, aliis prosperos, aut infaustos eventus, aliis litium, vel nuptiarum

Apud Religionis Censores violatæ Eucharistiæ postulatur.

Panormum ad causam dicendam evocatur, & ejus innocentia declaratur.

Catanam repetit, & ejus innocentia ostento confirmatur.

Quæ deinceps fuerit ejus apud omnes sanctitatis opinio, & quinam sint ex ea relati fructus.

Admirabilis ejus futura, & occulta enunciandi facultas.

Digitized by Google

rum exitum vaticinio prædixit. Longum esset nobis, ad fatum ejus properantibus, nuncupare singula, quæ ad prodigia referri possunt, atque etiam virtutes. Nihil tam laborabat, quàm nè cuiquam gravis esset. Insanabili olim gangrænâ Drepani tentatus, quæ faciem depascebatur, & morbi diuturnitate, magnum efficiebat domesticis dolorem atque molestiam, Drepanitanam *Deiparam* de nocte oravit, nè fratribus molestus esse pergeret; & cum luce convaluit. Eo casu admonitus, a Deo quotidie petere consuevit, nè suprema valetudo prolixa contingeret. Neque non impetravit; quoniam Calendis Novembribus, peracto sacrificio, & Marianis Sodalibus consalutatis, cœlesti pane recreatis, & mutuis lacrimis quodammodo valere jussis, anno ætatis quinto, & septuagesimo, III. Nonas, repentino propemodum fato, & nullius incommodo, exanimatus est, inaudito Civitatis luctu; quæ non modò privato funeri cum *Canonicorum* Collegio, & Marianis Sodalibus atratis, & funalia manu gerentibus, frequentissima adfuit, & feretrum compilavit: sed octavo etiam die, defuncto solemni ceremoniâ parentavit. Amplissimum enim excitatum est Cenotaphium, ardentibus omni ex parte ceris instructum, & operante cum suis *Cœnobitis* Benedictini Ordinis, S. Nicolai in Arena, Antistite, extincti virtutes, coram Senatu, & Principibus Civitatis, egregiè laudavit P. Innocentius Ansalonius *Minorita*, cujus eloquentia plurimùm eà tempestate valebat, & eo die communibus, atque lubentibus lacrimis, ultra horæ spatium, non pepercit. Septimo ferè ab obitu mense, coruscâ luce fulgentes, in conspectum dedere se manes ejus morienti Matronæ, cujus animum vivens Catanæ excoluerat, & de se plurimùm metuentem, deque divini Judicis severitate laborantem, his verbis confirmârunt: *Quid vereris filia? Mitissimum supra quàm credi potest, habemus Dominum.* Plura, & magna ejus, & vivi, & mortui cœlestia numerantur beneficia, quæ petentibus a Deo impetravit; eorum meminit Tornamira: festinantibus tamen nobis satis est, ea universim attigisse.

Gangrænâ laborans, Drepanitanæ Virginis beneficio, extemplo liberatur.

Nullâ domesticorum molestiâ, Catanæ moritur, & magnificis exequiis ornatur.

Manes ejus radiantes nobili Matronæ se ostendunt, eamque de se metuentem, confirmant.

XIV. In Collegio demum Panormitano, ubi annos ferè triginta virtutum omnium laude inclaruit, summum vitæ spatium confecit Frater Natalis Vita, apud Thermas natus Selinuntias, anno 1569. Annum agens undetrigesimum, Panormi aggregatus est nostro numero, & quam ab initio instituit laboriosæ, piæque vitæ rationem, ad extremam usque senectutem non retinuit tantùm, sed novis in dies incrementis, amplificavit. Cum primis, qui Collegium Thermitanum incolerent, pe-

Frater Natalis Vita, Panormi ut vixerat, sanctissimè moritur.

Digitized by Google

pene tiro in Patriam missus, domestica omnia obsequia unus, & solus sustinuit, & ex eo tempore virtus ejus apud populares etiam suos magno in pretio esse cœpit. Ad Collegium Panormitanum inde evocatus, nullum fuit actuosæ vitæ munus abjectum, & humile, quod non sibi vendicaret, & suum esse vellet. Omnium, & singulorum veluti famulus quidquid, petentibus etiam privatis, injungeretur, beneficii loco assignabat, atque ita afficiebatur, ut si gratissimum nuncium accepisset. Ex quotidiana plurium annorum delassatione, gibbus adeo enormis rarà brevitate senem curvaverat, ut aversi ejus caput non appareret, & procùl intuentibus, nihil extare humeris, nec nisi ambulans truncus videretur. Scopas tamen de manibus nunquam posuit, & purgandæ amplissimæ Domùs curam tam naviter administravit, ut nulla essent aranea in abditis etiam locis, & infrequentibus, quæ oculos, & manus ejus effugerent. Dictus propterea est auceps, & hostis araneorum. Miserrimè semper habitavit (nullum enim habuit, quod sui juris esset, cubiculum) & in apertis, obscurisque angulis, quos identidem mutabat, nè diuturnà consuetudine afficeretur. Ajebat autem, neminem laxiùs habitare, quòd totum prægrande Collegium Panormitanum, unum ejus esset cubiculum, & interdum etiam cubile, quum somnum ubique caperet jam sedens, jam modicè caput acclinans. Ceterùm interdiu nunquam quiescere, noctes in Templo ante divinam *Eucharistiam* de genu exigere solitus est. Sed quamdiu inter nos fuit, tanta erat ejus in occultandis maximis virtutibus, & cœlestibus beneficiis reticendis industria, ut non aliam vivus, quàm laboriosissimi fratris laudem retulerit. Eo tamen mortuo, cognitum est, inter illustriores Provinciæ Fratres numerari potuisse. Quàm fuerit Deo carus, & intimè conjunctus, plurimis ostentis est declaratum, quorum duo exequar, quæ ex luculento Tornamiræ testimonio fidem habent, missis reliquis, incorruptam. Narrat itaque, accepisse se ex P. Josepho Landolina Nætino, qui utriusque æqualis fuit, hæc ipsa verba: *Minister quum essem Collegii Panormitani, quo in munere septem continenter annos versatus sum, & singulis festis diebus, sacram pro more* Eucharistiam *Fratribus administrarem, in quibus erat Natalis Vita: accidit semper, ut me ad eum accedente, Christus in ea latens non expectaret, dum in os ejus consecratum panem inferrem, sed e meis digitis, suâ sponte sè proriperet, & ad eum hiantem advolaret. Illud initio, casui assignabam; & nè contingeret, cœlestem*

buc-

Ejus in sustinendis Fratrũ obsequiis constantia singularis.

Religiosæ inopiæ cultor eximius.

Egregia ejus in occultandis maximis virtutibus temperantia.

Tornamira virtutes, & exẽpla Nostrorum tom. 3. pag. 209. num. 48.

Singularis ejus erga Eucharistiam religio, mirabili ostento confirmatur.

Digitized by Google

buccellam tenacissimè adductis digitis comprimebam, sed nullâ vi effiuere potui, ut eam retinerem, quin ultro effugeret, & in os ejus illaberetur. Atque id quidem non semel, aut iterum, sed millies ferèper septennium sensisse me, ac vidisse, sine lacrimis commemorare non possum, aut etiam meminisse. Decesserat in Collegio Panormitano, Nonis Octobris, quum sacris litteris daret operam, anno 1614, Cæsar Lauricella Agrigentinus, in quo virtutis spes, & indoles elucebat, candidissimis moribus adolescens. Hic biennio propemodum elapso, *Cœnobitæ*, qui discipulus ejus fuerat, sese ostendit, tristi admodum specie, flammis involutus, aitque, summo Dei beneficio ad eum se missum, ut ejus, & per eum aliorum opem peteret. Properaret itaque ad Collegium Panormitanum, & Octavium Cajetanum ejus Rectorem admoneret, nè gravaretur, Patres, Fratresque ad sui commiserationem excitare, qui altero jam anno piaculari igne miserrimè torqueretur. Præcipuè tamen Natalem Vitam deprecatorem adhiberet, cujus magna esset apud Deum gratia, & intimæ familiaritatis consuetudo. Indicta sunt sacrificia, & sacræ deprecationes. Sed Deus, cui per Lauricellam, & externi *Cœnobitæ* testimonium, amici sui sanctitatem declarare placuerat, effecit etiam, ut nemo ignoraret, quanti apud se preces ejus fuissent. Nam ante divinam *Eucharistiam* pernoctanti, & pro Lauricella enixè oranti adstitere defuncti manes, cœlesti luce scintillantes, qui maximas ei gratias egerunt, jusseruntque, ut Octavium Cajetanum certiorem faceret, nè piæ suffragationes diutiùs agerentur. Verùm clariora probatissimi viri facinora summa ejus obliterávit temperantia, & oblivioni commisit. Inter maximos dolores consumtus est VI Calendas Januarias, anno ætatis tertio, & septuagesimo, quum Natalem Christi diem, cujus ipse nomen gerebat, & eximius cultor fuerat, sanctissimè exegisset. Mirum autem fuit, neque quisquam reperiebat, qua ratione factum sit, ut ad domesticum obscuri hominis funus, & externis parum cogniti, qui plures jam annos domi se continebat, tanta hominum turba convenerit, sanctitatem ejus conclamantium, quem nè de nomine quidem nôssent, confluentibus etiam viris Principibus, & primoribus Civitatis, & magnà vi certantibus, ut de tunica, & feretro ejus aliquid decerperent. Neque pauca sunt consecuta cœlestia beneficia, de quibus disertè commemoravit Jacobus Riela.

Alterum sanctitatis ejus præclarum testimonium.

Cæsaris Lauricellæ manes, Natalis Vitæ precibus piaculari igne eximuntur.

Magna virtutis ejus præstãtia, quam studiosè occultavit.

Funus ejus celebratur, feretrum diripitur.

Riela Chronologia Provinciæ Siculæ ad annum 1642.

XV. Jam ab anno 1632 Petrus Borghius Romanus, quum Melitam ad negotia domestica navigaret, & in Domo Mamerti-

Petrus Borghius in Domo Mamertina hospes extinguitur.

tina hospes diversaretur, gravissimâ valetudine diu exagitatus, ibidem conquieverat, & honesto funere terræ mandatus fuerat. Sed P. Nicolaus Gusmanus, qui Domui præerat, tantâ curâ hospitem advenam, infirmum, & pecuniâ defectum habuerat, & neque impensæ, neque labori parcens diu, noctuque rebus omnibus juverat, ut ille moriens codicillos ad suos dederit, qui erant hujusmodi: *In Domo Mamertina morior alioqui lætus, quòd inter sanctos, & cœlestes homines morior, neque alia de causa vivere cuperem; nisi ut hospitibus meis, qui mihi omni officiorum genere, ut fratri, ut filio, ut Patri præsto fuerunt, gratiam referrem, quam tamen hæredum meorum fidei habendam, & persolvendam relinquo.* Quare Nicolaus Balducius Borghii Patruelis, & hæres, Domùs ejusdem Templo argenteum magni ponderis, & insignis cælaturæ Calicem, ad Sacrificii usum, superioribus annis dono misit; neque verò, aut liberalitatem, aut gratum animum eo munere exhausit. Nam hoc item anno ab eo ad Domum Mamertinam argenteum Christi morientis signum pervenit, conspicuæ magnitudinis, cujus esset ex ebeno crux, & basis, argenteis vermiculata emblematis, & coronis ornata, atque inscuplta litteris, cum hoc elogio: *Ecclesiæ S. Nicolai Domùs Professa Mamertina Societatis Jesu, quòd Petrum Borghium Romanum, anno 1632 ægrotum perhumaniter hospitio, mox vita functum tumulo exceperit, Nicolaus Balducius Presbyter Congregationis Oratorii de Urbe, Petri Sobrinus, & hæredis hæres, hoc fecundum sui animi monumentum D. D. D. anno salutis* 1642. Hunc Domus Mamertina sub optimo Antistite, hospitii, & caritatis fructum tulit.

Ejus erga nostros gratus animus, & liberalitas.

Collegii Tauromænitani institutio, ac dimissio.

XVI. Congruunt cum hoc anno initia Collegii Tauromænitani, quod variâ fortunâ semel, atque iterum inchoatum, atque intermissum, denique extinctum est. Liceat tamen pluriùm annorum eventus unâ, & continenti narratione comprehendere. P. Cæsar Boscus nobilissimo genere Tauromænio oriundus, qui Provinciæ præerat, ardebat desiderio incredibili constituendi apud originem suam Domicilii Societatis. Egit proinde cum cognatis, atque gentilibus, quorum plurimæ erant in agro Tauromænitano possessiones, ut duo ad id prædia designarent, ex quibus annui quinquaginta supra ducentos redirent. Quinque etiam aureorum millia contulit Buteræ Princeps, quibus collocatis auctus est census. Accessit anno 1650 ex Francisci Caropardi testamento, ejus hæreditas, in cujus domum P. Paschalis Paulinus Messanensis Colonium de-

A P. Cæsare Bosco Collegio census constituitur, & ab aliis augetur.

Digitized by Google

deduxit, & Templum, ac Scholas publicavit, quas deinde in ampliores ædes, pretio redemptas cum Colonia transtulit, quæ usque ad annum 1658, ibi consedit. Sed loci infrequentia, tenuitas censùs, & injucunda commoratio, vivo etiamtum Cæsare Bosco, Nostros ex oppido pepulit. Tum Cæsar, dimisso jam domicilio, P. Carolum Russum Tauromænitanum eò misit, qui bona procuraret, & ad Collegium Mamertinum ea pertinere, suo jure declaravit. Cæsare autem e vivis erepto, Collegii Mamertini auctoritate, anno 1660, censum solus administravit P. Franciscus Maria Fotius Messanensis. Non tamen Tauromænitana Civitas acquievit; sed a P. Goswino Nichel, qui universæ Societatis magistratum gerebat, enixè flagitavit, ut Colonia reduceretur. Quare datum est negotium P. Joanni Eliæ Messanensi, ut ibi cum Socio resideret, censum reciperet, & Coloniam restitueret. Elias Patrimonii exiguitate compertà, cum magistratibus transegit, ut Cæsar Caribdes, & Joannes Franciscus Cuscuna, nobiles Tauromænitani illud curarent, & fructus congererent, quibus cumulatis, census eatenus augeretur, quoad reducendæ Coloniæ satis esset. Sed contra accidit; contractis enim aliquot aureorum millibus, Tauromænitana Civitas Societatis inferendæ curam abjecit, & apud Romanum Pontificem agere cœpit, ut in alios pios usus census concederet. Quo cognito, P. Joannes Paulus Oliva, qui Goswino successerat, eo se abdicavit. Itaque Simeon Caraffa Pontifex Mamertinus, admonitu Romani Pontificis, eos reditus Tauromænitano *Canonicorum* Collegio addixit, eà præscriptione, ut pro menstruis Sacrificiis, & Ludimagistris certa quotannis pecunia penderetur.

Collegiũ Tauromænitanũ semel, & iterum inchoatur, tandem extinguitur.

Ejus census in alios pios usus impenditur.

XVII. Verùm hoc ipso anno, lætitioribus incrementis floruit Collegium Salemitanum, quod jampridem altas egerat radices, sed tenues, atque inter minima Provinciæ Domicilia numerabatur, neque superioribus annis, ad justi Collegii dignitatem pervenerat. Placet proinde præterita futuris nectere; & originem ejus, atque incrementa, continenti narratione complecti. Præcipuum inter nobiles, & ornatas Siciliæ Civitates obtinet locum Salemitana, quæ irriguo imminens agro, & salso flumini contermina, novitio vocabulo, a sale *Salemium* dicta perhibetur. Mediterraneum, sed proximum Lilybœo Oppidum, quod qui vetustatem aucupantur, alii ex Halyciarum ruinis, ut Cluverius, alii ex Semellii Colonia, ut Fazellus, alii ex Selinuntæ reliquiis ortum existimant. Opibus, & frequentiâ florentissimam Civitatem, crebris excoluerat

Collegii Salemitani institutio, & incremẽta.

Salemii dignitas, situs, & origo.

Digitized by Google

concionibus P. Gaspar Paranimphus, deinde P. Aloysius Lanuza, duo maxima Provinciæ sidera, quæ pars sunt hujus historiæ potissima; his accessit P. Hieronymus Rocca senior, nobilis Salemitanus, doctrinà, & prudentià spectatissimus, qui se illis addebat comitem, & laborum socium, atque omnia excogitabat, quibus Patriæ studiosum, & utilem se præberet. Tam illustrium virorum desiderio excitata Civitas, ejusdem disciplinæ homines, qui litteris juventutem, moribus verò cives omnes informarent, annos quamplurimos, apud se fixum, & stabile domicilium habere, frustra exoptaverat: donec anno 1628, Josephus Gangius Salemitanorum nobilissimus, Collegium Salemitanum in avitis ædibus excitandum, moriens ex asse hæredem eà conditione nuncupavit, ut P. Hieronymus Rocca hæreditatem curaret, & Collegii fundamenta poneret, ædificationem institueret, & interim qualemcunque Coloniam inferret, quam dies in posterum, & Civium beneficentia amplificaret. Rocca Jordani Cascini, divulsà tum Provincià, auctoritate, hæreditatem cernere properavit, ibique consedit, quo tempore, pecuniâ, quæ quotannis redibat, partim collocatà, partim ædibus, ac templo instruendis, consumptà, anno quinto, exiguam eò Coloniam invexit, cujus ipse Rector est appellatus. Sed hæreditas tanti non erat, ut & Socios aleret, & ædificationis impensam tolleraret. Quare domicilium in eádem tenuitate permansit ad usque eum, qui excurrit, annum 1642, quo Raphaëla Tagliavia Cara, *Arcudacis Baronissa*, inter Matronas Salemitanas nobilitate, atque opibus clarissima, postridie Nonas Apriles, Drepani vitam clausit, & Collegio Salemitano avitum patrimonium testamento legavit, sanè lautum, & opulentum, appellavitque P. Hieronymum Roccam, qui adiret hæreditatem, ædificationem urgeret, Coloniam augeret, & magistros, ac doctores deduceret, qui Civitatem universam optimis artibus imbuerent, litteras juventuti idoneas excitarent, & religionis officia uberiùs, & salutariùs administrarent. Quæ quum Hieronymus rite, ac sapienter administrâsset, Mutius Vitelleschus ad supremos jam canos provectus, Collegium Salemitanum, tanquam filium Beniaminum, quem in senectute novissimum genuisset, adoptavit, & sublatis oculis, Deo gratias agens, quòd se vivo, Provinciam Siculam tam insigni Collegio auxisset, alter Simeon exclamâsse fertur, *Nunc dimittis servum tuum Domine*, & paucos post dies obiisse. Sed antequam fato concederet, Josephum Gangium, & Raphaëlam Tagliaviam, publi-

Nostri homines Civitatem excolere instituût.

Josephus Gangius Collegium Salemitanû ex asse hæredem nuncupat.

P. Hieronymus Rocca Collegii ædificationem curat, & Rector appellatur.

Ejus Collegii patrimonium amplificatur.

Mutii Vitelleschi erga Salemitanum Collegium amores.

Digitized by Google

blicis litteris, Collegii Salemitani conditores appellavit. Rocca tamen ædificationem instituit, in frequentissima, & planè mediâ Civitatis regione, adeo magnificam, & sumptuosam, ut æs alienum grande conflaverit, cujus usuræ utriusque hæreditatis fructus penè exhaurirent. Quare Collegium in eo fuit, ut conturbaret, & dimitti oporteret. Sed tanta erat erga Hieronymum Civium pietas, & observantia, propter egregia ejus in Patriam merita, ut piis eorum subsidiis, & largitionibus Socios aleret, usque ad annum 1650, quo annum agens sextum, & septuagesimum, ibidem vitæ finem invenit. Eo e vivis erepto, ædificatione intermissâ, & Sociorum numero extenuato, Collegium penè extinctum paulatim revixit. Ex utraque autem hæreditate, census adeo pinguis proveniebat, ut professio anni 1651 testaretur, Collegium Salemitanum, ære alieno dissoluto, & ædificatione peractâ, sustinere posse Socios quatuor, & sexaginta. Civibus tamen Societatis studiosissimis grave erat, inchoatam Collegii, Templique molem hærere, & nostros homines parum commodè habitare. Quare Thomas Clementia, præclarissimo genere Salemitanus, *Baro Giardinelli*, locupletissimum Patrimonium superioribus adjecit, & Collegio vivus addixit, anno 1659, cujus beneficio, & finitimæ ædes coëmptæ, & ædificatio amplificata est, atque absoluta, unà cum templo, & Goswinus Nichel supremus Societatis Antistes, Thomam Sapientiam, tertium legitimis litteris renunciavit Collegii Salemitani auctorem. Publicato autem Templo, Josephi Gangii exuviæ honorifico funere illatæ sunt; atque Drepano importatæ Raphaëlæ Tagliaviæ reliquiæ, & lapis pretioso ex marmore impositus, qui beneficium ejus, & memorem Societatis animum testaretur; ac posteri perpetuò admonerentur, ut sacrificiis, & religionibus, loco per eos consecrato, beneficentissimos eorundem manes expiarent.

Salemitani domicilii varia fortuna.

Ejus census iterum augetur & ædificatio amplificatur.

Josephi Gangii, & Raphaëlæ Tagliaviæ exuviæ in Societatis ædes inferuntur.

XVIII. P. Thomas Reina Mediolanensis iniit cum anno 1643 Provinciæ magistratum, quem ei transmisit P. Cæsar Boscus, qui adventum ejus Messanæ præstolabatur, Romam propediem discessurus. Appulit Reina Messanam XVII Calendas Februarias, magnâ Mamertinæ nobilitatis gratulatione Domum deductus, quòd sacras ibi olim conciones, & in Æde Societatis, & in Principe Civitatis Templo, summâ doctrinæ, atque eloquentiæ gloriâ recitaverat, atque jucundam morum suavitatis, & elegantiæ famam reliquerat. In mutuis salutationibus biduo consumpto, XV Calendas, magistratu potitus est, & in Mamertina Domo consedit, ut Alphonsi Henriquez,

1643

P. Thomas Reina Provinciæ magistratum init.

Magni Admirati, Muticæ Comitis, qui Siciliam Prorex cum potestate obtinebat, adventum opperiretur, & quæ suspensa hærebant Messanæ, & Muticæ Societatis negotia, ejus auctoritate transigeret. Sed quod ad Mamertinos attinet, perturbatà tum Civitate, & civili motu agitatà, cujus causà Carolus Gregorius Senator nobilissimus, IX Calendas Apriles in vincula conjectus est, & in Salvatoris Arcem deportatus; nihil movendum statuit, nè de se, ac Societate optimè meritis civibus, tam alieno tempore infensus esset, & molestiam molestiâ cumularet. Quare Aprili exeunte, Messanà solvit, & Majo ineunte, ad res Provinciæ componendas Panormum venit.

P. Joannes Dominicus Schisanus litium tricas veritus, Sacerdos Societati se adjungit.

XIX. Præclarorum hujus annì funerum chorum ducit P. Joannes Dominicus Schisanus, Linguaglossæ ortus, qui Juris Civilis scientiâ Catanæ excultus, & in eo disciplinarum Emporio Doctoris insignia adeptus, Panormi Curiæ, & foro dedit operam, ubi inter Legulejos aliquo numero habitus est. Sed litium tricas, & pericula veritus, clientibus dimissis, foro secessit; & Sacerdotio insignitus, anno ætatis undequadragesimo, Societatis disciplinam sequi maluit, in qua annos ferè quatuor cum laude meruit, Collegii Panormitani censui procurando adhibitus, quem magnà omnium spe administrandum suscepit. Quum adhuc in Tirocinio, quod Panormi nactus est, versaretur, tantà erga Dei Matrem caritate flagravit, ut legitimas coram testibus ediderit tabulas, ad Curiæ, ac fori normam conceptas, & suâ manu descriptas, atque signatas, quibus se, suaque omnia Deiparæ addiceret; vitam, sanguinem, oculos, linguam, aures, mentem, voluntatem, animam denique, ac corpus; nihil ut jam haberet, neque cogitationem, neque obtutum, neque anhelitum, quod proprium esset, & ad magnæ Matris jura non pertineret. Solemnem eam donationem singulis Deiparæ religioni consecratis diebus integravit, & ratam habuit; ac moriens coram P. Petro Villafrate, qui Collegio præerat Panormitano, sacramento confirmavit, a quo etiam impetravit, ut ejus syngraphæ autographum unà cum Deiparæ laudibus, quas ipse concinnaverat, & eleganter litteris illustraverat, supra demortui pectus sepulcro inferretur, quò sempiternum sui erga Dei Matrem amoris, ac pietatis secum haberet documentum, quod Christo Judici ostenderet, quum novissimo cœlestis tubæ clangore excitatus, coram humano genere apud ejus tribunal causam dicturus esset. Inauditæ pietatis præmium *Deipara* repræsentavit. Homo enim meticulosus, qui mortis nè mentionem quidem ferre poterat, eà, quam diximus syngra-

Ejus erga Deiparam singularis religio.

Syngraphà ab eo concinnatâ, se, suaque omnia Deiparæ addicit.

phà,

phà, tanquam clypeo pectori admotà, tantà lætitià impendentis jam fati nuncium accepit, quantà solebat molestià, ejus absentis nomen horrere. Itaque in Virginis Matris laudibus, & amoribus suavissimè vitam clausit, VI Idus Februarii, anno ætatis tertio, & quadragesimo, ab inita Societate nondum quarto.

Deiparæ beneficio, maximà lætitià, mortis nuncium accipit.

XX. Inter præcipuos viros, quos florentissima Melitæ Insula Provinciæ dedit, non vulgarem habet virtutis, atque doctrinæ commendationem P. Marius Pacius, in Cormiensi Pago natus, anno 1577. Ante viriles annos cultioribus Musis sese involvit, easque tantopere sibi demeruit, ut in latinarum litterarum gloria obtrectationis invidià caruerit. Græcis etiam, Arabicis, ac Hebraicis optimè imbutus, eas omnes anno 1611, in aula Collegii Panormitani mirificè expromsit, coram Orsonæ Duce, eruditissimo Principe, & earum linguarum non ignaro, cujus majores, & generis, ac familiæ proceres insigni oratione laudavit. Philosophicas quoque artes Panormi tradidit, sacras deinde Messanæ, ubi selectiora divinorum librorum loca est interpretatus, & litterariæ Academiæ præfectus est, æquè semper ab ingenio, atque scientia laudatus. Eloquentià clarus in paucis, memoriæ, atque facundiæ beneficio elegantissimas ex tempore fundebat orationes, sive italicè, sive latinè dicendum esset, & longè ornatiores, quàm plerique longà meditatione elucubratas. Plures gessit illustri sapientià magistratus, quorum præcipuos laudat P. Vincentius Modica Melitensis, Mæneninum, Calatahieronensem, Drepanitanum, & Catanensem. His in honoribus nihil eo fuit temperantius, & ab exerendæ potestatis cupiditate alienius. Libentiùs enim exemplo, quàm imperio disciplinam asseruit, neque contra muneris sui dignitatem se facere arbitrabatur, quòd ad infima culinæ officia succinctus, & sordidatus se demitteret. A Siciliæ Pontificibus certatim expetitus, ut jurisdictionem lustrantibus, consiliorum certitudine præsto esset, Cœphaludani, Mamertini, Catanensis per intervalla comes fuit, sed ut itinerum, curarum, atque laborum, non ita commodorum, aut mensæ, nedum potestatis, aut honoris particeps esse voluit. Harum expeditionum defatigatione extenuatus missionem impetravit, seque in Domum recepit Panormitanam, in qua paucos post menses vitam reliquit, postridie Nonas Martii, anno ætatis sexto supra sexagesimum. Edidit Neapoli volumen *De Antiquitate Calatahieronis*, & aliud Catanæ *De Morbis animi*; utrumque dissimulato nomine. Inter ineditas ejus vigilias, quæ plurimæ numerantur, reperta est *Vita B. P. Ignatii heroico carmine illu-*

P. Marii Pacii patria, virtutes, & ingenii laudes.

Matina Histor. Dom. Prof. Panormit. ad annũ 1611.

Ejus in magistratibus dexteritas, & temperantia.

P. Vincentius Modica in elogiis Socior. Melitensium.

Ingenii ejus illustria monumenta.

Digitized by Google

Rocch. Pirr. Sic. Sacr. tom. 1. not. 3. Eccl. Melit. Gregorius Valent. Lilybætan. Mantissa ad Sac. Hymnod. cap. 8. pag. 601. Abela Melit. Illustr. lib. 4. not. 4. Sotuell. Biblioth. Soc. Jesu.

illustrata. Item Orationum, Præfationum, & Carminum genera varia. De Mario Pacio, tanquam de viro, profanis, sacrisque litteris ornatissimo, probè commemorant Pirrhus, Gregorius Valentianus, Joannes Franciscus Abela, & Natanaël Sotuellus.

P. Petri Villafratis genus, virtutes, ac beatus exitus.

XXI. Quum quæ carissima sunt, nunquam serò amittantur, tanquam festinatum, & immaturum flevit Provincia P. Petri Villafratis exitum, quamvis annum ætatis attigerit tertium, & sexagesimum. Panormi anno 1580 ortus nobilissimo genere paterno, atque materno, patrem habuit Aloysium Villafratem, generosum Hispanum, qui militaribus in Sicilia, & civilibus Panormi ornatus præfecturis, filium quadrimum reliquit: matrem verò Opezingam, Palatii Papirii *Baronis* Sororem, quæ paulò post, mariti fatum secuta, Petrum quinquennem pupillum, & unicum destituit, & P. Josepho Matinæ moriens commendavit. Insignem hunc adhuc infans nactus animi ducem, patris loco observavit, & anno ætatis undevigesimo, Societatis militiam amplexus est. Ingenium sortitus est a natura litterarum cupidum, & maximis artibus satis idoneum, sed mite, & actuosum, atque excolendis adolescentibus natum, in quibus Aloysio Lanuzà discipulo, quum politiores litteras Panormi traderet, gloriari meritò potuit, cujus & flagitandæ Societatis voluntatem excitavit, & adeundæ exitum adjuvit. Quare disciplinarum stadio vix decurso, necdum nuncupato quatuor votorum sacramento, anno ætatis primo, & trigesimo, Panormitanis tironibus præesse jussus est, anno 1611, eoque in munere nunquam satis laudatus, quinquennium ferè contrivit. Perpetuos exinde uno, aut altero intervallo, amplissimosque honores percurrit. Nam Collegium Monregalense, & Syracusanum, ter separatis temporibus, Tirocinium Panormitanum, semel, & diu Mamertinum, item Domicilium S. Francisci Xaverii Panormitanum cum Tertianis Patribus, bis denique Collegium Panormitanum administravit, in cujus magistratu diem obiit suum. Addit Riela Panormitanam Domum. Sed hunc honorem, qui neque cum præfecturarum ejus serie, neque Domûs Præfectorum congruit, nonnisi extra ordinem, neque diu, ei fortè obvenisse arbitror. Fuit genus gubernationis ejus, non astutum, non triste, non remissum, aut lentum, sed candidum, grave, æquabile, ac moderatum, neque injucundum; & quod intimâ magis familiaritate, & caritatis conjunctione, quàm vi, vel potestate constaret. Rerum verò agendarum scientiâ, atque industriâ nul-

Magistratuum ejus vix intermissa series exponitur.

Gubernationis ejus exquisita ratio commendatur.

Digitized by Google

nulli secundus, eorum quibus præfuit Collegiorum rem familiarem, fortunas, censum, ædificationem, ornamenta mirificè amplificavit, neque tamen apud domesticos, aut externos tenacitatis, aut avaritiæ sordibus quicquam offendit. Sed Collegii Panormitani patrimonium in primis auxit insigni beneficio. Quum enim paterni, maternique generis fortunarum unicus, & necessarius hæres fuisset, earum fructibus, qui ad aureos mille annuos pertinerent, adolescens se abdicavit, quos & Collegio Panormitano addixit, legavitque unicà pensione, aureos quingentos, quibus sive Domùs Bibliotheca inædificaretur, sive libri emerentur. Placuit autem majoribus ædificatio. Sed nullà re tam profuit Collegio Panormitano, quàm quod ibi auctor fuit Marianæ Sodalitatis, quam a *Fervore* appellavit. Condita est ea Sodalitas anno 1628, & ipso die *Pentecostes* primùm coacta. Complectitur ea disciplina lectissimos Academiæ adolescentes, qui diu, multúmque probati, dant nomina, & ad præcipua quædam Christianæ virtutis officia, octavo quoque die conveniunt, ac magnà curà exercentur. Ejus initia maximis oppugnata difficultatibus, & semel, atque iterum intercepta, quod est optimarum, & magnopere utilium rerum inter homines fatum, P. Petrus Villafrates consilio, auctoritate, studio explicavit, incrementa excogitavit, & leges, quibus contineretur, tam salutares edidit, ut nulla sit eà florentior Mariana Sodalitas, neque ulla alia tantos habuerit processus. Habetur quippe ad hanc diem religiosarum familiarum veluti plantarium, unde soboles petitur, & in ipsarum hortos traducitur. P. Franciscus Scorsus Panormitanus, quum adolescentium numerum adnotâsset, qui, se Sodalitii Præfecto, secessérunt, paucos intra annos septingentos, & eo amplius reperit. Quod si omnium ratio confecta esset, plura Sodalium millia numerarentur; & in his viri amplissimi, qui doctrinà, & clarissimis rebus gestis, sacros *Cœnobitarum* Ordines, & Societatem potissimùm ornaverunt, & in his fuit Aloysius Lanuza, cujus adolescentis, & animi magister fuit Villafrates, & prima sanctitatis palæstra, ab eo institutum *Fervoris* Sodalitium. Neque diffiteor, in eorum me esse numero, qui P. Petro Villafrati secessionis beneficium acceptum referunt, ab ejus Sodalitio in Societatem adolescens traductus. Est autem vetustum, & constans Mariani hujus conventùs insigne, præcipuus quidam erga Virginem Matrem amor, qui ab ejus auctore manâsse creditur, cujus tanta fuit ab adolescentia Deiparæ caritas, atque religio, ut pervulgato cognomine, Mariæ filius appellaretur.

Fortunas suas Collegio Panormitano addicit, & ejus censum auget.

Marianam Sodalitatē a Fervore dictam, Panormi instituit.

Ejus Sodalitatis leges, fructus, ac processus.

Ob ejus erga Deiparam studium, Mariæ Filius appellabatur.

Digitized by Google

tur. Et quidem provectà jam ætate, quum de reperta a se disciplina loqueretur, profluentibus lacrimis gloriabatur, votorum se, ac gaudiorum metam attigisse, quod post susceptam a teneris ipsis annis, ejus rei cogitationem, invenisset aliquando, qua ratione fieri posset, ut suus erga Dei Matrem amor, & sobolem haberet, & perpetuitatem. Paulò ante fatum, quum magistratum gereret Collegii Panormitani, marmoreum Elpis Mamertinæ præclarissimæ Matronæ, Severini Boëtii uxoris, & nobilissimæ Poëtriæ signum, ibi effossum, flagitanti Senatui Mamertino dono dedit, ut in Senatoriis ædibus cum hoc elogio locaretur: *D. O. M. Elpis Matrona Nobilissima Mess., insignis Poëtria, Magni Boëtii viri Consularis, sanctimoniâ conspicui, uxoris etiam in exilio, conjunctissima. SS. MM. Placidi, Flavia, Eutichii, & Victorini amita, a Sorore Faustina, sanctissima femina, locatum vetustissimum hoc marmoreum signum, & S. P. Q. M. dono a Patribus Societatis Jesu datum in hac Domo Senatoria posuere Senatores, Anno Domini M. DC. XLIII.* Ostenditur in Conclavi Collegii Panormitani inter optimè meritos, P. Petri effigies, additis ejusmodi litteris: *P. Petrus Villafrates Panormitanus, Sodalitii B. V. a Fervore auctor, genere, sanctitate, & beneficentiâ in hoc Collegium, quod bis gubernavit, clarus, obiit IV Nonas Maji, Anno MDCXLIII.*

Anton. Mongit. Biblioth. Sicul. part. 1. pag. 372. col. 2.

Elpis Signum Senatui Mamertino dono dedit.

XXII. Desideratus est ibidem, eodem mense, IV Calendas, P. Josephus Augustinus Panormitanus, doctissimus Siculorum, quem inter clara, & summa ævi ejus ingenia numerant monumenta Provinciæ. Sublimiorum artium elementa in Collegio Romano didicit, ubi & Philosophiam sexennium continenter docuit adolescens. Quo labore, singulari laude perfunctus, Lugdunum primùm, deinde Avenionem destinatus, sacram utrobique doctrinam, tam insigni Auditorum frequentiâ tradidit, ut quum domestica conclavia numerum non exciperent, auditoria in ampliſſimis delubris instituere coactus sit. Valetudinis gratiâ in Provinciam regressus, anno ferè 1611, emeritus jam maximarum disciplinarum in Transalpinarum Academiarum celebritate, ac luce Doctor, ad infima Philosophiæ stipendia jussus descendere, eam Panormi, admirabili temperantiâ triennium professus est, decennium deinde *Theologiam*, quo tempore P. Aloysium Lanuzam auditorem habuit, propter ingenii, ac morum similitudinem sibi carissimum. Denique ad annum undevigesimum majorum studiorum Præfecturam, magna semper cum dignitate retinuit, donec cum honore vitam

P. Josephi Augustini virtutes, & res gestæ.

Ejus in Societate munera, ac ingenii præstantia:

Michaël Frazetta in vitâ P. Aloysii Lanuzæ lib. 1. cap. 3. pag. 29.

Digitized by Google

tam posuit. Paucos Provincia recenset, quorum tanta fuerit integritatis opinio, atque doctrinæ apud summos etiam magistratus, & utriusque fori, ac curiæ administros, atque Principes Civitatis, qui omnes ad eum, ut ad sapientiæ magistrum, & arbitrum negotiorum confluebant. Magno etiam in honore, ac numero habitus est ab Judicibus religionis, qui gravioribus in causis, non alio censore libentiùs, ac consultore utebantur. Purpuratus etiam Pontifex Doria inter Censores, ac Judices *Synodales* eum esse voluit, & quicunque incidissent sacrarum legum nodos, judicio ejus explicandos permisit. Præclarum quoque ad declarandam S. Rosaliæ Corporis veritatem, momentum attulit ejus auctoritas, qui in ea propugnanda, strenuè laboravit, neque vulgarem mercedem retulit. Quum enim decimoquarto jam mense, dextri humeri dolore cruciaretur adeo gravi, ut neque brachium erigere, neque somnum capere, neque cubare sine molestia posset, potâsset-que aquam, in qua B. Rosaliæ Corporis Reliquiæ mersæ fuissent, confestim levari sensit, ut si manus aliqua humerum pertentaret, & gravissimum onus amoveret. Vixit duobus annis septuagenario minor, in eo maximè commendatus, quod in tali doctrinæ, & existimationis splendore, temperantiam exhibuit, & verecundiam, qualem tironum religiosissimi præstare solent. Neque vulgare fuit moderati, candidique animi specimen, quod horas mutuis collocutionibus, solatii causà designatas, cum Fratribus, & Junioribus transigere consuevit, ut cœlestium rerum sermonem liberiùs fereret, & teneros, ac rudes annos ad vitæ studium fingeret. Omni eum culpà vacuum decessisse, & primævum innocentiæ candorem fuisse cum eo tumulatum, auctor est Antoninus Mongitore. Trigesimo die a privatis exequiis, postulante Senatu, & Regiis administris adnitentibus, dati sunt ei, ære publico, funebres honores, cum Cœnotaphio ceris instructo, magnificoque apparatu, atque concentu, & lugubrem recitavit laudationem P. Paulus Garlanus Corilionensis, orator eà tempestate præclarus. Doctrinæ suæ testes reliquit Codices quamplurimos, quorum plerique luce caruerunt. Editi numerantur *Commentarii in primam partem S. Thomæ*, Tomus unus, & alter, cui accessere *Duo Tractatus de Trinitate, & de Angelis*. Item exiguus mole liber, qui inscribitur: *Brevis Notitia eorum, quæ scitu, vel necessaria, vel utilia sunt Confessariis in primo ingressu ad audiendas confessiones*. Aureus hic libellus, propter doctrinæ præstantiam, vix ulla est Orbis terrarum typorum officina, in

Doctrinæ, atque integritatis ejus opinio.

Jordanus Cascinus in Vit. S. Rosaliæ pag. 67. 68. 76. & 119.

Dextri humeri dolore cruciatus, B. Rosaliæ beneficio, liberatur.

Reliquæ ejus virtutes attinguntur.

Anton. Mongit. loco paulò ante laudato.

Inusitati exequiarum honores ei tribuuntur.

Digitized by Google

qua non fuerit renovatus. Certè pluſquam centies recuſum, tradit Mongitore, & Venetiis italicè converſum prodiiſſe conſtat. Sunt autem, quæ in Bibliotheca Collegii Panormitani inedita ſilent volumina: *De Deo Uno, & Trino; de Angelis; de Beatitudine; de Voluntario, & Involuntario; de Vitiis, Peccatis, & Gratia; de Fide, Spe, & Charitate; de Juſtitia, & Jure; de Incarnatione; de Sacramentis; de Pœnitentia; Logica; Phyſica; Metaphyſica; de Generatione, & Corruptione.*

Ingenii ejus quamplurima monumenta.

XXIII. Litterarum quoque gloriâ plurimum valuit P. Hieronymus Manduca, nobilis Melitenſis, in Civitate *Notabili* in lucem editus, anno 1574. Prima artium rudimenta adoleſcens Romæ arripuit, ubi Societati, anno 1590, ſe adjecit. Studiis ibi peractis, in Provinciam venit, in qua ſacram morum diſciplinam, annos quamplurimos Meſſanæ docuit, & divinarum litterarum impeditiora loca publicè eſt interpretatus, tantâ auditorum frequentiâ, atque plauſu, ut nemo alius. Memoriæ facultate uſus eſt inauditâ, & planè incredibili. Nam quemcunque ſacrorum Bibliorum librum memoriter, tanquam de ſcripto recitabat; & quamvis helluo librorum eſſet, quibus legendis, dies noctibus continuabat, quidquid ſemel olim legiſſet, ita ſenex tenebat, ut & librum, & locum, & paginam indicaret. Mirum eſt quàm plurima ſcripſerit vir ſanè ſtrenuus, & qui communia Societatis munera docendo, concionando, expiando, valetudinaria, & cuſtodias obeundo, laborioſiſſimè exercuit. Extant in Bibliotheca Collegii Panormitani ingenii ejus nonnulla monumenta, pleraque enim interierunt: nimirum *Commentarii in librum Judith*, in duo volumina, & libros octo diſtincti. *Concordia Prophetarum Iſaiæ, Oſeæ, Joëlis, Amos, Abdiæ, Jonæ, Michææ, & Naum*. Volumen *in Pſalmum LXVII.* Aliud *de Cenſuris Eccleſiaſticis*. Opuſculum *de Dormitione Deiparæ*. *Hiſtoria Rerum reconditarum Melitæ*. *Vita* denique *S. Publii Epiſcopi, & Martyris, Melitæ Principis*. Cui tamen, fato occupatus, ſupremam manum non impoſuit. De P. Hieronymo Manduca, ut de homine litteratiſſimo, meminere Jacobus Riela, Melchior Encofer, Joannes Franciſcus Abela, & Rocchus Pirrhus. Hic tamen tantus vir, pro moribus ejus ætatis, quatuor Votorum ſacramentum in Societate non dixit. Sed ad tria dumtaxat, anno 1611, in Collegio Rhegino, coram P. Franciſco Renda evocatum comperio. Ex quo judicari facilè poteſt, quæ fuerit hominis continentia, atque ſobrietas, qui neque debitum ſibi gradum affectavit, neque

P. Hieronymi Manducæ origo, ingenium, & obita in Societate munera.

Singularis doctrinæ ejus, ac memoriæ præſtantia.

Riela Chron. Provinc. Sic. ad ann. 1643.
Encofer de Epiſt. B.V. ad Meſſan. cap. 5.
Abela Melit. Illuſtr. in plur. locis.
Pirr. not. 7. Eccl. Melit.

Præclarum temperantiæ ejus exemplum.

Digitized by Google

que inferiorem repudiavit, neque eo minùs Societatem dilexit, ac pro ea ad mortem usque laboravit, quam anno ætatis undeseptuagesimo, in Collegio Syracusano nactus est, V Calendas Sextiles.

Syracusis sanctissimè moritur.

XXIV. Hospes ibidem extinctus est, qui annum claudit, P. Nicolaus Ursus, honestissimo genere Ragusæ natus, quod est vetustum, non procul a Pachyno, Siciliæ Oppidum. Summi hujus viri præsagia, quum uterum gestaret, cepit Mater. Nam quæ superioribus annis, tam molestas, & tristes passa fuerat graviditates, ut ventrem stans vehere non posset, & pondus non ferret, nisi decumbens; quæque partus edidisset infaustissimis, & letalibus puerperiis, Nicolaum sine uteri gravitate, atque molestia, stans, & incolumis gessit, & absque dolore maturum fudit, nonis Decembris, anno 1594. Pueritiam egit non modò puram, & candidam, sed piam etiam, ac salutarem. Familiam enim quotidie convocabat, & septennis ferè, rudisque litterarum, acerrimis concionibus, ad humanarum rerum abdicationem eo usque incendebat, ut natu minimus tres sorores, inter sacras Virgines ad secedendum adegerit, & ut ad Barbatos *Seraphicos* confugeret, fratrem compulerit: & tamen nonnisi quadrimus, & repentè loqui cœpit. Pueriles itaque annos, nihil cogitans, nihil loquens, nihil satagens, nisi cœlestia, traduxit; atque effectum exinde est, ut nemine diffitente, puer sanctus audiret. Familiare illi fuit de nocte ad supplicandum surgere, flagris se cruentis ferire, & sanguine parietes respergere, in summa annonæ difficultate, quum inopia ad honestas quoque familias perveniisset, cum pauperibus panem, jentaculum, obsonium partiri, nullum misericordiæ, ac religionis officium prætermittere. Pari sedulitate, innocuam litteris attulit adolescentiam, & latinæ grammaticæ elementis imbutus, propter ingenii præstantiam, ante pubertatem liberalibus artibus dedit operam, Doctorem nactus Philosophiæ Ascensium Guerrerium popularem suum, qui Collegii Romani alumnus, & Philosophiæ, ac Theologiæ insignibus ibi donatus, per eos dies Ragusam venerat, & ludum aperuerat, evocatus deinde ob virtutis, ac doctrinæ excellentiam ad Insulas Castelletanas. Hic adolescentis indolem, ac mores demiratus, Natalitio Urso patri ejus, qui medicinam Ragusæ faciebat, facilè persuasit, ut tantæ spei filium Panormum mitteret, ibique in Societatis Gymnasiis, litteris, ac pietate imbui curaret. Discedenti autem, & commeatum petenti quasi divinans futurum prænunciavit, ut ibi permaneret; neque in Patriam, nisi Societatis Sacerdos re-

P. Nicolaus Ursus ibidem vitam ponit.

Eum Mater ejus sine uteri gravitate præter morem gessit, & fudit.

Adhuc Puer magna de se dat monumenta virtutum.

Ad litteras addiscendas Panormum mittitur.

remearet; quod verbum res comprobavit. Nam Nicolaus paucos post menses Panormitanæ commorationis, a Bernardino Confalonerio, qui tum Provinciæ præerat, nullo negotio, Societatis adeundæ facultatem impetravit, & Nonis Martii, anno 1611, Panormitanis tironibus adjectus est. Quamdiu in juniorum numero fuit, prima disciplinæ elementa, quæ tiro hauserat, constanter retinuit, invariatà semper vitæ consuetudine, cujus ea summa fuit; ut nihil in eo austerum, nihil triste, nihil singulare appareret; sed communia quæ essent, & omnibus præscripta, præcipuà quadam navitate præstaret, non secus, ac si uni sibi injungerentur. Hilarem quandam præsetulit comitatem, pudore tamen munitam. Quæ molestiam haberent, quanquam sibi maximè imponi cupiebat, ita suscipere consuevit, ut si ea sibi committi facilè pateretur. Nulla ejus fuit cum æqualibus, aut ingenii, aut litterarum obtrectatio. Omnes enim tam mentis acumine, & vigiliarum assiduitate, quàm continentià vincebat. Quare adolescentiam cum studiis exegit, maximè acceptam singulis, & innoxiam. Visa est proinde majoribus virtus ejus non temere digna, quæ edito ex loco Panormitano Collegio præluceret, cujus Minister est appellatus. Non alius fuit, qui accuratiùs aut morum censuram exerceret, aut domesticas administrationes explicaret. In utroque maximopere laboriosus, locis omnibus diu, noctuque aderat, quasi nihil sibi ad corporis requiem, & vitæ officia, temporis reliquum faceret, quo non fratrum suorum, sive serviret commodis, sive disciplinæ studeret. Quam tamen mansuetudine magis, & patientià planè admirabili, quàm reprehendendi consuetudine asseruit; neque vigiliis, neque inediæ, neque lassitudini pepercit; ut discurrendo, excubando, præsentiendo, culpas arceret, & animadversionis causam excluderet. Sed nihil erat, quod curas ejus vehementiùs excitaret, quàm custodia fraternæ caritatis: statuebat enim eam esse eorum, qui communiter degunt, veluti animam, sine qua vires, & vitam extingui necesse est. Cujus rei, posteritatis memoriâ dignum facinus edidit, ex quo reliqua intelligi possunt, quæ properationem nostram effugiunt. In duos fortè, quum officinas obiret domesticas, incidit Fratres, Coquum, & Promum, qui magnis clamoribus, atque conviciis, de mantili certabant, quod uterque ad officii sui jura pertinere contenderet. Nicolaus violatæ caritatis reos objurgavit, pro se jam hunc, jam illum dicere conantem, audire noluit, mantile apud sequestrum deponi jussit, & fore se culpæ memorem pollicitus, discessit.

Nostris Tironibus Panormi adjungitur.

Admirabilis ejus vitæ ratio commendatur.

Præclarissimam gubernationis scientiã, incredibili caritate temperat.

Nostros Fratres inter se disceptantes, mirabili dexteritate componit.

Post

Post bidui spatium, quod iracundiæ dandum censuit, dum ea resideret, Fratres omnes in culinam convocat; Coquum, & Promum prodire jubet, eorum culpam exponit, utrique mandat, ut mantile producant, quod jurgio causam dederat, expansum manibus teneant, & in flammas ad id paratas conferant, atque comburant. Quod quum, spectantibus reliquis, factum esset, & mantile in cineres consedisset: *Discite*, inquit, *nullam domi esse pretiosiorem caritate supellectilem*. Juniorem furentem, & adversùs se debacchantem, qui falsis adductus suspicionibus, injuriosè secum ab eo actum querebatur, nullis rationibus flectere potuit. Quare misericordiâ commotus flens, & silens dimisit, & ad cubiculi januam deduxit. Ille verò tam insigni captus mansuetudine, in ipso vestigio se respexit, & in genua provolutus, occupatum iracundiâ animum excusavit, & missis suspicionibus veniam petiit.

Alium adversus se debacchantem, insigni mansuetudine flectit.

XXV. His artibus eo in munere quadriennium versatus, Collegium Panormitanum ita emendavit, & ad disciplinam finxit, ut cœlesti igne conflatam crederes juventutem, atque alios mores, aliam mentem, aliam loquendi, ac sentiendi consuetudinem induisse. Comperto jam, quàm eximia ei inesset, quæ perpaucorum est, rectæ gubernationis scientia, ampliores deinde, atque perpetuos gessit magistratus, quos a Monregalensi Collegio exorsus est, ubi saluberrimè præfuit; & rei familiaris angustias sublevavit, non parcendo, aut numerum contrahendo, aut corradendo alimenta, quod sordidarum est mentium; sed caritatem domi administrando, in Templo religionem, atque assiduum laborem, foris misericordiam, & temperantiam. Sub honoris exitum, tam graviter Panormi ægrotavit, anno 1633, ætatis undequadragesimo, ut moriturus crederetur, nam supremis sacris expiatus, & morti proximus agebat animam. Tum ad B. Franciscum Xaverium, cujus religione, & pietate maximè tangebatur, se convertit, eique totum se tradidit, ut sive vitæ, sive mortis assertor esse vellet, audivitque annuentis vocem, & intimè admonentis, vitæ sibi gratiam a Deo fieri; eà tamen præscriptione, ut annum ætatis quinquagesimum non attingeret. Ex quo cognovit, decennium sibi ad vivendum supereſſe. Itaque paulatim recreari cœpit, & inopinantibus omnibus, medicis verò negantibus, id sine cœlesti numine fieri potuisse, brevi convaluit, & regendis, excolendisque tironibus admotus est. Eo in honore teneros Societatis alumnos, tam insitatâ caritatis abundantiâ complexus est, ut nemo non prædicaret, eà longè par-

Monregalensi Collegio præficitur.

S. Francisci Xaverii beneficio, ægritudine liberatus, Tironũ magister est appellatus.

cio-

ciorem paternum, maternumque amorem fuisse, quem domi suæ reliquisset. Reliqua ejus institutio, non tam externis nitebatur austerioris vitæ præsidiis, quibus intuentium oculi caperentur, etsi ea non neglexit; quàm intimâ, & occultâ quadam impressione virtutis, quæ medullas invaderet, & dociles annos ad reliquæ vitæ integritatem doctrinâ fingeret. Quod quidem crebris adhortationibus, assiduisque colloquiis; sed præcipuè quotidianis inculpatæ, laborioſæque vitæ exemplis, est consecutus: plus enim ipse præstabat, quàm aliis inculcaret. Adjuvit conatus ejus, quæ in eo residebat, divina virtus. Tironum enim cognoscebat intimos animi motus, abditosque recessus, & si usus poscerent, enunciabat. Undecimum jam mensem, magnis dubitationum fluctibus Tiro agebatur, mirum in modum anxius de æterna salute, de qua propemodum desperabat. Habebat enim dies, noctesque ante oculos tortorem animi metum, qui tristibus imaginibus mentem excruciabat, & conclamatæ salutis suspicionem, terroremque offerebat. Celaverat tamen vulnus animi, & ex diuturna formidandi molestiâ, etiam corpus extenuaverat. Confugit denique magnitudine morbi coactus, ad animi sui medicum, atque magistrum, ut intestinam aliquando detegeret ægritudinem. Quem ille, ut ad se venientem vidit, ante occupavit, quàm verbum ullum exculperet: *Et nunquid*, ait, *salvi erimus Frater? Quàm vellem, quæ medullas tandiu exedit, plagam initio aperuisses! Quantò rectiùs nascentem animi ægritudinem medicinæ obtuliſſes! Cetèrùm, quid de nobis post fatum futurum sit, nec scire possumus, nec debemus. In hac dubitationis navi fluctuamus omnes, nunquid tu conditionem, aut communem recusas, aut meliorem, quàm ceteri, affectas? Salutis negotium divinæ clementiæ est committendum. Sperandum est, ac metuendum iis dumtaxat finibus, quos virtus inter temeritatem, atque vacordiam præscribit.* His verbis attonitum, ac confirmatum dimisit. Non absimili vaticinio, alterius missionem petere cogitantis mentem sanavit. Angebat hunc, & planè terrebat celsitudo Societatis officiorum, quam se nunquam assecuturum arbitrabatur. Fuit hic Paulus Castellettus Siculus Ragusanus optimæ spei adolescens, qui defectionis consilium celabat, ne ab eo deterreretur, quod e re sua fore existimabat. In eum fortè incidit Nicolaus, & cogitabundum sic aggreditur: *Nunquid me etiam celatum habere vis, & rerum tuarum ignarum? Quid vereris? Eris profectò Orator non vulgaris, & Artium Doctor, & denique in ma-*

Intimos animi recessus cognoscendi virtute plurimùm valet.

Tironem de æterna salute anxium occupat, & confirmatum dimittit.

Alium missionem petere cogitantem simili vaticinio sanat, & qualis futurus foret, enunciat.

magistratu. Ea verba, quæ deinde excepit eventus, admiratione defixum, & titubantem recreârunt, & Societati reddiderunt optimum postea, & strenuum Sacerdotem, qui eloquentiâ primùm, deinde sacris, profanisque litteris clarus, & Siclensis Collegii Rector, in Collegio demum Panormitano, anno 1681, ætatis sexto, & sexagesimo, quum paulò ante immolâsset, repentinâ morte sublatus est.

Eventus vaticinio fidem fecit.

XXVI. Sed res Provinciæ tulerunt, ut Nicolaus a Tironum institutione, ad Collegii Mamertini magistratum post triennium transferretur. Quo in honore ad reliquas caritatis, & rectæ gubernationis administrationes, singularem adjecit in se despiciendo, & rebus omnibus abdicando, continentiam. Parum ei fuit quotidie servire prandentibus, atque cœnantibus; nullum indumenti genus admittere, nisi vetustate, & usu detriti, & quod Frater aliquis exuisset; cum scopis interdum publicis locis adesse; ad januam excubare; ingentia humeris ferre onera, Promo, Pistori, Coquo dare operam; calcem, & lapides ædificantibus ministrare; nisi etiam ægrotantium curam in se susciperet, & solus administraret, propinaret remedia, edulia coqueret, & apponeret, sordes amoveret, vasa repurgaret, & ad quævis officia se demitteret, ut qui non ad regiminis potestatem, sed ad infima obsequia venisset. Admonitus autem ab amicis, ut auctoritati consuleret, reponebat: *In eo esse optimi Antistitis dignitatem, si potestatis commoda, & ornamenta refugeret, se negligeret, & in suorum obsequiis, & multus, & totus esset*. Quanta ejus fuerit in externos pauperes misericordia, admirabili ostento de cœlo est declaratum. Januæ aderat Collegii Mamertini in autumnalibus feriis P. Ignatius Ascensius Mutycensis, tum adolescens, qui a mendico requisitus, Ursum Rectorem adiit, & ab eo æris tantum retulit, quantum & ille comprehendere, & hic manu potuit excipere. Quum verò ad pauperem properaret, subiit animum ejus cupido cognoscendi, numerandique pecuniam, & digitos explicans animadvertit, non jam æreos, sed argenteos, & aureos nummos se deferre. Mirans hæsit, & oculorum ludibrium veritus, ad Ursum reverti cogitavit, si fortè errore aliquo deceptus, nummos pro nummis præbuisset. Ad pauperem nihilominus ire perrexit, qui ut pecuniam accepit, ac numeravit: *Deo sint laudes*, inquit, *nam hoc pecunia, afflicta res mea postulabant*. Tum Ascensius ad Ursum festinat, & rem narrat; qui ostento commotus, in lacrimas abiit, & *Me miserum!* ait, *quàm parcè, ac modicè Christo petenti subveniendum*

A Tironum institutione ad Collegii Mamertini magistratum transfertur.

Eo in honore ad humillima quæque officia se demittit.

Ejus erga pauperes misericordia ostento confirmatur.

dum putaverim! Tenacitatem meam quàm sapienter castigavit Deus, atque supplevit!

Collegii Melitensis Rector designatus, eò ejectam Coloniam reducit.

XXVII. Triennio vixdum consumpto, in eas Collegium Melitense incidit syrtes, atque naufragia, de quibus ad annum 1638 est memoratum. Quare quum vir probatissimus quæreretur, qui ejectam Coloniam reduceret, Nicolaus est designatus, qui Sociis ex exilio contractis, Calendis Septembris, anno 1639, eò pervenit, collectisque expilati Collegii reliquiis, quas Nobiles Melitenses, insigni erga nos pietate coëgerant, & ab interitu vindicaverant, magistratum inchoavit tristem, & ærumnosum. Quippe præter jacturam domesticæ supellectilis (nam sacra incolumis reperta est omnis) & summam rei familiaris difficultatem, valebat adhuc fatalis ille conjurationis globus, qui quos facilè ejecerat, excludere non potuisse, gravatè ferens, nullum prætermisit injuriarum, ac contumeliarum genus, quo non eum, & suos exagitaret. Ipse domesticos ita continuit, ut linguæ, & conquestionibus parcerent, rarò prodirent, & præter consueta Societatis in Templo, & Gymnasiis munera, nihil moverent: polliceretur tamen, insectationem non fore diuturnam. Cum externis verò ita egit, ut acceptum vulnus non refricaret; dissimularet nova convicia; rei familiaris angustias, nè rogantibus quidem enunciaret; omnia in bonam partem acciperet, Lascharim Principem benevolum, & sublevandi cupidum, nonnisi accersitus adiret, nihil ab eo peteret, nihil apud eum de quopiam quereretur, & sciscitanti, an rectè domi esset, aut si re aliquà opus haberet; omnia sibi, suisque abundè esse, responderet. Tam admirabili temperantiâ, plerorumque mentes, qui non animi pravitate, sed cæco quodam errore deliquerant, delinivit: non tamen omnium, & ejus præsertim, qui tumultùs princeps fuerat, & post reditum, contumeliarum artificem, se jactabat. Nicolaus sacras suis precationes indixit, & ipse dies, noctesque supplicans, sibi Suisque requiem a Deo petiit, qui amici sui causam suscepit. Consecutus est, sexto ab ejus adventu mense, Salvatici casus, qui omnium mentes; animosque convertit, & Societati mirum in modum conciliavit. Nicolaus tot, tantisque omnium Ordinum cumulatus est beneficiis, ut ex damno lucrum emerserit. Nam & supellectilem reparavit, & rem familiarem restituit, & censum amplificavit, & ædificationem instituit, donec, ex quo Melitam venerat, quarto exacto jam anno, emeritum re benè gestâ, & tantæ virtutis hominem, Mutius ad Collegii Panormitani magistratum designandum censuit. Sed altiora Deus præmia de-

Præteritos ob tumultus, magistratum inchoat tristem, & ærumnosum.

Ejus in gubernando prudentia singularis.

Eximia ejus dexteritas adversariorũ animos convertit, & Societati cõciliat.

destinaverat. Quare quum singularem sui opinionem, & amorem, ac futuri desiderii dolorem Melitæ reliquisset, & Octobri exeunte, Syracusas appulisset, gravi morbo correptus est; quum annum ætatis numeraret unum infra quinquagesimum. Tum B. Xaverii memor promissorum, qui annum ei undequinquagesimum fatalem prænunciaverat, propediem se moriturum intellexit. Bis decumbenti tartarea monstra se ostenderunt, bis lustralis aquæ aspergine, ejecta sunt. Adfuit & Virgo Mater, quæ exertis uberibus, lac ei gustandum præbuit, quo ille nectare recreatus, quum sensibus, & mente constaret: *O lac!* exclamavit, *o lac! o ubera! o Mater!* Quæ verba, gaudio exiliens, identidem renovabat. Tum unus ex iis, qui aderant, Patribus, sensibus abalienatum credidit, & cœlestia patientem; quare viri sanctitatem demiratus, in alterius aurem insusurravit: *Curandum esse, ut tanti hominis imaginem sive vivi, sive mortui Pictor tabulà exciperet.* Audiit Nicolaus, oculos aperuit, & in eum præter morem, inimico vultu acriter intuens, manu significavit, se, nè id fieri posset, curaturum, ac suum quasi inimicum indicans, vibravit digitum, more minantis. Eo autem extincto, peritissimi Pictoris frustra est opera adhibita. Quoniam neque manus arti respondebat, neque manui penicillus parebat, neque penicillum sequebantur colores, neque coloribus consueta vis inerat, neque ulla effigies extundi potuit, quasi defuncti facies, quam artifex intuebatur, opus aversaretur. Quocirca Pictor mirans, & stupens: *Utique*, inquit, *magnus hic Dei amicus, qua vivens tantopere valebat, retinet in feretro continentiam*; seque inde proripuit, si fortè procul ab ejus conspectu, opus succederet; sed ad vultum ejus nunquam accessit. Quindecim ferè dies, quotidie moriturus, cum morte conflixit, assiduis exanimatus deliquiis. Pridie tamen ejus diei, qui summus fuit vitæ ejus, quum nonnihil recrearetur, cibum sumeret, ac peteret, & medicis spem vitæ faceret, gratulantibus omnibus; mirè lætus edixit, se postridie solutum iri, quo die *Præsentata* in Templo Virginis memoria coleretur. Neque aliter factum est: decessit enim jecinoris vitio, XI Calendas Decembres, quum annum ætatis quinquagesimum jamjam attingeret, Collegii Panormitani Rector designatus. Eà ipsà horà, qua corpore soluti sunt manes ejus, de tertia ferè vigilia, cœlesti luce conspicui per speciem se obtulere P. Philippo Papaleo Plateensi, necessario suo, qui paulò ante Syracusas hospes venerat, & dormientem his vocibus excitârunt: *Vale Pater, vale. Ad æternitatem, ad æternitatem, ad Superos.*

Anno, quem B. Xaverius ei prænunciaverat, extinguitur.

Decumbenti adest Virgo, & lac ei gustandum præbet.

Ejus imaginem, nunquam Pictorem tabula excepturum, significat.

Eventus vaticinio congruit.

Manes ejus cœlesti luce conspicui P. Philippo Papaleo se ostendunt;

Paulò post audivit prætereuntium strepitum, qui morientis lectulo adfuerant, & de fato ejus colloquentium. Surrexit confestim, & mortuum reperit, nec planè frigidum. Exequiis ejus, ut hospitis, & ignoti, interfuit effusa Civitas, certantibus Syracusanis, ut aliquid ex feretro, ac corpore ejus auferrent, flores, vestium segmenta, ungues, capillos, quibus admotis, repentinæ auditæ sunt curationes. Existunt Alberti Beninca-sæ Messanensis, junioris magistri (qui postea Sacerdos exauctoratus est) ex Collegio Syracusano, XIII Calendas Januarias ejusdem anni, ad Franciscum Testagrossam Drepanitanum, Calatahieronem datæ litteræ, quibus juniorem amicum de beato P. Nicolai Ursi exitu certiorem facit, & reliquiarum ejus particulam dono mittit, his planè verbis: *Habes his complicatum litteris, serici purpurei fragmentum, quo aquà respersо, refrigeratum est pectus ejus, quum moriens, inter cœlestis Patriæ desideria, divini amoris igne æstuabat, & ardentissimè conflagrabat, quamvis febre careret. Quod quidem inter res cariores, sacratioresque servare poteris, tanquam certum, & intimum sanctitatis ejus argumentum, & summa caritatis testimonium.* P. Franciscus Modica Bisbonensis, qui Collegio præerat Syracusano, flagitantibus Patribus, corpus ejus communi sepulcro non intulit, nisi cypressino clausum loculo, & unà lapidem, in quo titulus esset insculptus.

Insitatis honoribus funus ejus celebratur

Sanctitatis ejus Alberti Beninca-sæ testimonium.

Sepositо in loco tumulatur.

XXVIII. Sed nondum exhausimus P. Nicolai Ursi, cùm publicas, tum privatas virtutes, quas operæ pretium est utcunque delibare. Corporis, animique pudorem, & candidissimam vitæ innocentiam, nè cogitatione quidem, ab infantia ad fatalem horam violavit, naturæ etiam expers desiderii, venerem appetentis. Eam mentis integritatem, frangendi, domandique corporis studio, infans tueri cœpit, & in Societate amplificavit; vigiliis enim, jejuniis, diurnis nocturnisque flagellis, & interdum cruentis, aculeatis catenis, atque perpetuis laboribus, viriles annos exercuit, & senectutem intercepit. Compertum est Melitæ, cubanti sibi, pro linteis, cilicium insterni solitum, horrentibus setis contextum, qui brevissimam corporis requiem excruciaret. Animi etiam cupiditatibus, si quæ erumperent, adeo restitit, ut humanarum rerum sensum amiserit, & nihil jam metueret, præter honores, quos ille non modò est aspernatus, sed sibi maximè infensos habuit, atque ita gessit, ut si ad ludibrium proponeretur nullius numeri homunculus, quum sapientibus, doctisque viris præficeretur. Quare eorum virtutem, nunquam se satis extollere, & admi-

P. Ursi innocentia, ac severitatis ejus ratio, & modus.

Admirabilis ejus temperantia.

ra-

Digitized by Google

rari existimabat; qui tam verecundè tali homulo obtemperarent. Hinc suavissimus in omnes amor, maxima singulorum existimatio, & pudor in præcipiendo sanè incomparabilis. Quo factum est, ut non minùs diligeretur, quam diligeret. Divinarum rerum studiosissimus, a pueritia institutam, intimam cum Deo familiaritatem, & conjunctionem usque adeo in dies cumulavit, ut inconsuetudinem, atque naturam ea migraverit, & quidquid ille ageret, aut loqueretur, repentino impetu existeret. Quare nemo fuit, qui semel eum allocutus, divinitatis in homine residentis numen non cognosceret. Nam inter confabulandum identidem exclamabat: *O Deus! o Gloria! o Æternitas!* Quod quũ ingenuè, & ex animo faceret, ut qui divinæ caritatis vulnus intus aleret; non molestiam audientibus, sed pietatem, & religionem efficiebat. Fuit inter ejus tirones P. Silvius Tornamira, qui comes ab eo adhibitus, ut rure unâ spatiarentur, inter cœlestium rerum colloquia, sensibus ereptum vidit, candente vultu, scintillantibus oculis, tumentibus venis, ultro citroque concursantem, & quæcunque oculis sese offerrent, complectentem, & suavissimè exosculantem, arbores, virgulta, lapides; atque exclamantem: *Deus Deus; his etiam rebus inest Deus*. Erga divinam *Eucharistiam* tantopere afficiebatur, ut eam diu, noctuque de genu coleret, & quidquid temporis negotiorum officia vacuum relinquerent, ad aram, in qua ea servaretur, collocaret. Minister Collegii Panormitani, quum Juniores in Gymnasiis Doctoribus darent operam, facto jam sacro, linteatus Sacerdoti quotidie apparebat, ut immolanti ministraret. Rector Collegii Mamertini, quoties in Sacello domestico, quod est in summo situm conclavi, sacrificium perageretur, statim ac tintinnábulo significari accipiebat, hymnum ca ni ter Sanctum, & panis vinique impendere consecrationem, nullum erat tam grave negotium, quod non extemplo interm itteret, ut accurreret, eóque ascenderet, & cœlestem Victimam pronus adoraret. In magistratibus verò tam fuit diligens, laboriosus, sapiens, & recti, bonique tenax, ut nemo alius. Suavitatis, de qua diximus, abundantiam, exquisitissimo disciplinæ studio, non sine cœlesti quadam sapientiâ temperavit. Nullam dimisit culpam pœnâ vacuam, & quam vel privatim, vel publicè non reprehenderet. In invitos tamen nunquam animadvertit; sed in eo plurimùm laboravit, ut inviti non essent; neque ab incœpto unquam destitit, nisi pervicaces expugnâsset. Quod si diutiùs detrectarent, ipse se super mensam reprehendi, & accusari patiebatur, quòd disci-

Intima ejus cum Deo familiaritas, & cõsuetudo.

Quũ rure spatiaretur, inter cœlestium rerum colloquia, sensibus eripitur.

Erga Ss. Eucharistiam ejus religio singularis.

Ejus in gerendis magistratibus mansuetudo, & continentia.

plinam negligeret; atque eà re tandiu contumacibus pudorem injiciebat, donec reprehensionem ipsi flagitarent. Ex Suorum numero neminem unquam, sive infirmum, sive infensum, & licentiæ cupidum, aut amoveri curavit, aut excludi, & nemo fuit, qui ad ejus caritatem receptum non haberet. Quare eos præsertim, ad se mitti gaudebat, qui in Societatis retinendæ proposito titubare videbantur. Horum plerosque lenitate, ac patientiâ, ad sanitatem revocavit, atque restituit. Unum tamen Melitæ nactus adeo difficilem, & ingratum, ut libellis etiam famosis eum impeteret, maximis ultus est beneficiis, quibus eum perpetuò lacessivit, & quandiu apud se fuit, a missionis petendæ consilio deterruit. Melitensem magistratum paulò austeriorem quàm consuêsset, admirabili sapientiâ gessit; videbat enim superiorum temporum acerbitatem non aliter leniri, posse, quàm si suos in officio contineret. Ea de re ab amico admonitus, quòd conquerentium significationes in Sicilia audirentur, & inflatiùs etiam, quàm res erat, differrentur: respondit, amare se, atque laudare suorum temperantiam, qui hoc unum de se jactarent, quod temporum haberet excusationem, quum longè graviora, ac veriora possent objicere. Delatoribus neque facilè, neque temere credidit, quod certissimum fuit amoris erga suos argumentum; neque aures denegavit, quod magnum fuit prudentiæ specimen: ita nonnullorum, aut innocentiam asseruit, aut licentiam emendavit. Sed illud ante omnia studuit, quod B. P. Ignatius magistratum gerentibus sapientissimè inculcat: *Rectoris officium erit in primis oratione, & sanctis desideriis, totum Collegium velut humeris suis sustinere.* In eo enim plurimus fuit, ut de suorum salute, ac moribus cum Deo quotidie ageret; quo fiebat, ut de eorum etiam incolumitate, & commodis accuratissimè cogitaret, verecundos, ut abs se peterent, lacesseret, petentibus gratias ageret; petendi pudorem occuparet; si quid opus haberent, per se rimaretur; tentaret manibus, eséntne probè induti, & suas cum eis interdum vestes mutaret. Denique non verebor, P. Nicolaum Ursum tanquam ex primæva Societate delapsum publicæ, privatæque virtutis exemplum, & purioris imaginem disciplinæ posteris commendare.

In Societatis proposito titubantes mirabili comitate confirmat.

Suorum subditorũ querimonias diluit temperantiâ singulari.

Constitut. part. 4 cap. 10. §. 5.

Reliquæ gubernationis ejus eximiæ virtutes.

1644

XXIX. Jacta sunt Anno 1644 Neætinorum Alumnorum Collegii semina, quibus optimè coalescentibus, exortum postea est externorum Adolescentium Domicilium, Societatis institutioni demandatum. Jam ab anno 1642 Petrus Ragusa, S. Nicolai Canonicorum Collegii Antistes, testamentum condiderat,

Petrus Ragusa Neæti Alumnorum Collegium instituit.

quo

quo Josephum Ragusam fratrem, & hæredem suum jusserat, censum constituere, ad viginti Adolescentes alendos idoneum, qui Neætini essent. Sin horum numerus non suppeteret, ex finitimis oppidis legerentur, & Societatis Scholas adirent. Præscripsit alumnis cærulei coloris talarem tunicam, mandavitque, ut ante pectus tunicæ assutam gererent Virginis sine labe conceptæ imaginem. Designavit etiam certos homines, qui Collegii censum, & disciplinam curarent, in quibus Societatis Rectorem appellavit, quicunque in posterum Neætino Jesuitarum Domicilio præesset. Sed hoc demum anno, eo ipso die, quo e vivis abiit, nimirum VI Calendas Junias, codicillos adjecit, quibus hæredi solutum fore, ac liberum jussit, quamcunque clausulam arbitratu suo abrogare, & quæ viderentur, convertere. Itaque Josephus frater, ejus hæres, anno 1650, curatores testamento designatos abdicavit, & anno, qui proximè est consecutus, Franciscum Piccolomineum summæ Societatis Antistitem, publicis tabulis requisivit, ut institutam a fratre Adolescentium Convictionem, ad Neætini Societatis Collegii perpetua, & libera jura migrare pateretur, eà dumtaxat conditione, ut primos sex alumnos ipse deligeret, reliquos deinceps Neætini Collegii Rector optaret, qui censùs quoque, & disciplinæ administrationes, summo, ac pleno jure susciperet, atque idoneos administros seligeret. Sed ea postulatio, Piccolomineo jam extincto, & paulò post Gotifredo, ad Goswinum Nichel delata est, & recepta. Quare P. Antonino Marescalco Neætino committitur, ut hæreditatem, & Collegium adeat Adolescentium, ædibus jam ad id, prope B. Catharinæ Templum, constitutis, vacuis tamen adhuc, nondum contracta Adolescentium manu, qui Convictionem inchoarent. Sed publicæ, atque legitimæ Goswini litteræ, quibus, & Ragusæ donationem, & Marescalchi possessionem ratam haberet, allatæ non sunt ante Septembrem anni 1652, & earum adventum occupavit Josephi Ragusæ fatum, qui octogenarius, XIII Calendas Septembres, vivere desiit. Quare Carolus Vigintimillia, qui Provinciam administrabat, Neætum venit, ejusque auctoritate, Franciscus Brigandius Messanensis, Neætini Collegii Rector, legitimis tabulis cum Ragusarum hæredibus transegit, & Adolescentium institutionem in se, suosque recepit, cum iis conditionibus, quæ Societatis disciplinæ minimè adversarentur. Pollicitus est etiam, non defuturum sacræ Theologiæ Doctorem, cui alendo, Petrus Ragusa annuos ferè centum legaverat. Quoniam verò ejusmodi Convictionem Vincentius, &

Census constituitur, & Convictionis leges præscribuntur.

Ejus domicilii cura Neætini Collegii Rectori demandatur.

Ad Neætinæ Cõvictionis initia P. Antoninus Marescalcus mittitur.

Franciscus Brigãdius ejus institutionem curat.

Fran-

Franciſcum Deodati fratres, quos Petrus Raguſa primis tabulis Curatores appellaverat, & Joſephus abdicaverat, oppugnare non deſtiterunt, & Panormi, ac Syracuſis perpetuis eam litibus implicuerunt, ampliata eſt ejuſdem inauguratio ad annum 1656, quo demum poſtridie Idus Septembres, undecim numero Neætini Adoleſcentes, cæruleâ induti tunicâ, cui ad lævam ante pectus aſſuta erat Sanctæ Mariæ *Conceptionis* effigies, e Societatis Collegio bini prodierunt, eorumque agmen ducebat Vincentius Sparatorius Neætinus Sacerdos, quem P. Franciſcus Montaltus Syracuſanus, qui Collegio præerat Neætino, novi Domicilii Rectorem deſignaverat. Tum more ſupplicantium, Ambroſianum canticum concinentes, inter tubarum, tibiarumque concentus, plaudente Civitate, per celebriores vias ad B. Catharinæ ædes, ut uſus poſceret, eleganter ornatas, deducti ſunt, ibique conſederunt, & Convictionem ſolemni ceremoniâ initiârunt. Poſtmodum tamen amplificato Alumnorum numero, quum anguſtè habitarent, ad laxiores ædes prope PP. Prædicatorum Cœnobium commigrârunt, quas Joſephus Raguſa ad id coëmerat. Anno demum 1693, quum Neætina Civitas maximis concuſſa terræ motibus, ac ruinis averſa funditus, ſedem, & ſolum verterit, atque in proximo colle conſederit; eódem utrunque Societatis Collegium commeavit, & ædificationem ita inſtituit, ut alterum alteri, intimo aditu, ſit finitimum, atque contiguum.

Neætina Convictio, inſtruitur, & publicatur.

Plauſus, & acclamatio Civitatis.

Semel, & iterum ſedem vertit, ac tandem in ædibus Collegio contiguis conſedit.

XXX. Funera hujus anni auſpicatus eſt P. Antoninus Granonius, apud Thermas Selinuntias ortus, & de Collegio Drepanitano, in quo inveteravit, optimè meritus, cujus rem familiarem annos quamplurimos procuravit, ac mirificè auxit, & ædificationem maximè adjuvit; anno præſertim 1619, quum *Cœnobitarum* globus proximas ædes coëmit, & ædificandi ſpem omnem amputare conatus eſt. Nam & Panormum venit, & jure egit, & adverſarios ad vendendum compulit, & ſex aureorum millibus moleſtiam redemit. Naturâ fuit difficili, & ad iraſcendum proclivi, non ita tamen, ut eſſent iræ implacabiles. Tantæ enim virtutis erat, ut ſi quando exarſiſſet, & concitatiùs locutus eſſet, non cunctabatur ad ejus pedes ſe abjicere, quem dicto læſiſſet, & veniam petere. Salemitani Collegii exortum, & incrementa nonnihil promovit; quum *Arcodacis Baroniſſam*, inſtitutionis ſuæ alumnam, Drepani audiret, eique illius condendi ex integro potiùs, quàm Collegii Drepanitani augendi auctor fuiſſet. Beatam Mariam Magdalenam, quam *Pœnitentem* dicunt, magnopere coluit, ab ea-

P. Antoninus Granonius de Collegio Drepanitano benemeritus.

Difficilem naturam inſigni temperantiâ flexit.

Laboranti Collegio Salemitano opem affert.

que

que de proximo, ut fit, vitæ exitu, admonitum ferunt: nam uno ferè ante obitum menſe, fatum ſibi impendere pronunciavit, amiçis, & familiaribus valedixit, ſuperioris vitæ maculas omnes accuratè expiavit, atque ſeceſſit, ſeque totum religionibus involvit, in quibus apoplexiâ correptus, biduo ferè, XIV Calendas Februarias, placidiſſimè conquievit, anno ætatis tertio, & ſexageſimo, Societatis, quam Sacerdos injerat, ſexto ſupra trigeſimum. Hoc item anno, incerto tamen die, ac menſe, quum ad indos navigarent, biennio ferè, quàm ex Provincia exierant, extincti pariter ſunt, & Oceano conſepulti, Patres Hieronymus Finiclarus, & Joannes Raphaël Lucenſis, nauſeâ, & inediâ confecti, quum uterque annum vitæ undetrigeſimum ageret. Conjuncti moribus, ætate, virtutibus vixere, ac in eadem navi mortui ſunt, eodemque menſe, quem Tornamira Junium fuiſſe tradit; diem nemo appoſitum reliquit.

A B. Maria Magdalena, cui erat maximè addictus, de proxima morte admonetur.

PP. Hieronymus Finiclarus, & Joannes Raphaël, quum ad Indos navigarent, extinguũtur.

XXXI. Extulit quoque, paucis ab ejus adventu menſibus, Domus Panormitana P. Vincentium Marottam Catanenſem, qui ſeptuagenarius eò venerat, quum præcipuam conſtantis ætatis partem Catanæ poſuiſſet, optâſſetque extra Patriam, ubi eſſet parum cognitus, vitam finire, nè fatum, quod imminere non ignorabat, honores conſequerentur, qui tamen advenam, & ignotum ſunt conſecuti. Pro lintea ſubucula cilicium nudo, & infimo corpori ſemper admovit, merique aſſeres cubantem exceperunt, qui ſomnum ex moleſtia brevem efficerent. Perpetuas valetudines, quandiu per vires licuit, ſtans aſſiduis laboribus, & inediâ curavit. Modici fuit cibi, atque vulgaris, qualem quotidianæ menſæ Societatis frugalitas apponere conſuevit. Ceterum exquiſitiores epulas nunquam attigit, neque ſibi apponi paſſus eſt. Silendi ſtudioſiſſimus, atque latendi, dies, noctesque cum Deo tranſigebat, cujus commemoratione tantopere afficiebatur, ut in divinarum rerum collocutione facilè ſenſibus eriperetur, & cœleſti voluptate colliqueſceret. Identidem ei ſeſe per ſpeciem obtulere Defunctorum manes. Convenerat inter eum, & Fratrem Silveſtrum Groſſum Rametten-ſem, ut uter eorum fato occuparetur, ſuperſtiti ſe oſtenderet, & de ſe, ſuiſque rebus ſignificaret, ſine terrore tamen, quem larvæ afferre ſolent. Poſt annum, Agrigento revertens, adhuc tiro, interfectus eſt Groſſus in itinere. Sub noctem perlatum eſt Bisbonam, Jeſuitam necatum fuiſſe, neque quis eſſet, reperiebatur. Tum Marotta, qui ibi verſabatur, in cubiculum ſeceſſit, lucernà nondum illatà, ut pro defuncti Manibus, quicunque eſſet, Deo ſupplicaret. Vix in genua ſe dederat, quum re-

P. Vincentius Marotta Panormi fato concedit.

Præclariſſimæ virtutes ejus, & religiones.

Defunctorum Manes identidem ei per ſpeciem ſeſe offerunt.

F. Silveſter Groſſus adhuc tiro in itinere interficitur.

pen-

pentè magnam a tergo lucem fulgere vidit, quam a Silvestro Grosso, qui aderat, manantem respiciens cognoscit, ut ad annum 1604 est demonstratum. Quum de Josephi Franchi morte audivisset, quem familiarem habuerat, & intimè amicum, & sacras pro eo preces funderet, conspicatus est dubia in luce manes ejus, a quibus etiam accepit, legatum ab se Societati *Albanelli* prædium, monstratæque sunt testamenti tabulæ, ad eumque projectæ. Rogati Manes, quo loco essent, silentes evanuerunt. Catanæ morabatur, præibatque in Templo Sanctorum invocationibus, quas Nostri per æstatem communiter a prandio, & alternatim recitare solent; quum Sororis gravissimè decumbentis meminit, eamque Deo commendavit. Tum ei se Soror, lucem omni ex parte diffundens, videndam præbuit, docuitque propediem se morituram, & cum superis futuram. Eo viso, mente, ac sensibus abalienatus, sacras preces intermisit, suffectusque est alius, qui eas absolveret. Soror autem paulò post, fato concessit. Reliqua ejusmodi quamplurima, quorum meminit Tornamira æqualis ejus, & amicus, satis visum est indicare, & apud eum legenda relinquere. Plurimùm in omni vita laboravit, ut sacri honores Bernardo Colnago populari suo decernerentur; & biennio ante mortem curavit, ut ossa ejus, Idibus Januariis legerentur, & ornatiùs tumulata, ibidem coram testibus infoderentur. Eo defuncto, nemo alius inventus est, qui ejus rei satageret. Funus ejus quamvis hospiti, & Panormi non satis cognito, magno omnium Ordinum concursu est celebratum, Idibus Martiis. Jam ab annis superioribus in privato Domùs Mamertinæ Sodalitio, cui *sancta*, ut ajunt, *Conversatio* nomen fecit, exhibebatur alternis concionandi consuetudo, quam *Exercitium Apostolicum* auctores appellavere. Familiarem hunc, facilem, & ad populum erudiendum, maximè accommodatum dicendi morem, sibi hoc anno Templum vindicavit, ut publicè singulis mensibus expromeretur. Sedebant in pulpito, ad id contabulato, duo nostri Sacerdotes, qui interroganti, ac respondenti similes, dialogum instituebant, quo audientium animi, magna cum voluptate, ad christianæ vitæ normam informarentur, utriusque sermonem musicis interpellantibus. Messanæ repertam salutarem, atque jucundam populi instituendi rationem cupidissimè arripuerunt cetera Provinciæ Collegia, in quibus ita coaluit, ut ex menstrua, ad octavum quoque diem brevi migraverit, & ad hanc usque scribentis ætatem, magno ubique concursu, & emolumento omnium salutis celebretur.

P. Silvestri Grossi, & Josephi Franchi Manes ei se ostendunt.

Vide tom. 1. de Ortu, & Reb. Gest. Prov. Sic. ad ann. 1604.

Ejus Soror paulò ante mortē ei se videndam præbet; & brevi cum superis futuram, docet.

Curat, ut sacri honores Bernardo Colnago decernantur.

Messanæ nova alternis cōcionandi consuetudo primùm exhibetur, & ejus ratio expenditur.

Hunc dicendi morem cetera Provinciæ Collegia arripiunt.

Mu-

Digitized by Google

1645

XXXII. Mutio Vitellesco e vivis erepto, convocavit hoc anno 1645, Provincialem Conventum, ad quarto Nonas Majas, Thomas Reyna. Convenere in Domum Panormitanam Patres quinquaginta numero. Dictus est Actorum scriptor P. Augustinus Cajetanus Syracusanus, ejusque Adjutor P. Laurentius Rundus Alcarensis, Tirocinii Mamertini magister. Designati denique sunt ad delectum negotiorum, de quibus ad Conventum referri oporteret, & minuendas domesticas Collegiorum controversias, PP. Alexander Nevola, & Hieronymus Tagliavia. Relatum est de P. Cosma Pipio Drepanitano, qui tunc temporis transitionem agitabat, & Societatem cum alio *Cœnobitarum* Ordine mutare constituerat, rogatique sunt Patres, an ejus nomen ex proposito *Professorum* indice esset eradendum, qui defectionem cogitaret. Censuerunt summo consensu, id contra fas esse, quamdiu in Societate permaneret: in qua & permansit, donec annum vitæ percurrens septimum, & septuagesimum, anno 1668, Drepani fato concessit. Post triduum designatus est ad Romana Comitia, alterà suffragatione, P. Alexander Nevola Panormitanus. Item P. Bernardinus Bonicius Melitensis, suffragiis sextùm rogatis. Additi sunt, qui his, & Reynæ, fortè prohibitis, subrogarentur, hoc ipso ordine, tertià singuli suffragatione, P. Paulus Garlanus Corleonensis, qui Domui præerat Panormitanæ, P. Melchior Bellius Messanensis, P. Franciscus Delbene Panormitanus. Sed Reyna, Nevola, & Bonicius profecti sunt, quibus Conventus quadraginta numero postulationes, de quibus ad Romana Comitia referri curarent, Romam deferendas tradidit. Eæ complectebantur universam Societatis, & Provinciæ disciplinam. Non placuit tamen Patribus Romæ ad delectum postulatorum designatis, ad summum Conventum deferri, nisi pleraque. Petebatur, ut summo Societatis Antistiti non Frater adesset, sed Sacerdos, qui esset ab admissionibus. Fratribus adimi pileum, quo Sacerdotes utuntur. Suffragia de cogendis maximis Societatis Comitiis occultè ferri, ut libera essent, nè deinceps contingeret, ut proximè factum, magno cum disciplinæ detrimento, propterea fuisset, annum fluere prope trigesimum, quin cogerentur. Deleri parva Collegia, neque in posterum recipi. Decurtari extimam togam, qua Fratres per hiemem utuntur, nè interiori veste sit prolixior. Eos, qui inferiores litteras ante Sacerdotium non tradidissent, ad eas adigi post Sacerdotium tradendas, & hujusmodi alia. Laudato Provinciæ studio P. Vincentius Caraffa, ad quem Romana Comitia summam Societatis rerum

Thomas Reyna Provincialē Cōventum Panormi convocat.

Quid de P. Cosma Pipio Societatem deserere cogitante, Congregatio senserit.

PP. Alexander Nevola, & Bernardinus Bonicius ad summa Societatis Comitia destinantur.

Provinciæ postulationes in Romano Conventu exponendæ.

Sapientissimum Caraffæ rescriptum.

rum detulerant, reſcripſit, pleraque luculentis fuiſſe Comitiorum decretis comprobata, nonnulla nè propoſita quidem, reliqua, vel ad Provinciæ Rectorem rejecta, vel ad cogitandum, & deliberandum reſervata. Thomas Reyna, illis ipſis Romanis Comitiis, Italiæ *Aſſiſtens* appellatus, in Provinciam non remigravit. Juſſus eſt ei ſuccedere P. Ignatius Garganus Neapolitanus, qui Joſephum Caſtelnovum excepit, a Reyna pro ſe in honore relictum.

P. Thomas Reyna Italiæ Aſſiſtens, P. Ignatius Garganus Provinciæ Rector appellatur.

XXXIII. Principem inter hujus anni defunctos, extra ordinem obtinet locum Frater Sebaſtianus Ferrignus, cujus funus ad annum ſuperiorem ſpectare contendit Tornamira. Alii ortum Salerni tradunt, alii apud Pagum Majorem in litore Amalfitano. In Siciliam eà mente venit, ut procul a ſuis, liberiùs iniret Societatem, & alacriùs in ea permaneret. Præter ceteras Fratrum virtutes, quarum in domeſtica ejus conſuetudine nullam deſiderari contigit, præcipua in eo eluxit laborioſæ vitæ conditio, in qua ad ſummos uſque canos perſeveravit, in Collegio potiſſimùm Lilybœtano, ubi conſenuit, & in piſtoriæ artis labore annos propemodum quadraginta ſolus conſumſit. Tanta autem fuit elaborati ab eo panis præſtantia, quam nullus unquam caſus, aut farinæ conditio variavit, ut communis eſſet domeſticorum, nec temerè jactata perſuaſio, eum in ſubigenda farina, & reliquis piſtoriæ adminiſtrationibus, adjutrices habuiſſe cœleſtium Epheborum manus, & ejus præſertim, quo cuſtode utebatur. Nemo enim dubitabat, ſupernas eas mentes cum eo jam ſene, & tantæ diurnæ, nocturnæque defatigationis impote, verſari familiariter. Deceſſit ſeptuagenarius, ſeptimo Idus Novembres, quum annos undequinquaginta in Societate meruiſſet.

F. Sebaſtiani Ferrigni Patria, mors, & eximiæ virtutes.

In ſubigenda farina cœlites adjutores habuiſſe fertur.

XXXIV. Nunquam ſatis amiſſum doluit Collegii Panormitani Academia P. Franciſcum Delbenium Panormitanum, quem ſexagenarium, & longiore dignum ætate, mors intercepit. Summo ingenii acumine præditus, & omni litterarum genere ornatus, ſublimiores diſciplinas tanta cum laude domeſticis, externiſque Panormi tradidit, quantam pauciſſimi meruerunt. Copioſam doctrinæ ſupellectilem, quàm maximè commendavit benevolus animus, & omnibus gratificandi domi, foriſque ſtudium ſingulare. Quare nemo erat, quacunque re indigeret, qui ad eum non confugeret; ſingulis enim non conſiliorum modò prudentiâ, ſed rebus etiam, quantum opes ejus paterentur, ſubvenire nunquam deſtitit, eo præſertim tempore, quo emeritus jam, & docendi honore perfunctus, ſum-

P. Franciſcus Delbenius Panormi ſanctiſſimè moritur.

Ejus doctrina, & in explicādis negotiis prudētia ſingularis.

Digitized by Google

summam Academiæ Præfecturam Panormi gessit. Quæ ejus fuerit apud Optimates, & utrumque forum, ac curiam existimatio virtutis, atque doctrinæ, ex eo judicari potest, quod scribit Riela, his planè verbis: *Summam apud alios opinionem nactus, ac totà Panormo celebratissimus, nullum controversia judicium in forensibus, civilibusque subselliis exercebatur, præcipuè verò apud Optimates, in quo P. Franciscus Delbenius non sederet.* Sed longè illustrior habita est, qua domesticæ juventuti præluxit, maximarum virtutum consonantia, quarum præcipua fuit excelsa quædam temperantia. Parum enim fuit, quod se in eo honoris culmine situm, nè junioribus quidem anteferret, nisi etiam Fratribus, iisque tironibus posthaberet. Neminem unquam ad corporis, aut cubiculi obsequia admisit juniorem, neque cuiquam, qui sibi esset ad exeundum comes designatus, molestus fuit, quamvis ei certatim omnes famulari flagitarent. Ad reliquam disciplinæ, jejuniorum, parcitatis, & frangendi corporis consuetudinem, addidit quoque admirabilem somni continentiam. Quippe nunquam, nisi æger, cubans, & positis indumentis, quietem sibi indulsit, sed indutus, & sedens, ac dormitantis more. Desiderium ejus ferre cœpit communibus lacrimis Collegium Panormitanum, postridie Nonas Septembres, quum annum in Societate egisset quintum, & quadragesimum.

Ejus rei luculentum Rielæ testimonium.

Jacobus Riela Chron. Prov. Sic. ad ann. 1645.

Præcipuæ virtutes ejus attinguntur.

XXXV. Magnum quoque in P. Francisco Giunta, Placidi Frater, Mamertina Tironum Domus damnum fecit. Natus est Maurojannii, in Mamertinæ jurisdictionis Pago, quem juniores *Valdinam* dixere. Quum Theologicis Artibus in Collegio Romano daret operam, non parum ab ingenio commendatus, Societatem Romæ amplexus est, & studiis laudabiliter emensis, Provinciæ redditus. Fuit magni animi vir, maximique consilii, neque facundiâ defectus; quare in explicandis negotiis mirâ usus est felicitate. Nihil tamen aggrediebatur, quod pium non esset, aut domesticis institutis parum consentaneum. Miram coluit erga Deum religionem, ac pietatem, cœlestium rerum contemplationi maximè deditus, quibus plurium horarum spatium tribuebat, de genu semper, immobilis, & uni sibi innixus. Rerum proinde divinarum scientissimus, informandis tertiùm tironibus admotus est in Societate; extra illam verò feliciorum, sanctiorumque animarum, & primus dux, & eximius cultor est habitus. Duas Drepani nactus optimæ mentis lectissimas feminas, sed divinarum rerum, ut cupidas, ita rudes, Angelam Fardellam, & Catharinam Vincentiam, perfectioris

P. Franciscus Giunta Romæ Societati adjungitur, Messanæ sanctissimè moritur.

Ejus erga Deū religio, ac pietas.

Sanctiorum Animarū primus dux, & eximius cultor est habitus.

vitæ rudimentis sic imbuit, ut ad summum deinceps pietatis, & religionis culmen evaserint, quemadmodum earum acta testantur. Quod quidem maximum fuit sanctitatis ejus specimen. Nihil enim unquam aliis faciendum proposuit, quod ipse non præstitisset. Vitam egit sine cujusquam offensione in perpetuis, præcipuisque magistratibus. Collegium enim Panormitanum, & Mamertinum, annos quamplurimos, infra Rectorem Minister rexit. Deinde Calatahieronense Rector administravit, Tertianis postmodum Patribus Drepani Magister præfuit, & iterum in Mamertino SS. Ignatii, & Francisci Xaverii Domicilio. Ad Mamertinæ Domùs magistratum inde est evocatus. Tironibus denique Mamertinis hoc anno præfectus est, & eodem extinctus, III Idus Novembres, quum annum vitæ numeraret undesexagesimum; Societatis secundum ultra trigesimum.

Magistratuum ejus non intermissa series exponitur.

XXXVI. Memorabilis Messanæ accidit Georgii Ghilberti, Nobilis Angli, ab hæresi ad Romanæ Religionis salutem, & veritatem Conversio. Erat hic in Sicilia jampridem hospes, qui Calvinianà imbutus fæce, non alia de causa Messanam venerat, nisi ut negotiatores populares suos, mysteriorum rudes, in superstitionis errore contineret, nè Catholicorum consuetudine, & ut ipse prædicabat, fallaciis caperentur. Placuit tamen veritatis, & salutis auctori Deo, amentiæ ducem, atque magistrum ad sanitatem revocare, & in gravi casu viam salutis, ac veritatis ostendere. Quum enim in tabificum morbum ex intemperantia incidisset, & certissimè moriturum Medici pronunciâssent; prodiit e Mamertina Domo noster Sacerdos, (quem Placidum Giuntam fuisse suspicor, virum strenuum, & dignum Francisco fratrem) & nihil veritus, quòd Anglicanæ orationis esset ignarus, decumbentem quasi urbanitatis gratiâ, cum interprete adiit, & eò paulatim sermonem deduxit, ut de Christiani sacrificii natura, utilitate, præstantia, disputationem intulerit, & pluribus demonstravit, quàm turpiter in ea oppugnanda claudicent, & a veritate, ac religione aberrent Calviniani. Stetit ille a falso contra verum pugnacissimè, & quanquam æger, ac morbo extenuatus, postulavit tamen, ut disceptatio postridie integraretur. Quid plura? Iterum, atque iterum renovato conflictu, tandem manus dedit, superstitionem coram testibus ejuravit, & ad suprema morientium sacra se convertit, nunquam expiatas superioris vitæ culpas Sacerdoti magno cum fletu commisit, & ut sacrificio interesset, in publicum valetudinarium deferri voluit, & juxta aram decumbere.

Georgius Chilbertus Calvinianam hæresim Messanæ ejurat.

In gravi corporis periculo, a P. Placido Giunta ad animæ sanitatem revocatur.

Varia inter ipsũ, & Giuntã de Religione disceptationes.

Tandem victus Catholicã Religionẽ amplectitur.

re. Ita Christi Signum manu tenens, *Eucharistiâ*, & sacrâ Unctione lustratus, Christum, atque Deiparam dulcissimè alloquens exanimatus est, nec funeris honore caruit. Tres enim e Domo Mamertinâ funalibus instructæ prodiere Sodalitates, quæ defunctum efferrent, atque deducerent. Feretrum, in quo corpus jacebat, candidâ veste indutum, ac floribus redimitum certatim succollantes externi Sacerdotes, honestique cives in Domùs Templum detulere, ubi solemni ceremoniâ justa sunt persoluta, & Majo exeunte, corpus terræ mandatum. Quæ res tanquam cœlestis clementiæ triumphus, Civitatem ita commovit, ut universa confluxerit, nec sine lacrimis christianæ misericordiæ abundantiam spectaverit, & summis laudibus cumulaverit.

Christianis lustrationibus expiatus moritur, & justa persolvuntur.

XXXVII. Bellicum eximiæ magnitudinis navigium, quo una ex Turcarum Regis concubinis cum filiolo vehebatur, jam ab anno superiore subegerat Melitensium Equitum Classis, & Melitam cum captivis abduxerat. Ea res barbarum, sævumque Principem, Christiano Nomini per se infensum, & jampridem de bello cogitantem adeo incendit, ut nihil sibi ad celeritatem reliquum fecerit, quo maximo militari apparatu classem adornaret, quæ Christianas Insulas, & litora invaderet. Sibi proinde hoc anno timebat Melita; neque erat Sicilia metu vacua. Sed postea compertum est, eum belli turbinem Cretam spectâsse, florentissimam Insulam, quam Veneti jampridem obtinebant. Romanus interea Pontifex Innocentius X, nè laborantibus populis deesset, cœleste præsidium, publicam, communemque culparum expiationem, & pœnarum remissionem indixit, iis profuturam, qui certis jejuniis, ac religionibus, sibi Deum propitiarent. Vix dici potest, quanta exinde provenerit nostris hominibus in universa Provincia laborum seges. Lustrata enim sunt supplicationibus, crebrisque concionibus, & criminum audiendorum assiduitate, nè nocte quidem sibi ad quietem relictâ, Oppida, & Civitates, in quibus essent Societatis constituta Domicilia. Excursiones etiam ad finitimos populos sunt institutæ, ex quibus lætissimus misericordiæ, ac caritatis relatus est fructus. Expiata est enim universa Sicilia, & ab hostium metu liberata, qui bellum Creticum conflare aggressi sunt. Rebus ita compositis, P. Thomas Reyna Provinciæ Antistes, unà cum PP. Alexandro Nevola, & Bernardino Bonicio, ad summa Societatis Comitia Romæ celebranda, prope Idus Octobris, Panormo solverunt, jussusque est P. Josephus Castelnovus, qui in interregno Provinciæ præsideret.

Classis Turcica in Christianas Insulas adornatur.

Innocentius X, laborãtibus populis Jubilæũ indicit.

Religiones quamplurimæ sub id tempus a Nostris per universam Siciliam instituũtur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

P. Ignatius Garganus Provinciæ adit magistratum, eique succedit P. Ludovicus Bompianus. Collegium Bidenense iterum coalescit. Ex annonæ caritate, plebecula seditiones, & Nostrorum pericula. Unus, & alter Provinciæ Conventus. In primo P. Melchior Bellius, in altero idem, & P. Josephus Castelnovus Romam legantur. P. Petri Antonii Castelli, & aliorum insignium Virorum funera, quique incidunt eventus, usque ad annum 1650.

1646

P. Ignatius Garganus Provinciæ Siculæ; P. Josephus Castelnovus Mediolanensi præficitur.

IN maximo Societatis, ut paulò ante significavimus, Conventu dictus est summæ Societatis Antistes P. Vincentius Caraffa, in quo talis, ac tantus eminebat virtutum concentus, ut non facilè judicaveris, majórne homini inesset sanguinis claritas, an probitatis, & doctrinæ excellentia; datusque est ei consiliorum, & Italiæ negotiorum particeps P. Thomas Reyna, qui Siculi jure magistratùs Comitiis aderat, & inter Provinciarum Rectores locum obtinuerat. Quare dimisso Conventu, Caraffa P. Ignatium Garganum Neapolitanum ad Provinciæ regimen evocavit, qui tertio Idus Majas Messanam appulit, & tertio Idus Junias iterum conscendit, & Panormum navigavit; atque sub idem tempus P. Josephus Castelnovus, qui posito, quem extra ordinem gesserat, Provinciæ magistratu, Messanæ Garganum opperiebatur, exinde solvit, ad Seminarii Romani præfecturam accersitus, ex qua ad Mediolanensis Provinciæ administrationem evectus est. Sed antequam ex Provincia decederet, Collegium Bidenense, quod anno 1636 deletum diximus, restituit, & Coloniam eò deduci curavit. Quod quemadmodum gestum sit, paucis exponam. Horatius Vita, qui Collegii condendi, atque idem dimittendi auctor fuerat, nostris absentibus, religione tactus, quòd instituta jacerent Christianæ pietatis officia, silerentque Gymnasia, anno 1637, hæredem testamento scripsit Societatem, eà tamen conditione, ut si superioris commorationis sedem mutaret, & in ædibus Josephi Cannizzari Nobilis Bidenensis, & in Collegio *Canonicorum* Decani, qui eas ad id designaverat, figeret domicilium, pro S. Hyppoliti Templo, quod deseruisset, aliud æquè magnum ibi conderet, & S. Hyppoliti religionem, & imaginem eò transferret. Neque tamen vivens se fortunis

Collegium Bidenense olim deletum iterum coalescit.

Horatius Vita Collegii institutionem curat, ac censum constituit.

ab-

Digitized by Google

abdicavit, sed eas retinuit usque ad annum 1645, quo VII Calendas Majas, fato concessit. Missus proinde est, qui cerneret hæreditatem P. Angelus Fazonius Calatanixetensis, proximi Menænini Collegii extraordinem Rector, appellatusque est P. Philippus Alexander Bidenensis, qui eam procuraret, novas ædes Vigintimillii, & Cannizzari, dimissis aliis, ad Coloniam excipiendam instrueret, atque ornaret, dum summus, cujus interest, universæ Societatis Rector, condendi Collegii potestatem faceret. Connitente autem Thomà Reynà, Vincentius Caraffa, inter primas nuper delatæ sibi administrationis curas, Collegium Bidenense cogitandum suscepit, & datis ad id publicis litteris admisit, quarum meminit Castelnovus ad Philippum Alexandrum, Calendis Martiis, scribens in hanc sententiam: *P. Thomæ Reynæ litteris, sexto Idus Februarias datis, cognovi, R. P. nostrum Vincentium Caraffam Collegium Bidenense excludi non oportere, censuisse. Ea de re, & tibi magnopere gaudendum arbitror, & me tibi gratulari debere. Magnum enim, multumque fuit, in eo plurimùm consentiente Conventu, ut condita potiùs Collegia dimitterentur, quàm condenda reciperentur, Collegium Bidenense, quod suà sponte, tam insigni casu dilapsum fuerat, coalescere potuisse. Argumento sit, repudiatum fuisse in Panormi suburbano Cannita Collegium, summo studio efflagitatum.* Designatus est itaque P. Hieronymus Laguna Bidenensis, ex Catanensis Collegii magistratu, qui Coloniam Bidenum deduceret: illata est autem X Calendas Majas, insigni ceremoniâ. Instituta est enim publica Sacerdotum supplicatio, qui linteati venientibus hospitibus, magno agmine obviam procederent, cum Principibus, & Magistratibus Civitatis, eosque ad Domicilium deducerent. Et quidem cœlesti planè consilio factum puto, ut Collegium Bidenense dissolveretur. Quoniam rectiùs, atque utiliùs est revocatum, sive censùs, sive loci ratio habeatur. Nimirum auctiores ad nos ex amicorum liberalitate fundi pervenerunt, quàm antea fuissent; & pro frigida, remota, ac insalubri regione, frequentissimus prope forum obtigit locus, idemque apricus, amœnus, & salutaris. Itaque damnum est lucro appositum.

PP. Angelus Fazonius, & Philippus Alexander ad hæreditatem procurãdam Bidenum mittuntur.

Collegium a P. Caraffa publicis litteris ad id datis, admittitur.

P. Thomæ Reynæ ad P. Philippum Alexandrum litteræ.

Nostrorum Colonia Bidenum deducitur, & summo Civitatis plausu excipitur.

II. Non aliàs fortè tot calamitatum concursu, ut hoc potissimùm anno, in Sicilia turbatum est. Ad magnum namque externi belli terrorem accessit superioris anni messium inopia, & mira annonæ tenuitas, quam hujus anni sudum cœlum, sicca hiems, veris serenitas majorem in modum exaggeravit, aluitque

Maxima annonæ inopia Siciliam premit.

que armorum metus, qui negotiatores impulit, ut abditis in locis frumenta conderent. Sed Mamertina Civitas cùm propter incredibilem populi frequentiam, tum quòd agro utitur arboribus magis ferendis, quàm sationibus idoneo, & tritico ferè caret, præterquam importato, tam inopiâ laboravit, ut Senatûs decreto, venalis panis mensuram elevare necesse fuerit. Ea res in liberrima Civitate, in qua jampridem magna intercedebat inter plebem, & Optimates potestatis obtrectatio, popellum incendit, & maximè concitavit. Inventa est autem mirificè audax Rhegina mulier, quæ panem arundine præfixum gerens, circumiret Civitatem, & seguacem plebeculam usque adeo inflammaret, ut furente populo, III Nonas Sextiles, ad duorum Senatorum fores stramenta, & ligna congesta sint. Unius domum ex clarissima Dulciorum familia conflagrâsse, tradit Auria: Pellizzerius verò auctor est, nonnisi januam igne consumptam. Prodiit enim cum apparitoribus Strategus, qui concitatam disjecit multitudinem, & incendium restinxit. His Panormum perlatis, Petrus Faxardus Siciliæ Prorex, phaselo Messanam delatus, Civitatem, civilibus adhuc jactatam fluctibus, nonnullorum supplicio pacavit. Tum Senatus, qui exploratam habebat in ejusmodi annonæ difficultatibus fidelem, & sedulam Societatis operam, duos e nostris flagitavit Sacerdotibus, Andream Blascum Bellaceram Raccudiensem, & Joannem Melismelium, quorum ille in Apuliam, hic Neapolim, uterque cum ingenti pecunia missus est, ut rem frumentariam explicaret. Qui re bene gestâ, ante anni excurrentis exitum, domum reversi sunt. Sed Bellacera ex eo tempore parum memor Societatis institutorum, externis implicitus factionibus, civilibus tempestatibus adeo se involvit, atque commisit, ut turbidum ejus, ac triste ingenium Societas ferre non posset. Ea de causa exauctoratus, & ejectus, quum annum ætatis ageret jam secundum, & sexagesimum, ad S. Philippi Nerii Presbyterorum disciplinam se contulit, in qua post triennium, repentino fato sublatus est.

Præ ceteris Messanam vexat.

Ex ea Mamertinæ plebis concitatio, ac tumultus.

Auria Chronol. Proreg. Siciliæ ad ann. 1646.
Pellizzerius Chronol. Domûs Mamertinæ ad annum 1646.

Senatus Mamertinus per nostros homines rem frumentariam curat.

P. Bellacera, propter ejus turbidum ingenium Societate ejicitur.

III. Verùm nihil fuit tam salutare Mamertinæ Civitati, & ad sanandas hominum mentes, frangendosque debacchantis populi impetus, quàm P. Aloysii Lanuzæ cœlestis illa facundia, & numine divino incitata, quæ per Majoris Jejunii ferias in Templo Societatis, & aures civium implevit, & mentes salutis cogitatione defixit, & animos ad religionis, ac pietatis studia convertit. Nunquam aliàs ad quenquam audiendum tam effusi facti sunt Mamertinorum concursus. Nam ante lucem Tem-

P. Aloysii Lanuzæ cœlestis facundia Mamertinorũ tumultus componit.

pli

Digitized by Google

pli fores obsidebantur, quibus reseratis, irrumpebant Auditores, ut locum caperent, & concionis tempus expectarent, tantâ frequentiâ, ut quum illuxisset, intercluſus jam omnis esset aditus, & qui ad sacrificia prodirent, ægrè inter stipatos permearent, & ad aras procederent. Sed qui gemitus, quæ lacrimæ, quæ audientium motus animi sint consecuti, vix fidem habet. Quum enim vir cœlestium particeps consiliorum, impendentes ærumnas animo prospiceret, & ut vates identidem caneret, ac populum admoneret, seque Deo victimam pro ejus salute traderet, & flagro publicè cæderet; nemo erat tam durus, ac ferreus, qui non se respiceret, & sibi, quibuscunque rebus posset, consulendum censeret. Sed sacra ejus eloquentia in Templo Civitatis maximo, quod est amplissimum, mirum in modum enituit. Nescio quo casu interpellatus, qui fuerat a Civitate Orator designatus, adesse non potuit. Quare Senatus Societatis Concionatorem flagitavit, & in P. Didacum Philippatium Calatanixetensem oculos conjecit, qui tamen se ab concionibus imparatum, quotidiano labori parem non esse, causatus est. Senatui tamen fuit quacunque ratione obsequendum. Constitutum proinde est, ut nostri homines alternarent conciones, & in principe Templo per vices dicerent. Philippatius, Dominicis diebus, & tertiis feriis; sextis, Franciscus Brigandius; quintis, Aloysius Lanuza. Sed quibus diebus huic erat pro suggesto dicendum, & angustum erat delubrum, & subsellia, extinctis nondum sideribus, conferta cernebantur, & stipatorum armis, atque clamoribus aperiendus erat Senatoribus aditus; nam & Ædis aream populus occupaverat; qui eo pererante, quem neque audiret, neque videret, conclamantibus, atque ejulantibus consonabat, & luctu omnia complebat. Est itaque Civitas emendata, restituti mores, christiana officia revocata; neque ulla audita est in Jejunio populi conquestio, quum annonæ gravitate tum maximè laboraretur. Sed aliæ curæ aliò Lanuzam avocârunt. Quod si Messanæ permansisset, nemini dubium fuit, quin plebs Mamertina in officio perstitisset.

Quos audientium motus Messanæ ejus eloquentia effecerit.

Sacras in principe Templo conciones habet.

Concionum ejus virtutes, & auditorum frequentia.

IV. Principem inter hujus Capitis, & anni funera, & serie temporum, & singularium gloriâ virtutum, P. Petrus Antonius Castellus Mediceus obtinet locum. Pauca supersunt admirabilis vitæ ejus vestigia; sed talia, & tanta, ut confiteri non dubitem, ea me legisse adeo commotum, & a scribendo deterritum, ut nunquam aliàs tandiu hæserim, & scribendi initium non reperirem. Tot enim clarissimorum Virorum acta scri-

P. Petri Antonii Castelli Patria, genus, mores, & eximiæ virtutes:

benti adhuc non occurrit tam obscuræ vitæ cum tot cœlestibus beneficiis conjunctio. Ortus est Florentiæ, anno 1559, quinque fratrum, totidemque sororum natu maximus, natalibus adeo illustribus, & generosis, ut cognatione, & affinitate Mediceos etiam Principes attingeret. Adolescens litteris sedulam dedit operam, unà cum Maffejo Barberino, ejus æquali, cum quo in condiscipulatu familiarissimè versatus, in Pontificatu, quum anno 1623, Urbanus esset Octavus appellatus, nè colloqui quidem voluit, aut ubi esset ostendere, quamvis expeti se, & exquiri non ignoraret. Pisano in licæo artes liberales arripuit, & utriusque Juris Doctor solemni ritu dictus est. Dimissis ex eo tempore litteris, adolescentiam ad arma transtulit, & S. Joannis Jerosolymitani militiæ se addixit, in qua licentiorem vitam instituit, quàm quæ ingenuum adolescentem deceret. Furtivis enim amoribus implicitus, & aleæ, ac ventri maximè deditus, ingentem peregit pecuniam, & citra necem, ac sanguinem duello pugnavit. Pudorem tamen nunquam projecit, nisi quum annum agens ætatis septimum, & vigesimum, veneris adhuc expers, sed ejus experiundæ cupidus, magno Neapoli fuit in periculo, ex quo insigni virtute incolumis evasit. Naturæ desiderio vehementer exstimulatus, & victus, ut sine morbi contagione cupiditatem expleret, nesciam viri puellam, per fidos homines quavis pecuniâ disquiri jussit. Deduxere sub noctem maturam, & nubilem virginem parentes ejus, & apud eum corrumpendam reliquerunt, formâ æquè insignem, ac verecundiâ. Illa demissis oculis, ac pudore suffusa, ut agna, quæ lupum opperiretur, silens, ac mœrens rei eventum expectabat. Castellus tamen eâ specie nihil commotus, cœnam apponi jubet, solus solam, & tristem blandis verbis consolatur, & ut sermonis aditum sibi faciat, neque vim inferre cogatur, ex ea quærit: *Quo sit nomine?* Cui illa cum suspirio respondet: *Maria*. Castellus, ut Mariam audivit, Virginem Dei Matrem cogitavit, & non secus, ac si *Deiparâ* præsente, atque vidente perterritus, metuentis puellæ pudorem ei condonavit; atque *Animo*, inquit, *esto bono, lætoque; nam pudicitia parcam tua, teque tuis, imò Deipara potiùs integram, & incolumem reddam; Mariam Maria, Virginem Virgini*. Tum eam secedere jussit, & recreari. Ipse tentati flagitii pœnitens, eam noctem incœnatus flendo, & veniam a Deo petens, consumit. Parentes, paulò ante lucem ad filiam recipiendam reversos, gravissimis accipit verbis, & concitatiùs objurgat: *Quòd tali indole natam, ejusque pudorem,*

Adolescens sedulam litteris dat operam.

Litteris dimissis, Joannitarũ Ordini se addicit, & liberiorem vitam instituere incipit.

Naturæ desiderio explendi cupidus puellã virginem disquiri jubet, & obtinet.

Audito Puellæ nomine, cui Maria erat a maleficio se abstinet.

Parentes, quòd Puellæ pudorẽ venalẽ habuerint, cõcitatiùs objurgat.

Digitized by Google

rem, quantum in ipsis esset, venalem habuerint. Curaturum se, nè tali filiâ indigni Parentes, venalitii deinceps essent. Intactam proinde puellam esse scirent, sed apud eos non futuram, neque ipsos impietatis, & parricidio proximi sceleris pretium relaturos. Dedit itaque negotium certis hominibus, ut puellam in secessu Virginum tuerentur, & suo ipsius ære alimenta suppeditarent. Ipse postmodum pro dote solvit, & eam honesto viro collocavit. Illustre hoc facinus, tanquam cœlestis vitæ basis, eximiæ sanctitati initium fecit. Nam Dei Matris animum tantopere sibi demeruit, ut nullum fuerit cœlestium beneficiorum genus, quo eum non afficeret, & in dies cumularet. Quorum illud fuit præcipuum, ut ei se ostenderit, & gratias egerit, ac militiam mutare jusserit, & Societatem amplecti. Castellus nihil cunctatus obtemperat, Melitam regreditur, stipendiis omnibus, atque reditibus, quibus cumulatissimè erat instructus, se abdicat, & missionem petit. Qua impetratâ, ut procul a suis religiosæ vitæ tirocinium peregrè poneret, in Siciliam venit, ubi parum cognitus, & nullo numero habitus, ita secederet, ut si terræ filius, & ad humillima Sacerdotum munera vix idoneus, ex misericordia reciperetur, & reliquum ævi spatium hospes transigeret. Ludovicum Maselum Provinciæ Antistitem nactus, suis de rebus eatenus cum eo communicat, quoad Societatis adeundæ propositum postularet; ceterùm, & generis conditionem, & quidquid esset honorificum dissimulavit.

Suo ipsius ære ei alimenta suppeditat, & honesto viro collocat.

Quænam fuerint ex eo tempore ei cœlestia collata beneficia.

Dimissâ Joannitarum militiâ, in Siciliam venit, & Societatem flagitat.

V. Mamertinis tironibus aggregatus, VIII Calendas Novembres, anno 1588, ætatis undetrigesimo, Magistrum sortitus est Andream Ungriam Hispanum, eximiæ probitatis, & sapientiæ virum, a quo prima hausit disciplinæ elementa, tam salutaria, & ad ætatis, ac superioris vitæ conditionem accommodata, ut altissima jecerit temperantiæ, & intimæ cum Deo conjunctionis fundamenta, atque omnem humanarum rerum curam abjecerit, nè patre quidem admonito, quòd a Jerosolymitani Ordinis disciplina, in qua, & sacramentum dixerat, ad Societatis castra transîsset. Sed Ungria, quem non latebat, quanti eum pater faceret, & quanto in luctu futurus esset, si diutiùs nullæ ad eum litteræ afferrentur, suspiciones, quas gravissimas incidere necesse erat, amovendas censuit, & Castello auctor fuit, ut suscepti consilii patrem certiorem faceret; cui nihil tale suspicanti gravissimum accidit, tantas res filium adultum, se inconsulto, movisse: rescripsit enim superiora omnia commemorans: *Et profusum ejus gratiâ patrimonium, & neglectas*

Messanæ, nè patre quidem admonito, nostris Tironibus aggregatur.

Ungriâ auctore, Castellus Patrem suscepti consilii certiorem facit.

Digitized by Google

tas fratrum, atque sororum voces, jampridem graviter expostulantium, quòd cum detrimento familiæ, ei nimiùm indulgeretur; & antehabitam rebus omnibus carissimi filii voluntatem, qui paterni amoris, & pietatis primas tulisset. Præsentia deinde enumerans, quæ dolorem sibi maximum effeciſſent: *Abjectum Patris imperium, illatum familiæ luctum, & dedecus. Dimissas non modo spes amplissimas, sed lautissimas etiam fortunas, quas Jerosolymitanæ militiæ beneficiarius, tot sibi laboribus, atque periculis comparâsset.* Dolebat denique, *Ab eo se, a quo senex, & ager omnia ætatis, ac naturæ solatia speràsset, tantam plagam accepisse, quæ plures vitæ annos adimeret, & mortem repræsentaret.* Quod quàm ex animo diceret, est re compertum. Nam intra duos menses, ex ægritudine animi vitam amisit. Post annum verò filio dedere se in conspectum manes ejus, quàm maximè gratulantes, quòd ipso deprecatore, piacularibus flammis exempti, cœlesti jam Civitate donarentur. Castellus interea, Ungriâ doctore, unum sibi Deum proposuit, tanquam initium, ac finem rerum, & cogitationum suarum, quem unicè amaret, atque respiceret. Reliqua omnia nihil esse secum statuit. Ea fuit prora, ut ajunt, & puppis consiliorum suorum. Nam vitæ rationem ita instituit, ut qui sibi omnino persuaserat, humana omnia de rebus periisse: unum Deum esse reliquum, cui placeret, & cujus voluntati serviret. Quapropter id unum studuit, & assiduis precibus a Deo impetravit, tanquam maximum beneficiorum, & summam votorum suorum, ut in Societate nullo numero esset, nihili fieret, & perpetuò negligeretur, non secus, ac si rudis, & obscurus homo esset, judicii expers, & litterarum; foris verò sperneretur etiam, & ludibrio haberetur. Quod ut abunde consequeretur, ingenium, doctrinam, nobilitatem, virtutes, mirà calliditate occultavit. Quo factum est, ut exacto nondum biennio, Mœnas tiro digressus, ad annum usque quintum dubitatum fuerit, esśetne ad Societatis munera satis idoneus, parumque abfuerit, quin eorum sententia vinceret, qui dimittendum censebant. Productum est itaque tirocinium ejus ad annum 1593: quo demum assiduis precibus, ac lacrimis datum est, ut pridie Nonas Junias, coram Benedicto Moletio primum Societatis sacramentum privatim diceret, & tiro esse desineret. Eodem anno ad divinas artes addiscendas, Panormum venire jussus, gravissimè decubuit, & eò periculi adductus est, ut Medici pronunciarent, ultra sex horas non victurum. Quod cum accepisset P. Osuwaldus Tesimundus,

Patris ad Filium rescriptū, offensio, & doloris significatio.

Defuncti Patris Manes, piacularibus flammis exempti, Filio se ostendunt.

Quantos in religiosæ vitæ ratione processus fecerit.

Quàm de se modicè, humiliterque sentiret.

Memorabile ejus temperantiæ exemplum.

Laurent. Finicl. in vita P. Bern. Colnag. lib. 3. c. 2

Digitized by Google

dus, qui fortè aderat, misericordiâ commotus, quòd maturum jam hominem, advenam, & discipulum suum rebus omnibus destitutum, negligi videret, P. Bernardum Colnagum, qui tum domi versabatur, obsecravit, ut morienti præsto esset, & a Deo mortem ejus deprecaretur. Adstitit Bernardus, & consternatum admonuit, ut Deo acceptum referret, quod eà ipsà esset horà convaliturus, qua Medici moriturum edixerant. Neque vanum fuisse vaticinium eventus demonstravit. Studiorum spatio decurso, neque artibus tradendis admotus, neque ullo unquam magistratu dignatus, in Panormitana Domo præcipuam vitæ partem consumpsit; nisi quod primis annis, Templi præfecturam gessit, & rem domesticam aliquandiu procuravit, assiduis deinde domi, forisque exagitatus obtrectatorum calumniis, ærumnis, reprehensionibus, bis exire coactus est, & primò Rhegium Julium, quo tempore in Templo Domùs Mamertinæ, anno 1611, coram Bernardino Confalonerio, tria solemnia Vota nuncupavit; deinde Neætum amandatus, utrobique plurimùm vixit, Domui interdum Panormitanæ redditus, & ab ea excluſus, in qua demum senex admodum sedem fixit, & requievit, ad infima semper Sacerdotum officia designatus, & plerunque ad sacrarum Virginum obsequia exeuntibus comes additus, senex junioribus; quibus tanquam pediſſequus dabat operam, & nullo horarum, aut tempestatum discrimine ministrabat. Accidit autem, nec semel, ut decrepitus, obesus, & tibiâ ulcere affectâ, Socium ætate, & viribus valentiorem, summâ hieme, sub nimbo incautè properantem, mirâ festinatione diffluens, & anhelans, passibus omnino æquis sit subsecutus; sed ut Domum pervenit, ex lassitudine exanimatus spiritum vix reciperet.

Morti proximus, P. Colnagi beneficio cõvaleſcit.

Vide Part. 1. hujus Histor. ad annum 1711.

Quales, & quantas Castellus sustinuerit domesticas, & externas insectationes.

Ad humillimas quæque Sacerdotum officia descendit.

VI. Sacris excolendis Virginibus perpetuò adhibitus, S. Viti Asçæterium ex integro excitandum curavit, & austeriorem *Seraphicarum* Virginum, quas *Capuccinas* vocant, eò disciplinam invexit. Qua in re Doriam Purpuratum Pontificem non satis æquum habuit, & graves contraxit invidorum suorum inimicitias, quibus Majores nostri nonnihil indulgere coacti sunt. Ille verò multatus, exul, publicè, privatimque postulatus, & objurgatus, negotium, Deo consilii duce, explicavit, & ad exitum tanto successu perduxit, ut earum Virginum Collegium numeretur, dum hæc scribo, inter florentia, pietate, ac religione florentissimum. Christianis etiam *S. Joannis Baptistæ Rilionis* Vestalibus, præcipuè verò *Conceptionis*, adesse consuevit. Sed quæ utrobique perpessus fuerit, non faci-

Ejus in sacris excolendis Virginibus dexteritas, & patientia.

cilè verbis exequar. Nemo eo erat in concionando, propter sacrarum litterarum scientiam, plenior, cultior, efficacior. Adjuvabat divinam illam, cœlestemque facundiam, nativa Ætruscæ orationis suavitas, & elegantia, quam ille Florentiæ ortus, & altus constanter retinuit. In curandis autem animi morbis, & ambagibus expediendis parem non habuit. Cœlesti enim luce perfusus, intimas conscientiæ latebras intuebatur, & identidem enunciabat; certa remedia intestinis ulceribus adhibebat, futura cernebat animo, & castigatioris vitæ elementa serebat. Sed, contra quàm usuvenire solet, divino numine factum est, ut utrumque concionandi, & commodandi aures doctrinam, & cultum ejus, pleræque omnes aspernarentur. Nam quod ad conciones attinet, quamvis Siculi, & in his sacræ præsertim Virgines, sermonis munditiis quàm maximè delectentur, illæ tamen Castellum audire gravabantur, & eloquentiam ejus ferre non poterant. Adesse propterea dicenti refugiebant, jactabantque; *laborare jam omnium aures satietate audiendi funestum, tristemque senem, quotidie obnuntiantem, & nil nisi dira, & fatalia obtrudentem, quæ mœstitiâ, atque luctu clausas puellas, & solatii dignas, ac cupidas onerarent*. Atque eò audaciæ processum est, ut ad eum, qui Domui præerat, interdum mitterent, qui rogaret, ut pro Castello, admonito jam, & ad dicendum parato, juniorem designaret minùs difficilem, atque severum, qui mitiora proferret. Sed longè mirum magis est, quòd ea potissimùm de causa, cur alius flagitaretur, ab audiendis confessionibus Castellus excluderetur. Quum enim ejus exploratam haberent vaticinandi facultatem, & ea expromendi, quæ ipsæ celarent, & maximè occultum vellent, atque interdum contigisset, ut earum nonnullas de proximo mortis casu, nè imparatæ deprehenderentur, admonuisset, essetque mors consecuta; insanus quidam ejus adeundi terror omnes invaserat. Verebantur enim, nè nuncium fatalis horæ inopinantibus afferret, non secus, ac si vaticinatione fatum efficeret, aut maturaret. Quare incredibile est, quod evenit, evenire potuisse: ut præter Franciscam Benedictam Corvinam, & Benedictam Mariam Setajolam, quas habebat sibi addictissimas, quum ad omnium expiationem, extraordinario, ut fit, munere, missus esset, reliquæ colloquium, & aspectum ejus vitarent, neque ulla esset, quæ vel salutatum accederet. Ille ignominiam sedens, & silens, tres ante meridiem, totidem a prandio horas perferre, & eódem quotidie reverti; quod non patienter modò, & alacri-

Quæ fuerit inter homines ejus abjecta, & humilis existimatio.

Sacræ Virgines eum concionatè audire gravantur.

Quare ab audiendis earum Confessionibus Castellus excludatur.

Ejus in ferendis æquo animo adversis patientia singularis.

Digitized by Google

criter, sed exultans facere non destitit, quoad Majoribus visum est, mansuetissimo homini parcere, & ad secessum evocare. Gaudebat enim, ut in lætissimis rebus, quum sperni, & publico dedecore notari videret, quod tanquam cœleste munus, a Deo sibi delatum, omnibus lætitiis, & honoribus præferendum censebat. Gaudium ejus exaggerabant Virginum externi æditui, qui ut ab eis gratiam inirent, eum modis omnibus ludificabant. Horum nescio quis, Castello tum absente, Virginibus gratias egit, quòd *horridum, putridum, & olidum senem ridendum dederint, & ad faceſſendum compulerint*. Quod ejus dictum non mediocris risus est consecutus, quem paulò post luctus excepit. Ut namque Domum reversus est, ulcus extitit putre, ac fœtidum, quod maximis doloribus urere cœpit virilitatem ejus, & saniem effundere adeo pestiferam, ut odorem nè domestici quidem sustinerent. Cognovit itaque, graves se *putrido*, & *olido seni*, Deo vindice, pœnas dare. Castellus verò de obtrectatoris sui & culpa, & pœna de cœlo admonitus, ad eum convolat, quidquid esset solatii, amoris, pietatis, misero impendit, & brevi sublevatum iri pollicetur, neque obscurè significat, id se assiduis precibus a Deo impetrâsse.

Quidam Virginū externus ædituus in malum, quod Castello impegerat, miserrimè incidit.

P. Castelli beneficio liberatur.

VII. Eam hactenus Petri Antonii Castelli expositimus vitæ partem, quæ ejus complectitur inter homines abjectam, & humilem existimationem, quanta fortè non aliàs ulli contigerit. Supereſt uberior, atque nobilior, in qua quanti apud Deum fuerit, carptim, & obiter exequemur; nam infinitum prope esset singula percensere. Et sanè talia, ac tanta existunt divinæ in eum voluntatis documenta, ut nusquam luculentiora perlegerim; continent enim cœlestem quandam *Apocalypsim*, & infinitam ostentorum seriem, quotidianis illustratam divini amoris significationibus. Verùm nè quis fortè suspectam habeat inusitatam cœlestium beneficiorum abundantiam, & vel ad ludibria mentis rejiciat, vel stygiarum fraudum præstigiis assignet, magnum vaticiniorum ejus agmen præmittam, & eorum præsertim, quæ Erebi furiarum scientiam effugiunt, & nonnisi, Deo auctore, proficisci possunt. Quo potissimùm tempore Antonius Moncada Montalti Dux, liberis, divitiis, atque honoribus pollens, blandientis fortunæ auram sequebatur; & ejus uxor, alacri Matrona ingenio, luxui, & humanarum rerum cupiditatibus maximè dedita sibi indulgebat; anno 1626, futurum edixit Castellus: *Ut hac, illo adhuc vivo, & florente, secederet, ac Thereſianarum Virginum Assumptionis Collegium conderet: ille verò Societati se addiceret*. Quod

Quanti apud Deum ipse fuerit, exequitur.

Vaticinandi virtute plurimùm valet.

Antonium Mōcadam Societate se addicturum, & ejus Uxorem eo adhuc vivo, secessuram prædicit.

ejus

ejus dictum cum risu exceptum, quarto post anno, inopinantibus omnibus, ad vaticinii fidem, & dignitatem pervenit, quum uterque rebus omnibus se abdicavit, & ea gessit, quæ Castellus enunciaverat. Sed tertio ante mense, quàm Montalti Dux Neapoli ex itinere vitam poneret, quum litteris, ac nunciis perferretur, eum optimè valere, rogavit Castellus: *Nunquid de ejus morte auditum esset?* Quod quidem, qui res ejus intimè nôrant, ita sunt interpretati, ut certi, proximique funeris præsagium, de quo postea est nunciatum, ut ad annum 1631 copiosè demonstravimus. Quum de Antistita optanda sacræ *Conceptionis* Virgines, septimo ante diem præstitutum mense, inter se agitarent, Castellus *electum iri* prænunciavit *Flaviam Aragoniam nobilissimam Virginem, ut juniorem minimè ambitiosam, & de qua nemo cogitaret*. Digna visa est ea prædictio, quæ ad fabulas amandaretur. Sed inter vaticinationes eam numeravit eventus: nam invitam, & reluctantem, magno consensu præfecerunt. Ejus tamen rectio, utpote severa, & pristinæ tenax disciplinæ, quam dies ipsa nonnihil inclinaverat, earum Virginum conquestiones excitavit; quarum ille nactus colloquium, fore pronunciavit: *Ut quæ contumaciores essent, & licentiæ cupidiores, cœlestem iram non evaderent. Habere Deum scirrhos, strumas, febres, vertigines, infensas oculis squamas, quibus pro Antistita sua pugnaret, neque mortes defuturas*. Mirum autem fuit, ea omnia morborum genera ad pervicaciores perveniisse, quarum quæ nobilior, & reliquis obfirmatior, paulò post scirrhum concepit, ex quo postridie Idus Sextiles, anno 1630, magnis excruciata doloribus periit, & tres alias eodem anno, culpæ, ac pœnæ participes habuit. Flagrante Panormi pestilentiâ, quum sacris *Conceptionis* Virginibus valediceret, & eæ sibi, atque illi timerent; bono eas animo esse jussit, & fore recepit, ut *Deiparæ beneficio, & ipsum, & illas contagio non attingeret*; atque non secus factum est; quamvis ipse contagiosis sese addixerit, & familiam expiaverit, ex qua superstes nemo fuit. Repertis, atque propositis, & circumductis B. Rosaliæ Reliquiis, quum restincta fuisset, & iterum recrudesceret pestilentia, reliquis metu consternatis, unus Castellus constantissimè asseruit: *Pestilentiam B. Rosaliæ beneficio jam abiisse. Quæ verò supereßent vestigia, fraudulentis hominibus esse imputanda, qui quæstûs causâ, morbum alerent, & venenatis suffitibus exsuscitarent. His tamen non impunè futurum. Venturum utique sapientem, justumque Principem, qui fraude com-*

per-

Flaviam Aragoniam sacrarũ Conceptionis Virginum Antistitam electum iri prænunciat.

Virgines, quæ de Antistita querebantur, in ea mala incidunt, quæ Castellus prædixerat.

Pestilentiâ, quæ Panormi grassabatur, eas sacras Virgines immunes fore pollicetur.

Digitized by Google

pertà, de paricidii auctoribus supplicium sumeret. Lætandum potiùs de victoria, quam Ferdinandus Imperator erat de Hæreticis relaturus, quàm de peste dolendum. Nihil cum eventu non congruit. Designatus est enim Siciliæ Prætor Antonius Pimentellus Tavaræ *Marchio*, qui anno 1626, Idibus Juniis, Panormum appulit, & maleficii hominibus suspendio necatis, Civitatem, & Insulam metu, & periculo exemit. Sub idem tempus, certissimis nunciis allatum est de prælio, quo Ferdinandus II *Hæreticos* ad Luthram, insigni victoriâ fuderat, & Germaniam pacaverat. Prædixit etiam, P. Jacobum Dominicum Panormitanæ tertiùm Domui præfuturum, & primo magistratùs anno, decessurum. Decessit autem octavo ferè mense. Item P. Josephum Garofalum juniorem, atque florentem brevi moriturum. P. Gasparem quoque Torresium, conciones, quas in majori jejunio apud sacras *Conceptionis* Virgines inchoaverat, ad exitum non perducturum. Uterque Castelli vaticinium implevit. Denique P. Vincentium Gariglianum paulò ante Jejunium anni 1631 e vivis abiturum, & quidem eo anno, Idibus Februariis decessit. In earum Virginum Templo quum versaretur, & propè marmoreum *Deiparæ* signum, demissis oculis transiret, repentè quasi vocatus, caput attollit, vultum, & oculos ad eam convertit, atque audientis statu nonnihil moratus, ad sacras Virgines redit, easque monet, ut pretiosam Templi supellectilem, & argentea præsertim vasa, ante noctem in conclave recipiant, aditus omnes muniant, & foribus excubias adhibeant: *Magnum ab furibus imminere periculum docet.* Hortatur, nè cavere negligant, quod cœlesti admonitu inculcaretur. Illæ, ut erant edoctæ, Templi fores tuentur. Fures proximà nocte aditu prohibiti, aliam invadunt januam, ut infimum conclave diripiant, & inde in Templum irrepant; sed aditibus accuratè munitis, re infectà, semel, & iterum luce oppressi discedunt. Imminebat ibidem creandæ Antistitæ tempus, & in Anna Pianella Virgines consenserant. Quo cognito, Castellus asseveravit, *Pianellam non fore Antistitam.* Et planè non fuit; quòd eam mors occupaverit. Ex tribus candidatis, alio tempore prænunciavit: *Electum iri Euphrosinam Sabiam, a quo tamen initium funerum esset faciendum. Eà nimirum extinctà, quinque alias per intervalla interituras.* Elapso jam anno quæsivit, nunquid aliqua decumberet? Quumque accepisset, integras esse omnes, adjecit, *luctum parum abesse.* Rogatus autem per Franciscam Corvinam, quænam essent morituræ, numquid hæ, aut illæ,

Plurima alia Castelli impleta vaticinia.

A Deipara admonitus, sacras Virgines hortatur, ut Templi supellectilē in conclave recipiant.

Fures in Templi fores impetum faciunt, sed re infectâ, discedunt.

Quæ forent Antistitæ, & quo ordine aliæ essent interituræ, Castellus enunciat.

illæ, quas nominatim appellabat, reſpondit, de ſingulis pronuncians, *quo anno, & menſe eſſent moritura: non tamen earum, quas illa, anus, & infirmas nominaverat, fore funera, quæ impenderent; ſed juniorum, quæ nihil tale ſuſpicarentur.* Paulò poſt Antiſtita Euphroſina febri correpta eſt, & elata, quam eodem menſe, tres aliæ ſecutæ ſunt juniores, quæ morienti adfuerant. Denique ante anni exitum, duæ item aliæ occubuerunt.

Cùm præteritæ, tum futuræ Ducis Terrænovæ vitæ ſeriē Sorori ejus renunciat.

VIII. Inter ſacras *Conceptionis* Virgines, Flavia erat Aragonia, Ducis Terrænovæ Soror, quæ de fratre ſollicita, quòd ex uxore liberos non ſuſciperet, per Corvinam cum Caſtello egit, ut familiæ conſuleret, & prolem a Deo impetraret. Caſtellus nihil cunctatus, *cùm præteritæ, tum futuræ Ducis vitæ ſeriem, tanquam ob oculos poſitam de ſcripto legeret, expoſuit; itinera, navigationes, calamitates, valetudines, pericula enumeravit*, & quod ad ſobolem attinet, apertè denunciavit: *Ducem, quòd parum emendatè viveret, parum familiæ proſpexiſſe. Deceſſurum proinde, præter unicam filiam, orbum, & obæratum. Fore culparum pœnam, perpetuam orbitatem; & transferendum extinctæ familiæ lautiſſimum cum filia patrimonium.* Porrò iiſdem de rebus Ducis uxorem per quietem admonuit. Atque ex eo quidem tempore, ab eo diſcebat Flavia Soror, ubinam in diuturnis peregrinationibus frater eſſet, quid ageret, & quo res ejus loco eſſent: neque quicquam excidit, quod non certis poſtea nunciis, aut litteris cum prædictione conſentiret. Benedictam Mariam Sitajolam *Conceptionis* Virginem, paucos intra menſes e vita abituram præmonuit, & ſe lecto adfuturum, eſt pollicitus. Ea paulò poſt graviſſimè decubuit, & vigilans bis Caſtellum ſibi de nocte adſtantem vidit: & primùm Sacerdotii indutum inſignibus, inter cœleſtes animas ſacra ſibi ſalutis remedia, ſuaviſſimis verbis adminiſtrantem; deinde, quum rejecto iterùm ſanguine, ſiti flagraret, aquam ori admoventem, quam ea magna cum voluptate, & cœleſti potiùs, quàm humana, ter potâſſet. Franciſcus Riba Doriæ Purpurati Pontificis Vicarius, tam ſeriò ſibi perſuaſerat litteris amicorum, evocatum ſe, Philippi Regis decreto, ad Triumviratum, qui Religionis judicia exercet, ut gratulantium officia non recuſaverit, rhædam, & jumenta emerit, familiam auxerit, & ornaverit, idoneam quoque ſupellectilem magno ſumptu comparaverit. Idem fecerat Vincentius Dominicus, quem Doria pro Riba Vicarium deſignaverat. Quæ quum Caſtellus cognoviſſet, riſit utriuſque præpoſteram fe-

Benedictæ Mariæ Sitajolæ proximā mortē vaticinatur.

Panormi Franciſcum Ribam Religionis non fore Cenſorem, nec Vincentiū Dominicū Vicarium portendit.

Digitized by Google

festinationem: *Et quàm vellem*, inquit, *tantam non prodegissent pecuniam, quibus ad majora subsellia nullus adhuc faciendus est gradus! Alius enim a Riba est Religionis Triumvir designandus.* Neque secus factum est. Proximis enim litteris est allatum, præreptum ab alio honorem, a quo Riba esset exclusus. Quum Doria Purpuratus novo S. Viti Gynæceo infensus esset, repentinum ejus interitum, decennio ante, anno nimirum 1642, futurum apertè declaravit. Anno autem 1641, litem apud eum movere cogitanti, auctor fuit, ut adhuc anni spatium labi sineret, quoad ille vitam clauderet: nam rectiùs coram alio Pontifice de hæreditate adeunda disceptaret. Quæ quum dixisset, flens addidit: *O repentinum Doriæ casum, quem nulla lacrima expiaverint! Admonitus est ille quidem, non multùm abesse fatalem horam, sed credulum se esse velle negat.* Annus verò 1642 non abiit, quin Doriâ vitâ functo, fidem vaticinio conciliaverit. Desponderat Dux Terrænovæ filiam unicam, & hæredem Montisleonis Duci. Eas nuptias, per communes amicos sapienter conciliatas, plerique domestici parum laudabant: quòd Socrum, & Socerum esset Nurus habitura, præter affines quamplurimos; & locupletissimam hæreditatem ad tenue patrimonium allatura. Æquam propterea non esse conditionem utriusque familiæ. Rectiùs puellam Duci Beneventi collocatum iri, qui etsi liberos ex superioribus nuptiis procreaverat, adhuc tamen ætate florens, & consilio, ac titulis pollens ampliſſimis, censu etiam valeret in paucis opulento. Consulitur ea de re Castellus. Respondet, retinendas priores nuptias: *Eas fore auspicatissimas, diuturnitate, sobole, atque opibus. Fatum imminere sponsi parentibus. Decessuros etiam ejus cognatos. Ipsum regiis ornatum iri beneficiis, & honoribus. Sponsam futuram esse omni ex parte beatissimam. Beneventi Ducem propediem moriturum. Cavendum, nè dulcissima filia ad funus magis, & luctum, quàm ad nuptias properaret; cui quid maritus nisi privignos, & solitudinem præterea reliquisset?* Discessum est in Castelli sententiam, quam, ut ille præsenserat, eventus comprobavit. Sed numquid singula persequi festinanti licuerit, quæ vix volumen complecteretur? Fas sit pauca delibâsse; reliqua propemodum infinita, ineditis mandata commentariis, & memoriâ, ac luce digniſſima, rectiùs exprompserit, qui Castelli res gestas separatim emittere malit.

Repentinum Doriæ interitū, decennio ante apertè declarat.

Dux Terrænovæ filiam Montisleonis Duci despondet.

Puellam Duci Beneventi rectiùs collocatū iri, plerique contendunt.

Castellus propter imminens Ducis Benevēti fatum, quod prædixit, priores nuptias esse retinendas, affirmat.

IX. Venio jam ad ostenta cœlestia, quæ ex ipsis Castelli commentariis excepta sunt. Tria tamen præfari liceat, quæ

plurimùm ad fidem faciunt. Primum est; eos commentarios ab eo, Christi jussu, suà manu fuisse descriptos, quemadmodum ipse auctor est. Alterum; rerum suarum narrationis seriem, annalium more contextam, annum 1626, qui fuit sextus, & sexagesimus vitæ ejus, non excedere. Desiderari proinde uberiora, & ampliora, quæ reliquis viginti annis, quibus ille superstes fuit, & intimam cœlestium rerum consuetudinem indies auxit, adnotaverat. Tertium denique, Castellum paulò ante mortem, scripta omnia, accuratissimè conquisita, igni mandâsse, ut planè interirent. Illud tamen, de quo meminimus, commentariorum volumen, cœlesti sanè consilio, manus ejus, & memoriam, & flammas effugisse, quòd jampridem descriptum, & diligentissimè occultatum reperire non potuit. Sed ubi, aut penes quem sit autographus liber, nescium me esse confiteor. Eum tamen se vidisse testatur Tornamira, qui ex eo nonnulla decerpsit. Legit etiam P. Dominicus Stanislaus Albertus tam accuratè, ut notas adjecerit, & indicem per summa capita confecerit, & paginas adnotârit, quamplurimis, ut ipse admonet, prætermissis. Nobis, satietatem maximè refugientibus satis erit, ex eo ipso indice pauca strictiùs etiam latinè conversa delibare. Ea verò, demptis dumtaxat paginarum numeris, sunt ejusmodi: *Christus Mariam de aterna Castelli salute certiorem facit. Maria e vita periculo eum eripit. Christus sui Sanguinis quasi imbre, eum perfundit, & animi maculas eluit. Maria suismet uberibus eum ter lacte respergit. B. Martha ei se ter ostendit, & inter cœlites eum fore pollicetur. Jesu, & Mariæ nomina cordi ejus inscribuntur. Christus ter in se recipit, Castellum fore salvum. Christus adest immolanti, cœlites ministrant, sublimem attollunt, & mirificè recreant. In ejus sacrificantis calicem Christus cor suum flammis incensum mergit. Christus Castelli speciem induit, & loco ejus immolat. Christus Castellum tanquam ingentem, versutumque piscem, subtilissimo capit amoris, & beneficiorum verriculo. Deus cœlestium donorum veluti nimbo eum invadit, & mergit. Christus in ejus corde ea verba insculpit*: In te Domine speravi non confundar in æternum. *Christus sacrificantem magnis muneribus cumulat; & sacrificio ejus, maximis beneficiis pretium facit. Manans ex ore Christi radius, nuditatem ejus cœlesti amictu contegit. Saliens ex aperto lateris vulnere sanguinis rivulus eum abluit, & in lac deinde conversus, ejus cum Deo amicitiam alit. Pontificalia indumenta, ei a Deo per Mariam*

P. Petri Anton. Castelli Cōmētar. de rebus suis pag. 36.

Quæ, & quanta fuerint Castello a Deo cœlestia collata beneficia.

Ea per summa capita attingūtur.

Christi, Deiparæ, & B. Marthæ ab eo accepta beneficia delibantur.

Digitized by Google

riam impetrantur. Maria eum induit, & cœlestibus distinctum margaritis, ei balteum prabet, quo dignum esse declarat, atque consiliorum suorum participem, tanquam a manu servum esse vult. Funale ei tradit, cui Christus flammam injecerat. Cor ejus, quod ferventi divino Sanguine Christus excoxerat, & expurgaverat, suo lacte perfundit, & proluit. Christus ei erratorum omnium gratiam facit, & justum, ac purum apud se eum esse docet. Noscendi sui scientiam ei tradit. Omnia ei pollicetur, qua ad aternitatem viam sternunt, si in frangendi sui consuetudine sedulitatem adhibeat. A servo ad filiorum conditionem eum transfert. Unam, & alteram ei tribuit beatitudinem, quam pacificis, & mundis corde pollicitus est, quum ait: Beati pacifici, Beati mundo corde. Jubet ut majoribus obtemperet, & obedientia premium, gloriam fore pollicetur. Lucis radium abs se in caput ejus dimittit. Agnum ei alendum, & custodiendum tradit. Colloquium cum eo familiarissimè instituit. Eum amplectitur, & cum eo se ludere, ac perdere velle ostendit. Cor ejus inter divinam, humanamque naturam medium fervet, & exastuat; ex hac refrigeratur, ex illa ardet. Videt Mariam in humana Christi natura, ut in chrystallo, ea verba scribentem: Qui in hunc mundum venisti peccatores salvos facere. Christus ei palmam, & olivam porrigit, vestemque tradit, qua ille indutus nihil peteret, quod non impetraret. Cognovit autem eam vestem, Christianam esse temperantiam, sive humilitatem. Ad epulum invitatus, in quo Cruces apponebantur, de Christi manu crucem accipit: deinde osculum, & amplexum, denique cœleste nectar; & admonetur, ut ad subeundam quasi pro Christo necem, se comparet. Christus infans, vexillum manu tenens, stat supra cor ejus, quod Maria inter flores dextrà gerebat suà. Maria eum uberibus suis ter admovet. Conceptionis die, immolantem superna dulcedinis gustu recreat. Sub viola specie Castelli cor manu tenet, & olfacit. Ejus adit cubiculum, tristem consolatur, complectitur, pulcherrimà donat rosà, manum capiti admovet, scintillis involvit, qua in cœlestis nectaris pluviam abeunt. Christus eum pro se Maria tradit. Beatorum omnium varii coloris imagines, in suo corpore depictas, ei ostendit, & inter eas effigiem ejus indicat viridi malthà inustam. Eum illis annumerat, de quibus dixerat: Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Eum ad montem cum discipulis ducit. Lateris vulneri os ejus admovet. Equi-

Frangendi sui consuetudinē, & obedientiam ei Christus inculcat.

Matthæi c. 5.

Christi erga Castellū amoris significationes.

1. Tim. c. 1.

Plurima Deiparæ erga eundem benevolētiæ monumenta.

Matthæi c. 5.

tum

tum suorum numero eum aggregat, & torquem aureum, ex quo crux penderet, collo imponit. Quiescendi copiam facit; eo quiescente, datus ei custos Angelus crucem sustinet. Nihil eum frustra petiturum, Christus pollicetur. Tunicà divino Sanguine contextà eum induit. Mala furia eum sicà invadit: Angeli ictum avertunt. Christus cor ejus in pomum conversum manu tenet, & illud amplectitur. Apostolorum Princeps Sacerdotii eum ornat insignibus, eaque docet Christianæ abjectionis, & Crucis tesseram esse. Inter immolandum cum victima rapitur, & in sublime ita fertur, ut videri desierit. Calix, eo consecrante, lucem vibrat, & cor ejus a Christo immissum recipit. Dum cœlestem Hostiam sumit, Angelorum chorus, Christi jussu, ea verba modulatur: Panem Angelorum manducavit homo. *Christus sublimiorem cœlestium rerum contemplationem, & gaudiorum abundantiam ei ante mortem pollicetur.*

Quæ ab Angelis, vel quiescens, vel immolans retulerit beneficia.

Psalm. 77.

X. *Christus eum objurgat, quòd in se plurimùm saviat, & corpus maximè negligat, quod cœleste munus esset. Amantium esse, quæ ultro citroque dona mittuntur, maximi facere. Placere proinde sibi, ut ille se amet, tanquam munus de cœlo missum. Id rectè præstiterit, si nihil, nisi Dei gratiâ faceret, diceret, cogitaret. Ex Christi, & Castelli animis, quasi ex decussatis radiis, Crux efficitur, in qua Christus, ut in Canticorum lectulo jacet, & ait*: Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. *Quum hæc Castellus scriberet, Christus manum scribentis identidem exosculatur. Christus lucis gladium, & amoris ei tradit, atque hortatur, ut adversis in rebus strenuè dimicet, quoniam omnia vincit amor. Mens ejus in Christi sinu somno corripitur, & suavissimè requiescit. Christus animum ejus in ore gerit, eique mansuetis promissam impertit mercedem, quum ait*: Beati mites. *Præcursor ei se ostendit, & Christianæ temperantiæ disciplinam tradit. Duæ cœlestes Animæ serto redimitum deducunt. Christus capitis verticem manu fulgentissimà tangit; seque ei intimè cognoscendum præbet; & inquit*. Nolim metuas; ego enim meo te cruore jam lavi. *B. P. Ignatius cor ejus manu tenet, ex quo flores pullulant, & ex his lactis copia. Animus ejus in crucem migrat, quam Christus sinu, & complexu suo dignam putat; quoniam maximè delectatur hominibus, qui crucem humero gerunt. Christus, & Maria eum cruore, ac lacte aspergunt. S. Petrus pontificali amictu eum induit, & coronam capiti addit. Prodeunti ad sacrificium Christus adest, Angeli de-*

Eum in se nimiùm sævientẽ Christus objurgat.

Proverb. c. 8.

Lucæ c. 6.

Præcursor, Cœlestes animæ, B. P. Ignatius, & S. Petrus ei se ostendunt, & beneficiis cumulant.

du-

Digitized by Google

ducunt. Corvi circumvolant, quos tamen Christi supercilium fugat. Christus harentem monet, ne cunctetur, debitam magnis culpis pœnam subire. Castello cum superis accumbente, super mensam pulcherrima existit rosa, quæ Christus est. Quum in Collegio esset Rhegino, unum ejus verbum Christi misericordiam commovet, cujus voluntate factum est, ut Panormum sine mora revocaretur. Rhegio revertens maximis ex itinere beneficiis afficitur. Carissimarum rerum abdicatione, Christi animum sibi devincit. Christus per aureum amoris funem in cor ejus, quasi in altissimum puteum, descendit. Angeli funem floribus ornant. Cœlestis militia Princeps Michaël Furiam Castello infensam gladio appetit, & vulnerat, reliquas profligat. Apostolorum Principes Petrus, & Paulus Castelli crucem sublevant. Angeli palmam tenent. B.P. Ignatius caput serto redimit. Frangendi sui desiderium concipit: ea de re, Christus jacentis capiti cor suum amore candens, & flagrans, subjicit. Christus ab eo maximè contendit, ut religiosam quandam exuat cupiditatem, quæ ei metum efficiebat. B.P. Ignatius calicem manu tenet, Christus spongiam infundit, & eà Castellum tangit. Ipse coram Deo judice sistitur, ubi dati sibi ad salutem temporis, & damnum, & abusum cognoscit, seque ad eum pervenisse Beatitudinis gradum: Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Sacrificanti adstant Christus, Maria, & Apostoli Simon, & Judas. Judas crucem ejus tenebat, Simon ministrabat ut Levita. Ipsum tanquam infantulum fascia ligabant; tenebat vinculorum summa capita B.P. Ignatius. Angeli floribus vincula ornabant, a Christo audit, nemini præter se, potestatem factam esse solvendi. Solvitur, & singula vincula singulorum peccatorum memoriam excitant. Videt inustam Christi pectori lucidissimam gemmam, & docetur, eam esse ejus postulationem, qua in Collegio Rhegino petierat, nè ejus cum Christo amoris conjunctio aliquando deficeret. Adjuvere obsecrationem ejus Sancti Paulus, & Martha. Romam proficiscenti Christus se via ducem fore pollicetur. Maria caput ejus chlamydis limbo tangit, & ait: Quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Suà deinde pallà eum contegit. Christus manus ejus tenet, & eum suo Sanguine madefacit. Cor ejus cubiculi instar, quatuor columnæ suffulciunt, Fides, Spes, Caritas, & rectè agendi studium. Cubiculum currui imponitur, quem duo trahunt jumenta, Mens, & Voluntas; hac illam er-

Christi misericordiam commovet, & cariſſimarum rerum abdicatione, ejus animũ ſibi devincit.

SS. Michaël, Petrus, & Paulus, Angeli, & B.P. Ignatius ei ſe vidēdos præbent.

Lucæ cap. 6.

Faſciâ, ab Angelis floribus ornatâ, ligatur, & a Chriſto ſolvitur.

Matth. c. 11.

Maria caput ejus, chlamydis limbo tangit, & ſuâ deinde pallâ contegit.

Digitized by Google

errantem compescit, & objurgat. Eo in cubiculo habitabant Jesus, Maria, & Castellus. Maria caput ejus septem coronat sideribus; totidem scilicet virtutibus, quæ capitalibus vitiis adversantur. Christus eum non alloquitur, nè vitæ spatium contrahat, quod erat ei præfinitum, ut ad supremum virtutis gradum ascenderet. Christus ei pollicetur, adfuturum se morienti unà cum Parente ejus Ignatio. Jam adinfantuli, jam ad ovicula conditionem redigitur. B. P. Ignatius fidem suam interponit, eum deinceps, ut infantem, & ovem decet, nunquam sine custode, aut pastore futurum. Ex immolantis capite nubes existit, in qua Christus sedet. Dum ex obedientia quiescit, ad Christi humerum caput acclinat, qui dormientem excuscitat, ter exclamans: Surge Petre: te poscit infirmus. B. Thomas Aquinas, pontificalibus ornatus indumentis, & Stellam pectore gerens, ex cujus radiis, more lactentis lac sugebat, cor suum, in quo lilium erat, ei præbet, & cum eo castitatem. Christus in crucem conversus humeros ejus premit. Castellus cruci affigitur, & crux Christus est. Christus dolorum suorum eum participem facit. Ex sacrificio redeunti cœlestes animæ gratulantur. B. Franciscus Xaverius flagitantem docet, octavam ei imminere beatitudinem, reliquis jam collatis. S. Bernardinus notas quasdam appingit cordi ejus, quod Christus, transversis vulneribus, & crucis instar decussatis, sauciat. Petere cunctantem, Christus ad petendum lacessit; & docet, ardere se cupiditate incredibili, ea largiendi, quæ peterentur; neque parem esse petentium cupiditatem. Flagitat a Christo lacrimas, quibus superioris vitæ peccata lugeat. Maria in se recipit, peccatis ejus Deum ignovisse; neque laborandum esse, nisi ut maltha inducatur, & octavam impertit beatitudinem, jubetque B. P. Ignatium caput ejus floribus, innocentiæ testibus, redimire. S. Theodora V. & M. ei cum face prælucet. Christus humeris ejus crucem imponit: B. P. Ignatius eum illico exonerat: quo significatum est, Rheginam commorationem, non fore diuturnam. Christus cœlestium Mysteriorum, & sacrarum rerum Scientiam ei tradit. Ex saucio Christi latere florum nimbus erumpit, & eum omni ex parte circumdat. Ex divini amoris flamma æstuantem, Christus flabello refrigerat. Sensibus ereptum, & divina patientem, jubet B. P. Ignatius ad officia corporis reverti. Divini amoris columba, Deo supplicantem nunquam deserit. Christus dat ei pœnitentiam, & lacrimas, quibus quotidianas defleat labeculas. B. Aloysius Gonzaga

A Christo, & a Maria pluribus ornatur beneficiis.

B. Thomas Aquinas lilium ei præbet, & cum eo castitatem.

Maria jubet, B. P. Ignatium caput ejus floribus, innocentiæ testibus, redimire.

Ex divini amoris flamma æstuat, ac divina patitur.

ei

ei se non defuturum pollicetur; eumque monet, ut inanis gloriolæ insidias, quas mala furia tenderent, strenuè caveat. Præbet ei Christus dolendi voluptatem, qua nihil est suavius, & mirabilius. Rex, & Vates David ei se videndum præbet, & morienti adfuturum pollicetur. In ejus immolantis, & consecrantis calicem, aureus de cœlo globus illabitur. Deo pro adversario, & inimico supplicantem, Rex David commendat, & cœlestium gaudiorum participem facit. B. Joannes Baptista ad ejus dormientis lectulum, annos quamplurimos excubat. Maria, pollice, & indice cor ejus tangit, & duos ibi relinquit oculos, quibus ille videt, nihil sibi commodius, quàm corporis, animique cruciatus pro Deo perferre. Rege Davide deprecatore, quum Castellus immolaret, Sacerdotis manes, unà cum quatuor aliis, lustralibus flammis eximuntur. Idem Rex Deo gratias agit, quòd eam sibi potestatem contulerit. Sacrificantem Angeli sæpenumero sublimem attollunt. Malis furiis, qua eum pessimè habent, divexandus, & cruciandus traditur. Christus ei mirrham tradit, quam Magi ad se detulerunt. Castelli mater, precibus, & sacrificiis ejus expiata, in Cœlum recipitur. Ipse, dum B. Angela Fulginatis vitam legit, a Christo pascitur. B. Michaël calcaria pedibus ejus aptat. Beatorum trium Magorum beneficio, in virtutum stadio non pedibus, sed in equo currit. Cum Christo, & Maria epulatur.

Deipara, & B. Jo: Baptista, & Rex David plurima Castello conferunt beneficia.

A Christo triũ Magorum mirrham accipit, ab eodem pascitur, & cum eo, ac Maria epulatur.

XI. Adest cœlestibus B. Agnetis cum Agno nuptiis, & ab ea flore pulcherrimo donatur. Neatum ire jussus, animo ager, & metuens, nè ibi deteriùs vivat, Christum videt, & audit admonentem, ut obtemperet, & in se, suoque sanguine, Neatina commorationis culpas recipientem; atque ab eo discit, quibus accusationibus, atque calumniis stygius princeps ejectionem ejus sit molitus. Neati quum esset a Christo reprehenditur, quòd invidos suos, & calumniarum, ac infamiæ auctores, quos maximis beneficiis affecerat, frigidis precibus Deo commendet, neque perinde diligat, atque eorum beneficiarius amicos, & benemeritos. Christus summam ab eo requirit sapientiam, qua in eo versatur, ut infamiam non aversetur, nisi ut Dei injuriam; ceterùm ut sibi molestam, & infensam, in deliciis, & carissimis rebus habeat. Calumniatoribus ejus non impunè futurum, Christus ostendit; docetque alterum in Romana profectione gravissimà tentatum iri valetudine, alterum gangrenà insanabili. Castellus pro utriusque salute, se præbet sequestrum, ac vadem, & sangui-

Neatum iré jussus, a Christo ad obedientiã hortatur, & reprehenditur.

Castelli calumniatores a Christo acriter puniuntur.

nem, atque vitam offert, sed frustra. Christus eum objurgat, quòd nonnihil adhuc de sui existimatione retineat, neque gloriam omnem, ingratissimo furto, uni Deo, cui uni debetur, tribuat. A Christo alapà plectitur, quòd ægrè tulerit, sacram Virginem, disciplinæ ejus alumnam, cum alio Sacerdote suis de rebus prolixè admodum communicâsse; audivitque, videret, nè iterum eam rem molliter ferret. Quod jamdiu petierat a Christo impetrat, ut domi, foriſque neglectus, abjectusque vivat, & ut insipiens, simplex, & rudis homo, nullo numero habeatur. Infamiam, atque calumniam turpissimam flagitat, & ter sit voti compos, Panormo ejectus. S. Martha Neatinæ commorationis culpas, & præcipuè temporis ibi amissi jacturam lugenti adstat, & certiorem facit, expiatas esse omnes. Pro animabus, quæ lustrali igne purgantur litantem, & sua quacunque merita, ac rectè facta eis condonantem, Christus complectitur, & rem sibi gratissimam facere, ostendit. Eo petente quamplurima ad cœlestem Patriam evocantur, & semel, atque iterum trecenta. Ægrotanti Christus fore se medicum, & medicinam pollicetur. Calculis, & stranguriâ cruciatum Christus complexu sanat. Maximis dentium doloribus ad insaniam penè exagitatus, aquæ lustralis haustu, bis recreatur, & convalescit. Christus ei confert amplissimum noscendi sui munus; quo collato, in se descendit, & se in se non reperit, & nihilum esse comperit; neque quicquam, nisi Deum in se deprehendit. Ex eo tempore Angeli Castellum, ut rem omnino suam, intuentur, complectuntur, exosculantur, & modis omnibus amoris abundantiam significant. Romam proficiscenti, Christus se iterum viæ ducem, ac comitem futurum pollicetur, & stat promissis. Spiritùs paupertatem, quæ prima est Beatitudinum, & basis reliquarum, a Christo accipit, a quo docetur, eam esse mentis castitatem, & candidissimam puritatem, cujus beneficio nihil ageret, cogitaret, aut cuperet, nisi unius Dei gratiâ. Eâ paupertate tanquam veste lucidissimâ induitur; & discit, Christum ejusmodi tunicâ indutum, Regem gloriæ appellatum fuisse, & ad superos penetrâsse. Castellus pauperrimus, advena, amicis, propinquis, & rebus omnibus defectus, singularissimo Christi beneficio, collatam habet de cœlo pecuniam, nè quis inops, qui ab eo peteret, vacuus discederet. Christus eam ex arbitrio erogandi, sine cujusquam facultate, potestatem facit, & inexhaustam fore pollicetur. Christus S. Viti Gynæceum institui vult, & ejus auctorem ita Castellum esse jubet, ut

Qua de causa a Christo objurgetur, & alapâ plectatur, ac de ejus temperantia commemoratur.

Ejus erga manes, qui lustrali igne expiantur, religio singularis.

Amplissimum noscendi sui munus ei a Christo confertur.

Spiritùs paupertate, ac pecuniâ ad pauperes sublevandos, & S. Viti Gynæceum instituendum, a Christo donatur.

Digitized by Google

ut ad alios institutionis gloria, ad ipsum nihil, nisi calumniæ, infamiæ, insectationes pervenirent. Quærenti verò quanam pecuniâ tantum opus aggrederetur, Tacesis, respondit: Nunquid aliquando contigit, cœlestem tibi defuisse thesaurum? Franciscam, S. Viti Antistitam, misericordiâ commotam, & uberrimè flentem, quòd Castellus senex, infirmus, advena, solus tantum omnium impetum sustineret, ut nemo esset, qui de eo non pessimè sentiret, admonuit, nè ejus rei causâ fleret, de qua maximè lætandum esset; quoniam inter omnes res ejus gestas, ea esset longè clarissima. Cum Christo paciscitur, nè cœlestia in eum collata beneficia enuncientur, neque unquam occulta esse desinant; néve quicquam ad eum, honoris, aut existimationis exinde redeat. Christus eum accuratè monet, nè mercatoribus, consilii causâ ad se confluentibus, nimiùm indulgeat, néve in usuris, & lucris probandis, facilem se præbeat: caveatque, nè dum illos culpâ liberat, seipsum obliget. Per sacram Virginem, Mariam Virginiam fit certior, placere Deo, ut intelligat, visum se ab ea fuisse, tanquam carbonem divino amore candentem; sed cinere contectum. Ipso die Pentecostes, cœlestis flamma aurâ afflatur, visusque est sibi ex naribus, atque oculis ignem anhelare, ac penitus conflagrare, quantùm mortalis vitæ conditio ferre non posset: quare ut sibi opitularetur, flagitanti Christus Matrem submittit, quæ ubera admoveat, & incendii æstum lacte temperet. Quum Collegii Thermitani ad Aquas Himerenses institutio maximis implicaretur difficultatibus, B. Aloysius Gonzaga Castello pollicetur, explicatum iri negotium, docetque eas ipsas difficultates, alta esse, & firma ejus Domicilii fundamenta. Ex B. Theresia cognoscit, se ad sacrorum Vatum subsellia esse designatum, atque inter Virgines relatum. Idem, Christus confirmat. B. P. Ignatius apertè declarat, eum sibi deinceps filiorum suorum fore carissimum, quem ut magni pretii margaritam in oculis gereret, quòd apud homines inutilissimus haberetur. Eo cœlestia meditante, B. Margarita inanes humanarum rerum cogitationes, tanquam muscas abigit. Anno 1621, mortis nuncium Christus affert, qua quartum post annum vitam ejus finiret, quo tempore novum erat condendum Gynæceum; monetque, ut ad exeundum se comparet. Anno 1625 gravissimè decumbens, ampliatum sibi vitæ spatium cognoscit ad annum vicesimum, ut Gynæceum, de quo diximus, ejus operâ excitatum adjuvet, & virtutum supellectilem augeat. Docetur etiam,

Alia admirabilis ejus temperantiæ testimonia.

Maria Virginia eximiæ virgo sanctitatis, & cœlestibus assueta beneficiis

De iis, quæ ad Collegii Termitani institutionem spectant a B. Aloysio, quæ ad seipsum a Christo admonetur.

Christus ei mortis nunciũ primum affert, deinde ad annum vicesimũ vitæ spatium sibi ampliatum cognoscit.

Pa-

Panormi se decessurum. Christus ei sapientiam impertit, qua intimas hominum intuetur cogitationes, voluntates, desideria, cupiditates, & penitissimos animi recessus; ac certam simul scientiam dignoscendi furiarum ludibria, atque præstigias, ab ostentis cœlestibus, ac beneficiis.

Castello sacrificanti Summa Trinitas, & cũ ea Christus se ostendit.

XII. *Calendis Januariis, quo die sacra Christi Circumcisio colitur, divino cruore tanquam clamyde induitur. Ostendit se sacrificanti Summa Trinitas, & cum ea Christus, eo habitu corporis, quo quum Pilatus eum produxisset, inquit:* Ecce Homo. *Qui tumentia indicat vulnera, & queritur, quòd nemo reperiatur, qui ea fugendo, exoneret; maximéque se velle declarat, improbos homines ad se accedere, & vulneribus, tanquam mammis labia admovere; neque tam cupere nutriculam plenissima ubera lactando sublevare. Castellus, ut malorum princeps, omnium nomine accedit, ad Christi vulnera cruorem potat, sua, & aliorum, largo fletu luget errata, Deo litat, & se, suumque Sanguinem victimam immolat unà cum Christo. Quo die V Nonas Maji reperta Crucis memoria colitur, in cœlum sublatus, Michaëlem cœlestis militiæ Principem, qui tanquam summus Imperator vexillum Crucis attollebat, cum paucis sequebatur. Vidit & Orci principem, cujus feralia signa quamplurimi magno agmine stipabant. Maximas post erumnas, quas ex calumnia sustinuerat, Circumcisionis die, Christi Sanguine abluitur, & nudus ab Angelis ad Christum in ara stantem, deducitur, ubi cœlesti voluptate liquescit. Maria, quòd operam ille suam Gynaceo instituendo contulerit, lacteas vibrat sagittas, eumque vulnerat. Christus saucium amplectitur, suo Sanguine abluit, aperto lateri os ejus inserit, atque in cœlum abreptum, Patri sistit, qui tantum apud se gloriæ, & existimationis pollicetur, quantum ignominiæ, & contemptionis a suis retulisset. Morientem ab Erebi faucibus eripit, vitam impetrat, quoad expiatus decedat, defuncti manes, lustralibus custodiis eximit. Christus clepsydram manu gerens, & fugam temporis, vitaque brevitatem indicans supra caput immolantis consistit.*

Castellus malorum omnium nomine, ad Christi invitantis vulnera accedit, & cruorem potat.

Christi Sanguine abluitur, Maria eũ vulnerat, Christus amplectitur.

Christus, subductis rationibus, quingenties, Deipara sexcenties, Angeli ferè millies Castello se ostendunt.

Prætereo reliqua propemodum infinita, nam volumen, quo ea continentur, paginam numerat quingentesimam supra millesimam. Id unum obiter, atque summatim commemorare fas sit, subductis ostentorum rationibus compertum esse, Christum ei se quingenties ostendisse, Deiparam ferè sexcenties, Angelos jam singulos, jam unà plures, ferè millies. Item prolixa cum eo instituisse colloquia ter Franciscos *Seraphicum,*

& Pau-

Digitized by Google

& *Paulanum*. S.P.Ignatium quinquagies; sæpiùs Franciscum Xaverium; paulò infra hunc numerum Aloysium Gonzagam, & Stanislaum Kostkam; quinquies Thomam Angelicum; septies Bernardum Claravallensem; Martham Virginem decies; quindecies Theodoram Alexandrinam. Mariam Magdalenam Pœnitentem sexies; Michaëlem Archangelum octies; Apostolorum Principes jam simul, jam singulos vicies; semel Theclam; Regem Davidem novies; bis Joannes Baptistam, & Evangelistam; semel Apostolos Matthæum, & Andream; quater tres Orientis Reges; bis Agnetem; septies Antonium Abbatem; semel Ægidium; bis Nicolaum Mirensem; quinquies Thomam Apostolum, qui ex incredulitatis dolore, discissa præcordia ostendit; semel Vincentium *Martyrem*; bis Luciam; ter Josephum Christi nutritium; quinquies Theresiam; Innocentes Infantes turmatim septies; Margaritam undecies; Ursulam semel; Custodem *Angelum* horis ferè singulis; semel Raymundum. Præstant Castelli Scriptorum veritatem, externa etiam documenta. Sed ea potissimùm, quæ extant, Franciscæ Benedictæ Corvinæ, & Benedictæ Mariæ Setajolæ mandata litteris monumenta. Corvina accepisse scribit ex Margarita Facella Chiminnensi, illustrissima femina, & divinarum rerum scientissima, de qua ejus ætatis fasti, summa cum probitatis laude commemorant, luculentum Castelli sanctitatis testimonium. Quum enim de Castello sermo incidisset, Margarita, quæ hominem nunquam viderat, exclamavit: *O virum incomparabilem, & Dei numine plenum! O vos beatas, quæ talem animi ducem nactæ estis! Nolim vos lateat, Petrum Antonium Castellum inter intimos, maximos, atque præcipuos, quos terra sustinet, Dei amicos numerari, eo potissimùm nomine, quòd eximiæ virtutes ejus, nè suis quidem domesticis, & familiaribus perspectæ sunt, apud quos nullo numero esse, magnopere gaudet, eosque putat amicissimos, & de se optimè meritos, a quibus maximè negligitur, & modis omnibus exagitatur. O si scirent homines, quanti ille sit apud Deum! Nemo esset, qui eum non in magno honore haberet, & nutum ejus intueretur. Est Castellus inter animas Deo cariores, ut inter flores rosa, & inter gemmas carbunculus, qui principatum tenet.* Corvinæ autem diu roganti, undenam ea cognovisset, quæ hominem non nosset? denique Facella respondit, id sibi a Deipara declaratum, quæ quum ei se videndam obtulisset, & jucundiores sibi filios pallà contegeret, eà diductà, Castellum omnibus sibi proximiorem ostendit,

Assidua Castelli cum superis familiaritas, & consuetudo.

Corvinæ, & Setajola Conceptionis Gynæcei sacræ Virgines, exploratæ virtutis, & prodigiorũ gloriâ, ac cœlestium beneficiorum laude florentissimæ.

Luculentum Castelli sanctitatis unum, & alterum testimonium.

Digitized by Google

dit, atque inter ceteras benevoli erga illum animi significationes, candidissimum ex corde emisit radium, qui in os ejus lucem vibraret, & hominem præ reliquis incenderet, ac illustraret. Tum *hic est*, ait, *Petrus Antonius Castellus, quo nulla vivit, aut purior, aut mihi gratior anima, aut superûm omnium amore dignior. Tantam apud Deum gratiam, & caritatem pauci sunt assecuti. Inter mortales, Suis quoque parum cognitus, propter intimum fallendi studium, ut occultam, ita fidelem Deo præstat servitutem, pro qua non aliam poscit mercedem, nisi arumnas, contumelias, & corporis, animique dolores. Quod & a Deo impetravit, & beneficii loco habet, nulla per eum fieri prodigia, nihilque eorum enunciari, quæ admirationem præferrent, & probitatis opinionem conciliarent. Ceterum nemo est, quem tanta ornent virtutes, nemo, quem Deus tantis cumulaverit cœlestium munerum beneficiis.* Quæ quum exponeret, & ab ea quæreretur, an nunquam antea abs se visum hominem si videret, internosceret; cùm oris imaginem, tum corporis habitum, & reliqua ejus omnia ita descripsit, ut si jampridem cum eo familiariter egisset. Setajola verò morti proxima, bis vidisse se, ait, quo die Mariæ *Purificatio* commemoratur, Castellum in vivis adhuc agentem, cœlesti supplicationi interesse, quam accensis funalibus, superi celebrarent; & a Simeone Jesum Infantem, ei gestandum, fuisse traditum, quem ille ulnis excepit, & inter Mariam, ac Simeonem medius, atque formâ, & luce superis non absimilis, Templo intulit.

Quo in numero apud Deum, & superos essent Castelli virtutes, Margaritæ Facellæ Deipara ostendit.

Benedicta Maria Setajola Castellum, in vivis adhuc agẽtẽ, cœlesti supplicationi interesse, bis se vidisse, testatur.

XIII. Sed nefas est, pleraque ejus alia interire, quæ vitam, & mores habent, neque mediocrem religiosæ posteritatis doctrinam. Quum Næeti esset, ei se Christus irato vultu conspiciendum dedit, & alapæ vestigia in ejus ore reliquit, quòd sermonem dedisset hominibus, & ansam accusationis, qua gravissimè postulatus, se apud Majores non expurgâsset, eosque in errore calumniæ reliquisset, & a mendacio contra veritatem stare integerrimos homines coëgisset, exemplo parum laudabili. Iterum Panormi, Christi manum, & iram sensit, quòd aliquantò molliùs carissimarum rerum jacturam tulisset, contra quam perfectæ, summæque abdicationis ratio postularet. A Christo primùm, deinde ab Aloysio Gonzaga est admonitus, nè sui juris esse putaret, quæ alii dicerent, facerentque, non ignorare; nedum ea cognoscere, aut perscrutari, quorum sua non interesset. Eum Christus levitatis insimulavit, quòd puerculorum genas manu mulceret; docuitque, id

A Christo alapâ plectitur, quòd ipsi inustâ calumniâ, apud Majores non expurgâsset.

Iterum Christi iram sentit, ac de suis labeculis objurgatur.

ge-

Digitized by Google

genus blanditiarum, etsi non habet fœditatem, titillationis periculo non carere. Immolantem Christus increpuit, quòd Provinciæ Antistiti, de S. Viti Gynæceo secum agenti non acquieverit, ac ægrè tulerit, quòd in suam illum sententiam non adduxerit; addiditque, qui ita faceret, suam magis, quàm Dei gloriam affectare. Anno 1619, gravissimè ægrotanti, cui nullam medici spem vitæ facerent, Christus se obtulit, quæsivitque, utrum mallet, quum sibi aut Panormo esset, aut vitâ excundum. Optavit Panormo exire, atque convaluit. Sed immemor optionis, a Majoribus inire gratiam studebat, nè exiret, retineretque Nostrorum expiandorum potestatem, & rerum *Asceticarum* præfecturam. Occultis ejusmodi agitatus cupiditatibus, amissâ divinarum rerum voluptate, mentem inarescere sensit, & languere virtutes omnes. Tum iis exutus, quibus inhiaverat, commodis, & Panormo abire jussus, ut intimè doluit, ita nonnihil questus est. Auctores verò ejectionis tantùm non oderat; neque sibi imperare potuit, ut diligeret. Eos quidem Deo commendabat tristis, & conturbatus, ut inimicos, non ut fratres, & necessarios. Ea fuit cæco illo tempore, Castelli summa erratorum, quæ deinde totâ vitâ, lugere nunquam destitit. Sed errantem non deseruit clementissima Dei Mater, quæ mœrenti adstitit, intestina animi vulnera aperuit, latentes cupiditatum radices illustravit, incusavitque stultitiam, *quòd remedia refugeret, qua Deus per homines admovisset, eosque non amicos, & de se meritos, sed adversarios judicaret, qui vincula, quibus detineretur, amputâssent, & animi servitutem ademissent. Apud se itaque statueret, humana omnia negligere; cogitaretque, se non ad sordidas cupiditatum quisquilias, non ad infantiæ crepundia, non ad puerorum crepitacula, sed ad summa quæque, atque divina natum, & ad Societatis castra evocatum. Sed ante omnia vitaret ægritudinem animi, qua nullam Stygia fauces truculentiorem pestem exhalant.* His confirmatus, ita motus animi rimari cœpit, & castigare; ut si quando surgentes animadverteret, sibi maximè succenseret, atque sic exprobraret: *Quid agis, astute, ac perfide latro? Nunquid pergis adhuc Deo gloriam suffurari, tibique arrogare? Parumne fuit divinam toties abjecisse caritatem, quòd ad pristina fœcis sentinam regrederis? Jam cum eo tibi res est, qui te habet intimè cognitum, atque perspectum.* Vicesimo ante fatum anno, Christi vocem admonentis audivit, ut in expiandis divitum, & publicanorum peccatis, accuratissimè ageret, seque difficilem potiùs

Christus eum increpat, quòd Majoribus non acquiescat.

Quæ fuerit in Societate Castelli summa erratorum.

Deipara ei se videndam præbet, & errantem confirmat.

Castellus a Deipara confirmatus, motus animi rimari, & castigare cœpit.

Nimiæ indulgentiæ in audiendis confessionibus a Christo accusatur.

tiùs præberet, nè quibus vinculis eos solveret, se devinciret. *Sciret autem, horum plerosque, neque de quibus se accusant, satis dolere, neque abjicere voluntatem peccandi.* Ex eo tempore Castellus se ad pauperum officia convertit. Sub idem tempus, quum B. P. Ignatius prolixum de domesticis rebus cum eo sermonem instituisset, & de Societatis disciplina tuenda quamplurima locutus esset, colloquium clausit his planè verbis: *Nihil tam vivens laboravi, quàm ut simplicem quandam, & ingenuam prudentiam Societatis legibus, atque moribus inducerem: nihil tam a Deo, primis illis temporibus, conatus sum summis, imisque precibus impetrare. Vereor tamen, nè paucorum vitio, pro prudentia, nonnullorum mentes astutia invaserit, & versutiarum scientia.* Audito Claudii Aquavivæ obitu, anno 1615, eo nuncio commotus, Christi admonitu, superioris vitæ culpas omnes magno cum fletu, Christiano more expiavit, & pœnam ejusmodi ipse sibi constituit: *Ut quoad viveret luctuosum Davidis canticum cujus est initium:* Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, *ter quotidie de genu recitaret. Item Marianum carmen:* Magnificat. *Septem quoque, quos Pœnitentiæ* Psalmos, *dicimus, cum Marianis laudibus Lauretanis. Quinquies praterea ante cœnam* Pater, & Ave; *ita tamen, ut singulis recitatis, ea verba pronus per intervalla quinquies adjiceret:* Pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. *Denique bis quotidie flagro se caderet, & alternis diebus carne abstineret.* B. P. Ignatius non leviter in eum animadvertit, quod sacrificandi spatium contraheret, neque ad semihoram produceret. Ex B. Francisci Xaverii colloquio didicisse se scribit: *Propter divini amoris æstum, ejus inter Indos versantis, & extrema omnia ferentis, pectus intumuisse, quod tanta cœlestis ignis flamma depascebatur, ut præcordia incoqueret, & sanguinem in lac converteret, quemadmodum Doctori Gentium Paulo contigisse traditur. Divinitus etiam Francisco datum, ut clientes suos nunquam deserat, nisi ab iis deseratur; Deo supplicantibus adsit, seque deprecatorem adhibeat; humana, atque divina omnia eis administret. Denique quo die mortis ejus commemoratio apud nos agitur, factam ei potestatem trecentas, ex iis, quæ igne purgantur, animas, cœlesti Civitate donandi; idque ei ideo impertitum, quòd dum viveret, Deum maximè noverit, & divinæ naturæ dotes, dies, noctesque cogitaverit. Dei autem ignorationem, præcipuam esse culpam, quæ lustrali igne expiatur. Ab illis*

Superioris vitæ culpas magno cum fletu expiat, & pœnam sibi constituit.

B. Francisci Xaverii colloquio fruitur, & plurima ab eo discit.

illis enim flammis, ut in beatæ vitæ palæstra, nihil tam discitur, quam summi Dei cognoscendi scientia.

XIV. Mortis suæ tempus, anno ante vicesimo, quàm ea contingeret, Castellum de cœlo cognovisse satis est demonstratum. Illud modò attingendum, didicisse etiam morbi genus, & brevitatem. Rogatus enim a Corvina quintum ante annum, ut supremo tentatus morbo, se admoneri curaret: *Diuturnum*, respondit, *adhuc temporis spatium intercedere, & prius de fato ejus, quàm de valetudine auditum iri*: ea tamen morosiùs flagitante, addidit, nè dubitaret, quin ipse esset propinquæ mortis nuncium allaturus. Attulit autem tertio ante mense, quum ei supremùm valedixit; admonuitque: *Ab ea etiam non multùm abesse fatalem horam, quam tamen se vivo, non adfuturam pollicebatur*. In eo demùm colloquio ex ea quæsivit: *Nunquid aliquo morbo teneretur, cujus a Deo sibi gratiam fieri vellet? Illa nihil sibi tam molestum esse*, ait, *quàm oculorum vitio diutiùs elecubrare non posse, ut antea consuêsset: ceterùm nolle se, eam amoveri molestiam, ne a divinæ voluntatis numine quicquam recederet*. Cui Castellus: *Curabimus*, inquit, *ut id Deo placeat*. Itaque octavo ante fatum die, repertus est in cubiculo a tironibus, qui in Panormitana domo versabantur, humi jacens, & capite contuso, attrito corpore livens, & semianimis. Deprehensus, tirones, qui porrectum sublevârunt, & lectulo commiserunt, enixè oravit, nè rem cuiquam enunciarent. Illi, in quibus erat Vincentius Russus Ceramii *Baronis* filius, qui rem prodidit, non temerè suspicati, Castellum a stygiis furiis impetitum, & afflictum fuisse, casum ejus ad Majores detulerunt, qui invitum, curà summà, recreari jusserunt. Ille verò quarto die repentè convaluit; & Vincentio Russo gratulanti, ac diu victurum ominanti, *impendere*, respondit, *vitæ exitum*, quem quarto die nactus est, postridie Idus Februarias, ætate potiùs, quàm morbo confectus, quum vitæ annum enumeraret, dempto uno mense, septimum, & octogesimum. Ut vixerat, ita moriens obscurus, & parum cognitus, consueto Nostrorum funere, nullis præterea honoribus, nullo concursu elatus, humatusque est. Quod quidem sanctitatis, & prodigiorum silentium, diuturnis precibus a Christo petierat, & impetraverat. Corvina, ut de fato ejus priùs cognovit, quàm de morbo accepisset, tres ipsos dies sine cibo, sine potu, sine somno Castellum flevit, Sororibus nequicquam hortantibus, ut a luctu desisteret, nè tanta vis lacrimarum, oculos alioqui affectos debilita-

De morte, ac ejus genere de cœlo admonetur.

Stygiæ furiæ eum pessimè habent.

Repentè convalescit, & quarto post die sanctissimè moritur.

Nulli funeris honores, ut petierat, mortem ejus consequûtur.

taret, & planè extingueret. Sed contrà accidit: nam triduo exacto, luminibus uti cœpit adeo acutis, & perspicacibus, ut arbitratu suo quàm diutissimè elucubraret: sed ante anni exitum, ut Castellus edixerat, e vivis excessit. Quum ille vivens tantàm in pauperes, & pios, ac sacros usus pecuniam erogâsset, & repetino propemodum interitu sublatus esset; nemo non sibi persuaserat, eum maximè pecuniosum decessisse, & in ejus defuncti cubiculo argenti, aurique acervos repertum iri. Re tamen compertum est, pecunias Castelli manu impertitas, advenæ, abjecti, obscurique hominis, & divitum familiaritates refugientis, non aliunde, quàm ex Christi ærario petitas. In ejus enim cubiculo nihil inventum est, præter summam inopiam, quam ille, quamdiu vixit, sanctissimè coluit. Documento sit, quod nihil unquam, neque magnum, neque parvum admisit, quod a sacris Virginibus, sive privato, sive communi nomine, vel sibi, vel sui gratiâ mitteretur. Quum verò comperisset, se ægrotante, altilia quædam ad Panormitanam Domum pervenisse, earum Virginum dono clanculum submissa, quæ ejus operà uterentur, eas, ut convaluit, acriter, liberéque perstrinxit, ac fore edixit: *Ut si deinceps committerent, alium sibi deligerent, quo animi duce uterentur. Se suam omnem Christo locâsse operam, a quo uno remunerationem expectaret; nè fatalia ea verba moriens audiret: Recepisti mercedem tuam.* In tanta rerum suarum occultatione, quæ fuerit austeritas vitæ ejus, ex eo intelligi potest, quod senex admodum jejunia, & vigilias intermiserit, ac ferream catenam, quam annos ipsos triginta, nudo corpori admotam diu, noctuque gestaverat, nonnisi a Christo jussus, aliquando posuerit; tum demum admonitus, satis abunde sibi pœnarum, atque dolorum ab ærumnis, & hominum injuriis imminere. Ceterùm in maximis ejus virtutibus haberi potest, quod edentulus, ulcerosus, surdaster, vertiginosus, & propemodum nonagenarius, nihil unquam sibi apponi passus sit, quod vulgare non esset, atque commune, nunquam, nisi in mensa communiter cibum sumpserit; quo factum est, ut obesus, & alimenti appetens, inediam interdum toleraverit, eamque jejunio addiderit. Plura per eum a Deo collata sunt beneficia dum viveret, quæ tamen, vel industriâ ejus dissimulata, vel divino consilio parum animadversa, cùm sermonem hominum, tum memoriam effugerunt: plurima verò post mortem, quæ diligenter Albertus adnotavit, singularem quippe habent admirationem. Sed tot, tantisque excelsi hujus viri rebus gestis consultò prætermissis, se-

Christus ad pauperes sublevandos, pecuniam Castello defert.

Religiosæ inopiæ cura, & usus admirabilis.

Matth. c. 6.

Cruciandi corporis assiduitas, & inediæ consuetudo.

Ejus in occultandis cœlestibus beneficiis cura, ac temperantia singularis.

Dominicus Stan. Albert. in vita M. S. P. Petri Anton. Castelli.

Digitized by Google

festinationi nostræ non satis consentanea visa sunt. Quisquis enim hæc legerit, & novum obscuræ, neglectæque sanctitatis genus miratus fuerit; facilè intelliget, quàm verè de Petro Antonio Castello dictum sit: *In eo Deum fuisse mirabilem.*

XV. Meminit ejus Josephus Matina, traditque, magno Castellum in honore apud Feriæ Ducem Siciliæ Proregem fuisse, qui anno 1606, ad Germanicam legationem designatus, eum sibi, & animi judicem, atque magistrum, & itineris comitem esse voluit; Neapoli verò gravissimâ interceptus valetudine, ex qua decessit, beatum se moriens prædicabat, quòd Castellum haberet lecto affixum, qui summa salutis verba, & ultima religionis officia administraret. Ferià defuncto, Romam abiit, ubi a Barberinis, & Burghesiis agnitus, & magno cum honore ad Paulum Quintum Pont. Max. deductus, tanti apud eum fuit, ut ad colloquium identidem redire juberetur: quod quum ille perquam rarò faceret, misit interdum Pontifex palatinam rhedam, qua ad se veheretur, & invitus cogeretur. Sed nihil gravius Castello accideret, & temperantiam ejus vulneraret. Tanta enim sapientissimi Principis benevolentia, & intima familiaritatis conjunctio, cùm externorum, tum etiam domesticorum oculos in eum converterat, & Claudium Aquavivam excitaverat, ut Castellum, modis omnibus, retinere conaretur. Ille verò illatum pudori suo vulnus, diu ferre non potuit. Quare sine ullo ullius commeatu, summo hospitum jure usus, clanculum sese ex Urbe subduxit, & ad Ostia Tiberina phaselum nactus, quæ, sublatis jam anchoris, in Siciliam navigare parabat, statim conscendit, & fugientis potiùs, quàm discedentis more, in Provinciam, sequenti anno remigravit. Graves propterea, & parum jucundæ sunt eum Claudii litteræ consecutæ, quarum acerbitas eos, qui in Provincia magistratus gerebant, adeo incitavit, ut exinde Castelli ærumnarum ilias initium sumserit, & dum Claudius vixit, innoxium exagitaverit. Rem denique tradit Tornamira planè admirabilem, quam in margine ex autographis *Conceptionis* Virginum monumentis exceptam docet. Est autem hujusmodi, ex italicis ejus autographis litteris tantùm non italicè exscriptæ: *Quo die intemerata Mariæ* Conceptio, *Sexto Idus Decembres, eximiis honoribus apud nos colitur, immolare parabat P. Petrus Antonius Castellus Florentinus, sed Provinciæ Siculæ alumnus, vir quidem summus, & explorata virtutis laude in primis conspicuus; quum per amplissimum cæli hiatum superûm Aulam oblatam oculis vidit; & in ea,*

Josephus Matina Histor. Domûs Panormit. ad ann. 1606.

Vid. part. 1. hujus Histor. ad ann. 1606.

Quanti in Sicilia, Neapoli, & Romæ summi viri Castellum fecerint.

Ut eos honores fugeret, clanculum ex Urbe se subduxit.

Tornamira Ghirland. tom. 1. Centur. 2. decade 8. exēpl. 5.

Eximiarum Castelli virtutū memorabile testimonium.

Tri-

Trinum Deum, cui assidebat magna Mater, nunquam aliàs formosior, atque candidior; adstabant verò confertissimi cœlestium Mentium Ordines, quorum Principes, quasi alati internuncii, & Castelli per Mariam ad Deum preces, & Dei per eam ad Castellum oracula, ultro, citroque perferrent. Orabat Castellus, ut nonnulla lustralibus custodiis damnata anima absolverentur, & earum cruciatus, ac flammas deprecabatur: ei autem Mariæ verbis est nunciatum: Quoniam ipse liberaliter, & nullius emolumenti gratiâ, Deo, & Animarum saluti serviret, sibique merum se esse nihilum ex animo persuaserit; omnia verò cœlesti numine regi, gerique apud se statuisset; & quæcunque, sive jucunda, sive injucunda incidissent, tanquam divino consilio administrata, Deo assignâsset, & beneficii loco posuisset, neque homines, per quos adversa, & gravia illata essent, nisi ut divinæ voluntatis administros, & potestatis adjutores, de se optimè meritos intueretur, eosque intimè amaret, & superis magno studio commendatos vellet, ac rebus omnibus juvaret; placere Deo, tot animas, eo sacrificio, lustralibus eximi pœnis, quot ipse eximendas censuisset. Peteret proinde liberaliter, pro iis præsertim, quæ dum corporibus inhærebant, neque fidelem, & gratuitam Deo servitutem præstitissent, neque nihil se esse cogitâssent, neque humanas calamitates, ut divinitus illatæ beneficia, alacri animo, sustinuissent. Titubanti interea Castello, & de numero statuere non audenti, atque enixè, ut ipsa Virgo decerneret, flagitanti, renunciari Deipara jussit, ut totidem animas concedi sibi postularet, quot ille verba ab initio ad exitum sacrificii esset prolaturus. Quod quum Petrus Antonius feciset, & illæ ad singula verba prodirent, & magno examine gratias agerent, ostentum cum sacrificio solutum est.

Ad aram faciens, superum Aulam, & inca Trinũ Deũ, eique Deiparam assidentẽ videt.

Quot animas, eo sacrificio, lustralibus flammis eximendas censet, tot ei Deus per Mariam eximendi potestatem facit.

Tot eximit, quot verba in eo sacrificio profert.

P. Marcus Antonius Rõca Barienſis, eximius concionator, cunctanti scriptori persuasit, nè inusitatæ novitatis ostentũ prætermitteret.

XVI. Desideratus est uno post mense in Collegio Mutycensi P. Fabius Justinianus, nobilis Chius, cujus rerum gestarum gloriam partim hausit antiquitas, partim ejus temperantia ab oculis, & hominum scientia removit. Anno ætatis vicesimo, Societati aggregatus, religiosæ vitæ tirocinium Messanæ posuit, & artium liberalium palæstrà exercitatus, ac Sacerdotio insignitus, Chio Domicilio addictus est, ex quo ad proximas Ægæi maris Insulas excurrere consuevit, magno Græcorum emolumento, qui vitæ ejus austeritatem, & agendi, sentiendique religionem demirati, tanquam cœlo delapsum hominem verebantur, nutusque ejus ita observabant, ut nihil es-

P. Fabii Justiniani fatũ, virtutes, & res gestæ.

Ex sacris ejus ad Ægæi maris Insulas excursionibus relatus fructus.

set,

Digitized by Google

set, quod non ejus hortatu facerent, & feciſſe gauderent. In Siciliam regreſſus, eam virtutis de ſe excitavit opinionem, ut ad nova ſemper Collegia, quò qui laborioſiores, & ad perferenda incommoda alacriores mitti ſolent, deſtinaretur. Minimi fuit cibi, atque vulgaris: nam delicatiora quæque edulia nunquam guſtavit; viliora in deliciis habuit, & quàm parciſſimè ſibi indulſit. Eadem fuit ſomni menſura, quem nonniſi indutus, & per hiemem ſacco obvolutus, cilicio nunquam poſito, carpere conſuevit. Excogitaverat autem novum cilicii genus, quod ſupremis tribus vitæ annis, nunquam exuit: nam pro induſio, thoracem intimo corpori admovit, ferreis, aculeatiſque intextum catenulis, qui pectus confoderet, ac vulneraret. Quod quidem non ante extremam ejus valetudinem compertum eſt, quum per ſanguinis veſtigia, vulnera indicarentur. Juſſus proinde eſt, ferreum illud, & acuminibus horridum indumentum exuere. Sed mollioribus in locis repertum eſt, adeo corpori infixum, ut tenaciſſimè inhæreret, nec ſine chirurgo, ac forcipe diſtraheretur. In Mutycenſi Collegio decem ipſos annos collocavit, & in eo magiſtratum nonniſi invitus, & juſſus, atque extra ordinem geſſit, propter morum ſuavitatem, & virtutis opinionem, domi, foriſque cariſſimus. Domeſticis enim, atque externis inculpatum ſe præbuit, & juvandi ſtudioſiſſimus, ſive animi, ſive corporis neceſſitudo ejus operam poſtularet. Quum difficillimo anni tempore in magiſtratu eſſet, & pauperum greges, inopiâ adducti, ad eum confugerent, in maximis rei familiaris anguſtiis, neminem abs ſe vacuum, aut triſtem diſcedere paſſus eſt; ſingulis namque, aut pecuniam, aut panem impertivit. Chriſti vulnerum, & B. Thomæ Aquinatis religioni addictiſſimus, pridie ejus diei quo hujus memoria colitur, graviter decubuit, & quo die, atque horâ ille deceſſit, ut pridie edixerat, extinctus eſt, Nonis Martiis, anno ætatis ſecundo ſupra quinquageſimum, quum annos in Societate meruiſſet duos, & triginta, & quatuordecim, ex quo Chii trium votorum ſacramentum publicè dixerat. Funeris honores auxere externi Presbyteri, atque omnium Ordinum Seraphici *Cœnobitæ*; ſed præclariùs communes lacrimæ, quibus elatus eſt, & inuſitata feretrum ejus diripientium contentio, & viri ſanctitatem acclamantium, quam Deus cœleſtibus beneficiis ratam habuit, & domeſtici etiam teſtati ſunt: nam corpus ejus, ſepoſito in loco tumulari curaverunt. Sunt qui P. Fabii Juſtiniani funus, ad annum 1648 rejiciant, nobis Collegii Mutycenſis documentorum fidem ſequi placuit.

Quanta ejus fuerit cibi, ac ſomni parcitas.

Aſperrima ejus in cruciãdo corpore cõſuetudo.

Miſericordia ejus erga pauperes.

Ejus beatamors, exequiæ, & funus.

Digitized by Google

XVII. Sed ante hos, IV Calendas Februarias, vitam amiserat Frater Joannes Baptista Imperialis Bisbonæ natus, qui quum anno ætatis duodevicesimo ad barbatos *Seraphicos* esset postridie secessurus; vidit per quietem Sanctissimi Jesu Nominis notas, insigni magnitudine, toto cœlo diffusas, & lucem omnit ex parte vibrantes; ex quo intellexit, ad Jesu militiam se evocari, cujus tesseram non sine ostenti religione, tanta cum voluptate spectásset. Quare ut illuxit, ad P. Barnabam Vechiam, qui Collegio præerat Bisbonitano, advolavit, ostentum exposuit, & Societatem flagitavit. Hic adolescentis inconstantiam veritus, magnopere petentem hortatus est, ut ad priora consilia rediret, sed in adeundæ Societatis voluntate permanentem tandiu distulit, quoad animi levitatis suspicionem perseverantiâ expurgaret. Itaque post biennium, tironibus Messanæ adscriptus est, & ad domestica officia designatus. Nulla fuit Fratrum Societatis Adjutorum virtus, quam ille non arripuerit, & propriam fecerit. Nemo unquam laboriosum, & indefessum hominem, inertiæ, cessationis, aut nugarum accusavit. Ejus operam desideravit nemo, nemo non ejus temperantiam, humanitatem, & perpetuam cum Deo laudavit conjunctionem. Catanæ cum esset gravissimâ affectus valetudine, ex qua fatalem horam imminere Medici pronunciaverant, ad B. P. Ignatium se convertit, eumque apud Deum vitæ deprecatorem adhibuit, neque non impetravit. Bis enim sibi adstantem videre meruit, & de salute pollicentem. Ut convaluit, novum austerioris vitæ genus instituit, seque totum laboribus, & religionibus dedidit, ut qui nihil haberet proprium, suique juris, non vires, non linguam, non judicium, non voluntatem. Humanas verò cupiditates ita exuit omnes, ut Christi potiùs, quàm Adæ filius videretur. Verùm super omnes religiones, Deiparæ colendæ studium antiquissimum habuit, atque carissimum. Nihil ei suavius accideret, quàm vel ejus laudes jam publicè, jam privatim concinere, vel de ea orationem conferere, vel diebus illi consecratis, jejunia, & vigilias præmittere, vel per asperrimos etiam montes, quovis anni tempore, peregrinari, ut celebriorem aliquam ejus imaginem veneraretur. Tam insignem Clientis sui pietatem gratissima Virgo ratam habuit, & quàm jucunda sibi esset, ostento declaravit, quod Silvius Tornamira, datâ fide, nè cuiquam enunciaret, ex ipsius Imperialis ore accepisse se scribit. Iter habebat Imperialis per aspera, & deserta loca, æstate summâ, ut celeberrimum coleret marmoreum *Annunciatæ Deiparæ* signum.

F. Joannes Baptista Imperialis mirabili ostento ad Societatem evocatur.

Præclarissima virtutum ejus monumenta.

Ægrotanti B. P. Ignatius bis se ostendit, & de salute pollicetur.

Singularis ejus erga Deiparam religio.

Silvius Torn. Ghirl. part. 5. Centur. 30. Decad. 4. exemp. 3.

Mom-

Digitized by Google

Mompilerianum, a Mompilerio nuncupatum, quod in Ætnæ radicibus situm Oppidum, ejus simulacri religione conspicuum, & anno 1669, ætneis ignibus haustum, atque deletum, & a *Massa* Duce restitutum, in *Massæ Annunciatæ* nomen, apud juniores migravit. Eò igitur Imperialis, pedestri itinere cum Socio contendens, & lassitudine, ac siti æstuans, sub meridiem, umbram, & aquam conquirebat, ut requiesceret, seque cibo, ac potu reficeret. Eà mente clivum conscendit, ut regionem exploraret, si fortè arbores sese ostenderent, aut ulla gignentium vestigia proximum aliquem rivum indicarent. Conspicatus subjectam planitiem, & in ea ingens, ac nobile ædificium, eò properat, fores pulsat, exclamat; respondente nemine, de aqua desperat, umbræ beneficio utitur, ponit sarcinulas, expromit nuces, vetusti panis frustula, & vini lagunculam, atque cum Socio jentare incipit; tum repentè valvæ panduntur, & pulcherrima, gravisque prodit Matrona, quæ ab peregrinis quærit: *Quò tendant, quidve petant?* Illi peregrinationis causam, Mompilerianum *Deiparæ* simulacrum declarant, neque se quicquam præter aquæ solatium flagitare. Illa verò: *Expectate*, inquit, *equidem afferam*. Adfuit paulò post, & prægrandem primùm frigidissimæ aquæ phialam detulit: & *vinum*, ait, *non apposui, quòd non ignorarem, eo vos non carere*. Duas deinde recentis uvæ pateras, lectissimis pomis interjectis; totidem denique purissimas lances, quæ bina ovorum paria continerent, duosque candidissimos panes, calidos adhuc, & a furno recentes. Tum mantile, quod secum habebat, supra januæ limen expandit, & quæ tulerat, apponit, excusatque ruris solitudinem, & inopiam, atque inde se recipit. Stupebant illi mulieris formam, verecundiam, humanitatem; & cibum ita sumebant, ut qui nunquam aliàs delicatiora edulia degustâssent, quibus animus etiam expleretur. Cibariis itaque incredibili voluptate consumptis, Matrona iterum adstitit, & gratias impensè agentibus: *Ego*, inquit, *Societati plurimùm studeo, atque cupio; & fratribus vestris hâc iter facientibus, quibuscunque rebus possum, opitulari soleo*; & in his verbis maximè gratulantes dimittit. Illi digressi, quæ gesta essent, inter se invicem commemorant. Monet Socius notandam esse regionem, locum, planitiem, & ædificium, ejusque formam, & faciem, ut reduces ibidem hospitentur, & conquiescant. Quare respiciunt, & in æquissima planitie ædes nusquam vident. Obriguit uterque; agnovit cœleste beneficium, & in genua procumbens, in *Deiparæ* amore, ac laudibus, non sine

F. Imperialis, cum Socio ad Mompilerianũ Deiparæ signũ colendum, viæ se committit.

Quàm jucunda sibi esset ejus religio, mirabili ostento Virgo declarat.

Eos lassitudine, ac siti æstuãtes, Deipara, sub Matronæ specie, cibo, & potu recreat.

Illius Matronæ erga Societatẽ, & ejus filios amoris significationes.

Refectis viribus dimittuntur, & Matronam illam Deiparam esse agnoscunt.

lacrimis effusus est. Ingravescentes jam canos in Collegii Panormitani obsequiis collocavit; ubi oblatam ætatis vacationem, non modò non admisit, sed ut injuriosam, sibique infensam rejecit; quin, & labores, & vitæ austeritatem cum ævo cumulavit, ad annum usque secundum, & octogesimum, qui vitam ejus mirà animi jucunditate ibidem clausit, ad Sanctorum præmia, & requiem evocatus.

P. Antoninus Paniterius Messanæ Societati annumeratur, Panormi sanctissimè moritur.

XVIII. Tertio post ferè mense, indidem ad superos translatum credimus P. Antoninum Paniterium, qui viribus, & ætate florens, inopinato, brevique morbo, fatoque, pro gerendarum rerum spe, planè immaturo, ereptus est. In S. Salvatoris prope Messanam oppido natus, adolescentiam Panormi exegit, usqueadeo rectam, & emendatam, ut conspectum ejus condiscipuli vererentur, neque auderent, eo præsente, quicquam committere, quod meritò reprehenderetur, aut levitatis indignitatem præseferret. Anno ætatis undevicesimo, Mamertinis tironibus annumeratus, disciplinæ rudimentis ita conflavit animum, & ad cœlestia desideria finxit, ut res humanas nihil esse putaret, & unum Deum cogitaret, saperet, & orationis argumentum haberet. Stadio litterarum magna cum ingenii gloria decurso, ad summa quatuor Vota evectus, sacram eloquentiam adamavit, sed promptam, facilem, vulgarem, & tantùm non incuriosam, atque pedestrem. Aloysio Lanuzæ sacrarum excursionum comes additus, ut laborum, ità virtutum particeps esse voluit, & in eo potissimùm laboravit, ut mores ejus transcriberet, & sibi traderet. Antequam ad concionandum prodiret, linguam myrrhà armabat, quam ideo mandere consuevit, ut ejus amaritudine, palatum excruciaret, & cœlestis facundiæ vim, atque fructum promereretur. Quum in majori jejunio sacras Bisbonæ conciones haberet, & Civitatem tonantis instar, voce concuteret, ut prodeundi tempus imminebat, ex Dominicano præsertim Ordine *Cœnobita*, pro domiciliorum suorum foribus, prætereuntes hortabantur, ut ad sanctum concionatorem audiendum confluerent. Ipse quotidie post ardentes illas actiones, contentione summà peroratas, e suggesto, lassitudine, ac sudore diffluens, ad domesticam descendebat culinam, ut coquo adesset, coquinarium adornaret instrumentum, & patellas repurgaret: somnum verò humi sedens, aut jacens, brevissimum capiebat. Extremos vitæ annos, neque adeo multos, in Collegio Panormitano posuit, ubi non modò Marianam Sodalitatem, quam *Missionis* dicunt, mirà sedulitate curavit, verùm etiam cùm externæ, tum domesticæ

Sacra ejus eloquentia prōpta, facilis, vulgaris, & efficax.

E suggesto ad culinam, & ad humillima quæque fratrum officia descendit.

ju-

Digitized by Google

juventuti plurimùm profuit. Domi enim, singulis ferè mensibus, spinarum coronà, nudo capite redimitus, & funem collo pendentem gerens, reorum more prodibat, seque pro suggesto, vel de genu accumbentibus aliis, super mensam graviter incusabat, ipse culparum suarum, & accusator, & testis, & censor, & judex adeo severus, ut qui initio cum risu prodeuntem exceperant, juniores, flentem flentes audirent, & tantæ virtutis spectaculo commoti, desinentem prosequerentur. Sed in gymnasiorum atrio, & porticibus ita versabatur, ut salutaribus colloquiis, jam singulos, jam plerosque, jam omnes ad expiandas animi sordes, & morum elegantiam excitaret. Denique, quum desperantibus de salute medicis, cœleste Viaticum afferretur, & sacra stola, quæ est Sacerdotum insigne, collo adderetur: *Hei mihi*, exclamavit, *qua mihi monstra narratis? Nunquid Agnus ad Lupum veniet stolatum, & tunicatum? Date mihi, quaso vos, aculeatum sertum, & funem, quam collo admoveam, ut reorum habitu vinctus, & sordidatus, judici meo me sistam.* Divinum itaque Panem magno cum fletu, & accusatione culparum sumpsit, & morientium religionibus ritè lustratus, annum agens ætatis septimum, & quadragesimum, postridie Idus Apriles, vitâ exemptus est, & Marianorum *Missionis* Sodalium, cereas faces præferentium, magno agmine elatus. Viris de Provincia optimè meritis, eo etiam nomine P. Antoninus Paniterius est accensendus, quòd consanguineis superstes, & hæres fiduciarius designatus ab Onuphrio fratre, qui novissimus omnium, anno 1635, extinctus est, paternum, maternumque patrimonium, Mutio Vitelleschо Societatis, & Boscho Provinciæ Rectoribus, perpetuò addixit; eâ tamen conditione, ut qui ex eo fructus redirent, tamdiu collocarentur, quoad proventus omnes aureorum quingentorum supra millenos, vel millenorum saltem annuam summam attingeret: exinde verò pecunia, quæ ex hæreditate quotannis manaret, certorum Collegiorum adjuvandæ ædificationi attribueretur, quibus beneficium, hoc ordine impertiendum edixit, ut primo loco Collegium Plateense, secundo Catanense, tertio Narense, quarto Ennense, quinto Mutycense, sexto Siclense, septimo Thermitanum Himerense, octavo Monregalense, nono Salemitanum, unius anni pensione sublevaretur; anno autem decimo, eâdem serie ad Plateense, & quæ sequuntur remigraret; nisi fortè excludendum esset Collegium ex his aliquod, cujus esset ædificatio absoluta. Quod si omnium ædificia perfecta essent, jussit, eos redi-

Eximiæ Paniterii virtutes attinguntur.

Singularis ejus tẽperantiæ monumenta.

Ejus beata mors, & funus.

Pingue patrimonium Collegiorum adjuvandæ ædificationi attribuit.

Collegia a Paniterio designata, quæ eo beneficio sublevarentur, suo ordine referũtur.

Digitized by Google

ditus obæratis, & inopiâ laborantibus Collegiis, ejus qui Provinciam administraret arbitratu, annuatim concedi, vel in commune universæ Provinciæ commodum cedere, deminutis Collegiorum pensionibus. Has denique conditiones ita præstari mandavit, ut integrum, solutumque esset Vitelleschо, & qui post ipsum Societati præsiderent, & singulas, & omnes, quemadmodum rectiùs videretur, abrogare, convertere, & aliter temperare. Datæ sunt Paniterii, per Josephum Rieram Catanensem Scribam, ea de re publicæ litteræ, pridie Calendas Junias, anno 1640. Mutius tamen, & qui ab illo summam rexere Societatem, eâ, qua consueverunt æquitate, sapientem, & salutarem Paniterii voluntatem, ad hanc scribentis ætatem, ratam, & fixam esse voluerunt. Sed pluris æstimandum est virtutum, & exemplorum patrimonium, quo P. Antoninus Paniterius Provinciam, & Societatem locupletavit.

Aliæ a Paniterio in eo beneficio administrando, conditiones sapienter adjectæ.

XIX. Eodem, quo Paniterius, anno ortus, extinctusque est, & Societati Messanæ aggregatus, P. Alphonsus Marchesana Catanensis, atque ut morum, ita mortis similitudine, & vixit, & vivere desiit. Ex quo adolescens Societati se mancipavit, unum Deum sibi proposuit, veluti summam rerum, ac cogitationum suarum. Studiis propterea laudabiliter exactis, dictoque Votorum quatuor sacramento, neque usquam docuit, neque magistratum gessit, sed in infimis quibusque Sacerdotum muneribus, totum se divino obsequio addixit, & uni Deo placendi studium intimè coluit. Diem aliis assiduo labore dedit; noctem sibi, ac Deo reservavit. Humi namque stratus, & caput scamno acclinans, non ultra secundam vigiliam somno indulsit; reliquum noctis spatium ante divinam *Eucharistiam*, in divinis laudibus, & cœlestium rerum meditationibus de genu consumpsit; nisi fortè ad morientes evocaretur, quo in munere triduum non semel impransus, incænatus, insomnis perseveravit, eisque præcipuam navavit operam, a quibus læsus aliquando fuisset, officii memor, immemor injuriæ. Cibi non parum appetens, naturæ desiderium adeo fregit, ut vitam ferè totam mirà parcitate transegerit. Ad communia enim, & consueta jejunia, quibus quidquid ex mari captum esset, denegavit, dies adjecit, qui a sacro Christi Adventu nuncupantur, item quindenos ante Mariæ *Assumptionem*, & quadragenos, qui præcedunt cœlestis militiæ Principis Michaëlis religionem, ad III Calendas Octobres. Denique Sabbata, & sextas ferias. Verùm sextis Martii feriis, & pridie eorum dierum, qui vel *Deiparæ* sunt consecrati, vel præcipuà aliquà religione colun-

P. Alphonsi Marchesanæ intima cum Deo conjunctio.

Ejus erga divinam Eucharistiam, ac Dei Matrem singularis religio.

In jejuniorum consuetudine assiduitas, & ratio austeritatis.

tur,

Digitized by Google

tur, non alio cibo, ac potu, quàm pane, & aquâ usus est. Ad hæc, nullum unquam alitum, aut altilium genus gustavit. Tanta autem fuit ejus in expurgandis animi labeculis assiduitas, ut ter, & quater in die ad eas expiandas accederet. Octavo ante fatum die, visus est sibi per quietem, ante Christum judicem stare, ad dicendam causam accersitus, ibique a stygiis hostibus vehementer postulari. Quum verò gravissimis premeretur accusationibus, neque quicquam proferre posset, quo se expurgaret, & judex fatalem sententiam laturus esset; non se ille deseruit, & metum, atque pudorem, fiduciâ quadam, & quasi audaciâ vicit. Nam *Provoco*, inquit, *ad divinam misericordiam*. Quæ verba, tantis clamoribus iterum, atque iterum pronunciavit, ut evigilaret ipse, & quotquot in conclavi quiescerent, de secunda vigilia expergefecerit. Eo veluti certissimo mortis nuncio, admoneri se intellexit, parum abesse diem suum. Quare maculas animi omnes, tantâ accuratione expiavit, ut in recitandis superioris vitæ culpis, horas octo per intervalla consumpserit. Consecuta est mentis, animique mira jucunditas. Lætus proinde, ac spei plenus, triduo extinctus est, Calendis Quintilibus, pridie *Deiparæ Visitationis*, quum annum ætatis numeraret septimum supra quadragesimum. Eo elato, nihil in ejus cubiculo repertum est, præter papyraceam imaginem, & precum sacrarum codicem vetustum, & longo usu detritum, quem tamen pretiosæ supellectilis loco, a quamplurimis expetitum, Collegium Catanense retinere maluit, tam eximiæ virtutis pignus, quo tanti viri memoriam aleret, & posteritati transmitteret.

Per quietem ante Christum Judicem stare sibi visus, gravissimis premitur accusationibus.

Quum nihil, quo se expurgaret, proferre posset, ad divinam misericordiâ provocavit.

Omnibus animi maculis expiatis, lætus extinguitur.

Religiosæ inopiæ usus admirabilis.

XX. Plurimùm quoque Provincia debet P. Mariano Opizzingo, qui etsi vix quinquennium in Societate meruit, numeratur tamen inter optimè meritos. Ab Pisis vetustissimo genere, Republicâ florente, oriundus, generosis parentibus Panormi natus est, VII Calendas Sextiles, anno 1583. A vitiis immunem egit adolescentiam, & reliquam ætatem cælibem duxit, & omnis veneris expertem. Mariana Sodalitia, Nobilium, & *Mortificatorum* assiduè celebravit, atque pecuniâ juvit, & propter morum elegantiam, non semel utrique præfectus est, Palatii Adriani dominationem, quam jure paterno adierat, adolescens, ob æris alieni magnitudinem, abdicatam amisit; atque ejus recipiendæ studio, maximis implicitus litibus, annos ipsos viginti, forensibus fluctibus Panormi, & Romæ jactatus est: jamque in Hispaniam navigare parabat, ut apud æquiores Judices, quàm Romani, aut provinciales fuissent, jura sua ex-

P. Mariani Opizzinghi genus, ortus, atq; eximiæ virtutes.

Adolescentiæ cursum magno virtutũ incremento auspicatur.

Secedendi voluntatem ex fori fluctibus cõcipit, & Societatem amplectitur.

experiretur, commutato repentè consilio, sexagenarius prope, Sacerdotio initiari curavit, anno 1642, & Sacerdos Panormitanis tironibus sese adjunxit, quorum consuetudine, senex inter pueros tantopere affectus est, ut quodammodo repuerascéret, atque idem candore, & verecundiâ puer; ætate, ac gravitate emeritus videretur. Verùm quod caput est, humanis rebus tam ingenuè, ac liberaliter se abdicavit, ut avitam hæreditatem Societati ferè universam testamento addixerit. Collegium enim Panormitanum ex asse hæredem nuncupavit.

Pinguem hæreditatem Collegio Panormitano ferè universam, testamento addicit.

Æstimata est autem hæreditas, aureis ferè quindecim millibus, ex quibus sexcenti, & eo amplius quotannis redirent. Jussit tamen, hæredem Marianæ Nobilium Sodalitati, unicâ pensione, quingentos solvere; annuos verò centum, publicis custodiis; destinavitque peculiarem censum, ex quo annui triceni supra centenos perciperentur, eâ conditione, ut duos Societatis Sacerdotes Collegium aleret Panormitanum, qui festis diebus omnibus, item singulis tertiis, & sextis feriis ante, & post prandium, Sabbatis verò vespere tantùm, custodias adirent, quas *Vicariam* vulgus appellat, ibique in singulis itionibus duas, ut minimùm horas permanerent, & Christiana officia administrarent. Extat denique in Collegio Panormitano insigne ejus erga pauperes misericordiæ monumentum. Tradit enim Riela æqualis ejus, excitatam ab eo Marianam Pauperum mendicantium Sodalitatem, quam & vivens curavit, & moriens, legati nomine, aureis trecentis donavit, qui intra quinquennium, quinis annuis pensionibus solverentur, ex quibus octavo quoque die pauperes, qui Sodalitati interessent, stipem viritim auferrent. Condita primùm est ea Sodalitas apud Ædem S. Mariæ de Itria. Quoniam verò Marianus testamento cáverat, ut per nostros homines, quorum fides esset Majoribus explorata, ea sportularum largitio administraretur; gravissimumque esset nostris hominibus ad Itriæ Ædem accedere, consultiùs visum est, Pauperum Sodalitatem Collegio Panormitano transcribere, in quo ea demum consedit, & dum hæc scribo, ut cum maximè viget; auctus est enim ejus census, variis legatorum incrementis, ad aureos ferè tricenos annuos supra centenos. Sodales admodum quinquaginta censentur. Singulis octavo quoque die, si Sodalitio adfuerint, denarii quinque numerantur, sex verò, quoties menstruo *Eucharistiæ* convivio interfuerint. Datur omnibus, tertio quoque mense, lautum epulum in atrio Gymnasiorum, & nostri Juniores fercula apponunt, atque ministrant. Singulis annis, vigintiquin-

De Mariana Nobilium Sodalitate, ac de publicis custodiis benemerétissimus.

P. Jacobus Riela Chron. Prov. Sic. ad án. 1646.

Pauperum Sodalitatem Panormi instituit, & censum decernit.

Ejus Sodalitatis leges, & instituta.

que,

Digitized by Google

que caleeis, & indumentis ita donantur, ut alternis annis, ex integro induantur omnes. Extinctorum denique pauperum Sodalium manes, statim ab obitu, novendialibus sacrificiis sublevantur. His cumulatus P. Marianus Opezzingus, aliisque virtutibus, & benemerendi studio omnibus carus, atque spectatus, in Collegio Panormitano vitam clausit, IV Calendas Decembres, quum ætatis annum attigisset tertium, & sexagesimum.

P. Francisci Marini ortus, virtutes, & res gestæ.

XXI. Præcipuorum hujus anni funerum agmen claudit P. Franciscus Marinus generosis natalibus Alcami ortus, qui fratrum suorum natu maximus, aviti patrimonii censum, & titulum aspernatus, anno ætatis duodevicesimo, Societati nomen dedit, & in ea laudabilissimè vixit, annos sex, & viginti. Quanta fuerit inclyti hujus viri virtutum magnitudo, & præcipuè erga Deum caritas, ex eo judicari potest, quod nec dum Sacerdos, quum anno 1625, Panormi grassaretur pestilentia, ipse verò adolescens Philosophiæ daret operam, magnis precibus impetraverit a Majoribus, contagiosis presto esse, eorum domos adire, Sacerdotem ad eos sublevandos designatum comitari, quæcunque posset corporis, animique remedia conferre.

Contagiosorum obsequio Panormi se devovet.

Ea dum incautè exequitur summæ pietatis officia, lue comprehensus, frontem uri sensit, ex qua virulentus extitit carbunculus, & adeo ardens, ut lævum supercilium pestifero ulcere depasceretur: quare in vitæ, mortisque confinio dies aliquot versatus, fatalem horam, maximos inter dolores, diu expectavit. Placuit tamen superis tam insignem misericordiæ victimam Provinciæ condonare, ut præclarissimum caritatis trophæum, ad alios viginti annos ob oculos Sociorum versaretur, & ad animi virtutem excitaret. Exquisitis itaque remediis curâ summâ receptus, & recreatus, ac veluti mortis postliminio reversus, convaluit. Retinuit tamen in lævo supercilio tanquam inscripta superioris morbi vestigia; fœdam nimirum, & amplam cicatricem, quâ nullum fuit magis decorum, & honestum summæ virtutis insigne; eamque se vidisse scribit Riela, qui rem exponit. Infirmâ nihilominus valetudine deinceps usus, quam litterarum etiam contentio nonnihil inclinavit, studiis utcunque peractis, anno ætatis tricesimo, in Collegio Naritano trium Votorum sacramentum nuncupavit, & primus omnium, aureorum tria millia jampridem collocata, ex quibus annui quinquaginta supra centum redirent, eâ præscriptione Collegio Panormitano addixit, ut ii exinde alerentur, qui sacris in Provincia excursionibus darent operam. Cen-

Pestiferâ lue comprehenditur, & in maximo vitæ periculo versatur.

Incolumis evadit, prioris carbunculi cicatrice retentâ.

P. Jacobus Riela ibidem.

Ad sacras in Provincia excursiones habendas, primus omnium censu constituit.

Digitized by Google

sum verò ab eo inchoatum, alii deinde ad aureos quingentos, & quod excurrit, auxere: quo factum est, ut P. Franciſci Marini beneficio, ſacræ quotannis excurſiones a quamplurimis in Provincia celebrentur, & eorum valeat ſoboles, qui tantum opus, nullà populorum expensà aggrediuntur. Inter Collegii Panormitani benemeritos propoſita cernitur ejus imago cum elogio, quod est ejuſmodi: *P. Franciſcus Marinus Alcamenſis, nobilitate aquè, ac virtutibus clarus, de Siculis Miſſionibus optimè meritus: obiit in Collegio Monregalenſi, tertio Decembris, anno 1649.* Sed in anno apponendo, pictorem titubâſſe arbitror - Nam Jacobus Riela, qui anno 1648 extinctus est, de Marini fato meminit, & ad hunc annum revocat. Erratum est etiam in menſe, ac die adnotando; nam poſtridie Calendas Septembres, Marinum deſideratum fuiſſe conſtat, anno ætatis quarto, & quadrageſimo.

P. Marini elogium in Collegio Panormitano ejus imagini appictum.

Quo anno, & mêſe extinctus fuerit, diſcutitur.

XXII. Panormitanam exhilaravit Civitatem inopinatus adventus Mameti Celebi, quem cum liberis, atque univerſa familia, ineunte Martio, peregrina navis expoſuit. Erat Tunetani Regis filius natus maximus, anno ætatis undeviceſimo, egregià formà adoleſcens, qui clam a Patre profugerat, & ſponſam paulò ante ductam reliquerat, ut Chriſtianam religionem amplecteretur. Petrus Faxardus *Marchio Veleſianus*, Siciliæ Prætor, ut ab eo cognovit, qua potiſſimùm de cauſa fugam inſtituiſſet, & Mazariam primùm, deinde Panormum appuliſſet, ad Panormitanæ Domùs Patres informandum miſit, ut Chriſtianis elementis imbueretur, & apud eos diverſaretur. Duobus ferè menſibus ea in doctrina conſumptis, dictus est dies pridie Calendas Majas, quo die in Domùs Panormitanæ Templo ad id magnificè ornato, grandi ceremoniâ, Chriſtianis ſacris initiaretur. Pridie ejus diei, accumbentibus Patribus miniſtrare, & fercula apponere, & ſingulorum pedes exoſculari voluit, neque eo die quicquam, præter panem guſtavit. Adfuit Prorex, & ejus Uxor, qui pro Regio Candidato ſe Sponſores dedere: Ferdinandus Andrada Pontifex Panormitanus, coram Senatu, & Curia, ac Principibus Civitatis, Populo, ut nunquam aliàs frequentiſſimo, Regium adoleſcentem aquà expiavit, & Chriſto addixit, juſſitque ex Mameto Celebi, a Philippi IV Hiſpaniarum Regis nomine, Philippum deinceps appellari. Conſecuta ſunt ampliſſima munera, ex auro, ac gemmis, quæ Faxardo, & Andradà præeuntibus, univerſa nobilitas contulit, præter pretioſam ſupellectilem, qua perpetuis certatim largitionibus, ædes ejus inſtructæ ſunt. Reddi-

Ex Relatione P. Joſephi Spuces, Panormi edita.
Vincent. Auria Chron. Proreg. Sic. ad ân. 1646.

Tunetani Regis Filii in Siciliam adventus.

Chriſtianæ fidei, elementis per noſtros homines imbuitur

tæ

tæ sunt sub id tempus Regio Juveni Patris litteræ, amoris plenæ, quibus ille ut strenuus Christi miles rescripsit. Earum litterarum exempla edidit P. Josephus Spucces ad calcem ejus narrationis, de qua in margine est adnotatum. Sed hujus Principis exitum non satis initiis consentaneum fuisse comperio. Nam quarto mense, Tunetum remigravit. Quod quemadmodum, & quare evenerit, aliorum interest investigare; dum nos ad instituti propositum festinamus.

XXIII. Inauspicatus Siciliæ sese ostendit annus 1647, qui propter annonæ difficultates, concitatam plebem in armis habuit, & Balthasaris Hispaniarum Principis, & Hæredis, qui anno superiore sublatus est, funus explicavit, & Faxardum Proregem extinxit. Quod ad nos attinet; funebres honores, qui principe in Templo, Panormi Regio adolescenti habiti sunt æquè magnifici, ac sumptuosi, flagitantibus ærarii Præfectis, curavit P. Marianus Bichetius Panormitanus, nobilis Architectus. Hic novam tumuli molem, qua elegantiorem nemo adhuc viderat, excogitavit, statuis insignivit, emblematis, titulis, atque carminibus ornavit: lugubri apparatu argenteis distincto fimbriis, stemmatis, ac funalibus Ædem concinnavit; quidquid ad elegantiam, & majestatem faceret, congessit, & accepti, atque expensi confectis rationibus, cognitum est, tantæ molis, & apparatùs amplitudinem minoris stetisse, quàm pro mediocribus Regum exequiis solutum antea fuisset. Laudavit autem X Calendas Martias Regium juvenem, coram Prorege, & Panormitano Pontifice, qui justa persolvit, & solemni ceremoniâ litavit, adstante etiam Senatu cum Curia, togatisque Regiis Administris, & militiæ Centurionibus, atque Tribunis, denique Optimatibus, ac Principibus Civitatis, & universâ nobilitate, omniumque Ordinum Civibus, magno syrmate atratus, P. Paulus Garlanus summus ævi ejus orator, qui Corilione oriundus, Panormitanam Civitatem obtinuerat, & propter eloquentiæ dignitatem, atque præstantiam, anno 1645, septimo Idus Apriles, quum Isabellæ Borbonïæ, Philippi IV Hispaniarum Regis uxori, sexto post fatum mense, ibidem exequiæ fierent, & pro suggestu Reginæ laudes exponeret, non mediocris consecutus est luctus, qui mœrorem funeris cumulavit. Quare idem est designatus, qui Regium ornaret Principem. Sed expectationem superavit, ut magnam, atque communem. Ejus enim extincti desiderium, quasi futura prospiciens, ita auxit, atque lenivit, ut ex misericordia assiduæ erumperent audientium lacrimæ, quas

1647

Balthasaris Hispaniarum Principis funus, & exequiæ.

P. Marianus Bichetius elegantissimâ tumuli molé excogitat, & carminibus ornat.

Magno apparatu, regio juveni justa persolvuntur.

P. Paulus Garlanus ejus laudes atratus exponit.

tamen meliorum rerum spes, & læta auguratio temperaret.

Maxima annonæ difficultas, sitientibus agris, Siciliam vexat.

XXIV. Verùm nullus fuit hujus anni ærumnarum, ac miseriarum finis. Parci per hiemem imbres agris mandata semina aluerant. Consecutum est ver austrinis obnoxium ventis, siccum propterea, & perpetuis adustum solibus. Negotiatores, superioris annonæ, quæ parum læta obvenerat, frumenta, magna ex parte occultaverant. Quæ venalia essent, frequentissimæ Civitates partim consumpserant, partim cariùs emerant, quàm plebis ingluvies ferre posset. Senatus Mamertinus, qui in ejusmodi rei frumentariæ difficultatibus, utilem, atque fidelem Societatis operam habebat exploratam, tres ejus homines, populares suos ab Ignatio Gargano impetravit, quos cum pecunia ad frumenta conquirenda, & pretio comparanda dimitteret. P. Annibal Lombardus, ea ut de re cum Prorege ageret, Panormum venit, & quamvis Civitatem seditionibus perturbatam invenerit, ac Proregem in arce Panormitana curis maximis exagitatum, rem tamen frumentariam quadantenus explicatam sublevavit. P. Victorinus Mannamus eximiæ magnitudinis onerariam conscendit, & in Sardiniam navigat, atque inde onustam remittit: ipse ibidem onerariæ reditum expectat, ut altero commeatu tantundem importari curet. Uterque quinquagenarius, re bene gestâ, & gratulante Civitate, Messanam regressus, peregrè tamen ex aëris inclementia, & navigationis incommodis, atque periculis, contractâ valetudine, sequenti anno, in Mamertina Domo extinctus est. P. Josephus Andreas Centumcellas abiit, & tria modiorum millia exinde retulit. Inter hæc populus Panormitanus, P. Francisco Sparacino, viro eâ tempestate, eloquentiæ, ac probitatis opinione spectatissimo, plurimùm hortante, atque adnitente, ad religionis officia adjecit animum, ut sitientibus agris, pluviarum solatium a Deo impetraret, & publicæ famis periculum deprecaretur. Quare quod, in maximis, communibusque calamitatibus fieri solet, vetustissimum Christi e cruce pendentis, & prodigiis celeberrimum Simulacrum, magnum atratorum supplicantium agmen ab Æde principe effert, & ad *Theatinorum* S. Josephi amplissimum, atque ornatissimum in quadrivio Civitatis situm Templum deducit, V Nonas Majas; ibique dies ferè quindecim ad cultum proponit. Incredibile est, quos populi concursantis, & pœnitentis motus effecerit ejus signi religio. Tradit Auria: *Nunquam aliàs rectiùs Panormitanos cives cum Ninivitis conferri potuisse: non modò enim lacrimis, sed etiam sangui-*

Senatus Mamertinus ad frumenta conquirenda tres nostros homines dimittit.

Ex his duo, frumento comparato, ex itineris defatigatione, Messanæ extinguuntur.

Panormi, ad pluviam impetrandam, sacræ supplicationes instituuntur, P. Sparacino adhortante.

Vincentius Auria Chronol. Proreg. Siciliæ ad ann. 1647.

R. P. Franc. Magius Cher. Reg. in Relat. supplicationis.

ne

ne manare visa est religiosissima Civitas. Quibus rebus pacatum cœlum uberrimos longè, latéque imbres effudit, & lætissimæ annonæ spem recreavit. Itaque quum a maturitate segetes parum abessent, & messis prope esset in manibus, sublevatis jam imbre agris, fore sibi polliçebatur populus Panormitanus, ut panis pretia remitterent, & mensura augeretur. Sed contrà accidit. Nam Senatus, qui futurorum nescius, frumenti undique conquisiti vim magnam congesserat, & in communi inopia importatam, magno emerat, coactus est, nè publica Civitatis, & ærarii fides conturbaret, panem venalem, & pluris emendum, & extenuatà mole, ac pondere, in macellis proponere. Inopinatus hic casus concitatam religione plebem exacerbavit, & spem, ac pietatem in desperationem, atque furorem convertit: *Quasi frustra tantùm lacrimarum, ac sanguinis prodegissent; si Magistratuum avaritia, tot religionibus, & cruciatibus redemptum Dei beneficium praripere; & quod superi quàm largissimè contulissent, auferrent homines*. Quare postridie ejus diei, quo Christi Signum in Ædem principem est relatum, Populus, repentino quasi turbine, arma capit, Prætorias Ædes obsidet, vectigalia magnis clamoribus remitti postulat, Magistratuum potestatem, & jura sibi arrogat, Proregem, & Hispanum militem in arcem compellit, locupletum domos ad direptionem designat, omnia metu, & luctu complet. Iratæ, armatæque multitudini obsistere nemo audet. Forum, & Gymnasia silent. Curiæ consilia, ex vulgi libidine potiùs, quàm sententia administrantur. Publica auctoritas penes paucos residet factiosos, quorum audacia valeret.

Cœlo religionibus pacato, largi imbres effusi sunt.

Senatus Panormitanus panē, extenuato pondere, pluris emendum proponit.

Ea de causa Panormitanæ plebis tumultus, & iræ.

XXV. Commune periculum Nostros etiam involvit. Quanquam enim superioribus diebus nihil prætermiserint, quo cives juvarent, & corporis, animique subsidia conferrent: nam & populum magna ex parte, quin nocturnas sibi horas ad quietem relinquerent, expiaverant; & pauperum greges quotidie aluerant, & Paulus Garlanus, qui Domui præerat, in tantis annonæ angustiis exhaustæ, & obæratæ, nullum jusserat repelli inopem, qui ad januam accederet, quin stipe aliquà donaretur: non defuere tamen, qui populum incitarent, ut a Domo Panormitana direptionis initium fieret, cujus argenteum Templi instrumentum, & pretiosa supellex opulentam multitudini prædam offerret. Garlanus ea de re admonitus, suos domi continet, fores occludi jubet, & ante divinam *Eucharistiam* quotidianas, communesque precationes instituit.

Panormi in ea seditione Nostri periclitantur.

Domûs Panormitanæ Templi pretiosā supellectilem diripere populus meditatur.

Sed

Sed P. Franciscus Sparacinus, cujus singularia erant in Deum, ejusque Matrem merita, ante *Deiparæ* imaginem, quam in cubiculo religiosè colebat, dies, noctesque de genu vigilans, Domùs Panormitanæ causam egit. Cui denique Virgo non secus, ac si adesset, ex ea tabula vocem emittens: *Nolim putes*, ait, *pristinam me Domùs hujus abjeciſſe clientelam. Equidem ero cuſtos, atque recipio, irritos fore invidorum veſtrorum conatus. Meum erit efficere, nè Plebs Panormitana Societatis in ſe beneficiorum memoriam labi ſinat.* *Deiparæ* oraculo fidem fecit admirabile oſtentum: ex eo enim tempore viſa eſt ſupra Domum Panormitanam candidiſſima nubes, quæ crucis inſtar, brachia hinc inde protenderet, tanquam ſalutis, & incolumitatis inſigne. Ea de re diſertè teſtabatur P. Joſephus Algaria æqualis eorum temporum, qui, me tirone, anno 1693, octogenarius, & cæcus in Panormitana Domo verſabatur, ubi anno 1712, quartum ſupra nonageſimum numerans ætatis annum extinctus eſt. Nullum tamen Marianæ clientelæ eventu ipſo luculentius extitit teſtimonium. Jam furentis populi globus, in Panormitanam Domum parabat impetum facere, quærebatque, qua ratione fores perfringeret, & placuerat, nocturnis facibus illas incendere: quum Marianus ex eo numero Sodalis neſcio quis interceſſit, & conatus ejus ita interpellavit: *Ejà agite ingratiſſimi cives, religionem, & pietatem conculcate: Irruite jam in amicos, magiſtros, & parentes veſtros, de vobis optimè meritos. Hanc ergo gratiam pro aſſiduis laboribus, pro perpetuis beneficiis, pro impenſa nobis, liberiſque noſtris miſericordia, pro religionis officiis referemus? Atque ut antiqua omittamus; nonne oculis ipſis noſtris pauperum examina, ſuperioribus diebus, ad quatuor, quæ Societas habet Panormi conſtituta domicilia volitare ſpectavimus, neque quenquam exinde vacuum redire? Quid, ſi hæc ipſa Profeſſorum Domus, cujus ſacrarium expilare cogitatis, omnium pauperrima, in communi calamitate, omnium etiam liberaliſſimè & ſtipem, & reliqua miſericordiæ officium impertivit? Quare quò amentes ruitis? Nunquid parum fuit, exuiſſe religionem, ac pietatem; niſi etiam projeceritis humanitatem, atque pudorem?* Ea vox plebis animos ita convertit, atque pacavit, ut nemo deinceps inventus ſit, qui eam rem movere auderet, quamvis alternis motibus, atque ſuppliciis, plebs Panormitana, ad uſque ſequentis anni exitum, Civitatem exagitaverit, & ſceleris auctores capitali parricidarum pœnà interdum affectos viderit. Itaque Noſtri, *Deiparæ* be-

B. Virgo, Noſtros ex eo periculo incolumes fore, P. Sparacino pollicetur.

Deiparæ oraculo fidem facit admirabile oſtentum.

Mariani Sodalis ad plebẽ, in Domum Panormitanam jamjam irruentem, oratio.

Eâ oratione, Noſtri metu, ac periculo liberantur.

Digitized by Google

beneficio reseratis Templi valvis, ad consueta redeunt religionis officia, & jam non sibi, sed plebi timent. Eadem ferè Messanæ, Catanæ, ac per universam prope Siciliam, turbulentissimo tempore gesta sunt, quorum meminere cùm provinciales, tum externi ejus ævi Scriptores, Franciscus Strada, Josephus Piccius, Antoninus Collurafius, Biragus, Brusonius, Gualdus, & Bisaccionius, præter domestica monumenta, quorum fidem habeo potissimam. Liceat hìc posteros admonere, ut sedulò cogitent, quem ex piis largitionibus, Majores nostri fructum retulerint.

Franc. Strad. Aquil. Triúph. pag. 195. & seqq.
P. Josephus Piccius de Reb. Italic. pag. 96.
Collurafius Tumultuat. 2. pag. 174.
Jo: Batp. Biragus pag. 144.
Gualdus lib. 4. pag. 221.
Hieron. Bruson. lib. 15. pag. 454.
Bisaccion. Accident. Panorm. pag. 410.
Biragus lib. 3. pag. 144.

XXVI. Primus occurrit, de cujus vita, ac funere non est silendum, P. Alphonsus Cajetanus, Octavii, & Pauli frater, Syracusis, inclyto genere ortus postridie Calendas Majas, anno 1578. Florentem ætatem non mediocri facundiâ, sacris concionibus in Provincia dedit, mite secutus dicendi genus, ac minimè concitatum, sed grave, & crebris sententiarum luminibus illustratum. Devexos annos in Panormitana primùm Domo, deinde in Collegio collocavit. Marianam ibi Nobilium Sodalitatem annos quamplurimos maximè laudatus curavit. Juniores hìc excolendos, & virtutibus informandos suscepit. Mamertinis quoque tironibus aliquandiu præfuit, & prima religiosæ consuetudinis semina, insigni juventutis emolumento administravit, ut digito notarentur, qui ex ejus disciplina prodiissent. Tanta fuit domi, foriſque ejus opinio probitatis, atque doctrinæ, ut quicunque emendatissimè viverent, cùm domestici, tum externi, eum conscientiæ participem, & animi ducem, vitæque magistrum habere vellent. Sit pro omnibus P. Aloysius Lanuza, vir omni virtutum, ac prodigiorum genere ornatissimus, qui Alphonsi nutum intuebatur, & nihil, eo inconsulto, aggredi, aut movere audebat. Tria sibi in quotidiana vivendi consuetudine, tanquam morum suorum elementa proposuit; nempè ut *cæcus, surdus, & mutus* esset; quæ & in adversariis adnotavit. His veluti cardinibus, omnis ejus agendi, loquendive ratio vertebatur. Quod & accuratissimè præstitit. Humana enim omnia ita est aspernatus, ut quid Panormi, vel domi ageretur, planè nesciret, & si quid novi in perpetuæ secessionis latibulo ad eum afferretur, narrantem interpellaret, atque orationem ad seria, & utilia converteret, doceretque: *Se, quæ apud mortales gererentur, malle ignorare, qui ad cœlestia natus esset.* Quare cubiculo pedem nunquam efferre constituit, nisi ad caritatis, aut naturæ officia vocaretur. Ejus rei difficultatem, B. Rosaliæ exem-

P. Alphonsi Cajetani patria, genus, & res laudabiliter gestæ.

Ejus in dicendo ratio, & tironum instituendorum singularis scientia.

Quænam sibi in quotidiana vivendi cõsuetudine fuerint elementa proposita.

Singulare ejus latendi studiũ, & ab humanis rebus alienus animus.

plo

plo molliebat, quæ Quisquinæ latebris se abdidit, & perpetuam latendi voluntatem saxo insculpsit. Ea proinde Virginis verba: *Ego Rosalia amore Domini mei Jesu Christi in hoc antro habitare decrevi*, grandioribus notis, cubiculo suo inscripsit, quibus monitoribus secedendi propositum tueretur. Mirum autem fuit, quod nè in summis quidem caloribus, qui Panormi, flante præsertim austro, incredibilem æstum efficiunt, nunquam cubiculi fenestram, aut januam aperuit, nisi quum exire cogeretur. Ea in solitudine cœlestium rerum contemplationi dies, noctesque studebat, quam tamen non intermittere consuevit, nisi piorum lectione librorum. Quod si delassatæ menti otium esset aliquod concedendum; flagris contexendis dabat operam, quæ munusculi loco, disciplinæ suæ alumnis impertiebat. Ceterùm quæ silens, & latens cum Deo transigeret, homo in cœlestibus beneficiis occultandis solertissimus, assequi nemo potuit. Sed animum gessisse divinà caritate affectum, & intimo, altoque vulnere saucium, ii omnes testati sunt, qui colloquio ejus assueverant. Vix enim erat, ut consuetum de divinis rebus sermonem institueret, quin pectus æstuaret, vultum multus sanguis inficeret, & lacrimis oculi manarent suavissimis, atque perennibus. Porrò consequens erat, pro Christianæ disciplinæ institutis, ut qui tam Dei esset amicus, idem sibi esset infensus, & inimicus. Et sanè in coërcendis naturæ desideriis, frangendisque animi motibus, Alphonsum Cajetanum multum fuisse, nemo diffitebitur, nisi qui non didicerit, quàm familiaris sit sanctis hominibus rerum suarum occultatio, neque sibi persuaserit, æquum esse, ex iis, quæ supersunt vestigiis, reliqua æstimare. Illud certè constat, nunquam ab eo famem sedatam, quamquam acri erat stomacho, & cibi appetentissimo: nullum ab eo gustatum recentium pomorum genus: nunquam adjecta ferculis condimenta: altilia, & quidquid vulgare non esset, & planè quotidianum, nè apponi quidem sibi sustinuisse, nisi fortè interdum ad vexandam gulæ cupiditatem, delicatiorum epularum intuitu. Spectaculis nunquam adfuit, utcunque sacris, atque magnificis, neque si domi, & extra ordinem exhiberentur. Nihil unquam indulsit oculis, quod vel speciosum esset, vel haberet admirationem, ut magnam, & singularem; neque unquam visus est, nisi cœlum, aut terram intueri, & vel in ipso colloquio familiari, atque domestico, aut lumina attollere, aut cujusquam vultum adspicere. Quidquid aures oblectaret, etsi melos esset exquisitum, atque in proxima Collegii aula ederetur, harmonia-

Ad eam secessionem B. Rosaliæ exemplo excitatur.

Ea in solitudine intima ejus cum Deo, & assidua conjunctio.

In occultandis divinis beneficiis temperantia admirabilis.

Ejus cibi parcitas, atque aurium, & oculorum temperantia singularis.

Digitized by Google

niarum naturâ cupidus, nunquam audivit, neque ut audiret, exorari passus est. Rusticationem nedum diuturnam, sed neque unius diei unquam admisit, nisi oblatam, & enixè rogatus. His accessit perpetua capitis ægritudo, ex qua dolores assidui, quos constantissimè dissimulavit, nè qua exinde recreandi corporis cura Majoribus injiceretur. Quibus rebus effectum est, ut vires corporis mirum in modum extenuaret, & expirantis mortui imaginem præseferret. Existit adhuc in Collegio Panormitano eximii hujus viri insigne, ac perenne monumentum: Marianam enim Pauperum Sodalitatem, quam P. Marianus Oppizzingus, Alphonso potissimùm consilii auctore, ediderat, eo extincto, regendam sumsit, & usqueadeo amplificavit, ut ducenti ferè pauperes, octavo quoque die cogerentur, & consuetâ stipe donarentur: nè verò tam insigne opus dilaberetur, pecuniam corrogavit, qua collocatâ, census est constitutus idoneus, cujus beneficio, ea, quam diximus, sportularum, & epulorum administratio ad hanc diem maximè valet. Vagorum quoque Ægyptiorum institutionem primus suscepit, & P. Aloysio Lanuzæ plurimùm commendavit, erecto ad id Templo, ac Sodalitio, quò convenirent, & Christianis præceptis imbuerentur. His ornatus meritis, atque virtutibus, trium Votorum sacramento donatus, anno ætatis undeseptuagesimo, simillimam placidissimo somno mortem nactus est in Collegio Panormitano, septimo Idus Januarias, inter domesticorum, & externorum lacrimas honorificè elatus. Nihil præter summam rerum omnium inopiam, in extincti cubiculo repertum est. Verùm non modò ungues, atque capillos, sed quæcunque ejus fuissent, religionis, & memoriæ causâ, Nostri præsertim, quibus ejus probitas erat exploratior, cupidissimè conquisita sepoluerunt, & in pretiosis rebus retinere certaverunt. Edidit italicè vitam Franciſci Cajetani, Panormi primùm, anno 1637, apud Decium Cyrillum, quam deinde auctiorem ibidem renovavit; atque eo extincto, posteri Bononiensi prælo instaurandam curaverunt, & P. Toussanus Bridoul Belga, latinè conversam, Insulis anno 1641, eo vivo, jam pridem emiserat. Conspicitur imago ejus in plerisque Provinciæ Domiciliis, inter præclariores Societatis viros publicè proposita, adjecto rerum gestarum luculentissimo elogio; scripsitque vitam ejus adhuc ineditam, & supremæ valetudinis seriem P. Marianus Opizzingus, summâ cum eo familiaritate conjunctus.

Præclarissima alia virtutum ejus monumenta.

Marianam pauperum Sodalitatem amplificat, & censum auget.

Vagorum Ægyptiorum Sodalitiũ erigit, & P. Lanuzæ commendat.

Ejus beata mors, ac sanctitatis acclamatio.

Biblioth. Soc. pag. 35. & pag. 771. P. Franc. Scorsus Proem. 3. §. 2. in Hom. Theophan. Ceram. Joseph. Perdicarus in ep. ad lect. de Sanct. Sic. Petri Salern. in præf. ad Vit. SS. Sicul. Oct. Cajet.

XXVII. Infensum quoque Provinciæ reddidit hujus anni

P. Hieronymi Tagliaviæ patria, genus, ingenium, & eximiæ virtutes.

initium P. Hieronymus Tagliavia, ſummum in Sicilia nomen domi, foriſque, cujus etſi identidem ſuperioribus annis, per occaſionem magiſtratuum, quos & ſummos, & laudabiliter geſſit, nonnulla delibavimus; non abs re fuerit, eadem ordinatim cum reliqua ejus vita conjungere, quam beatus demum exitus clauſit. Proſapiâ in paucis clarâ, & pervetuſtâ apud Thermas Selinuntias natus eſt P. Hieronymus Tagliavia, anno 1573. Litteras ab ineunte ætate, propter ingenii acumen, & excelſam alacritatem, ſummopere adamavit, & coluit. Sed impares fuere vires animi, & corporis: nam valetudine uſus parum commodâ, diſcendi laborem ferre non poterat. Annum ætatis ſeptimum ſupra decimum nondum attigerat, quum Idibus Maji, tironibus Mamertinis eſt aggregatus. Religioſæ vitæ elementa, ob indolis elegantiam, & ingenuam quamdam docilitatem, ad ſuos mores ita tranſtulit, ut in Societate non altus, & eruditus, ſed natus videretur. Honeſto corporis habitu, & oris formâ præditus liberali, innocuam, & maximè verecundam exegit adoleſcentiam, quam virilium etiam annorum maturitas commendabat. Intimum temperandi, atque excolendi animi ſtudium, nè quis motus erumperet parum rectus, & emendatus, quod ab ipſo tirocinio ſuſceperat, perpetuum habuit vitæ comitem, aluitque aſſiduis divinarum rerum meditationibus, quibus lubricæ ætatis proclivitatem compeſcuit, & ad meliora quæque convertit. Ejus adoleſcentis innocentiâ, & familiaritate plurimùm delectatus eſt P. Bernardus Colnagus; & qualis olim, ac quantus futurus eſſet, jam tum præcipiens animo, non verebatur, de ſummis, occultiſſimiſque rebus cum eo communicare, & quæ ſibi obvenirent cœleſtia beneficia, adoleſcentulo committere. Documento ſit, quod tradit P. Silvius Tornamira, ab ipſo Tagliavia jam ſene acceptum. Anxio enim, & æternæ ſalutis ſatagenti Colnago, non alius viſus eſt aptior, qui ſuam ad Drepanitanam *Deiparam*, Epiſtolam, & mandata perferret, in quibus erat: *Vehementer Bernardum flagitare, nè de æterna diutiùs felicitate celaretur*. Nactus itaque Tagliaviam, qui exactis Philoſophicis Artibus, ad Grammaticam in Lilybœtano Collegio tradendam deſignatus, Drepano erat iter facturus, eo internuncio uſus eſt, & obſignatam dedit Epiſtolam, quam ſine arbitris ad Signi Drepanitani pedes ſiſteret, ibique relinqueret, ac ſuis ad Virginem Matrem precibus, propoſitum ejus urgeret. Quod quum Tagliavia præſtitiſſet, & Colnagus, *Deiparæ* reſcripto, de ſalute certior factus eſſet, adoleſcentem admonuit,

Singularem innocentiâ, Societatis moribus alit, & quotidie auget.

P. Colnagus ejus innocentiâ, & familiaritate maximè delectatur.

Colnagus epiſtolam, Virgini Drepanitanæ per Tagliaviâ mittit.

ei-

Digitized by Google

eique acceptum retulit, quòd tanto beneficio affectus esset.

XXVIII. Theologiæ studiis magna cum ingenii commendatione peractis, & Sacerdotio inauguratus, reliquam ferè vitam, assiduarum ægritudinum causà, perpetuis in Magistratibus posuit, quos nunquam satis laudatus ampliſſimos administravit. Panormitanæ Domui annum agens nondum trigesimum, Minister præfuit propemodum tiro, emeritis, & veteranis. Ex eo tempore tam illustrem, atque perfectam expromsit gubernationis scientiam, ut junior, & natu minimus, seniorum omnium & pater, & magister, & judex, lubentibus singulis, haberetur. Formam regendi secutus est ab humanis cupiditatibus longè remotam; non humilem, & imbellem, non ambitiosam, & militarem, sed gravem, generosam, & efficacem; ut facilè appareret, si quando potestatem exereret, non eam sibi arrogare, sed præfecturæ permittere invitum, & reluctantem. Nihil tam vitavit, quàm astutam calliditatem, atque versutias: retinuit sagacitatem, ingenuam tamen, candidam, & apertam. Statuebat, rectam gubernationem, rem esse consilii, non naturæ: quare plures quotidie horas, secretis cogitationibus tribuebat, ut secum dispiceret, & sedulò deliberaret, quod rectissimum sese ostenderet. In eo maximè laborabat, ut uniuscujusque, & eorum quibus præerat, & quibus obtemperabat, naturæ sive commoda, sive incommoda scrutaretur, nè gerendarum rerum consilia, aut exitu carerent, aut ab instituto aberrarent. Quibus artibus est consecutus, ut auctoritatem ejus omnes vererentur, potestatem nonnisi mali timerent, a quibus aberat resipiscendi voluntas: nam qui deliquissent, seque castigati respicerent, facilem habebant receptum ad ejus gratiam, & pristinam benevolentiam: cavebat enim tanquam a rectæ, & moderatæ gubernationis peste, nè quis putaret, aut iras sibi esse implacabiles, aut inexorabiles simultates, aut in reorum animadversionibus odium magis, & naturam se habere ducem, quàm rationem, atque virtutem, & homines potiùs insectari, quàm vitia. Nunquam iratus, aut iratos objurgavit; sed pacatus pacatos aggressus est; nè aut ipse modum non servaret, aut illi in malam partem acciperent, quæ vel perturbati audirent, vel turbatè dicerentur. Quapropter magistratus ejus nemini unquam gravis accidit, aut injucundus; maximæque jactabantur gratulationes, & lætitiæ significationes, quum Hieronymus Tagliavia ad magistratum designatus ferebatur. Quæ ideo fusiùs, & explicatiùs visum est exponi oportere, quòd in tam-

Perpetuos, ac summos magistratus summa cum laude administrat.

Panormitanæ domui minister præest.

Eo in magistratu gubernationis ratio, & modus.

In subditis objurgandis ejus exquisita prudentia.

necessaria, atque difficili rectæ gubernationis disciplina, quam perpauci assequuntur, quoniam mira est paucitas summorum virorum, nunquam satis præceptionibus, & legibus erudimur. Quare si fortè incidunt majorum nostrorum exempla, qui eo in genere plurimùm valuerunt, ea mihi veluti pretiosas, & salutares domesticæ rectionis imagines liceat accuratè proponere; posteris verò eas nè grave sit intueri, si contemplari graventur.

Collegium Bisbonense sùma cum laude regit, ac Thermitani domicilii initia multùm adjuvat.

XXIX. Demandata primùm est Tagliaviæ administratio Collegii Bisbonensis, tunc temporis florentissimi, quam ad annum usque quintum prorogavit, cum ea, quam diximus, opinione virtutis. Quum ibi esset, multùm adjuvit initia Collegii Thermitani ad Selinuntios populares suos, propter loci propinquitatem; assidua enim cum Bocconio, & Perollo conditoribus ejus, qui ad eum ventitabant, colloquia instituit, cunctantes excitavit, erumpentes interdum difficultates temperavit, & Provinciæ optimatum voluntates, qui rem ampliando extrahebant, ad æquiora consilia traduxit. Panormum deinde ad dicendum quatuor Votorum sacramentum evocatus,

Tironum, quibus præerat, domicilium Panormi absolvit; & Panormitano Collegio præficitur.

Panormitanos tirones instituendos sumpsit, quibus postmodum ædificationis causà, Messanam demigrantibus, ibique considentibus, ipse nihilominus, cujus magna erat rerum gerendarum prudentia, ædificium absolvit, & post biennium, tirones remigrare curavit; quibus etiam semel, & iterum extra ordinem præfuit, donec Panormitano Collegio præfectus est, quo tempore Orsonæ Dux, qui Siciliæ præturam obtinebat, exagitandæ Societatis vias omnes scrutabatur. Subierat Comitiorum tempus. Ardebat Orsonæ Dux cupiditate incredibili augendorum vectigalium, quod suà potiùs voluntate, quàm Regis decreto, movendum sibi tamen existimabat, habebatque sui consilii participem, & assertorem Doriam Pontificem; dissentiebat strenuè Senatus Panormitanus cum Primoribus Civitatis, neque plurimùm assentiebatur Senatus Mamertinus, qui nihilominus tergiversando, & diem extrahendo, negotium sapienter morabatur. Sed Pontifices, & Sacerdotiorum Antistites, quibus est in Comitiis prærogativa suffragiorum, negabant, Proregis esse partes, sine Regis præscripto, de novis vectigalibus constituere. Habet Collegium Panormitanum, Caroli Quinti Cæsaris beneficio, aggregatum Patrimonio Sacerdotium Lilybœtanum S. Mariæ de *Crypta*, cujus gratiâ, qui Collegio *Rector* præest, jure gaudet comitiorum; sed ante id tempus, nostrorum nemo eum honorem sibi sum-

Universi Regni Comitia Orsonæ Dux indicere meditatur.

Ea de re Proregis, & Optimatum inter se dissidia.

Digitized by Google

sumserat, sed alteri delegaverat. Sperabat Prorex, Hieronymum Tagliaviam summæ virum auctoritatis, ad quem omnes respiciebant, vel in suam sententiam adducere, vel impeditissimo negotio hominem involvere, in quem, si quid secus accidisset, culpam omnem derivaret. Quare chyrographo suo jussit, proximis Comitiis, vel ipsum adesse, vel non alium, præter Doriam Purpuratum Pontificem, subrogare. Sed agebatur cum viro forti, atque humanarum rerum scientissimo, cujus prudentiam nullæ fefellissent insidiæ, neque ulla constantiam pericula subegissent. Quibus cognitis, Mutius Vitelleschus, nè in uno homine universa Provincia periclitaretur, statuit cedendum tempori, & periculo esse parcendum. Tagliaviam proinde invidiæ subductum, Romam honoris gratiâ evocavit, & Collegio Romano statim præfecit. Eum honorem homo novus, qui ex Sicilia nunquam exierat, ita gessit, ut si in Romana Provincia inveterâsset. Administrationes enim, atque consilia sapientissimè temperavit, & ad eam disciplinam tuendam, & illustrandam adduxit, cui Romana juventus assueverat. Tertio Romani magistratûs anno ineunte, meruit Tagliavia cœlestem illum juvenem Joannem Berchmans, ad Artes Romæ addiscendas, & Collegium Romanum magnis virtutibus ornandum, ex Belgio missum, complecti, ex longinqui itineris molestia fessum recreare, & intimam cum eo familiaritatem instituere. Ut enim homo perspicax, & divinarum rerum non ignarus, adolescentem vidit, atque ex ejus ore, atque oculis excelsam quandam candidissimæ mentis innocentiam elucere animadvertit, non ut ex Belgio venientem, sed tanquam cœlo delapsam purissimam, & Deo carissimam animam vereri cœpit, & assidua ejus colloquia captare. Non absimili animi sensu captus est etiam Joannes Berchmans, & erga Hieronymum Tagliaviam intimè affectus: novit enim quanta in homine resideret cœlestium rerum prudentia, & divinæ caritatis abundantia: eum propterea sibi delegit animi ducem, atque doctorem, cujus nutum intueretur, & verba, ut ex ipsius Dei ore missa, exciperet, atque observaret. Extant mutuarum utriusque litterarum exempla, quæ, Tagliavià Provinciæ reddito, ultro citroque mittebantur; eas qui perlegerit, facilè perspiciet, quanta inter ipsos fuerit morum similitudo, & intimæ, suavissimæque caritatis conjunctio. Joanne autem extincto, nihil in Tagliaviæ ore jucundius, aut frequentius versabatur, quàm accurata virtutum ejus commemoratio. Tironibus denique, ut mox attingam, excolendis quartùm ad-

P. Tagliavia sub id tempus difficillimo negotio involvitur.

Proregis ad Tagliaviam litteræ, atq; mandata.

Tagliavia, ut invidiæ subduceretur, a Mutio Romam avocatus, Romano Collegio præficitur.

Joannis Berchmans sub ejus magistratu, artes Romæ addiscit.

Tagliaviæ, & Berchmãs mutua litterarum consuetudo, & virtutis opinio.

Digitized by Google

admotus, in publicis, privatisque colloquiis, & in domesticis præsertim adhortationibus, de Joanne Berchmans sine largo fletu commemorare non poterat, & ita de factis, dictisque ejus commemorabat, ut disciplinæ suæ alumnos, non rectiùs se ad sanctioris vitæ normam erudire posse dictitaret, quàm si morum ejus, quam imitarentur imaginem, ob oculos ponere non intermitteret.

Joannis Berchmans virtutes Tagliavia suis Tironibus imitandas proponit.

XXX. Quartum in Romani Collegii præfectura jam annum collocaverat, quum quietis jampridem Panormi rebus, Orsonæ Ducis absentiâ, Tagliavia cum potestate remissus est in Siciliam, & gratulantibus omnibus, summum Provinciæ iniit magistratum, in eo maximè laudatus, quod qui bonus exierat, optimus reversus est. Nempe diuturnâ Romanæ commorationis consuetudine, præcipuè verò Mutii Vitelleschi familiaritate commotus, quo non vidit candidiorem, mitioremque animam orbis terrarum, reliquis officii publici virtutibus, politiorem adjecit mansuetudinem, & officiosam satisfaciendi elegantiam, qua culti præsertim homines, & in litteris enutriti, quàm maximè capiuntur. Itaque conditam ornamentis omnibus humanitatis, & lenitatis potestatem strenuè administravit, & quum Provinciam peragraret, tanta erat expectatio adventûs ejus, ut cùm domestici, tum externi obviam prodirent plerique omnes, & ad Collegia deducerent, singulari quadam, & inusitatâ significatione amoris, & observantiæ. Sed homo diligens, & aliorum commodis unicè studens, perpetuo itinerum, & curarum labore victus est, scribendarum præsertim litterarum assiduitate delassatus, quas ille ut animi sui testes, & voluntatis, alteri nunquam commisit, & subductis quieti nocturnis horis, suâ manu solertissimè elucubravit. Acerrimas ea de causa contraxit corporis ægritudines, quas maximopere incitabat intimum illud, & ingenuum obtemperandi potiùs, quàm præsidendi studium, quod omnem ejus vitam in magistratibus positam, molestam habuit, tristem, & injucundam. Quare crebris litteris abdicationem, beneficii loco, a Mutio impetravit. Non diu tamen quieto esse licuit, ac privato; ut enim receptis utcunque viribus, curarum laborem perferre potuit, coactus est Mutii litteris, Panormitanæ Domûs administrationem capessere, quæ nullam haberet itinerum, ac litterarum molestiam. Eâ singulorum commendatione perfunctus, Panormitanos tirones, quibus ter jam per intervalla præfuerat, quartùm excolere jussus est, atque eo in munere, maximo Provinciæ emolumento, perpetuum denique septennium consumsit,

In Siciliam regreditur, & Provinciæ magistratum adit.

Præclarissimâ gubernationis scientiam, incredibili lenitate temperat.

Perpetuo itinerum, & curarum labore, graves contrahit corporis ægritudines.

Magistratûs abdicationē a Mutio flagitat, & impetrat.

Viribus refectus, Panormitanæ Domui primùm, deinde nostris Tironibus præficitur.

Digitized by Google

sit, donec ætatis vacationem magnopere flagitanti, Mutius minimè negandam censuit. Reliquum vitæ spatium in Collegio peregit Panormitano; domesticæ juventuti, tanquam consummatæ virtutis exemplum, propositus, & eidem, quod ad animi disciplinam attinet, instituendæ præfectus. Nunquam aliàs in Collegio Panormitano religiosæ vitæ studium, & domesticarum legum custodia aut splendidiùs, aut vehementiùs exarsit, quàm quum Tagliavia, privatis, secretisque colloquiis, singulos admonendo, appellando, adhortando, non censuræ metu, neque censorum, sed intimà quadam benemerendi alacritate, adolescentes omnes ad Societatis officiorum elementa fingebat. Quo fiebat, ut nemo eum non diligeret, omnes vererentur ut patrem, atque doctorem, nullamque animi latebram carissimo seni inviam, & occultam esse vellent. Contigit sub id tempus memoriâ dignum ostentum, quod ex ipsius Tagliaviæ ore acceptum, Tornamira litteris prodidit. Erat inter domesticos adolescentes, Tagliaviæ maximè familiaris Joannes Baptista Urbanus Panormitanus, insigni specie juvenis, qui singulari ingenio præditus, & jucundà indolis alacritate omnibus carus, quum Philosophiæ daret operam, & inter æquales, doctrinæ primas ferret, se circumspiciens, & ætati nonnihil indulgens, usqueadeo in religiosæ vitæ proposito titubaverat, ut tantùm missionem non petierit. Hunc Tagliavia beneficiis aggressus, sibi primùm demeruit, & ad intimum vulnus aperiendum adduxit; deinde flexit, & confirmavit, atque ad sanitatem redegit. Tum summæ spei adolescens sibi redditus, quantoque in salutis periculo versatus esset, seriò animadvertens, a se sibi timere cœpit, atque vereri, nè si diutiùs viveret, eódem relaberetur, Tagliavià non abnuente, a Deo quotidie flagitabat, ut sibi mortem repræsentaret, si fortè prospiceret, se ad defectionis insaniam redituram. Neque Deus abnuit; nam in ipsis precibus, febre tentatus, valetudinem contraxit diuturnam, atque tabificam, quam ille nunquam aliàs lætior, & hilarior Deo acceptam referens, sibi gratulabatur, quod certum æternæ salutis pignus præciperet, & delicias prælibaret. Morti proximus Tagliaviæ gratias egit, quòd errantem a pernicie retraxerit, & ad cœlestis Patriæ limen adduxerit: beneficii fore se memorem pollicetur, curaturum se, nè ille ignoraret, qua potissimùm horâ, Deo post fatum apud superos frui cœperit. Paulò post morbo consumptus, mirâ jucunditate, exitum dulcissimo sopori similem nactus est, Calendis Septembribus anni 1636. Anno jam

In Collegio Panormitano juventuti instituendæ præficitur.

In eo munere religiosæ disciplinæ studium auget.

Silv. Tornamira Ghirlanda p. 2. Cent. 9. Decad. 1. esemp. 1.

Joannem Baptistam Urbanum in Societatis proposito titubantem, cōfirmat.

Confirmatus, nè e Societate deficiat, a Deo quotidie mortem flagitat.

In ipsis precibus, febre tentatur, & in Societate moritur.

Digitized by Google

jam ferè elapso, quàm decesserat; nihil tale cogitans, & promissorum immemor Tagliavia, cubiculi januam interdiu pulsari audit, aperiendi potestatem facit, & intrandi; respicit, videtque in vestibulo Joannem Baptistam Urbanum festivissimâ specie, pulcherrimâ facie, scintillantibus oculis, subridenti similem, & candidissimo ad genua indutum amictu, ut quum inter vivos immolanti ministrabat. Defixus ostento Tagliavia, ut se recipit, & percontari cogitat, destituitur: nam Urbanus silens, & non quidquam aliud, quàm se tantisper contemplandum præbens, quasi fidem suam satis jam liberâsset, nusquam ampliùs visus est.

Urbani Manes P. Tagliaviæ se ostendunt.

XXXI. Ejusmodi artibus, atque virtutibus, P. Hieronymus Tagliavia de Collegio Panormitano, deque universa Provincia optimè meritus, supremum vitæ actum diu decumbens, admirabili tolerantiâ clausit. Acerrimis namque doloribus diu, noctuque cruciatus, & inediâ, atque insomniâ mirum in modum confectus, nullam emisit vocem, quæ molestiam testaretur, & animi perturbationem indicaret. Itaque languentibus paulatim viribus, annos natus quatuor supra septuaginta, XV Calendas Februarias, tranquillo fato conquievit, quum annos undesexaginta magna cum laude meruisset. Manantibus uberrimè lacrimis, prosecutus est funus ejus P. Joannes Petrus Mustica Thermitanus Himerensis, æqualis ejus, & inter amicos amicissimus, vir in paucis doctus, atque disertus, & sacræ morum scientiæ consultissimus. Huic Tagliavia, paucis a funere diebus, quum pro defuncti manibus immolâsset, inopinatò se obtulit, & inter tristem, atque hilarem medius: *O si scires*, ait, *Joannes Petre Mustica, quantâ severitate aternus Judex res humanas perscrutetur, & quàm districtè quæstionem exerceat, & jus dicat!* Quæ quum magnâ voce pronunciâsset, e vestigio videri desiit. Mustica ostento perterritus, parum abfuit, quin exanimatus concideret. Ut se recepit, defuncti hominis admonitione, eóusque commotus est, ut reliquum vitæ decennium arctioris vitæ studio transegerit. Nam qui ad id tempus, communi se disciplinâ continuerat, austerum deinceps, laboriosum, & maximè castigatum vivendi genus instituit. Ætate enim gravis, & doctrinâ conspicuus, humi cubare, purgare sordes, publicè se interdum, privatim quotidie flagris cædere, hominum colloquia vitare, quæ Deum non saperent, quidquid munditiarum esset refugere, quæ minimè necessaria essent, utensilia, subsellia, supellectilem, indumenta, libros etiam e cubiculo amandare, inediâ corpus debili-

Inter acerrimos corporis dolores Panormi sanctissimè moritur.

P. Josephus Mannus apud Tornam. Chirl. Cent. 19. Dec. 1 esemp. 4.

Post fatum, P. Mysticæ se offert, eumque de Christi Judicis severitate admonet.

Mustica eo ostento perterritus, seipso major, & melior totum se Deo tradit.

Digitized by Google

litare, cœlestibus cogitationibus plures quotidie horas impendere, morientibus adesse, omnia demum domi, foriſque Societatis munia ita præstare, ut qui ſingulis diebus Tagliaviam admonentem, & de cœleſtis Judicis auſteritate commemorantem audiret.

XXXII. Præclaris hujus anni funeribus accenſeri meritò poteſt Didacus Paternus, ex generoſa, quam ſæpè ante laudavimus, Paternorum familia Conſulari, Catanæ prognatus, IX Calendas Majas, anno 1631. Bimeſtris adhuc *Deiparam* colere cœpit: nam ejus nomine audito, exultabat, & ſingulis Sabbatis hilarem, ridentem, & pœnè cœleſtem vultum oſtendebat. Infantem a primordio ætatis, ſub Virginis Matris clientela fuiſſe, ex eo cognitum eſt, quod in cunis, deploratâ ſalute, morientem, & ſupremos jam anhelitus ægerrimè molientem, votis, & religionibus, ſui per *Deiparam* receperunt. Bimulus deſponſam ſibi ſacris amoribus, & cœleſtibus nuptiis Catharinam Senenſem dictitabat. Quum V. P. Aloyſius Lanuza divinam hoſtiam decenni puero adminiſtraret, candidiſſimam adeſſe vidit columbam, quæ circa caput ejus volitaret, & alis plauderet. Eâ ſpecie commotus, doceri voluit, quis puer eſſet, & quibus parentibus procreatus. Tum adjecit: *O te Beatum, quem religione Deo in Societate mancipatum, ſalvâ animi, & corporis innocentiâ, præpropera, & immatura mors occupabit.* Addit P. Michaël Frazzetta, in Vita V. P. Aloyſii Lanuzæ, vel qui locupletatam edidit P. Dominicus Stanislaus Albertus, viſam etiam a Didaco columbam, quæ Lanuzæ genas ambiret, & capiti immineret. Sed adeundæ Societatis vaticinium irritum fore ſuſpicabantur, qui adultum jam adoleſcentulum, alia omnia cogitantem videbant. Oraculo tamen fidem fecit repentina de cœlo vox, quæ Didacum interiùs admonuit, fore ut propediem fato interceptus decederet, niſi maturaret ſecedere, & religioſæ militiæ nomen dare. Ex eo igitur die Societatem flagitavit, & propter generis, ingenii, & morum præſtantiam, illico, & facilè impetravit. Annum ætatis decimum ſextum quum attigiſſet, religionis tirocinium Meſſanæ nactus eſt, ibique inter tirones, quaſi inter cœleſtes animas verſaretur, mirâ rerum omnium abdicatione Deo ſe addixit, atque ita devovit, ut nil jam mortale, & humanum cogitaret, & nè propinquorum quidem memoriam retineret. Motus animi, & repentinos cupiditatum igniculos non pacavit modò, ſed omnino fregit, atque delevit. Contubernalem tironem, cui ob falſam delati criminis ſuſpicionem, invidioſus

Didaci Paterni obitus, & ab Infantia ejus erga Deiparam religio.

Bimulus deſponſam ſibi ſacris amoribus S. Catharinam Senenſem dictitat.

Eo ad Euchariſtiâ accedente, columba circa caput ejus a P. Lanuza viſa eſt volitare.

Ex inedito ejus elogio in Provinciæ adverſariis.

In edit. 2. Vitæ P. Aloyſ. Lanuzæ Pan. ap. Angel. Felicellam, ann. 1608.

De cœlo admonitus Societatem flagitat, & impetrat.

Contubernalem tironem, pugnis in se debacchantē patienter tulit.

esse cœperat, atque suspectus, pugnis in se debacchantem, & planè sævientem, non secus, ac si lupus agnum invasisset, tantà animi tranquillitate tulit, ut neque inusitati sceleris novitate commoveretur, neque vocem ediderit, qua de injuria quereretur: quin è Societate dimissum, perpetuis postea deflevit lacrimis, quasi in causa fuisset, quod ille ejiceretur. Tirocinio perfunctus, & Panormum ad politiores litteras degustandas, quæ per eos dies in Panormitano Tirocinio, domesticis junioribus tradebantur, accersitus, incredibilem de se non modò spem, sed certissimam quoque expectationem excitavit. Quum enim delicatiorum litterarum doctrinam, cum summa virtutum disciplina conjungeret, & quod pauciſſimorum est, re ipsà doceret, bonas artes non esse pietati infensas, aut intimæ religioni inimicas, quid non ab eo sibi homines pollicerentur, qui ita musas aggrediebatur, ut non negligeret primam habere virtutem, cui reliqua ingenii, ac vitæ ornamenta servirent? Sed alia erant ab humanis divina consilia. Deus quippe teneros, simpliceſque Didaci annos, non alia de causa Societati commodavit, nisi ut interdum ostenderet junioribus nostris, quò probitas, & solertia ante annos viriles progredi possit. Et sanè Didacus, nono ferè mense, ex quo se studiis Poëtarum involverat, acrioribus urgeri cœpit divinæ caritatis aculeis, quorum admonitu intellexit, non longè abesse fatalem horam: quare animi maculis accuratissimè exploratis, & expiatis, nihil jam nisi Deum loquens, cogitans, & anhelans, Nonis Sextilibus, acutà febre correptus, & gaudiis omnibus cumulatus, quòd ad salutis, & vitæ metam properaret, ita decubuit, ut qui non ignoraret, in eo se lecto mortales exuvias positurum; in quo tam suavi divini amoris incendio flagrare visus est, ut cœlestis Patriæ desiderio, non morbo extinctus crederetur. Inter communes domesticorum lacrimas, unus ipse lætus, & dulcissimà voluptate perfusus mortalitatem exuit, XII Calendas Septembres, annos natus duodeviginti, & quum innocentiæ fama manâsset, elatus magno externæ etiam juventutis concursu.

Ad politiores litteras degustandas, Panormum mittitur.

Quinam fuerit ejus cum litteris virtutum concentus.

In Tirocinio Panormitano inter domesticorū lacrimas, dulcissimè moritur.

XXXIII. Magnam habent posterorum eruditionem duo, quæ proximè consequuntur funera, P. Jacobi Marcinonii Calatahieronensis, & P. Raphaëlis Pinelli Drepanitani. Hæc ego, quoniam reciprocà inter se connectuntur factorum cognatione, conjungere necesse habeo, atque illud apertè præfari, non defuturos, qui fortè dissimulari maluissent, quæ magna cum offensione non modò caritatis, sed etiam humanitatis, ad-

Quæ adversùs P. Raphaëlem Pinellum egit P. Jacobus Marcinonius, exponuntur.

Digitized by Google

adversùs Pinellum egit Marcinonius. Cur enim non oblivioni potiùs mandentur, quàm litteris committantur, quæ injucundam, & invidiosam præseferunt immanitatem, quum occultari deceat domesticas sordes, non illustrari? His ego nè morem geram, duo potissimùm suadent. Primum est auctoritas rerum Societatis Scriptorum, qui, si qua incidunt nostrorum hominum vitia, turpiora etiam, ac fœdiora, evulgare non verentur; & præsertim Silvii Tornamiræ, qui hanc ipsam Pinelli, & Marcinonii iliadem, certissimis auctoribus ab omni falsitatis suspicione accuratissimè vindicatam, suis inseruit domesticorum exemplorum Centuriis, quas prælo designatas quum adornaret, id ipsum monet, & pluribus inculcat, nè plenam exempli narrationem stultus aliquis Societatis amator, superstitione magis, quàm religione deductus, reticeri oportere, arbitretur. Alterum est Historiæ fides, quam sanctam, & incorruptam, nemo doctus, & prudens, sive Græcus, sive Romanus, sive antiquus, sive nuperus scriptor, esse noluit. Cognoscere nè gravemur quid a Laudatore distet Historicus. Hic fidem postulat, ille nonnisi admirationem: sed neque fidem, neque admirationem habet Historicus, qui totus est in laudibus congerendis. Nè pudeat nos, homines nos esse confiteri, communi argillà compactos. Sciant posteri, quæ Majores peccaverunt, & ea potissimùm, quæ exempli causà, cœlesti animadversione notata comperimus. Satiùs est enim facta fuisse ostendere, quæ fieri non potuisse putabantur, quàm ea silere, quæ quum aliquando facta sint, deinceps quoque fieri posse deprehendimus. Habeant mali rationem posteritatis, & infamiæ, quibus a maleficio deterreantur. Nè careant boni solatio, eorum reprehensionis, quæ perperam gesta sunt.

Quæ Scriptorem compulerint ad facinus exponendum, rationum momenta.

Aliorum scriptorum authoritas, ac Historiæ fides id postulare videntur.

XXXIV. Itaque P. Raphaël Pinellus, anno natus 1587, difficillimo Societatis tempore, quo Drepanitani, Collegium, & homines publicè modis omnibus insectabantur, ita ut in Templo, & Gymnasiis solitudo fieret, insigni Nostrorum hominum patientiâ permotus, anno ætatis secundo supra vicesimum, nostro numero addictus est, absque litteris tamen, quas jampridem dimiserat, quum de secessione non cogitaret. Vixit tamen in Societate maximè laboriosus, & utilis; nam præter unum docendi munus, cujus facultate carebat, reliqua omnia Societatis officia strenuè gessit, & rem familiarem pluribus in Collegiis, rei agrariæ scientissimus, magna cum solertiæ, & integritatis laude procuravit. Postremò Calatanixetam ire jus-

P. Raphaël Pinellus Drepanitanus Societati adscribitur.

Quum litteris non valeret; rē familiarē summâ cum laude procurat.

sus, quum in eo Collegio inveterâsset, & annos quamplurimos consedisset, graves, & insanabiles contraxit valetudines, quas ille quandiu stare licuit, domesticis laboribus servire coëgit: nam & templo adesse, & confitentibus præbere aures, & quotidie immolare, & morientibus opem ferre. Quum verò acutissimis articulorum doloribus, podagra, & chyragra pituitosa, & algida accessisset, quæ nodos efficeret crudos, & lapidosos, quibus marcescentibus, incocta rudera, & crudi lapilli egererentur; tum lecto affixus, & perpetuò decumbere coactus, vitam quàm diutissimè extraxit expirantis mortui similis, & quasi quotidie moriturus; quando enim in alterutrum latus cubare non posset, & continuo recubitu resupinus jaceret, squalor, & macies, attritu ipso decumbentis corporis, ut fieri necesse erat, carnem omnem exederat posteriorem, & tergoris ossa nudaverat, ut spina, & vertebræ, lumbis hinc inde consumptis, & stupà oppletis, nuda existerent. Vidisse se narrat P. Placidus Brancacius, suis ad Tornamiram litteris, imum tali osticulum merum, & candidum usque ad vertebram, cute, & pulpà depastà. Itaque neque surgere, neque se convertere, neque per se cibum capere, neque muscas abigere, neque ullum sibi corporis officium administrare, consuetam tamen oris hilaritatem semper retinuit, ulcera ferro, & igni libenter obtulit, nihil unquam conquestus est, ministrantium indiligentiam, & oblivionem, jejunus interdum, & totis diebus solus, & destitutus, atque inediâ, & pœdore confectus, nunquam accusavit: ita annos quamplures; mirum temperantiæ, ac patientiæ exemplum domesticis se præbuit, & externis, qui ad eum, ulceribus, & sanie coopertum confluebant, ut vivum Jobi simulacrum intuerentur, & hominis Deo pleni sermonem elicerent salutarem. Sed P. Vincentius Romanus nobilis Catanensis, qui Collegio præerat, eximiæ vir caritatis, & quatuor Vota professus, nihil prætermisit, quo curâ summâ Pinellum sublevaret, & doloribus ejus mederetur. Fratrem enim designavit, qui remedia, & alimenta conferret, ac ori indeeret, lectum quotidie purgaret, ulcera quotidie ablueret, & abstergeret, odorem averteret, & rebus omnibus interdiu præsto esset; famulum præterea, qui nocturnis horis apud eum excubaret.

Calatanixetâ missus, graves ibi, & insanabiles cõtrahit valetudines.

Continuo recubitu macie conficitur, & lumbi consumpti, stupâ opplentur.

Ejus in doloribus ferendis hilaritas, ac tẽperantia.

P. Vincentius Romanus curâ summâ Pinellum sublevat.

XXXV. Romanum magistratu abeuntem excepit P. Jacobus Marcinonius, Pinelli æqualis, qui eodem natus anno, parem quoque domestico vocabulo, *Coadjutoris spiritualis formati* gradum in Societate obtinuerat. Hic duro, atque

P. Jacobus Marcinonius Collegii Calatanixetensis magistratum adit.

tri-

Digitized by Google

triſti vir ingenio, & Pinello jampridem infenſus, diſciplinam in eo lædi, ac frangi arbitratus, quòd Romanus, licentiâ potiùs quadam, quàm indulgentiâ, liberaliùs, ac delicatiùs, quàm conſuetudo domeſtica pateretur, ægro ſtuduiſſet; ea omnia ademit humanitatis obſequia, quæ Romanus contulerat, edixitque fratribus, nemini licere, præter communia fercula, Pinello quicquam apponere, aut quæ ad vitam minimè neceſſaria eſſent, ſuppeditare. Reliqua chirurgo procuranda relinquerent. Quarè deinceps non reperiebatur, qui lectum reficeret, feneſtram odoris causâ aperiret, & miſerrimo homini opitularetur. Ea res, ut Pinellus ſileret, domeſticos Sacerdotes adegit, ut ea miſericordiæ officia ſibi ſumerent, & ſimul Ignatium Garganum Provinciæ Antiſtitem, certiorem facerent, ac Marcinonium crebris litteris, violatæ caritatis poſtularent. Viſa eſt Gargano æqua poſtulatio: verùm Provinciæ Neapolitanæ alumnus, qui Marcinonii mores parum noverat, ſatis habuit, eum requirere, ut commodiorem ſe Pinello præberet, quem ſciret, propter virtutis eminentiam, ſibi eſſe cariſſimum, ſeque mox adfuturum, ut eam rem accuratè cognoſceret, & quid fieri vellet, coram ſignificaret. His litteris iracundiæ impotens, vehementiùs exarſit Marcinonius, inani ſuſpicione adductus, quaſi Pinellus magnis conqueſtionibus domeſticos concitâſſet, ut graviſſimam ſibi dicam impingerent. Ad eum propterea advolat, garrulum, & querulum, & olidum ſenem arroganter, acerbéque incuſat, quòd nullum faciat conquerendi finem. *Quid vellet? Nunquid unus domi eſſet, cui fratres omnes ambitiosè famularentur? Cur Societati tamdiu inutilis, & maximè gravis, tam delicatè de ſe cogitaret, putaretque, nihil ſibi, quidquid in mentem veniſſet, non eſſe indulgendum? Si quid deeſſet, cur non Rectori ſuo potiùs, quàm aliis exponeret. Hæc eſt virtus, hæc religioſi hominis abdicatio, hæc in extremis vitæ finibus ad rectè, ſanctéque moriendum præparatio? Haccine ſunt præclara merita, quæ veteranus Societatis miles ad Chriſti imperatoris ſui tribunal afferret? Quæ ampliùs quæreret, aut peteret corporis commoda, qui jam vix corpus haberet? Cur vitæ ſuperioris errata, morti proximus cumularet, pro quibus tam juſtas, & graves, & diuturnas Deo pœnas daret?* Hæc, & alia hujuſmodi quum graviſſimis verbis, & magnis clamoribus exprobrâſſet, fruſtra ſe expurgantem, & de ſe omnia, præter accuſationes, & querimonias, confitentem, attonitum, & conſternatum reliquit; & quaſi id parum fuiſſet, eadem,

Quales, & quâtas a Marcinonio Pinellus ſuſtinuerit inſectationes.

Marcinonius apud Garganũ Provinciæ Antiſtitem violatæ caritatis poſtulatur.

Ea de cauſa Marcinonii in Pinellum impetus.

Pinellus fruſtra expurgare ſe ſtudet.

&his

& his graviora, Pinello patienter silente, quotidie recinebat.

XXXVI. Inter hæc optatissimus accidit Gargani adventus, qui furentem hominem coërceret, & ex reo, Actoris partes crudelissimè exercentem. Conclamantibus, & contendentibus omnibus, ut Marcinonius e vestigio abdicaretur, unus interceſſit Pinellus, qui Gargano quotidie ad se ventitanti, quum exposuisset quæ gesta essent, & se omnia Deo, & Societati concessisse testatus esset, utpote leniſſimo homini, facilè persuasit, nè Marcinonio fraudi essent, quæ hactenus Deo annuente, perpetrâsset. Orare tamen, atque obsecrare, ut Marcinonio modis omnibus imperaret, nè ad se deinceps accederet, reliqua, ut sibi videretur, administraret. Habere se ejus rei legitimas, & graves causas; quarum ea erat præcipua: Deo non placere, tentari diutiùs morientis hominis patientiam: incitari se, viso, atque audito Marcinonio, vehementissimis odii irritamentis, ac stimulis; vereri propterea, nè a malis furiis immitteretur. Amisisse se animi jucunditatem, qua inter maximos dolores, atque miserias, plures jam annos nunquam caruisset: mentis jam ægritudine, corporis moleſtias longè superari. Magno proinde cum salutis periculo fore videbat, si Marcinonius ad se veniret. Garganus virtutem, & animi magnitudinem admiratus, laudavit patientiam, excusavit Marcinonii suspicacem animum, & naturæ acerbitatem, suavissimis verbis mœrentem confirmavit; denique omnia pollicitus, & æquiorem fore Marcinonium, identidem inculcans, ad hunc properavit, quem non exacerbandum ratus, Pinelli in eum merita, ac beneficia testatus, probum, & ægrum senem, pluribus commendavit, atque rogavit, nè ulcerosum illum silendi cupidum, & rerum cœlestium contemplationi deditum interpellaret. Gargano autem digresso, Marcinonius, ut si Pinellum acie vicisset, ac de eo triumphâsset, ad pristinas decurrit conciones: eidem quotidie insultabat; quidquid faceret, aut diceret leviſſimis de rebus arguebat, solitudinem ejus, excluſis domesticis, quasi Gargano obtemperaret, in dies augebat, monebatque interdum, ut conqueſtionum suarum fructum caperet. Aliquot jam abierant menses, ex quo Garganus discesserat, quum Pinellus in consueta Marcinonii nænia, ægritudine victus, & inedià prostratus, animo linquitur. Facilè sibi persuasit Marcinonius, adveniſſe Pinello fatale tempus, statuitque jam non de humanis, sed de divinis remediis cogitandum. Accurrit ad sacrum Oleum deferendum, sed eo intervallo, domesticorum fomentis recreatum, & confirmatum reperit;

Contra Marcinonium reclamantibus omnibus, unus apud Garganum intercedit Pinellus.

Nè ad se deinceps Marcinonius accedat, a Gargano flagitat.

P. Garganus mœrentem, ut potest, consolatur.

P. Garganus pluribus Marcinonio Pinellum commendat.

Ea de re exardens Marcinonius, semel, & iterum Pinellum insultat.

Digitized by Google

perit; nihilo tamen seciùs ægrum inungit, qui tantam admiratus festinationem, silens, & flens, rei eventum expectabat. Tum Marcinonius, non secus, quàm si ille animam exhalâsset, remotis arbitris, & P. Josepho Magliocco manere jusso, qui concionator ibi fortè ex itinere diversabatur, ut eo adjutore uteretur, Pinelli cubiculum expilare orsus est, atque omnia diripuit. Mensam, abacum, libros, imagines, scrinia, subsellia, atramentarium, indumenta, conquisitisque clavibus scriniorum, quum in crumena non reperisset, manu immissâ, pulvillo subjectas abduxit. Quibus omnibus asportatis, ad duas se dorcadum, seu damarum pelles, convertit, ægrotanti cariissimas, quibus alternis utebatur, ut jacenti sibi substerneret, nè culcitra sanie, ac sordibus corrumperetur. Tum Pinellus obortis lacrimis, fregit silentium, & *Expectate*, inquit, *dum moriar; brevis enim est mora: tunc illas auferetis*. Sed ejus voce neglectà, nihil fecere reliquum, præter nudos parietes, & aceti trullam, stupæque congeriem, quæ ulceribus adhiberentur. Quæ quum P. Placidus Brancacius sacramento oculatus testis confirmaret, ait: *Vidi ego cubiculum scopis mundatum, quod certè dum cogito, horret animus. Inauditum in Societate monstrum! Nullis equidem amplificationibus assequi possum, quemadmodum conclave illud direptum fuerit. Nihil planè relictum est, nihil, nihil.*

Pinello adhuc vivo, Marcinonius, & P. Josephus Magliocus ejus cubiculum expilant

Ejus rei P. Placidi Brancacii testificatio.

XXXVII. Verùm non diu impunè fuit Marcinonio, cum quo longè mitiùs egissent homines, si gravissimam ejus culpam non neglexissent. Ille Pinelli injuriis, & ærumnis nondum exsaturatus, & paucos post dies ad ejus exagitandi officium regressus, quum reticentem objurgâsset, quòd homo, qui adolescens rebus omnibus se abdicâsset, senex, infirmus, & fores æternitatis quotidie pulsans, tam molliter tulerit, quòd nullius pretii quisquiliæ amoverentur, cum eo solatii causâ gratulabatur, quòd ademptis jam quæ circum se essent, cupiditatum incitamentis, liberiùs, ac libentiùs morti se offerret, quæ non haberet quid ampliùs eriperet, nisi animam. Hoc illum sibi beneficium debere, quòd propinqui fati desiderium incitaverit, & omnes vivendi ansas abstulerit. Tum Pinellus divino numine instinctus excanduit, & fulgurantibus oculis in eum conjectis: *Quam vellem*, inquit, *mi Pater, tibi demum persuaderes, me infirmum, & in horas moriturum, sibi incolumi, atque robusto fore superstitem! Te igitur, te, inquam, Jacobe Marcinoni, me vivo, mors occupabit. Desine jam, quaso te, de mea morte esse sollicitus; quum de tua,*

Injuriis Pinello illatis, Marcinonius Dei iram sensit.

Pinellus, divino numine instinctus Marcinonio, se adhuc vivo, mortem prædicit.

Digitized by Google

tua, & seriò, & citò tibi sit cogitandum. Ea vox prorsùs inopinata, atque feralis, tanquam cœlesti telo perculit hominem, atque adeo consternavit, ut si cœlo ruente, terræ hiatu deprimeretur; & a Pinello discedens, toto corpore trepidaret, neque januam reperiret. Ut in cubiculum se recepit, læthali frigore comprehensus, inde non surrecturus lecto decubuit. Quibus rebus Gargano, qui non multùm aberat, nuntiatis, tum denique, quamquam serò intellexit, mediocria, & lenta consilia in flagitiis coercendis, minus esse salutaria, & interdum deteriora, quàm si aut extrema, aut nulla adhibeantur. Periculosius est enim maximos morbos mitibus movere remediis, quàm nulla, aut violenta præscribere. Quamobrem, prætermissis rebus omnibus, profectionem maturavit, & biduo ante Calendas Novembres, Ennà Calatanixetam venit, atque unà P. Placidus Brancacius, qui Gargano erat ab Epistolis, & quæ hactenus scripsimus, & quæ sequuntur, accuratè adnotavit. Adfuit Garganus ante lucernas, & sidera, atque ut ex equo descendit, rectà ad Marcinonium contendit; sed destitit utum sensibus, extremos trahentem anhelitus, & propè exanimatum reperit, ac suprema religionis officia persolvit, nec multò post, quartà nimirum noctis horà, demortui oculos clausit. Fato concessit Marcinonius annum agens ætatis sexagesimum, octavo die a Pinelli vaticinatione, cujus terrore extinctus est. Postero die Garganus & ipse perterritus, funeri præfuit, atque præivit atratus, & palliatus, manantibus interdum lacrimis. Post annum, eodem mense, ac propemodum die, quo Marcinonius, amicum, cujus factum in diripiendo Pinelli cubiculo, probaverat, & adjuverat, secutus est P. Josephus Maglioccus Drepanitanus, qui viribus, & ætate florens, anno ætatis secundo, & quinquagesimo, in Narensi Collegio diem obiit supremum. Marcinonio elato, atque sepulto, Garganus Pinellum adit, & qui, quæ de direpto cubiculo nuntiata essent, ægrè crediderat, vera, & quavis fide majora deprehendit; purgat se apud eum diligenter, quòd errore quodam injurias ejus molliendas potiùs, quàm vindicandas putâsset: tum convocatis domesticis, de genu, & flens veniam petiit, sibique imputavit, quòd Pinellus talia, & tam indigna perpessus esset. Jussit deinde, Pinello invito, & nequicquam reluctante, distractam referri supellectilem, reconcinnari cubiculum, atque omnia, ut antea fuissent, cumulatiùs quoque restitui. Fratribus demum mandavit omnibus, ut uniuscujusque præcipuum munus, & cura esset, benemerito, & sancto seni minis-

Eâ voce perterritus Marcinonius, statim febri corripitur, & lecto decumbit.

P. Garganus eo de casu admonitus, Calatanixetam contendit, & Marcinonio morienti adest.

Marcinonius, ut Pinellus prædixerat, eo vivo, extinguitur.

P. Maglioccus post annum a Marcinonii fato, eodem mense, ac die vitâ amittit.

P. Garganus Marcinonii casu perterritus, ad P. Pinellum se convertit, & modis omnibus juvat.

Digitized by Google

strare. Quibus sapienter administratis, dies ibi aliquot in perpetuis, & occultis cum Pinello colloquiis consumsit, ejusque apud Deum precibus discedens se enixè commendavit.

Quæ post Pinelli, ac Marcinonii fatum evenerint, commemorantur.

XXXVIII. Neque verò Pinelli, ac Marcinonii tragœdiam adhuc clausimus. Supremus nempe, & reliquis tristior restat actus, qui utroque e vivis erepto, rei novitate, ac magnitudine, domesticos omnes, admiratione, ac terrore defixit. Equidem eventum satis vulgatum ad fabellas retulissem, nèque ad mea scripta pervenire passus essem, nisi autographas litteras consuluissem, ex Provinciæ petitas monumentis, quibus litteris, septimo Idus Quintiles, anno 1678 Panormi ad Tornamiram datis, P. Placidus Brancacius, qui fortè adfuit, rem juratus exponit, vir gravis, & probus, cui fidem nefas sit abrogare. Pinellus itaque, a Marcinonii decessu, dies admodum tres, & triginta vivere perrexit, quos plerunque solus, cœlestia cogitans, & flagrantissimè cupiens, quotidie expiraturus, maximos inter corporis cruciatus, mirà animi jucunditate transegit. Denique postridie Calendas Decembres, defectus viribus, & languore consumtus, omnibus carus, & amabilis, placidissimè conquievit, anno vitæ sexagesimo. Pridie tamen quàm e vivis abiret, Fratrem Marianum Ciacium domestici templi ædituum, sibi adesse, magnà curà flagitavit, atque in mandatis dedit, nè committeret, ut se mortuo, quum corpus sepulcro inferret, juxta Marcinonii sive exuvias, sive sarcophagum, illud componeret; ejusque rei nè memoriam dimitteret, iterum, atque iterum ab eo petiit. Sed Marianus, peracto funere, sive memoriâ lapsus, sive rem laboriosam, & minimè necessariam negligendam ratus, consuetam humandi corporis rationem tenuit. Nam restem per pectus, atque alas injectam, & duplicatam a tergo, tenens manibus, & paulatim relaxans, corpus demisit, atque ut fieri necesse erat, prope Marcinonii corpus exporrexit, qui proximè, per funem quoque, sepulcro illatus fuerat. At verò quum restis caput alterum laxaret, alterum adduceret, ut transcurrentem funem reciperet, hærentem sensit, & ita corpori suâ sponte implicitum, & tenacissimè illigatum, ut corpus ipsum retraxerit. Quod quidem, etsi nunquam aliàs contigisset, casu tamen aliquo evenisse arbitratus, funem explicat, denuò corpori accommodat, illudque accuratiùs deprimit, ac unum restis caput ita remittit, ut aliò distractum tendat, neque corpus contingat. Sed funem arctiùs etiam corpori agglomeratum, atque impeditum, in ipso conatu, Pinellus iterum est secutus. Mirum est, quod neque

Flagitat, nè corpus ejus propè Marcinonii exuvias componatur.

Ædituus, cõtra quam Pinellus flagitaverat, ejus cadaver propè Marcinonii corpus per funem demittit.

Funem recipiens, Pinelli cadaver resti agglomeratum tertiùm sensit.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

tum Marianus oſtentum animadverteret. Quare eadem tertiùm conatus eſt, atque eodem ductu, atque tractu, funem tam exquiſitè corpori circumligatum, & indumentis irretitum deprehendit, ut divino conſilio caſum aſſignaverit. Tum verò Pinelli memor mandatorum, ſacro horrore perculſus, ac pedes ejus exoſculatus, oravit, ut ſibi ignoſceret: deinde immiſſis ſcalis, ſublatum humeris cadaver ſepulcro invexit, & procul a Marcinonio compoſitum collocavit. Quod quidem eò ſpectare arbitror, ut Deus iterum, & apertiùs declararet, quàm iniquè Pinellum Marcinonius exagitaverit, cujus manes noluerit cinerum conjunctione juvari.

Procul a Marcinonio tandē collocatur, & quieſcit.

1648

XXXIX. Quibus Romam properè nuntiatis, iis fidem fecerunt, quæ jampridem allata erant de mira Gargani lenitate, erga malos præſertim, & contumaces. Quare Vincentius Caraffa, ſummæ Societatis Antiſtes, vir fortis, & ſtrenuæ cultor ſeveritatis, quum gravibus, & aſſiduis litteris, hominem exſuſcitare non deſtitiſſet, neque tamen lentum, & ætate ſubactum ingenium expugnare potuiſſet, nè Provinciæ diſciplina, quam nimia ejus indulgentia nonnihil inclinaverat, diutiùs periclitaretur, P. Ludovicum Bompianum Anconitanum, & Romanæ Provinciæ alumnum, antea deſignatum, in Provinciam properare juſſit, ut eam extraordinariâ poteſtate, *Viſitator* perluſtraret, cui Garganus ſubeſſet. Qua in re hujus maximè enituit temperantia. Viro enim minimè cupido, & ad ponendum honorem parato, non injucundum accidit, majorem ſibi imponi poteſtatem, quæ ſolatio potiùs, quàm oneri futura eſſet: itaque Bompianum, ſummâ animi alacritate obſervavit, ac ſapienter coluit, & cum eo quàm conjunctiſſimè vixit, a quo etiam magno in honore habitus eſt: omnia proinde, collatis mutuò conſiliis, magno utrinque conſenſu gerebantur. Garganus enim ſe Bompiano attemperabat; Bompianus nihil inſcio, aut inconſulto Gargano ſtatuebat. Mira hæc animorum, & poteſtatum conſociatio, quæ utriuſque virtutem, ac ſapientiam declaravit, nullo unquam caſu labefactata, ita coaluit, ut eam nonniſi legitimum Gargani tempus finierit, quo prope Idus Majas ſequentis anni peracto, Bompianus ordinariam poteſtatem eſt auſpicatus, & ſolus paulò ante Caraffæ obitum, Provinciam rexit.

P. Vincentius Caraffa P. Ludovicum Bompianum in Siciliam cum poteſtate mittit.

P. Ignatius Garganus Bōpiano ſubiicitur.

P. Gargani temperantia, & cum Bompiano animi conjunctio.

XL. Auxit hic annus condendi Siclenſis Collegii ſpem, conditionem, & facultatem. Eſt Siclum elegans, & nobilis Civitas in auſtrali Siciliæ ora non procul a Pachino ſita, quam terræ menſorum accuratiſſimi Caſmenam vocant, quòd ex ve-

Sicli Collegii ædificium ſtatuitur.

tu-

tustissimæ Casmenæ ruinis, atque reliquiis ortam existiment. Horum si fidem sequi placeat, condidere Casmenam Syracusani Equites, qui in civili seditione, a populo Syracusis ejecti, aliam sibi sedem invenire coacti sunt, indito a propinquis Pœnis nomine, quorum linguà, punico vocabulo paulùm detorto, Casmena idem sonat, quod *Nobilis Civitas*. Itaque jam ab anno 1630, Josephus Miccichæjus nobilis Siclensis, amissis liberis, non aliter orbitatis solitudinem sublevare se posse agitabat, quàm si filium sibi adoptaret cætum aliquem religiosorum hominum, & præsertim Societatis, cujus operam adeo utilem, assiduam, & salutarem finitimæ Civitates Næætina, & Mutycensis experirentur. Communicat ea de re cum Hieronymo Ribera populari suo, ordinis senatorii, cujus pater Matthias, summo genere in Hispania natus, & militum tribunus, urbanas Siclensium copias, & ordines, magister equitum duxerat, ibique consederat. Ribera, qui fortè eadem volvebat animo, ut postea compertum est, Societatem maximè probat, & subverenti Miccichæjo, ut opes ejus instituendo Societatis Collegio pares essent, ac repulsam metuenti, auctor fuit, nè a consilio desisteret, recepitque, non defuturos deinceps, qui primos ejus conatus imitarentur, & propositum adjuvarent; modò ipse inciperet, seque ducem præberet. Ea de re dum ætate jam gravis, diu, multúmque accuratè deliberat Miccichæjus, morbo occupatus, supremum sibi impendere diem intelligit, neque diutiùs cunctandum statuit. Joannem Jacobum Alexandrum Provinciæ Antistitem admonendum curat, ut vel ipse adsit, vel e suis aliquem mittat, qui adeat hæreditatem. Supremas deinde tabulas, suà manu descriptas, & obsignatas, admotis testibus, Scribæ tradit, & tertio Idus Majas, anno 1631, summum vitæ tempus explevit. Sed P. Raphaël Sergestus Chius, qui eodem die, ex proximo Næætino Collegio, Joannis Jacobi Alexandri missu, Siclum venit ad cernendam hæreditatem, qua e vestigio potitus est, utcunque maturaverit, vivum assequi non potuit. Funeris tamen honores splendidos, & opulentos extincto persolvit, qui nunquam deinceps sunt intermissi, quin quotannis ederentur. Neque verò Miccichæii patrimonium repertum est adeo pingue, & fructuosum, ut justi Collegii censum attingeret, quin annui fructus, qui ex eo redirent, quotannis collocarentur. Nullæ proinde suppetebant pecuniæ, quibus ædes coëmerentur, & institueretur ædificatio, quam testamento cautum erat, nè alio in loco hæres aggrederetur, præterquam in frequentissima principis Templi re-

Sicli nomen, situs, & origo.

Josephus Miccichæjus Collegii Siclensis institutionē movet.

Ea de re cum Hieronymo Ribera communicat.

Ribera consilium laudat, & urget.

P. Raphaël Sergestus Miccichæii hæreditate potitur; & ei justa persolvit.

regione, Matthæo Apostolo nuncupati. Sed diuturni temporis beneficium antevertit Hieronymus Ribera, qui quod consilium petenti Miccichejo fore prædixerat, ipse præstitit: nam quum hoc anno Josephum, natu jam grandem filium, & unicum luxisset, eo vix elato, Siclense Collegium ex asse hæredem appellavit censùs locupletissimi, & paucos post dies a condito testamento, filii desiderio e vivis abiit, prope Calendas Octobres, & postridie ornatissimo funere est tumulatus. Reperta sunt in ejus scriniis aureorum millia decem, quibus accessit supellex opulentissima, agri sativi modus ingens, prædia rustica eximiæ fœcunditatis; Silvarum, locorumque campestrium quamplurima jugera, vis demum magna pecoris, pecudis, jumentorum, frumenti, siliquarum; quibus omnibus rectè æstimatis, compertum est, ex Riberæ hæreditate, aureorum millia ferè sexaginta fuisse relata, non aliâ conditione, quàm ut Societatis Collegium in Patria conderetur.

Hieronymus Ribera Siclense Colleglum ex asse hæredē reliquit.

XLI. Exarserunt hoc anno totâ fermè Siciliâ contagiosæ febres, quarum veneno enecti sunt quamplurimi; quocirca magna erat Sacerdotum inopia, qui morientibus subvenirent; neque par erat tam necessario tempore paucitas multitudini. Multùm commendavere Nostrorum operam eæ Civitates, in quibus essent Societatis Collegia constituta; nam diu, noctuque periclitantibus aderant, egenis præsertim ex infima plebecula hominibus. His nostri summo studio opitulabantur, nè religionibus destituti decederent. Sed ea lues, propter insignem Civitatis frequentiam, Messanæ truculentiùs grassabatur; ut nusquam alibi sint plures desiderati. In eo salutari misericordiæ officio, Nostrorum benè multi vitam posuerunt, in Domo potissimùm Mamertina, quæ memorandum caritatis edidit specimen. Turpe enim Sacerdotes ducebant, & Societatis homine indignum, in cubiculo se continere, dum vocarentur. Quare per eos dies, sideribus nondum extinctis, palliati, galeriti, & ad exeundum ornati, ante Ministri januam expectabant omnes, donec mitterentur, & alii ad hanc, alii ad illam Urbis regionem bini designarentur, ut languentes perquirerent; nec paucis contigit, præter eos, qui convaluerunt, ut eodem morbo afflati, in pietatis, & religionis officio fatum invenerint.

Siciliam contagiosus morbus invadit.

Præsertim Messanam vexat, & Nostri infirmis adsunt, & subveniunt.

P. Benedictus Clarellus in supplemento Chronic. P. Paul. Pellizzer. pag. 238.

XLII. In his fuit P. Paulus Pellizzerius Messanæ ortus, & plurimùm, & interdum in hac Historia laudatus, deque ea optimè meritus; duo enim volumina accuratè elaborata, reliquit, alterum latinè, neque admodum ineleganter, cui titu-

P. Paulus Pellizzerius Messanæ extinguitur.

lum

lum præfixit : *Brevis notitia Collegii, & Domùs Professæ Meſſanenſis ab anno 1547 ad annum 1648*. Alterum italicè, quod complectitur domeſticarum rerum Meſſanæ geſtarum Ephemerides, ab initiis Domùs Mamertinæ, ad annum 1648. Mediocri uſus eſt ingenio, quod tamen libentiùs ad humaniores litteras, quàm ad ſublimes diſciplinas tranſtulit: quo factum eſt, ut virides, & viriles annos muſis, & linguis devoverit, iiſque tradendis florentiorem vitæ partem addixerit; excluſus propterea a Votorum quatuor ſacramento, *Coadjutoris ſpiritualis formati* gradum, ſummà animi temperantià cupidè amplexus eſt. Ad religionis, & pietatis officia maximè idoneus, eorum numero accenſus eſt, qui accurato Carminatæ delectu, Mamertinam Domum primi incoluerunt, & tantæ molis fundamenta jecerunt; ubi laborioſus, & ſtrenuus, annis admodum quadraginta conſumtis, rei familiari, atque ſacræ imprimis utilis, laborum & vitæ finem nactus eſt, anno ætatis ſexto, & ſeptuageſimo, ſeptimo Idus Apriles. Fatum ejus dies ferè quindecim ibidem anteceſſerat P. Hieronymus Vallariola Drepanitanus, amicus, & æqualis, niſi quod biennio minor deceſſit; ceterùm eodem gradu in Societate donatus, nullas niſi infimas, & nondum Sacerdos, docuit litteras, neque plurimùm eloquentiâ valebat: nam Societati ſe addixit annos natus duos, & viginti, poſtquam Neapoli diuturnam medicinæ dederat operam, & Hyppocraticâ laureâ donatus fuerat. Divinis tamen in rebus, cœleſti quadam doctrinâ intimè exercitatus, familiarem ferebat orationem adeo ſalutarem, & emendatam, ut longè plures quotidianis colloquiis, quàm alii ornatis, exquiſitiſque concionibus, ad ſalutem adduxerit. Ex quo inter homines jam Sacerdos verſari cœpit, vivendi genus inſtituit arduum, auſterum, & perpetuis laboribus, atque itineribus apprimè deditus. Uni ſibi infeſtus, & inimicus, in frangendis animi motibus, & ſubigendo corporis appetitu ſibi ſtrenuè conandum ſtatuit; nihil propterea ſibi indulgebat, quod naturæ deſideria leniret. Eo ciborum delectu utebatur, ut viliſſima quæque ſibi concederet, delicatiora quæ eſſent, nè apponi quidem ſibi pateretur. Vulgares ipſas epulas parcè, & modicè adhibuit, nec ſupra quàm vivendi neceſſitudo poſtularet. Coluit quoque etiam ſenex, jejuniorum conſuetudinem, quæ alternis ſaltem diebus maximos inter labores, & perpetua itinera, niſi fortè aliter juſſus, aut prohibitus valetudine, magno in honore ſemper habuit, & ſanctiſſimè uſque ad inediam, & languorem cuſtodivit. Infimis, pauperrimiſque

Ejus ingenii monumenta, & gradus in Societate.

Ejus merita erga Domum Mamertinam.

P. Honuphrii Vallariolæ patria, virtutes, & funus.

Quæ fuerit Vallariolæ in cruciando corpore auſteritas.

Digitized by Google

Insigne ejus obtemperandi studium, & consuetudo.

que Collegiis continuò addictus, assiduis peregrinationibus Provinciam ferè universam, sine querela peragravit, neque ullum locum altero potiorem duxit, modò solum vertere juberetur: verebatur enim nè in ea commoratione, quam aliquo delectu adamâsset, sibi potiùs, quàm Deo serviret. Conspicuam hanc animi promptitudinem, illustriorem fecere Majores nostri, qui difficillimis temporibus, ferè grandævum navigare voluerunt, ut in Ægeo mari Chium domicilium incoleret, in quo annos sanè plurimos, magno Græcorum emolumento versatus est: eorum enim linguam, & litteras laborioſissimè arripuit, & æquè commodè exercuit, quàm qui in Græcia orti essent. Sed quum rem Christianam strenuè procuraret, & in dies amplificaret, inventi sunt ex Græcorum hæresi, virtutis ejus obtrectatores, qui barbaris ipsis deteriores, calumniam inferrent, & innoxium hominem majestatis postularent: quamquam verò causam judicibus non probarent, valuit tamen apud barbarum Prætorem suspicio falsi criminis; quare Vallariola, magno bonorum luctu, ejectus est, & in Siciliam deportatus. Ut in Provinciam rediit, Mamertinæ Domui adjectus est, & in ea annos quatuor, & viginti collocavit, atque consenuit. Mirum autem fuit, quantà celeritate, probitatis ejus opinio omnium animos invaserit magis, quàm occupaverit. Confestim enim magni ad eum concursus fieri cœperunt, & eorum, qui latentem domi convenirent, & qui ad ægros, & morientes evocarent. Matutinis quotidie horis, aures in suggestu confitentibus dabat. Quod si interdum accederet nemo, de genu aderat immolantibus, & si quis interpellaret, ad officium revertebatur. Non alius rem familiarem, potissimùm verò pretiosam Templi supellectilem, tot, tantisque opibus, & uberioribus incrementis amplificavit. Cujus rei argumento esse possunt, quæ extant acu picta, & coralliis, auroque distincta altarium ornamenta, sive argento constrata. Confectis autem rationibus, repertum est, plura aureorum millia fuisse communiter, Vallariolæ manu collata: quum omnium ipse pauperrimus, ex tam insigni pecunia nè obolum quidem in privatos usus derivâsset. Demum ex eo, quod diximus, caritatis officio, supremam contraxit valetudinem, cujus vi peremptum Provincia desideravit, & deflet adhuc Domus Mamertina, quum locupletissima tanti viri monumenta intuetur. Post annos ferè quinquaginta, effosso loculo, repertum fuit corpus ejus plenum, & integrum, ut si nuperrimè tumulo illatum fuisset, quod testatum reliquit P. Paulus Giunta autographis litteris, quarum extat exemplum.

Chium missus, dum rem Christianã strenuè procurat; majestatis postulatur.

Ea de causa in Siciliam regreditur, & magna cum opinione virtutis Messanæ considet.

Domùs Mamertinæ Templi supellectilẽ amplificat.

In officio caritatis sanctissimè moritur.

Ma-

Digitized by Google

XLIII. Magnum quoque damnùm fecit Collegium Panormitanum, XI Calendas Februarias, in P. Hortensio Scamaca Leontino, Josephi fratre natu minimo, qui inter summos ævi sui viros, virtutis, & litterarum opinione, dum viveret semper habitus, non modò Patriam, & Societatem, sed Siciliam quoque plurimùm illustravit. Mira fuit in Hortensio innocentiæ, religionis, atque doctrinæ conjunctio. Candidos infantiæ mores, ad extremos usque canos produxit, neque in omni vita quidquam admisit, cujus conscientia læderet, aut carperet animum: mens enim integra, integerrimi corporis custos fuit. Quare nullius sibi graviusculæ culpæ conscius, supremum diem nactus est, simplicis vir ingenii, minimè suspicax, & astutus; quidquid videret, aut audiret, bonus semper interpres, & ad æqui, bonique consulendum paratus, rectè de omnibus sentiebat, de quibus qualis ipse esset, quod optimarum mentium est, ita existimabat: nemo proinde erat, qui eum non diligeret, sibique intimà conciliatum necessitudine judicaret. His accessit ingenua quædam naturæ suavitas, nullis suspecta versutiis, facunda oris jucunditas, & nativa gratificandi inductio animi, facilesque aditus ad amicitiam, & intimam familiaritatem; quibus rebus est consecutus, ut in quotidiana consuetudine amicissimos, & maximè necessarios haberet omnes, qui eum nôssent, & quibuscum esset semel collocutus; atque in maxima litterarum gloria, quantam pauci jactaverint, nedum caruerit inimicis, sed nè in invidum quidem, aut obtrectatorem inciderit. Eluxit in homine, præter ingenii sublimitatem, vis memoriæ singularis; ut quidquid legeret, vel audiret, nunquam excideret, & menti altè insculptum tenacissimè inhæreret. Erat autem legendi non modò patiens, sed etiam cupidus, & quàm maximè studiosus. Linguas propterea peregrinas arripuit, & expromsit ferè omnes, præcipuè verò cultiores, & quæ ex ore hominum jam abierunt, cujusmodi sunt Græca, Hæbraica, Chaldaica, Arabica, additâ quoque scribendi, & interpretandorum librorum facultate, & exploratis, atque repertis litterarum, verborumque radicibus, sine quibus vetustarum Orientis linguarum scientia, impervia, & prorsus impedita se ostendit externis, & junioribus. Inusitatà proinde, & ferè incredibili auditorum frequentiâ, cùm in Collegio, tum in Domo Panormitana, sacrorum Bibliorum difficillima quæque loca, hausitis ex ipso fonte originibus, publicè enodavit, & sacrâ, atque profanâ eruditione mollivit. Sed inter severas litteras homo sapiens, & non uni affixus Minervæ, fa-

P. Hortensii Scamacæ virtutes, & res præclarissimè gestæ.

Vitæ ejus candor, & integritas.

Propter ingenuam naturæ suavitatē omnibus carus.

Memoriæ ejus singularis, & inaudita præstantia.

Ejus linguarū scientia, & in enodandis Bibliorum locis, peritia singularis.

Digitized by Google

Latinarum litterarum scientiâ, quàm maximè excelluit.

facilè musas irrepere passus est, quæ animum recrearent, & a natura idoneum pangendis carminibus ingenium excolerent. Ex ipsis verò Musis, accurato delectu, italicas, & tragicas, & sacras adamavit, quæ cum spectatorum doctrina, atque fructu scenæ mandarentur, neque delectationem haberent sine moribus. Quatuor, & quadraginta numerantur ab eo conditæ tragœdiæ, quæ variis adjudicatæ auctoribus, paulatim editæ prodierunt: sed hoc ipso anno, Hortensio adhuc vivo, quatuordecim voluminibus comprehensæ, præfixo ejus nomine, Panormitano prælo renovatæ sunt, & emissæ, quarum quæ singulis voluminibus contineantur, accuratè recenset Mongitore, adjectis titulis, appositis annis, & declaratis officinarum auctoribus, quorum operà recusæ exierunt. Quare nunquam satis mirari quis poterit, quemadmodum vir planè doctus, & tot litteris involutus, religionibus tantopere afficeretur, ut si vitam omnem procul a litteris, & hominibus, in secessu, & silvis exegisset. Intima enim, & omnium horarum fuit ejus cum Deo conjunctio, quam neque litteræ, neque homines, neque naturæ officia interpellarent: nam sive de Deo, sive cum Deo loqueretur, sive ad aram faceret, sive cœlestia cogitaret, quibus rebus plures quotidie horas tribuebat, suavissimæ consequebantur lacrimæ, quæ saucium divinà caritate animum testarentur. In amoribus verò *Deiparæ*, & totus erat, & multùs, neque ulla in re diutiùs, suaviùs, & libentiùs, quàm in ejus laudibus versabatur. Illam assiduè, ut præsentem cernebat animo, ac tanto amoris sensu prosequebatur, ut de ea, nisi commotus animo, & candente vultu, & rorantibus oculis, commemorare non posset. Fuit Hortensii domestica consuetudo facilis, elegans, & emendata, ut qualem a tirocinio instituit, talem emeritus, & veteranus retinuerit; nisi quod beneficio ætatis, gravitas accesserat, & auctoritas, quæ superiorum annorum pudorem, & verecundiam temperaret, ac simul disciplinam exemplo, & moribus tueretur. Quare vacatione ætatis usus est nullâ, neque quicquam sibi unquam indulsit, quod non videretur Societatis legibus consentaneum. Certabat itaque octogenarius cum junioribus, nè in religiosæ vitæ institutis naviter custodiendis a quopiam vinceretur. In maximo autem virtutum omnium concentu, primas tulit insigne studium Christianæ paupertatis, quam ita coluit, ut nihil sibi fecerit reliqui, præter libros perpaucos, & necessariam, sed vetustam, & tenuem supellectilem, atque ex ea pecunia, quæ ex voluminum suorum pretio rediret, nè hilum

Lucubrationum ejus varietas, & apud eruditos existimatio.

Anton. Mongit. Biblioth. Sicul. pag. 294. col. 1. & 2.

Deo supplicandi diuturna, & invariata constantia.

Ejus erga Dei Matrem religio, & amor.

Domesticarum legum exquisita custodia.

Religiosæ inopiæ cura, & usus admirabilis.

& uberiùs postulatis provincialibus satisfecit, quæ erant hujusmodi. Rogatus est in primis Piccolomineus, docere Provinciam, rectè ne abrogatæ ante fuissent superioris Conventùs Postulationes, quàm Romam mitterentur, quum Carafæ fatum Procuratoris adventum occupaverit. Hæsisse Conventum, quum is casus nunquam antea accidisset, neque quicquam ea de re constitutum reperiretur. Rescripsit: Rectiùs eas Postulationes Romam ad Vicarium mittendas fuisse, aut recentibus interjectas; quòd nullum sit jus posterioris in superiorem Conventum; neque fas sit, Romæ nesciri, quid communibus consiliis, aliquando Provincia censuisset. Requisitus est etiam, nè permitteret, Provinciæ Antistitis, ab manu Socium Sacerdotem, eo in munere inveterare, neque ultra triennium permanere, sed aliorum magistratuum conditionem sequi juberet; ut plures essent, qui in ea regendi palæstra, rectæ gubernationis scientiam arriperent, & ad magistratus capessendos informarentur. Placuit Piccolomineo sapientissima animadversio, seque ab ea non discessurum recepit; nisi fortè cavendum esset, nè uno tempore, & Provinciæ Antistiti, & ejus Socio succederetur, quod gravius esset incommodum. Postulatum quoque fuit, nè deinceps, qui ex Provincia ad Indos evocantur, eorum a quibus exeunt, Collegiorum pecuniâ, Romam usque proficiscantur, sed communibus Provinciæ collationibus, quum nuper gravissimum accidisset minutis quibusdam Collegiis, non mediocre æs alienum contrahere, ut expensam omnem conferrent. Sed æquitate, & temperantiâ postulationis factum est, ut Piccolomineus, eam rem nè Provinciæ quidem gravem esse voluerit; sed jusserit, quidquid esset ad id erogatum, Provinciis Indicis expensum ferri. Magno item studio flagitabatur, ut qui exacto litterarum omnium cursu, publicas habuerint disceptationes, privatim postea interrogarentur, & doctrinæ præberent specimen, antequam ad solemne sacramentum idonei putarentur, quod sæpè contingeret, titubare suffragatores, auditis publicis disputationibus, neque satis extundere, sitne externorum disceptantium prolixitati, & morosis clamoribus imputandum, quod plerique interdum minùs commodè satisfaciant. Responsum sapienter fuit, non placere, id oneris junioribus nostris communiter imponi: nè disceptandi laborem refugiant, si cum reliquis, ejusdem futuri sint conditionis. Satiùs esse, quum suffragatorum hæsitatio intercesserit, quibus remediis occurrendum sit, constituere. Illud pariter, & Provinciæ, & universæ Societati commune

Provinciæ postulationes ad Piccolomineũ Romam deferendæ.

Flagitat Conventus, ut ad Indos proficiscentes, Provinciæ pecuniâ sublevetur.

Id oneris Indicis Provinciis ex Piccolominei rescripto imponitur.

Aliæ Conventùs postulationes, & Piccolominei responsa.

Digitized by Google

esse, debere censuerunt, ut qui diebus, seu Veneris, seu communi jejunio designatis, valetudinis gratiâ, carne non abstinent, cœnâ tamen abstineant, & consuetam Societatis abstinentiam non recusent. Rescriptum fuit, in tanta morborum, ætatum, virium, munerum varietate, nihil constitui visum esse, quod commune sit universis. Quid autem singulis sit negandum, aut concedendum, Collegiorum, & Provinciæ Rectoribus integrum esse oportet, pro sua prudentia, caritate, & disciplinæ studio, decernere. Reliqua, de quibus ad summa Societatis comitia relatum fuit, Provinciæ postulata, adnotatis eorumdem decretis, Piccolomineus diligenter indicavit, & quibus rationibus, haud secus statuere visum esset, sedulò exposuit. Quibus peractis Bompianus cum Castelnovo, & Bellio in Provinciam remigravit, maximè lætam, quòd ad talem virum Societati præficiendum, suffragia contulissent.

Quid de Societatis abstinentia, Provincia senserit, commemoratur.

XLIX. Duo extinxit hic annus clarissima Provinciæ lumina, P. Antoninum Blandum, & P. Franciscum Sparacinum, quorum uter major fuerit, & Societati utilior, temere affirmaverim; uterque enim dignus fuit heroicis illis, & planè aureis primævæ Societatis temporibus, propter illustrem quamdam intimæ virtutis, & probitatis abundantiam, qua uberiorem, in sanctorum virorum rebus gestis, non facilè reperies. Ortus est P. Antoninus Blandus in Mazarini Oppido, anno 1584, cœlestibus utique auspiciis, Quum enim solemni supplicatione, divinus Panis circumferretur, & domum ejus præteriret, essentque e regione fores, mater puerperio laborans, fudit infantem. Quàm castigatam, & labe vacuam, Panormi exegerit pueritiam, ex eo judicari potest, quod adolescens, quamvis magnâ arderet cupiditate spectandi reorum supplicia; ætatis tamen, & naturæ appetitum, parum se frangere existimabat, si dum ea exhiberentur, foro abesset; aderat enim, & aream ad id destinatam, quæ Panormi est amplissima, obambulabat, quin oculos attolleret, sed palpebris semper demissis, circa spectaculum versabatur. Tam arduam oculorum disciplinam didicerat ex Societatis tironibus, quorum captabat occursum, ut prætereuntes, & terram intuentes adolescentulos, mirans, & stupens contemplaretur. Ea res expetendæ Societatis mentem primùm, postea curam injecit adeo acrem, ut repulsæ pudorem iterum, atque iterum, æquo animo tulerit, & flagitare non destiterit. Denique latinarum rudis litterarum serò, & ægrè impetravit, anno ætatis duodevicesimo, ut Panormitanis Tironibus adlegeretur, eà tamen condi-

P. Antonini Blandi ortus, virtutes, & res gestæ.

Ejus candida adolescentia, & oculorũ exquisita custodia.

Eam oculorum disciplinam ex nostris Tironibus discit; & ex ea, amplectendæ Societatis consilium concipit.

Digitized by Google

ditione, ut incertum, atque suspensum vitæ genus aggrederetur, paratusque esset ejus temporis moribus, sive ad domestica obsequia, sive ad doctrinæ cultum designaretur, alterutrum perpetuò gradum retinere. Sed Jordanus Cascinus, cui ille vitæ magistro dedit operam, seque totum fingendum tradidit, confestim intellexit, quantum ille secum attulerit naturæ, virtutis, ac summæ spei patrimonium, quo Provinciam universam aliquando illustraret. Deprehendit enim altum, & acre, sed religione subactum ingenium, excelsam, & erectam indolem, incorruptum corporis, animique pudorem, præjacta jam, & germinantia cœlestis doctrinæ semina, surgentia quoque, & adulta divinæ familiaritatis elementa, excultam denique, & magnis auctam incrementis innocentiam, quam infantulus ex sacro fonte hausisset. Una obstabat magnis incœptis litterarum inopia, quam Cascinus omni ope molliendam statuebat. Itaque dum ad capiendum consilium, temporis beneficium expectat, jubetur Blandus in Panormitana Domo rem tractare culinariam, viribus, & ætati parum idoneam, utpote laboriosam, & sordidam, atque a generis conditione alienam. In eo tamen labore, juvenis, & imbecillo, ac gracili corpore, menses quamplurimos mirà oris, & animi alacritate permansit, quamvis ex nimia defatigatione, & assiduo ignis vapore, atque æstu, acutissimum capitis dolorem contraxerit, quem in dies auctiorem, perpetuum vitæ comitem habuit, nec nisi cum anima dimisit. Editum comperio apud Tornamiram, Jesum, infantis specie, Blando edulia inculina paranti, sese interdum obtulisse, & cum eo collusisse, ut delassatum recrearet, & eo, quo diximus dolore languentem confirmaret. Tum denique Cascinus, religione tactus, quòd tali virtute, atque expectatione adolescentem, infimis in officiis diutiùs distineret, egit cum Jacobo Dominico, qui Provinciæ præsidebat, ut Blandus latinis litteris admoveretur.

Propter ejus litterarum inopiam, sub incerta gradùs conditione, Societati adlegitur.

Domesticis obsequiis addicitur, & ea plurimos menses alacriter obit.

Ex assiduo ignis vapore, acutissimâ capitis molestiam contrahit.

Tonam. de Angelis pag. 37.

In eo munere, Jesus infantis specie, ei se ostendit.

L. Missus propterea Messanam ad tirones Mamertinos, quibus nondum erat cognitus, postridie Calendas Decembres, anno 1604, primum Societatis sacramentum coram Petro Lombardo nuncupavit. Nihil gravius, & insuavius Blando accideret, quàm ab humillimis depelli Fratrum obsequiis, in quibus omne vitæ spatium fore, ut collocaret, sibi jampridem persuaserat, atque ad commoda, & honorifica Sacerdotum munia traduci. Quare nihil non movit, quo eodem in gradu permaneret. Verùm Lombardus vir summus, & divinarum rerum scientissimus, quo deprecatore Blandus uti conabatur,

A Fratrum obsequiis depellitur, & latinis litteris admovetur.

P. Lombardus, Blandum ea de causa mœrentē confirmat, eique doctorē se præbet.

cognitâ virtutum ejus abundantiâ, & qualis, ac quantus futurus esset, si Sacerdotio insigniretur, nedum conatus ejus adjuvit; quin potiùs flentem, & reluctantem confirmavit, & ut tergiversationibus aditum omnem præcluderet, ipse ei doctorem se præbuit, & latinæ linguæ rudimenta tradere instituit. Blandus verò sive discendi desuetudine, sive delassandi affecti capitis molestiâ, sive odio litterarum, quas ut sibi inimicas, jamdudum refugiebat, ita magistro aderat, ut qui nihil eorum assequeretur, quæ audiret, nihil eorum retineret, quæ legeret; non secus, ac si caput amisisset, & ad insaniam, conatu ipso, adigeretur. Itaque quum nihil procederet, Grammaticæ codicem ad aram detulit, & ad *Deiparæ* pedes, cujus signum in ea colebatur, collocavit. Ipse de genu cum lacrimis obsecrabat, ut vel mentis aciem exsuscitaret, vel efficeret, ut Majores sui, ab ea litterarum sententia desisterent. Quæ quum vehementiùs peteret, occulto quodam sensu intimè est admonitus, ut librum reciperet, & dicto Majoribus audiens esset; nè desponderet animum, nec vereretur, quin litteras deinceps facilè arriperet, ac retineret, salvo tamen dolore capitis acerbissimo, quo ita cruciaretur, ut litterarum, neque captum, neque laborem intermittere cogeretur; atque id demum sibi sumeret, tanquam divinæ voluntatis significationem apertam, & luculentam. Surgit confestim Blandus, librum aperit, & omnia intelligit, ut si non idem ille esset, qui paulò ante nihil assequeretur, sed alius, qui eorum, quæ didicerat, legendo memoriam excitaret, quam tamen dolor non interpellabat, quo acrioribus stimulis premebatur. Igitur ostento commotus, de reliqua vita ad cœlestem nutum componenda, sedulò cogitavit, seque totum Lombardo tradidit, qui quum Blando de capitis dolore narranti ægrè fidem haberet, putaretque nonnihil subesse figuratæ superjectionis, qua, ut fit, misericordiam captaret; tam acri, dum hæc cogitaret, repentè capitis dolore correptus est, ut si cerebrum in partes distractum dissiliret, & se in ipso vestigio moriturum intelligeret, Deum verò periculo suo, Blandi causam egisse. Quæ Lombardus amico committens testatus est, tantam fuisse doloris magnitudinem, ut si in singulos, qui domi essent, & triginta numerabantur, divideretur, & unicuique trigesima pars obveniret, singuli dolore exanimati conficerentur. Eo itaque casu certior est factus, sublimiorem esse Blandi virtutem, quàm assequi possent homines, qui quotidianam præferrent probitatem, atque vulgarem. Ex eo tempore Blandus cum Lombar-

Quum nihil in litteris procederet, ad Deiparam conversus, ab ea opem petiit.

Dei Mater ei præsto adest, & mentis aciem exsuscitat.

Acerbissimo tamen capitis dolore, diu noctuque vexatur

Lombardus, Blando de capitis molestia narranti fidem negans, simili morbo corripitur.

do

do transegit, ut eatenus se litteris involveret, quoad oporteret, nè Sacerdotio excluderetur; ceterum sibi esset integrum, eas non attingere artes, quibus quatuor Votorum religio deberetur, nè ad summum hunc in Societate gradum evocari contingeret.

LI. Blandus igitur, politioribus litteris optimè excultus, Philosophiæ Panormi accuratam dedit operam, & ita excelluit, ut publicè disceptaverit. Sacris deinde artibus admotus, in celeberrimum illum incidit condiscipulatum, quo nulla ætas vidit illustriorem. Nactus est enim in eodem gymnasio Franciscum Sparacinum, eodem, quo ipse anno natum, & mortuum, & Aloysium Lanuzam; qui in Collegio Panormitano, excelsæ sanctitatis fundamenta deprimebant, & copiosam illam divini præconii faciebant sementem, qua universam postea Siciliam sacris lustraverunt concionibus, & maximis prodigiis, atque virtutibus attonitam habuerunt. Cœlestis hic triumviratus, Blando omnium magistro, atque duce, domesticam juventutem usque adeo inflammavit, & ad disciplinæ studium erexit, ut juniores, exemplo antecederent veteranos, & nunquam aliàs florentior, atque splendidior sese obtulerit Collegii Panormitani, religionum, ac litterarum officina. At Blandus, qui non clamosam, & illustrem, sed intimam, & occultam aggressus erat perfectæ vitæ conditionem, propositi memor, & tenax, ut tertium attigit *Theologicæ* palæstræ annum, causatus jugem capitis molestiam, studiorum vacationem impetravit, & Montem Regalem secessit, ubi docente nemine, sacram morum doctrinam ex libris hausit. Ad Sacerdotium idoneus, & per hiemem Cephalœditanum Pontificem adire jussus, Himeram amnem transire aggreditur, qui magnis imbribus, & proluente ex montibus nive incitatus, mirà rapiditate, & altitudine ferebatur, neque vadum quà transmitti posset, reliquerat. Blandus nihilominus, quà per humilem ripam vestigia vadum ostendebant, jumentum urgere non destitit, donec vi fluminis abreptus, & aquæ impetum sequi coactus, quum adductis poplitibus, & jubis arreptis, vix equo se teneret, & ad proximum jam mare raperetur, neque humanum ullum præsidium spem faceret, deploratà salute, ad Spiritum sui custodem convertit animum, & ab eo petiit, ut periclitanti subveniret. Adfuit cœlestis Genius, Juvenis specie, candido amictu, qui aquam irrumpens, & correptis habenis, equum convertens, ad alteram ripam incolumem transduxit. Blando, ut se ex periculo, ac metu recepit, longè, la-

Blandus philosophiæ magna cum laude Panormi studet.

Sacris artibus admotus, cum Francisco Sparacino, & Aloysio Lanuza, familiaritatem contrahit.

Capitis molestiâ causans, studiorum vacationẽ impetrat, & Montem Regalem secedit.

Himeram amnem transiens, in maximo vitæ periculo versatur.

Cœlestis Genii beneficio liberatur.

té-

téque circumspiciens, non reperit in purissimis campis, cui gratias ageret. Quare beneficium Custodi suo imputavit.

Trium Votorum sacramento publicè dicto, Collegii Panormitani Minister est appellatus.

LII. Sacerdotio initiatus in Collegio Narensi, trium Votorum sacramentum, anno 1620, publicé dixit. Deinde sub P. Nicolao Cusmano Rectore, laudatissimo viro, Collegii Panormitani censuram Minister gessit, singulari prudentiæ, solertiæ, caritatis, & justitiæ glorià commendatam. Reos ægrè, & rarò plectebat, faciliùs, & libentiùs excusabat. Pœnà, & metu non extorquebat, quod officiis, aut etiam precibus assequeretur. Turpe sibi ducebat, si quæ essent, eorum quibus præerat, sive sublevanda incommoda, sive commoda, nedum necessaria, sed honesta, & legitima concilianda, aut justas expectare querelas, aut admoneri, aut requiri: putabat enim esse partes officii sui, ea per se cogitare, atque prospicere, quibus esset naturæ molestiis, aut desideriis serviendum. Ut nihil eorum, quæ agerentur nescire, ita optimi Censoris esse statuebat, non curiosiùs, aut suspicaciùs rimari, ac perscrutari singula, non exploratores submittere, non admovere delatores: rectiùs enim, & sapientiùs nonnulla ignorantur, quàm jactantur offensionum semina, detur ansa calumniæ, aliorum serviatur cupiditatibus, mali fiant cautiores, boni ad silendum adigantur. Si quid graviùs adversùs leges domesticas admissum fuisset, id sibi potissimùm culpæ dabat, quòd peperciisset labori suo, & vigilando, admonendo, inambulando, non caviisset, nè fieret: nam bonos, & fidos canes eos esse ajebat, non qui profligato, atque direpto jam grege, lupum disquirerent, & jugularent; sed qui excubando, venientem conspicantur, procul allatrant, & ab ovili arcent. His artibus, Cusmano plurimùm obsecundante, quod pauciissimorum est, consecutus fertur, ut omnes eum diligerent, ac vererentur, nemo haberet suspectum, aut de re ulla celatum, singuli ad eum, ut ad amicum confluerent, & rebus dubiis, ut ad Patrem confugerent; atque eos ipsos, in quos animadvertisset, familiares sibi redderet, & intimè necessarios. Quibus rebus effectum est, ut domestica disciplina, sponte suà coaluerit, altasque radices egerit, magno juventutis emolumento, atque fructu, quem adultis postmodum adolescentibus, posteriores anni cœperunt.

Ejus in gubernando scientia, comitas, ac prudentia singularis.

Dictum ejus memorabile, & exempli plenū.

De domestica disciplina, in ejus magistratu optimè meruit.

Maximè invitus Mamertinis Tironibus præficitur.

LIII. Præclara hujusmodi instituendæ juventutis scientia, quam in Collegio Panormitano tanta cum laude Blandus expromsit, Mutium Vitelleschum excitavit, ut teneriorem ætatem ei informandam committeret. Quare invitum, & magnopere recusantem, Mamertinis Tironibus, anno 1628 præfe-

Digitized by Google

fecit, quo in munere, quum octavum jam annum transmisisset, & omnium esset consensu pervulgatum, eum ad Societatis disciplinam non humanas, sed cœlestes finxisse animas, a communi fluxarum rerum cœno remotas, flagitavere institutionem ejus tirones etiam Panormitani. Blandus propterea Mutii litteris, alterum Panormi tirocinium regendum sumsit, quo tempore, propter æris alieni gravitatem, de eo tironibus exonerando agebatur, consentientibus omnibus præter Blandum, qui non aliâ conditione magistratum adiit, quàm si tironum numerus augeretur. Utrobique ea gessit, quæ nemo alius, sive fortunas, sive ædificationem, sive rectissimæ institutionis disciplinam attingamus. Rem familiarem præsertim Panormi usqueadeo amplificavit, ut familiam, quæ alimentorum inopiâ, tironibus Messanam amandatis, sæpè ad paucitatem redibat, justo numero auxerit, & splendidâ frugalitate aluerit; quo facto, reductis Messanâ tironibus, Mamertinam quoque familiam exoneravit, & non mediocri pecuniâ juvit, ut conflatum ea de causa æs alienum dissolveret. Utrumque ædificium, antea enorme, & nullâ operis lege, utcunque compactum, modulo ad normam descripto, quippe architecturam suo marte didicerat, paulatim afflixit, & ad archetypi formam restituere cœpit, deductis in Mamertino brachiis, ex quorum capitibus, atque lateribus formosissimus esset despectus in Civitatem, & portum, & fretum, & extremos in Brutiis Appennini montes; in Panormitano autem, extructo atrio cum infimis porticibus, & pomario satis amplo, ita ut atrium a pomario secerneret omnium ampliſſimum, & editissimum brachium, quod porticum in imo explicaret, solo æquam, ad occidentem Solem, & pomario perviam. His ædificationibus, & ipse manum admovebat, & adhibebat tirones, qui eo duce, certis diei horis, calcem subigerent, lapides congererent, & ædificantibus præsto essent. Sed quo ex ærario tanta vis pecuniæ prodiret, non erat, qui reperiret; nam uno tempore, vetus æs alienum expedierat, sumptuosum magnâ operarum copiâ urgebat ædificium; inusitatum affatim sustinebat familiæ numerum, domesticus census in eadem inopia permanebat; constabat, a nemine collatum alicunde subsidium, & quod majorem habet admirationem, pauperum greges alebat, quorum nullum indonatum discedere patiebatur, quin sive panem, sive pulmentum, sive nummum impertiret, & honestas quamplures ex integro familias sublevabat. His permotus P. Nicolaus Berzetius Vercellensis, qui Provinciæ præsidebat, subve-

re-

Panormitanis tironibus præesse jubetur.

Tirocinii Panormitani rem familiarē amplificat.

Utriusque Tirocinii ædificia ad architecturæ leges restituit.

Blandus cum Tironibus, certis diei horis, ædificantibus ministrat.

In maxima censûs difficultate, admirabiles ejus expensæ, & in pauperes largitiones.

Digitized by Google

rericœpit, nè præter vetuſtum, novum æs alienum ſubeſſet ingens, quod deniq; erumperet, & in cauſa eſſet, quare demum familia conturbaret. Ad ſe igitur Ephemeridas accepti, & expenſi, per eum, qui negotio præerat, clanculum deferri juſſit, & collatis rationibus comperit, expenſa ferri quotannis plura aureorum millia, acceptos verò annuos ægrè quingentos. Ea res occulti æris alieni ſuſpicionem vehementiùs incendit. Compellebatur propterea Blandus profiteri pecuniam, & coram enunciare, quinam eſſet tam inſignis ſummæ auctor, & quibus conditionibus eam contuliſſet. Negavit Blandus, æs alienum, ſive magnum, ſive parvum, vetere jam explicato, fuiſſe ullum denuo contractum; & fidem ſuam jurejurando interpoſuit. Temperantia autem ejus expugnari non potuit, ut declararet, quibus ex fontibus ea pecunia manâſſet. Quum enim judicio ageretur, diſſipari, & in vulgus edi nolebat, quæ occulta eſſe oporteret; rogavit proinde Berzetium, nè ulteriùs perveſtigaret, quæ rectiſſimè neſcirentur. Tum Berzetius eum ſedulò admonuit, nè ſaltem tantum pecuniæ in egenos profunderet, quantam in expenſi codicem, relatam deprehenderat, quum domeſticæ inopiæ ratio potiſſimùm habenda eſſet. Excanduit ad ea Blandus, quaſi repentino fulmine ictus; & confeſtim ſibi redditus, leniſſimis verbis excepit: nihil ſibi duriùs accidere, quàm prohiberi, nè, quam familia ejus experta eſſet miſericordiam, aliis impertiret. Se non commiſſurum, ut venam intercideret, quæ ex cœleſtis beneficentiæ fonte deſcenderet, & in ſuos effunderetur, ſi aquæ caput averteret, & ab inopum ſolatio, ad domeſticos uſus traduceret. Sciret proinde, pecuniam, quam in pauperes erogâſſet, non rivum eſſe, ſed fontem, ex quo familiam recreaverat; obſecrabat proinde, ut quæ, ſublevatis ſuis, redundarent, ad aquæ caput, nempe ad alienos pauperes redire pateretur. Quod ſi non impetraret, cur in magiſtratu perduraret, & ingratus eſſe cogeretur? Malle ſe tironum præfecturâ decedere, quam egenos repellere, aut vacuos dimittere, quum abundè ſuppeterent, quæ viritim largiretur. Berzetius cœleſtem hominis fidem, atque conſtantiam demiratus, non modò illi moleſtus eſſe deſiit, ſed & quæ egiſſet laudavit, & poteſtatem fecit, ut quæ adhuc ſuâ ſponte egerat, ea deinceps legitimè, & publicâ auctoritate faceret.

Apud Provinciæ Antiſtitem in gravem occulti æris alieni ſuſpicionem venit.

Blandus, nullum fuiſſe æs alienum a ſe contractum, firmiſſimè aſſerit.

A P. Berzetio admonetur, nè ſaltem in pauperes magnam vim pecuniæ profundat.

Ea de re ejus animi dolor, & ad Berzetium, in pauperum gratiam, preces efficaciſſimæ.

Berzetii voluntatem Blandus tandem expugnat.

LIV. Verùm quo ex ærario tantæ opes provenirent, quibus Blandus utrámque tironum domum exedificavit, aluit, ornavit, & tot tamdiu pauperes recreavit, nullà ejus occultatione diutiùs latere potuit. Nam divino conſilio factum eſt, ut

De cœleſtis providētiæ theſauro eam fluxiſſe pecuniam, comprobatur.

Digitized by Google

ut nonnulli inciderent casus, quibus est declaratum, de cœlestis providentiæ thesauro eam fluxisse pecuniam, quam summus Dei amicus largiter erogabat. Edidit Tornamira, qui ejusdem ætatis fuit, & cum eo annos ferè quindecim in Societate vixit, vivo adhuc Blando, fuisse pervulgatum, sæpenumero contigisse, ut pecunià destitutum adirent ignoti juvenes, qui aureos, recentesque nummos conferrent, rogarentque, ut ante numeraret, & numeratos profiteretur, quàm auctoris nomen expromerent; quod quum ille faceret, & illi paulisper secessissent, videri actutum desierint, idque se a compluribus, qui adhuc viverent, & rei interfuerant, accepisse. Peculiare est illud, quod testatum reliquit P. Joannes Scorsus Panormitanus, vir eximiæ probitatis, & religionis, qui negotii particeps fuit. Procurabat hic ædificationem Tirocinii Panormitani, in qua quum pecuniam omnem consumsisset, neque quicquam suppeteret, quo crastinis operis satisfieret; ædificationem intermittere, atque operas ad aliud tempus differre statuit, eaque de re cum Blando communicavit, qui nihil cunctatus, *operas*, ait, *dimitti non oportere, pecuniam non defuturam*, Postridie paulò ante vespertinum crepusculum, Scorsus mirificè anxius, quòd nihil fuisset suppeditatum, quo labori diurno satisfieret, & superiorum dierum consuetudine, flagitantibus solveretur, duos juvenes conspicatur, qui prægrandes alutas, argenti signati plenas gestabant humeris, easque janitori tradiderunt, quas ad Blandum deferrent, rogatique a quo mitterentur, responderunt, se cum Blando, ubi accepti syngrapham daret, collocuturos: maturaret pecuniam afferre, quibus scirent, eum indigere. Accurrit cum syngrapha Blandus, neque quemquam, cui tradat, reperit. Docet janitor, eos jampridem abiisse. Scorsus non dubitavit, eas opes per cœlestes ephæbos a Deo missas fuisse. Non absimilia fatetur, suis ad Tornamiram litteris, Calatanixetæ datis, IV Calendas Quintiles, P. Josephus Cardinalis Panormitanus, qui unus fuit ex novissimis tironibus, qui ex Blandi palæstra prodierunt, & duo præcipuè commemorat. Primum est. Maximis premebatur angustiis rei familiaris Tirocinium Panormitanum, & Blandus omnia exhausserat humana præsidia; divina poscere, atque sperare non audebat, quòd ea nuper expertus, sumptui non peperciisset, & nihil feciisset reliquum, quo futuræ inopiæ prospiceret. Contrariarum itaque cogitationum æstu fluctuanti, quæ modò spem, modò metum ostendebant, occurrit egregiâ oris formâ adolescens, obtulitque linteolum aureis nummis pleniissimum,

Ignoti juvenes sæpenumero eũ pecuniâ destitutum adeunt, & recentes nũmos conferunt.

P. Scorsus Tirocinii Panormitani ædificationem, propter pecuniæ difficultàtem, intermittere statuit.

Ea de re Blandus admonitus, ædificationem urgeri jubet, & pecuniam nõ defuturam pollicetur.

Eventus vaticinio congruit.

Tirocinium Panormitanum rei familiaris maximis premitur angustiis.

Digitized by Google

aitque: *Hæc ad te mittit herus meus cum hoc nuncio; queri se de te plurimùm, quòd animo titubaveris, & tot jam annos tibi exploratam, atque compertam liberalitatem, ac fidem, ejus in suspicionem adduxeris. Nihil sibi a te gravius posse contingere, quàm si voluntatem ejus temere suspectam habeas. Hanc se deinceps injuriam non neglecturum. Fac nè cum fiducia, amicitiam quoque ejus projicias.* Atque in his verbis Blandi manum, linteolum capientis, exosculatus evanuit. Alterum est, quòd cum linteam supellectilem Domus tironum Mamertina nonnisi vetustam, atque detritam adhiberet, quam suppleri, ac renovari necesse esset, & ea res Blandi animum vehementer sollicitaret, qui pridie in ea cogitatione, noctem vigilando consumserat, neque reperire potuerat, quemadmodum rei difficultatem explicaret: summo mane ad januam accersitus, nobilis Matronæ famulum prægrandi linteæ telæ involucro onustum invenit, cum mandatis, ut ei renunciaret, heram proximà nocte, somnum capere non potuisse, in ea cura defixam, quòd fortè tirones, ei parum cogniti, linteæ vestis inopià laborarent. His, itaque, aliisque, quotidianis ferè documentis, ut fieri necesse erat, pervulgatis, nemini dubium fuit, quin utrumque Provinciæ tirocinium, Blandi operà, ac meritis, cœlesti pecunià per æthereos spiritus administratà, a fundamentis extructum, atque amplificatum fuisset: atque ea potissimùm de causa, tanta est horum locorum religio, ut externis etiam fatentibus, parietes illi divino beneficio exædificati, cœlestem quamdam spirent suavitatem virtutis, religionis, & sanctitatis.

Blandus in ea difficultate cœlesti ope sublevatur.

Mamertini Tirocinii linteæ supellectilis reparandæ desiderio angitur.

Ignota Matrona Blando prægrande linteæ telæ involucrũ mittit.

LV. Longè autem excelsior, & Provinciæ utilior exteriori ædificio, habita est intima illa institutio, qua in utraque religiosæ vitæ officina tirones informavit, moribus primùm suis, saluberrimis deinde præceptis, & institutis, quibus alumnos suos excoquere aggressus est, & divinæ caritatis igne conflavit. Commendabat hominis consuetudinem cùm oris dignitas, atque gravitas, tum corporis habitus, ad ingenuam elegantiam, & concinnitatem compositus. Intuebantur in eo tirones veluti sapienter descriptam, legum Societatis imaginem, non quotidianam, atque vulgarem, sed exquisitam, & absolutam, cui earumdem legum conditor B. P. Ignatius nihil adderet, nihil demeret. Elucebat in moribus, ac verbis ejus sedati, pacatique animi simulacrum, & ab humanis cupiditatibus alieni, quem nihil flecteret, nisi ratio virtutis, ac veritatis. Nemo unquam iratum vidit, aut perturbatum, sive laudaret quem-

Singularis ejus in instituendis Tironibus sciẽtia.

Moribus, & exemplo, Tirones suos ad Societatis normã fingit.

quam,

Digitized by Google

quam, sive reprehenderet, sive etiam multaret, parem semper ostendit & oris, & animi alacritatem; nisi quod lacrimæ interdum, quas exprimeret caritas, reprehensionem, & mulctam comitabantur. Verebantur omnes mansuetudinem ejus, & temperantiam, non humilem, & abjectam, quam imbecillitas animi efficeret, sed virilem, & erectam, quæ ex altitudine ingenii, & virtutum omnium abundantia, atque concentu pullularet. Salutarem hanc morum, & exemplorum institutionem, altera adjuvabat institutio verborum diligens, & assidua, cujus meminit Tornamira, qui quum miram Blandi laudâsset præcipiendi facultatem, omnium consensu probatissimam, duo præsertim tironibus inculcare consuêsse commemorat, quibus tanquam cardinibus, tota verteretur disciplina Societatis. Primum erat, nè de re ulla, sive minima, sive maxima, eum celatum vellent, quem animi ducem haberent, vel suâ sponte adscitum, vel ab aliis constitutum. Quis enim exitus ea maneret ulcera, quæ Medicorum oculos, atque manus effugiunt: aut quosnam scopulos, & syrtes ea navis non formidaret, cujus clavo nullus assideret Navarchus, qui cursum flecteret, atque dirigeret? Alterum, ut humanarum rerum omnem exuerent cupiditatem, néve sinerent, animum ad cœlestia natum, & designatum, sive appetitui, sive cujuscunque rei voluntati vel servire, vel indulgere; suadebatque, ut si videretur, ad id præstandum, se sacramento illigarent. Teterrimum naturæ venenum, nisi funditus expurgetur, perpetuæ existunt valetudines, aliturque intestinus animi morbus, cui non ætas medebitur, non domestica potestas, non disciplina: quare neque salus unquam constiterit, neque vita diuturnitate lætabitur.

Quæ potissimùm Blandus Tironibus suis inculcaret, cõmemorantur.

Ut ad animi ducem sæpiùs confugiant, & humanarũ rerum cupiditatem exuant, hortatur.

LVI. His doctrinæ elementis industriam adjecit, solertiam, ac sapientiam: nam singulorum ingenium, indolem, naturæ latebras explorabat, ut præter communem omnium eruditionem, uniuscujusque moribus remedia accommodaret. Irrepebat propterea in omnium animos, non simulati, pictique amoris ludibrio; sed intimæ, veræque pietatis exuberantiâ, quam paterna benevolentia, aperto quodam candore, administraret. Quo factum est, ut alumnorum suorum eatenus sibi demereretur voluntates, quoad sibi persuaderent, se magistro suo esse carissimos, neque quemquam esse, qui aut magis, aut æquè diligeretur. Accesserat humanarum prudentiæ artium divina virtus, & cœlestium consiliorum scientia, cujus præsidio, occultissima quæque cognosceret, & futurorum notitiam osten-

Quibus artibus, Tironũ suorum animos sibi demeretur.

Occultissima quæque, ac futura cognoscẽdi virtute plurimùm valet.

deret; nè quis ea silentio premeret, quæ frustra reticerentur. Pertentabat itaque abditissimos recessus animi, intimas illustrabat cogitationes, aperiebat stygiarum furiarum insidias, clandestinas illecebras detegebat, nihil se nescire, quum usus esset, declarabat. Affert ejus rei Tornamira documenta quamplurima, tanquam de re comperta, & inter alumnos ejus pervulgata. Vincentio Granatæ Calatavulturiano, paulò ante tironibus adlecto, plurimùm, ait, eum debere divinæ clementiæ, cujus beneficio, non alia de causa ad hanc fuisset militiam evocatus, nisi ut procul ab hostium insidiis, atque periculis, in Societatis castris accuratè lustratus, & expiatus, tanquam consecrato in loco vitam finiret. Curaret igitur, nè a cœlestibus officiis imparatus, impendenti propediem fato se objiceret. Accepit hæc Granata, florentissimà ætate integer, & incolumis, prope Calendas Decembres, atque Idibus, magnà animi hilaritate mortuus est, & elatus, anno 1643. Alium quoque Tironem, quem Tornamira eundem cum Granata fuisse, temere affirmat, de proxima morte seriò admonuit, quum tabellam, in qua essent tironum descripta nomina, manu teneret, & scheda nominis ejus, suà sponte divulsa, coram eo decidisset, qui adolescens, & valens paucos post dies, eodem eventu, e vita demigravit. Spei summæ Juvenem, pridie tironibus additum, & Societatis moribus, vicesimo die, more ejus temporis nostrà tunica induendum, domestica indumenta statim attribuit, mirantibus omnibus, quòd vetustissimi moris consuetudinem violâsset. Ea re tiro commotus, qui propositi parum tenax, paternam domum cogitabat, neque defectionis consilium cuiquam aperuerat, quasi divinæ voluntatis certior factus, mentem illico ad meliora convertit, & in Societate permansit; atque ita cognitum est, Tironis levitatem, & inconstantiam, fuisse Magistro de cœlo significatam. Illud etiam adnotatum reperio, quod quum aliquando immolâsset, & peracto sacrificio, Sacello decessisset maturiùs, quàm soleret, cœlestemque flammam oculi, & vultus anhelarent; tironem ad se venire jussit, quem omnium emendatissimum, & probatissimum reliqui omnes arbitrabantur, eique constanter denuntiavit, quandoquidem transfuga futurus esset Societatis, né cunctaretur maturare defectionem, exonerare familiam, & ad aliena externorum castra transire. Obriguit ille, negavitque, se talia meditari. Sed eventu ipso compertum est, vera esse, quæ Blandus prænunciaret: nam infelix tiro, quod occultaverat ulcus, postea aperuit, a Societate descivit, & infaustà

Ejus rei Tornamiræ testimonium.

Vincentio Granatæ Tironi suo, impendentem mortem prænunciat.

Tironem alium de proximo fato admonet.

Alium de secessu cogitantem, ante præfinitum tempus nostrà tunicà induit, & titubantem confirmat.

Quidam Tiro, ut Blandus prænunciarat, fit transfuga Societatis.

ne-

nece adolescens peremptus est. Quibus rebus est consecutus, ut & alumnos virtute, ac religione, quoad fieri posset, haberet rectè subactos, & nemo dubitaret, ad eam memoriam non fuisse magistrum, qui tirones accuratiùs, & salutariùs excoleret, aut qui tam fidelem, & salutarem eo in munere operam Provinciæ locaverit. Quare tanquam cœlo delapsum Magistrorum exemplum meritò habitus est. Quibus rebus ad Mutium Vitelleschum perlatis, hominem sacrâ doctrinâ, & pietate, ac scientiâ gubernationis illustrem, deque Provincia, ac Societate optimè meritum, unis, atque alteris litteris ad quatuor Votorum sacramentum evocavit. Sed modestiam ejus non expugnavit, qui constantissimis precibus honorem propulsavit, impetravitque, ut in humillimo Sacerdotum ordine vitam clauderet.

Ad quatuor Votorũ sacramentũ evocatus, temperantiâ summâ, eum honorem propulsat.

LVII. Verùm longè majorem Blandus accurationem impendit in seipso regendo, quàm in aliis informandis. Cupiditates adeo fregit, tenuitque in sua potestate motus animi, ut si primævæ originis culpæ reliquias extinxisset omnes, & communis argillæ venenum, antidotis enervâsset, ac penitus consumsisset. Rei tam insignis, & admirabilis vadem produco, Silvium Tornamiram, & Josephum Cardinalem, probos, & graves viros, qui se legisse testantur singraphamBlandi manu descriptam, & post fatum in adversariis ejus repertam, in qua quinque ejusmodi remedia numerabantur, quæ ipsi sibi præscripserat, ut depravatæ naturæ incommodis mederetur. Nam præter tria communia, & publica vota, quæ olim ab eo nuncupata meminimus, quinque alia privatim ediderat, & jurejurando confirmaverat, quæ eà schedà continebantur. Primum erat, *Nè gravem ullam culpam admitteret, qua summa Dei majestas laderetur*. Alterum, *nè vitam, & sanguinem profundere recusaret, quum talem victimam divinæ gloria postularet*. Tertium, *ut solum Deum sequeretur consiliorum ducem, a quo uno penderet, sive per se ipse, sive per homines sui vicarios, quid fieri vellet, ostenderet. Ceterùm ab hominibus nihil speraret, nihil timeret*. Hæserat diu anceps, an quartum emitteret, quod arduam asperitatem præseferret, & naturæ planè contrariam, quam si non omnino assequeretur, fieret voti reus. Denique tamen emisit, quum ad aram faciens, cœlesti quodam impetu est incitatus, nè vereretur, eo se etiam vinculo obstringere, quod erat hujusmodi: *Nè res ullas humanas, quæ inter homines primæ ducuntur, concupisceret, aut amore suo dignas putaret*; atque ex eo tempore, hu-

In frangendis animi motibus Blandi studium singulare.

Ejus rei Silvii Tornamiræ, & Josephi Cardinalis luculenta testimonia.

Quæ sibi Blandus religione præscripsit, distinctè enumerantur.

Nè res humanas unquam concupiscat, sacramento se obstringit.

Digitized by Google

humanarum rerum conditionem adeo vilem, & sordidam existimavit, ut aurum, & margaritas, nihil a cæno, & palea penes ipsum distarent. His quintum est additum, quod decimum, & supremum agens magistratùs annum, Panormi edidit: nam quasi parum fuisset, tam insignia sibi onera imposuisse, amplificanda fuit tanti viri sanctimonia, uberioribus etiam incrementis. Immolanti ergo, quum divinam Hostiam manu teneret, vocalibus propemodum verbis est divinitus renunciatum, placere Deo, ut illud quoque, interpositâ voti religione, polliceretur: *Se quidquid honoris, & existimationis, moribus, doctrinâ, & ætate promeruisset, id omne divinæ voluntati ita concedere, ut non esset sibi grave futurum, si de se parum commodè, aut minùs rectè, aut etiam pessimè sentirent homines, apud quos summa tum esset opinio virtutis ejus, ac probitatis.* Annuit actutum Blandus; & extremum inchoavit vitæ actum mirificè tragicum, ac ærumnosum.

Hominum existimatione posthabitâ, totum divinæ voluntati se tradit.

LVIII. Venerat per eos dies in Siciliam, ad capessendum Provinciæ magistratum, P. Ignatius Garganus, Vincentii Caraffæ æqualis, popularis, & jam a condiscipulatu necessarius, vir gravis, probus, & rectus, ac religionibus maximè deditus, qui in Neapolitana Provincia, tironum quoque præfecturam sapienter gesserat; sed in sua sapientior, quàm in aliena Provincia. Simplici enim, aperto, ac candido ingenio, primis facilè imbuebatur rerum, ac negotiorum impressionibus, atque imaginibus, easque tenacissimè retinebat; patebat proinde fallaciis, atque calumniis homo in Provincia novus, nescius malarum artium, regionis, & hominum imperitus, ad dolum, technas, & fraudem inexpertus. Quare inventi sunt delatores, qui vacuas, & bibulas nacti aures, Gargani mentem, conflatis testibus aggressi sunt, & primo impetu properè occupatam, facillimè deinceps tenuerunt, ad inexorabilem usque duritiam. Collatis itaque consiliis, adornatâ calumniâ, Blandi mores, gubernationem, institutionem omni ex parte oppugnaverunt. Insimulabant hominem vanæ religionis, quòd inanibus muliercularum visis, ostentis, auditiunculis, nimiâ credulitate, faciles præberet aures, ea obtruderet, narraretque tironibus, illas haberet gubernationis participes, & arbitras consiliorum. Quòd eadem de se ipse jactaret, & sive stulta, sive falsa seductæ mentis ludibria, pro veris, & miris ostentis prædicaret, atque in vacuos, & teneros annos, non jam occultum, sed apertum superstitionis venenum instillaret. Quòd fictis, atque inanibus præstigiis, ac vaticiniis, tironum plerosque ad insa-

'Quales, & quantas exinde Blandus sustinuerit domesticas insectationes.

Quibus de causis apud Provinciæ Antistitem accusaretur, ingenuè exponitur.

Ejus Tironum instituendi ratio oppugnatur:

niam

niam adegisset, alios ad defectionem, & fugam compulisset, nonnullos enecuisset, non tam morbo, quàm terrore exanimatos, quum integris, & vegetis repentinum proximæ mortis nuncium afferret. Quòd cum adolescentibus non cautissimè ageret, & quibusdam paternæ pietatis obtentu, non sine aliorum invidia, libentiùs, & liberaliùs indulgeret, reliquis austerum se præberet, & implacabilem. Flagitatus est etiam, quod pauperrimum utriusque tirocinii patrimonium immodicis largitionibus, & planè ambitiosis, extenuâsset, misericordiæ prætextu, re verà, ut sibi domi, foriſque amicos, & defensores pararet, quos fidos, atque potentes haberet plurimos, & popularem virtutis opinionem inveniret. Corruptam, & depravatam, eo duodevicesimum jam annum, tironum magistro, Provinciæ disciplinam, lugere bonos omnes hominis causà, qui tamdiu inusitatæ probitatis specie majoribus imposuisset. Reservatam Gargano gloriam redigendi in ordinem hominis, & callidissimum profligandi frontonem, & capitonem. Garganus quæstionem instituit, testes, & indices, quos illi paraverant, & indicaverant, ad se venire jubet, clanculum auditos, & mirum in modum consentientes laudat, monetque, nè testimonium enuncient. Postremò Blandum vocat, contestatam exponit accusationem, eumque hortatur, nè gravetur, provectà jam ætate senex, & Societatis studiosissimus, Reipublicæ causà, quæ vera essent confiteri. Ad ea Blandus religionis, & sacramenti memor, cœleste numen sibi proposuit; neque quicquam aliud, quàm suspiciens, respondit: *Nihil se habere, quo se expurgaret: non erratorum veniam petere, neque pœnam deprecari; constitueret ipse, quod optimum factu videretur.* Tum Garganus calumniâ occupatus, nedum Blandi silentium heroicæ temperantiæ non assignavit, sed silentem pro confesso habuit. Nihil propterea cunctatus, ea omnia ad Caraffam detulit, qui memorabile severitatis exemplum edendum censuit, ut Blandus intelligeret, in virum se fortem, & acrem incidisse. Gargano enim mandavit, ut tot, tantorumque criminum manifestum Blandum abdicaret, & contumeliâ, atque ignominiâ publicè notatum, Panormo ejiceret, & in rusticum aliquod prædium amandaret.

Alia in Blandum gravissima calumnia cuditur.

Garganus quæstionem instituit, & contestatam accusationem Blando exponit.

Blandus Gargano patientiâ, & silentio non satisfacit.

Vinc. Caraffa de his admonitus, in Blandum severissimè animadvertit.

LIX. Itaque vir gravissimus, & probatissimus, nequicquam reclamante Provinciâ, magistratu exutus, & suffragiorum prærogativâ privatus, publicâ reprehensione, atque pœnâ mulctatus est; & tantùm Panormo non excessit: nam Garganus, licèt ægrè, exorari tandem passus est a Provinciæ primo-

ri-

...olicè mul-tatus, & magi-stratu exutus, in Panormita-nam Domum se recepit.

ribus, & præsertim a Paulo Garlano Corleonensi, qui Domui præerat Panormitanæ, ut reus exauctoratus eò se reciperet: neque Blandus ea de re recusavit, cui longè graviùs futurum erat, in oculis omnium versari, quàm ruri delitescere. Ibi abjectus, atque neglectus, & ab omnibus destitutus, omnino cessans, & uni Deo, ac sibi dies noctesque indulgens, curis liberum Gargani magistratum consumsit. Sed ut Provinciam attigit Bompianus, cui Caraffa, auditis Provinciæ clamoribus, in mandatis dederat, ut Blandi causam accuratiùs cognosceret, &

Caraffa, Provinciâ reclamante, Bompiano commendat, ut Blandi causam recognoscat.

cum Gargano ageret, nè fortè innocens vexatus esset; vir acutus, & sagax calumniam illustravit, & Gargano auctor fuit, ut qui injuriam intulerat, idem sanaret. Garganus, gravissimè questus, quòd imprudens captus esset, & circumventus; gavisus tamen, quòd in eo res esset, ut per se damno mederi posset; accuratissimas ad Caraffam dedit litteras, quibus & Blandum absolvebat, & de se ingenuè fatebatur, quod miserrimè deceptus esset, perversitate paucorum. Mirum quantum exarsit purus, & integer Caraffæ animus. Bompiano gratias egit,

Bompianus calumniam illustrat, & de ea Caraffam admonet.

atque mandavit, ut Blandum extemplo restitueret, & tironibus iterum præficeret. Garganum jussit, ei coram accuratè satisfacere, Blando ipsi officiosissimis litteris excusavit Gargani errorem, & consecutam ex eo injuriam: commendavitque summis laudibus, primævà Societate dignam patientiam, & mansuetudinem. Sed eæ litteræ, ut fuere propemodum novissimæ, quas Caraffa signaret, ita Blandum supremà valetudine

Caraffa Blandi virtutem commendat, & ut tironibus restituatur, Bompiano jubet.

laborantem nactæ, non profuere, nisi posteris, ut utriusque sanctitatem, & innocentiam intuerentur. Ceterùm qui Blandi consilia intimè nôrant, P. Paulus Garlanus, & P. Georgius Tagliavia, testati sunt, Blandum, quem divinitus nihil eorum latebat, quæ de se agerentur, diuturnis precibus a Deo impetrâsse, ut valetudo, & fatum, restitutionis beneficium, & honorem interciperent.

LX. Neque tamen P. Antonii Blandi virtutes omnes exhausimus. Præter summum illum, atque perpetuum capitis dolorem, quem sævum, atque inexorabilem in omni vita tortorem habuit, qui acutissimis veluti spinis, redimita tempora transverberaret, nullam corpori requiem indulsit, nisi quam natura eo invito, aut imprudente, furtim surriperet. Somni, potùs, ac cibi parcitas, absque delectu vestium, aut alimenti tanta fuit, quanta suorum posset oculos fallere, nè animadverterent extremam, & humanà tolerantià majorem fuisse. Nihil enim tantopere studebat, quàm domesticis persuadere, se non

Alia Blandi eximia virtutũ monumenta.

a com-

Digitized by Google

a communi, ac vulgari vivendi consuetudine quicquam discedere. Sed inter ceteras ejus virtutes, longè eminuit singularissima quædam Virginis Matris religio, quæ occultationem omnem superabat, & ante præripiebat animi sensum, quàm ratio provideret, nè apertissimè erumperet. Sive publicè omnes adhortaretur, sive singulos disciplinæ suæ alumnos privatim appellaret, & sermo aliquis de *Deipara* incideret, tumebant statim pectus, & oculi, excandescebant genæ, fervebat sanguis, lacrimæ prosiliebant, & interdum animo linquebatur. Quod quidem initio, tironum admirationem, & ortam ex novitate spectaculi, piam delectationem incitavit. Ad eum propterea singuli, datà operà, accurrebant, & ultro lacessebant, serebantque sermonem, qui *Deiparæ* mentionem excitaret, & magistrum suum commoveret. Vixere ad hanc memoriam, & ætatem, qui tirones ejus, quique spectatores fuerant Blandi, ad Virginis commemorationem, languentis, narrabantque, vidisse se, Blandum, audito Mariæ nomine, exhilarari, exultare, ardentia verba proferre, exclamare, vultu, & oculis exardescere, abire in lacrimas, & suspiria, & salientis, ac palpitantis cordis signa ostendere, ita ut intimus exilientium præcordiorum impulsus extima etiam indumenta tamdiu propelleret, & agitaret, quoad ille exanimatus, animo linqueretur, atque procumberet. Quum verò esset animadversum, in eo sanguinis, & viscerum tumultu, valetudinem ejus labefactari, cavebant postmodum, nè eo præsente, *Deiparam* nominarent.

Deiparæ religionem, atque amorem, & ipse coluit, & aliis inculcavit.

Audito Mariæ nomine, animo linquitur, & divina patitur.

P. Josephus Cardinalis in relatione inedita Vitæ, & mortis ejus.

LXI. Mutuam autem fuisse Blandi, & *Deiparæ* caritatem, ex eo est judicandum, quod illo vivo, & mortuo, persuasum omnibus esset, ei se *Deiparam* sæpe conspiciendam præbuisse, & familiaria, ac ferè quotidiana, noctes ipsas, de divinis rebus cum eo instituisse colloquia, in quibus aliquando ab ea didicisset, se inter præcipuos, ac summos ejus clientes, atque cultores, tantùm non primum obtinere locum, secundum facilè numerari. Vicissim Blandus, ad eas, quarum meminimus, effusissimi amoris significationes, illud præter ea usurpavit, ut senas quotidie horas, contemplandis *Deiparæ* laudibus, ac virtutibus daret, & quamplurima elucubraret volumina, quæ ad merita, & cœlestes ejus dotes pertinerent. Ea tamen omnia cum eruditis aliis, piisque vigiliis, paulò ante mortem, igne corrupta subduxit posterorum memoriæ, veritus nè adversùs voti religionem faceret, si nonnihil existimationis, & gloriæ sibi exinde defuncto redundaret. Flammas tamen, & favillam vita-

Ei se Deipara sæpè conspiciendam præbet; & cum eo colloquia instituit.

Ab ea discit, se inter præcipuos ejus clientes numerari.

vit unum, & alterum, oratione italicà, volumen, quod nescio quo casu, manus ejus effugit, & posthumo prælo publicì juris evasit. Primum inscribitur *Contemplationes pro expectatione partùs Mariæ Virginis*. Secundum: *Domicilium Columbæ in vulneribus Jesu Christi*; Denique in ea, quam diximus, hominum, & rerum humanarum omnium solitudine, maximè calculosus, atque incredibili dolorum, & molestiarum agmine excruciatus, stranguriæ insuper ardoribus urebatur, quibus præcordia conflagrarent, & tantum sitis æstum efficerent, ut naturæ desiderium ferre non posset, quin frigidam vehementissimè appeteret. In eo autem appetitu, sacramenti religionem lædi suspicabatur, quòd quum humanis rebus omnibus se jurejurando abdicâsset, & earum amorem repudiâsset, aquam concupiscceret. Cumulum attulit miseriarum natura morbi, quæ medicorum manus, & oculos postulabat, quòd castissimi viri pudor, gravitas, & honestas spectari, ac contrectari, magis quàm cruciatus omnes, ac necem refugiebat. Acerrimis hisce corporis, animique tormentis circumventus, mortis solatium nactus est, & populo sandapilam invadente, ac sanctitatem ejus conclamante, elatus fuit, & funeratus, VI Calendas Apriles, anno ætatis quinto supra sexagesimum, ab inita Societate, septimo supra quadragesimum. Et tamen manes ejus, Cardinalis, & Tornamira tradidere, horas admodum septem, piaculari igne lustratos, quòd quasi religionum, ac verecundiæ metu, stranguriam chirurgo obfirmatè noluerit curandam tradere, re tamen, ut se a dolorum molestia liberaret; atque ea de causa dierum sibi septem vitam ademerit, horarum totidem cruciatu expiatam,

Editi ab eo conscripti Codices.

In maximis corporis, animique doloribus, Panormi fato concedit.

Defuncti feretrum populus invadit, & sanctitatem ejus conclamat.

LXII. Fato nobiliore tanquam strenuus Christi miles in acie cecidit P. Vincentius Damianus Randatiensis, tertio Idus Novembres, quem medium inter Blandum, & Sparacinum interseri, temporis ordo postulat. Teneros annos, omni lubricæ ætatis corruptelà puros exegit. Annum vitæ agens decimum sextum nostro numero Messanæ se addixit, in quo quam attulit innocentiam, & immunem sordibus animum, in dies auxit, & sanctissimè excoluit. Sacris, atque profanis, non sine ingenii commendatione, in Provincia dedit operam litteris, & grammaticas institutiones tam egregiè tradidit, ut prima Societatis stipendia magnopere laudatus, atque expetitus fecerit. Anno decimo, quàm se nobis adjecit, a Mutio Vitelleſco indicam expeditionem, diuturnis obtestationibus impetravit, & strenuè aggressus est, Eo tempore arctiùs, & ardentiùs se

P. Vincentius Damianus Societati se addicit.

Indicam expeditionem a Vitelleſco flagitat, & impetrat.

Deo

Deo conjunxit, & instituit integras noctes excubans, & divinarum rerum contemplatione involutus transigere, neque corpori soporem, nisi quem raptim caperet, concedere. Intimam ex eo, & perpetuam cum Deo familiaritatem est consecutus, ut ejus numen, præsenti cogitatione menti infixum semper hæreret, & animo obversaretur. Deum proinde habuit & infinitæ, periculosæque navigationis comitem, & reliquæ vitæ socium, cui se, suaque omnia committeret. Philippinarum Insulæ, Mutii decreto, discedenti ex Provincia Damiano, quum alterum jam annum in divinarum litterarum palæstra posuissет, obvenere. Eas ut attigit Insulas, barbarorum sermoni sedulam, atque celerrimam navavit operam, eique rei tantam curam impendit, ut semestri spatio, æquè commodè apud Barbaros verba faceret, quàm ii possent, qui illis in insulis nati essent. Anno itaque ætatis duodetrigesimo, in aciem prodiit, & Ibabaum insulam Christianis institutis antea eruditam, sed crebris defectionibus, ejecto, atque deleto Hispanorum præsidio, rebellantem, & contumacem, adire jussus, insulanorum animos, morum innocentiâ, ac suavitate, sibi primùm demeruit, atque pacavit; deinde religione condocefactos, Christo conciliavit, Christiani nominis reliquias seditione abalienatas, & metu dispersas coëgit, titubantes confirmavit, sacris lustrationibus transfugas expiavit, profligatos, & inopiâ exinanitos, rebus omnibus juvit, nihil denique prætermisit, quo pervicaces, & infidas eorum voluntates Deo, & Regi conjungeret. Quibus rebus omnium jam doctor, pater, & arbiter intermortuos religionis igniculos confestim exsuscitavit, & christianam coloniam instituit, qua non esset alia major, atque florentior. Ea dum salutariter gereret, & Christi gregem magnis incrementis amplificaret, Palapagensis insulæ Oppidani, seditione factâ, P. Michaëlem Ponze, qui Societatis domicilio præsidebat, excruciatum interfecerunt. Jussus ejus locum tenere P. Vincentius Damianus, mutuis cum lacrimis Ibabaensibus valedixit, & ad Palapagenses properavit, perfidos, & diros homines, qui nullo cultu, & industriâ mansuescerent, præter paucos infimæ plebis colonos, quorum plerique a Christo defecerant, & cum barbaris religionis expertibus conjuraverant. Damiani adventus sedavit animos, simultates composuit, furentes compescuit, & ut ab armis discederetur, effecit. Reliqua tam sapienter administravit, ut omnium animis, misericordiâ, caritate, mansuetudine sibi devinctis, Christianos emendaverit, transfugas receperit, & humanissimè habitos

Quænam exinde fuerit ejus vitæ ratio, & virtutum concentus.

Ad Philippinas Insulas missus, rem christianã strenuè procurat.

Ibabaum Insulam lustrat, & insulanos christianis moribus imbuit.

Palapagensi Societatis Domicilio præficitur.

Ejus apud Palapagenses assidui labores, ac fructus.

restituerit, alienos denique barbaros, & superstitione involutos, paulatim sibi obnoxios fecerit, & Christi numero aggregaverit. Sed maturam, & magnæ spei segetem, immissà vixdum falce, dimittere coactus est, ad Subigenses, & Bacerenses insulanos evocatus, ubi ærumnosam, insidiosam, & truculentam nactus commorationem, nil nisi palmam demessuit, cujus tropæo insignitus ad Superos evolavit. Est ea gens inculta, ferox, atrox, insidiarum, & perfidiæ plena, ac superstitionibus maximè dedita; nihil enim non colit præter Deum, & Christum; quare christiano nomini maximopere infensa, Christianas colonias ad mare sitas, tenues admodum, & infrequentes, quotidianis excursionibus, incendiis, cædibus adoriebatur, neque ullo loco consistere patiebatur. Damianum verò, quem acerbissimè oderat, propterea quòd eum Christi gregem, quibuscunque poterat rebus, adscito etiam hispano milite, tueretur, & assiduis augeret supplementis jampridem ad necem designaverat. Quare per Christianum transfugam edocta, quà ex colonia in coloniam migraturus, iter facere ante lucem constituisset, consurgit ex insidiis, & in adventantem impetum facit. Damianus armatorum globum, albente cœlo conspicatus, & se unum peti non nescius, comitatum omnem, ut sibi fugà consuleret, dimisit, ipse in genua provolutus, Christi e cruce pendentis signum manu tenens, & in ejus complexu mori cupiens, tum suspiciens victimam se Deo obtulit, atque in eo statu, militari pilo semel, & iterum transverberatus, in terram suo sanguine respersam exanimatus concidit, quum vitæ annum numeraret quartum, & trigesimum, & Societatis duodevicesimum; ex quo Philippinas ad insulas appulit, septimum. Ejus mortem P. Philippus Alegambe inter illustres recensuit.

Quales, ac quantas apud Subigenses, & Bacerenses sustinuerit insidias, & infectationes.

Barbari Damianū ad necē quærunt, & in eum impetum faciunt.

Damianus militari pilo trāsverberatus, pro Christo sanguinem fundit.

Alegambe Mort. Illust. pag. 657. & 658.

LXIII. Tertiam Provinciæ hic annus eripuit electam, insignemque animam. Decessit enim P. Franciscus Sparacinus, nomen apud Siculos sanctitate, doctrinà, atque eloquentiâ summum. Natalibus non obscuris Panormi ortus est, anno 1584. Diem, & mensem appositum non reperio. Adolescens æqualium suorum multò formosissimus, oris commendatione, & corporis elegantiâ, omnium in se oculos convertebat. Amatores propterea invenit non paucos, atque potentes, quos tamen ille, qui in Gymnasiis Societatis, & Mariano Sodalitio, pudorem habere primum didicerat, constantissimè est aspernatus; eos præsertim, qui vel plus æquo, vel sine probabili causa, vel astutè diligerent. In his fuit vir nobilis, qui generis claritatem in

P. Francisci Sparacini Patria, ortus, adolescentia, & corporis, animique eximiæ cōditiones.

eo

Digitized by Google

eo ponebat, ut turpia quæque sibi licere arbitraretur. Hic Sparacinum nihil tale suspicantem, versutiis, & blanditiis circumventum, ad seque deductum, remotis arbitris, quasi per occasionem magni negotii, quod ad Patrem ejus perferri vellet, in secretum conclave colloquendo abduxit, & ostium accuratè obseravit. Tum adolescens deprehendit insidias, & præclusum sibi fugæ aditum intelligens, neque ullam sibi esse reliquam evadendi facultatem, ad *Deiparam* convertit animum, ut in præsenti periculo præsto esset. Adfuit Regina Virginum, seque verecundiæ, ac pudicitiæ vindicem præbuit. Nam incestus insidiator, solutis repentè nervis, tremulus, & paralyticus ad pedes ejus concidit, veniam petiit, & incolumem dimisit. Sparacinus eo discrimine perculsus, innocentiam deinceps coluit integram quidem, & ut antea intemeratam, sed diligentiorem etiam, & cautiorem; ac *Deiparæ* beneficio servatus, eidemque maximè obnoxius, nullum fuit obsequiorum genus, quo non impensiùs ejus sibi clientelam promereret. Sed nihil Patronæ suæ jucundius fore sibi persuasit, quàm si Societatem flagitaret, & ejus præsidio, sese a periculis assereret, & castæ mentis propositum tueretur. Quare anno 1600, sub Jordano Cascino, Panormitanis tironibus adjectus est, & adolescentiam exegit candidam, docilem, elegantem, & litteris, atque virtutibus omnibus eruditam, donec Sacerdos, & quatuor Votorum religione obligatus, oratoriam fecit sacram, & salutarem, quo in genere eloquentiæ principatum facilè sibi adjudicavit, & ad canos usque retinuit. Facundiam exprompsit non vulgarem, & inconditam, neque ambitiosam, & delicatè exquisitam, sed ita facilem, & popularem, ut non splendidæ, & elaboratæ orationis ornamentis careret, neque ulla dicendi virtus abesset. Eximius enim, & copiosus elucebat in concionibus ejus sacrarum litterarum apparatus, mira variæ eruditionis ubertas, accuratus verborum delectus, summa ex Patrum vigiliis excerpta sententiarum copia. Quare sive rudes, sive culti homines dicenti adessent, omnium animos, & oculos magna cum voluptate tenebat, implebat aures, & motus animi efficiebat, quos maximè vellet. Accedebat vocis, & oris suavitas, gestus acer, parcus, & concitatus, promptum, fusum, & agile linguæ officium, fida, & tenax memoria, tuta, & indefessa laterum firmitudo; orationi demum mirificè serviens oculorum conjectus, vultùs conformatio, corporis habitus. Qui fierent ad eum audiendum concursus hominum, quæ properatio ad capienda, dubiâ adhuc luce, subsellia, qui mo-

In maximo pudoris amittendi periculo versatur.

Admirabili ostento Virginis beneficio liberatur.

Ea de re Societatem flagitat, & impetrat.

Concionandi munus summa cum laude aggreditur.

Orationum ejus virtus, ratio, & fructus.

motus animorum, quæ lacrimæ, quæ mentium, & morum conversiones consequerentur, non aliter commemorant ejus ævi domesticarum rerum Scriptores, quàm si ea omnia inusitata, atque inaudita fuissent. Constat enim, actiones ejus, quæ ad populum haberentur, celeberrimas, totà Siciliâ fuisse, utpote salutis plenas, & propemodum cœlestes, atque divinas. Nempe Insulam ferè universam concursando peragravit, & præcipuas ejus Civitates expiavit, neque quicquam aliud, quàm concionando, æternarum rerum curâ, atque metu concussit. Itaque annos ipsos triginta sacrum præconium fecit, neque unquam assiduitate, ac prolixitate dicendi, aut auditorum explevit animos, aut audiendi satietate aures fatigavit. Quinimo illud omnium consensu percrebuerat, nihil in concionibus ejus, quæ sesquihoram, ut minimùm attingebant, præter brevitatem, & finem displicuisse, nihil fuisse desideratum, nisi sermonis, & temporis abundantiam. Ad senem quoque jam emeritum, & eloquentiâ perfunctum, quandocunque Panormi e suggestu verba faceret, accurrebant omnium ordinum Cives, concionibus ejus ab adolescentia assueti, tantâ frequentiâ, & cupiditate audiendi, ut si disertissimi, & ex nubibus tunc primùm delapsi oratoris novitate, ac delectatione caperentur.

Siciliam universam lustrat, & salutaribus cõcionibus expiat.

Panormi verba facit incredibili auditorum concursu.

LXIV. Sed quum de *Deipara*, sive formatum sermonem effunderet, sive per occasionem, quam ille semper studiosè captabat, mentio incidisset, tum verò quasi non ipse, sed alius longè doctior, vehementior, & uberior peroraret, confertissimæ concionis animos adeo incitabat, & admiratione defixos sustollebat, ut audientium concitationem, & voluptatem silentium, & lacrimæ testarentur. Solemne autem Sparacino fuit, nullam pronunciare concionem, quin orationem eò deduceret, ut *Deiparam* commemoraret, & laudationem ejus aliquam interfereret, idque non faceret, nisi divino quodam æstu incensus, & rubente facie, rutilantibus oculis inflammatus. Quod quum animadvertisset Maria Roccafortia, Bisbonensis Virgo, cœlestibus visis assueta, & ex *Deipara*, quæ ei se in conspectum dederat, quæsivisset, cur in Marianis laudibus, eloquentia Sparacini, quo illa animi duce, & arbitro utebatur, se multo major, & melior appareret, & aliam vocem, alium impetum, aliam oris, & corporis alacritatem exereret; ab ea accepit: *Sparacino de me publicè loquenti ipsa adsum, & latus ejus tegere nunquam desino, atque verba, vires, & animum suppeditare*. Re ad Sparacinum delatâ; *non me præterit*, ait, *quàm Patrona mea sim obnoxius, qua hunc beneficiis*

Ejus in Deiparæ laudibus exornandis, admirabilis dicẽdi virtus, & efficacia.

In singulis cõcionibus, divina paticns Deiparam commemorat.

Deipara Mariæ Roccafortiæ percontanti causam declarat.

Digitized by Google

ficiis suis cumulum jamdudum addere voluit, & frigidum ignavumque senem pro suggesto dicentem sublevare. Tu verò quid quaris filia? numquid ea mavis discere, quæ rectiùs, & sapientiùs nescires? Et sanè nihil erat tam pervulgatum, quàm familiaria, & quotidiana inter *Deiparam*, & Sparacinum interceſſiſſe colloquia, quorum nonnulla, quæ novitatem, & exemplum habent, sit fas non præterire.

LXV. Flagitavit a Sparacino nondum sene, improba quædam mulier pium aliquod munusculum, illud animo spectans, ut simulatione religionis, obscenam tegeret cupiditatem, & in amicitiam, ac familiaritatem ejus paulatim irreperet. Ille nihil tale suspicatus, Marianos globulos, quos *Rosarium* dicimus, eos ipsos, quos lateri affixos gerebat, petenti, & manum presse exosculanti dono dedit, atque nihil periculi veritus se recepit. Non tulit *Deipara*, clientem suum in periculo, atque errore versari: quare intempestà nocte, Sparacino se obtulit, & eosdem illos globulos ab insidiosæ mulieris crumena subductos, ei reddidit, monuitque, nè deinceps tam incautè, apertéque ageret. Disceret timere insidias, neque deinceps committeret, ut Marianum illud insigne, quod pudicitiæ clypeum, & salutis tesseram esse oporteret, dolis, & malis artibus viam sterneret. Obriguit ad ea Sparacinus, & receptum cœlesti ex manu *Rosarium*, magno deinceps in honore semper habuit. P. Antoninus Maresscalchus Nætinus, qui me adolescente, nonagenarius extinctus est, rem ab ipso Sparacino auditam, narrabat, ostendebatque sacrum illud numisma, ab eodem, dono acceptum, quod ut moris est, *Rosario* adjectum erat, maximè querens, Marianos illos globulos, Virginis manu tractatos, & margaritis propterea omnibus anteferendos, eorum ignorantià periisse, quibus cujus essent pretii, nosse non contigit, quum morienti Sparacino adfuerunt. Illud quoque memoriâ dignum, quod Calatahierone factum fuisse tradit Tornamira, quo tempore, per majoris jejunii ferias, sacras ibi conciones, Sparacinus incredibili multitudinis frequentiâ, atque fructu administrabat. Secedentis, & in secreto conclavi, quæ postridie dicturus esset, meditantis, ausæ sunt mentem aggredi malæ furiæ, tanto quidem impetu, ut exardesceret appetitus, & acribus imaginum, atque cogitationum igniculis, ferveret naturæ desiderium, ac venerem flagitaret. Sparacinus intestini ejus belli omnino expers, rei novitate perterritus, & furentium aculeorum stimulis repentè occupatus, in eo fuit, ut inops consilii, & quò se verteret nescius, in repentina procella, tan-

Obscena mulier in ejus amicitiam irrepere cupiens, aliquod munusculũ ab eo flagitat.

Deipara, Marianos globulos, quos mulieri Sparacinus dederat, ei reddidit, & de insidiis admonet.

Ostenti hujus P. Antonini Maresscalchi testificatio.

Malæ furiæ eum aggrediũtur, & mirum in modum ad veneré incitant.

Digitized by Google

tanquam æstu tempestatis, aut vi fluminis raperetur; ac irruentis voluptatis illecebrà vinci sineret; cogitavit jam ex janua, jam ex fenestra sibi fugà salutem petere, jam magnis clamoribus domesticos convocare; vires tamen, & vocem, certaminis æstus, & periculi metus ademerat. Sed clientem suum in eo discrimine diu esse *Deipara* non sustinuit, & ejus preces, atque vota occupavit. Immisit enim cœlestem chorum, qui cubiculum ejus irrumperet, tartareos lemures ejiceret, & æthereo concentu, delassatum prælio animum recrearet. Duas tenuit propemodum horas divinum melos, cujus carmen Marianas unicè laudes complectebatur, & eà clausulà desinebat, quæ demptis numeris est hujusmodi: *Majorem apud superos ex Mariæ visu consequi voluptatem, quàm quæ ex omnibus humanarum rerum deliciis proficisci unquam poterit.* Novissima hæc verba cum suis numeris, ac modulis, cœlestium symphoniacorum vocibus harmoniacè pronunciata, Sparacini sensum, & animum usqueadeo oblectârunt, & in intima præcordia tam altè descenderunt, ut deinceps aures ejus dies, noctesque personarent, & suavissimà jucunditate complerent, maximo utique fructu: nam ex eo die, omnem sensit stygiis impressionibus aditum interclusum; in perpetuis item *Deiparæ* amoribus totus esse consuevit; exquisitissimas demum humanorum concentuum modulationes, ad quas cupidissimè reliqui omnes confluebant, ipse non secus est aspernatus, quàm si incondita, & barbara streperent classiariorum celeusmata, aut collatrantes molossi ad harmoniam debacchari conarentur.

Gravis in eo discrimine Sparacini pugna, & invicta constantia.

Cœlestis chorus a Deipara ad eum immittitur, qui lemures ejiciat.

Eum cœlesti concentu recreat.

LXVI. Neque tamen hostis tartareus a Sparacini animo excluſus, corpus ejus fatigare unquam destitit. Terrebat excubantem nocturnis spectris, atque prestigiis, adoriebatur secedentem colaphis, pugnis, flagellis, fustibus; afflictum, & pedibus conculcatum raptabat; ostendebantque vibices, & livor genarum verberationis vestigia. Accurrebat confestim *Deipara*, malas furias eliminabat, sublevabat jacentem, perterritum confirmabat. Quo fiebat, ut Sparacinus lucro apponeret gravissimæ infestationis ærumnam, quam *Deiparæ* conspectus constantissimè consequeretur. Rogatus autem ab intimis, & necessariis, ut de Virginis vultu, atque forma nonnulla dissereret; quæ oris lineamenta, quis color genarum, quæ labiorum gratia, quæ oculorum venustas? *Non si cœlesti uterer lingua*, respondebat, *speciem, & faciem ejus describerem. Est Mariana formositas humanis oculis, linguis, mentibus longè major, non in colore, & lineamentis posita, sed in oris di-*

Stygiæ furiæ Sparacini corpus adoriuntur, ac pessimè habent.

Deipara accurrit, eum sublevat, ac lemures eliminat.

De Virginis forma interrogatus, ejus pulcritudinem extollit.

Digitized by Google

dignitate, celsitudine, majestate. Equidem testor, me post ejus intuitum, nullam deinde vidisse Marianam imaginem, quavis arte elaboratam, quæ meis oculis non se fœdissima offerret, eosque monstri instar offenderet. Nam quas formosissimas jactant, ostentantque homines, tabulas, effigies, signa, alienissimæ se mihi præbent adumbrationes, quarum conspectum nè sustinere quidem possum. Adhibuit nihilominus in cubiculo Marianam illam imaginem, quæ dum hæc scribo, prima occurrit, Domùs Panormitanæ supremam scalarum partem conscendentibus superioris conclavis; ea se Sparacino alio vultu, quàm nos videmus, ostendebat, reddebatque ejus oculis simillimam archetypo figuram. Ex illa tabula Sparacinum *Deiparæ* interdum alloquebatur, eà præsertim tempestate, qua populus Panormitanus turbis maximis exagitatus, Domui Panormitanæ imminebat, ut ad annum 1647, num. 24. adnotavimus. Quum verò per eas, quas diximus, scalas, quam sæpissimè susque deque quotidie commearet, atque ægerrimè ereperet senex, & perpetuà defatigatione extenuatus; ascendentem duo cœlestes Ephæbi, *Deiparæ* missu, deducebant, & connitentem sublevabant, ejusque rei author est Tornamira.

Virginis imago, quam Sparacinus adhibebat, in Panormitana domo asservatur.

Ea duos cœlestes juvenes ad Sparacinũ mittit, ut ascendẽtem sublevent.

LXVII. Sparacini erga *Deiparam* amoris, & observantiæ existunt locupletissimi testes pretiosi codices quamplurimi, qui universam Marianæ eruditionis disciplinam complectuntur. Opus sanè maximum, atque præclarum, quod studiosissimus Mariæ cliens, perpetuis vigiliis, vitâ ferè totâ elucubravit, latinâ oratione. Voluminum tituli sunt ejusmodi: *Pars prima de Gloria Virginis, complectens excellentiam, & facilitatem, seu incrementum, & progressum cognitionis scientiæ divinæ de Virgine. Secunda, de Persona Virginis, quæ divinam maternitatem, aliasque illius annexas potestates continet. Tertia, de Anima Virginis, quæ immaculatam puritatem, & gratiam, ceteraque dona, quæ ex ea promanant, complectitur. Quarta, de Corpore Virginis, cujus attributa, & proprietates naturales, & supernaturales profert. Quinta, de tota Virgine, adeoque de Vita, Morte, & Gloria. Sexta, de cultu, & pietate totius Ecclesiæ, & Sanctorum in Virginem.* Atque utinam vita non deseruisset, supremam manum, absoluto jam labori imponentem! Immensam enim, & propè infinitam lectissimæ, locupletissimæq; doctrinæ molem, sed rudem, & impolitam mors intercluſit. Repertæ sunt lucubrationes ejus obscuris adumbratæ potiùs, quàm descriptæ cara-

Quæ de Deipara Sparacinus scripsit inedita volumina.

Anton. Mongit. Biblioth. Sicul. pag. 241. col. 1. & 2.

Biblioth. Soc. pag. 255.

cteribus: compendiariis notis, interjectis litterulis, adjectionibus, lituris, crebris in margine additamentis scatent omnia, ut extundi nihil ad usum possit. Ea Sparacinus interpolare, digerere, & librariis exscribenda committere destinaverat: sed hæc ipsa cogitantem, a *Deipara* acceptum mortis nuncium oppressit, quemadmodum mox exponemus. Quare voluntatem, & studium ejus *Deipara* ratum habuit, & in acceptis retulit; operam verò, & diuturni fructum laboris ad posteros transire noluit; maluitque in tenebris conticescere.

Dum ea scriberet, a Dei Matre mortis nuncium accepit.

LXVIII. Reliquas actuosæ, laboriosæque vitæ ejus res gestas, paucis demptis, oblivionis silentio involutas, partim hominis temperantia, & occultandi solertia obliteravit, partim hausit antiquitas, partim ejus ævi indiligentia posterorum memoriæ denegavit. Ex iis enim, quæ hactenus sunt demonstrata, judicari meritò, ac facilè poterit, quæ, & quanta desiderentur eximiæ sanctitatis ornamenta, quæ piis, probatisque viris, mortalitatis cursum peragentibus, communia esse consueverunt; nam quod ad vitæ austeritatem attinet, eam quidem in Sparacino fuisse summam, tradunt omnes; nihil tamen peculiare compertum habeo, præter cibi, atque somni parcitatem, & cubandi molestiam, quòd lectum nunquam straverit, neque lintea adhibuerit, sed indutus semper, & sedens requieverit. Constat etiam inter eos, qui de Sparacino meminerunt, septennio ante ejus fatum, ex gravissima valetudine decumbenti, & salute jam deploratâ morienti, adstitisse *Deiparam*, morbum, & morbi reliquias depulisse, & vitæ spatium ad alios septem annos prorogâsse, quos emendatiùs, & fructuosiùs exigeret. Narrat quoque P. Carolus Lombardus Panormitanus, quum Sparacinus immolaret, & sacram Hostiam sumeret, consuêsse cœlestem Panem in ejus stomachum non descendere, sed latentem in ea Christum, juxta fibras, quas Anatomici *Longitudinales* appellant, quotidie consedisse, ut præcordia conflagrarent, & perpetuis æstibus tamdiù ebullirent, donec Sparacinus communi mensæ accumberet, & cibum caperet; tunc enim residentis in se Christi numen sentire desinebat. Monstratos item Sparacino P. Francisci Rajati, paulò ante extincti, manes (de quo ad annum 1636,) nondum satis lustrali igne expiatos, memoriæ prodidit Tornamira, idque ex eo Sparacinum intellexisse, quod argentea, qua præcingebantur zona, igneis esset scintillis interpuncta; edixisse tamen, eam lustrationem non fore diuturnam.

Alia Sparacini subobscura virtutũ monumẽta.

Quanta ejus fuerit cibi, ac somni parcitas.

Deipara eum morbo curat, & vitã prorogat.

P. Carolus Lombardus in Vit. P. Antonii Bellaviæ, pag. 28.

LXIX. Deniq; Sparacinus Aloysii Lanuzæ litteris, quocum

Ejus erga sacram Eucharistiã summa religio.

ab

ab usque condiscipulatu, conjunctissimè vixerat, est admonitus, ut cœlestem Patriam cogitaret, subobscurè tamen, ut non facilè judicaretur, utri esset e vivis abeundum. Commeatum enim Aloysius petebat, & suavissimis verbis amico valedicebat. Initio Sparacinus Lanuzam, ut propediem moriturum, flere cœperat: sed *Deipara* errorem inveterare non sustinuit. Nam Sparacino se ostendit, & in memoriam revocavit, septennii finem adesse; simulque recepit, se morienti præsto fore. Eo nuncio recreatus, paulò post Sparacinus, ut adversà se valetudine tentari sensit, supremum diem non procul abesse intelligens, lecto se committere coactus est. Adfuit laboranti *Deipara* semel, & iterum, in cujus colloquio Sparacinus conquievisse fertur, & cum ea ad superos rectà evolâsse. Vitam reliquit in Domo Panormitana, XII Calendas Januarias, & honorificè elatus, inter populi voces, merita, & virtutes ejus conclamantis, & feretrum compilantis, atque quæcunque ejus fuissent, certatim auferentis, & cœlestia beneficia per eum collata prædicantis, ægrè sepulcro illatus est. Extat S. Rosaliæ vita ab eo edita, quam Francisco Fortio, cujus nomine prodiit, rectissimè abjudicat Antoninus Mongitore, & Sparacino addicit.

P. Lanuzæ litteris de proximo fato subobscurè admonetur.

Ei se Deipara proximè decessuro, præsto fore pollicetur.

Sparacini beata mors, funus, & & sanctitatis acclamatio.

Anton. Mongit. ibidem.

LXX. Narrat Jordanus Cascinus admirabile ostentum, quod Calatahierone Sparacini operà, & manu editum est, anno 1625. Repertæ fuerant per eos dies S. Rosaliæ Virginis Panormitanæ Reliquiæ, quarum minuta segmenta Cascinus Sparacino tradiderat. Percrebuerat autem Panormi ejus Virginis aquæ puræ infusas reliquias, cæruleo colore eam inficere, & suavi fragrantià redolentem efficere. Quum verò nonnulli id fieri posse negarent, Sparacinus, convocatis Collegii Calatahieronensis Patribus, cyathum afferri jussit, quem aquà, puro ex fonte petità, complevit, immersit deinde reliquiarum particulam adeo exiguam, ut milii acinum vix æquaret. Exhalavit actutum odor rosarum acer, & vegetus; nec defuere, qui fraudem, & artificium suspicarentur, putarentque aquam rosis expressam, aut distillatione concretam. Mutant proinde calicem, & aquam ex puteo ab ipsis haustam infundunt. Tum Sparacinus eamdem mergit reliquiarum particulam, & e vestigio iterum expirat rosarum fragrantia, fatentibus omnibus, eà suavior, & efficacior, quàm rosæ, aut rosarum distillationes emitterent: quod quum tertiùm eodem exitu factum esset, injectus est pudor incredulis, & aquæ illæ præter naturæ vim odoratæ, magno in pretio habitæ sunt, & curà summà sepositæ, ac distributæ. Addit Tornamira, quod quum id alii post-

Jordan. Cascin. in Vita S. Rosaliæ pag. 119.

Aquæ, in quas S. Rosaliæ reliquias Sparacinus immerserat, suavissimũ rosarum odorem exhalant.

Prodigii veritas tertiùm cõprobatur.

Id fruſtrà aliis tentãtibus, Sparacini meritis oſtentũ tribuitur.

modum fruſtra tentâſſent, neque ullus odor extitiſſet, cognitum eſt, datum fuiſſe Sparacini etiam meritis, & innocentiæ, ut Virginis reliquiæ, virgineà manu tractatæ, Roſaliæ nomine indicatum roſarum vaporem effunderent, & ſuaviſſimum floris odoramentum aquæ impertirent.

Quanti Sparacinum fecerit Maria Roccafortia.

LXXI. Anna Maria Roccafortia, Benedictina Virgo, quæ virtutum omnium præſtantiâ, & cœleſtium beneficiorum gloriâ, cum electiſſima quaque, candidiſſimaque anima conferri poteſt, primum Bisbonæ nacta eſt vitæ magiſtrum, ac ducem P. Franciſcum Sparacinum, a quo recta, & tuta accepit ſanctioris diſciplinæ elementa, eumdemque cultorem habuit aſſiduum, & diligentem, atque cœleſtium arcanorum participem, & uno dumtaxat anno ſuperſtitem: anno enim ſuperiore prope Calendas Septembres ad Sponſum evolavit. Quanti ea fecerit Sparacinum, eique ſe obnoxiam teſtaretur, ex eo relinquitur, quod

Ejus gratiâ, noſtrorum manes expiationibus ſublevat.

ad nutum ejus in omni vita reſpiceret, & diſſentientibus aliis, ſententiam ejus conſtantiſſimè ſemper amplecteretur, tanquam hominis docti, ſapientis, & divinarum rerum ſcientiſſimi. Societatem verò ejus gratiâ ita diligeret, ut morientium ſociorum nomina, apud ſe deſcripta ſervaret, & defunctorum manes perpetuis expiationibus ſublevaret. Eo in numero fuit P. Mutius Vitelleſchus, cujus candidam ſenectutem, prudentiæ altitudinem, & ſummam gubernationis ſcientiam nemo ſatis laudaverit. Is tertio a deceſſu die, lætus, & toto corpore lucem diffundens, Roccafortiæ ſe obtulit, & ſuo primùm nomine, ei gratias egit maximas, quòd ejus precationibus, luſtrali igne exemptus eſſet; deinde ut ſupremus Societatis Antiſtes, publico etiam titulo, eſt ei gratulatus, quòd tam ſalutare miſericordiæ officium ſuis omnibus impertiret. Quod quum Roccafortia ad Sparacinum detuliſſet, & hic oſtenti diem adnotâſſet; allato deinde extincti Mutii nuncio, compertum fuit, congruere tempora, & tres ante dies, quàm ſe Virgini oſtendiſſet, Mutium Romæ deceſſiſſe. Quare quum lectiſſimæ feminæ, Societatis alumnæ, deque ea optimè meritæ, gratiam referre non poſſimus, habemus quidem, & illam ſaltem grati animi ſignificationem expromimus, ut nomen ejus in noſtris quoque ſcriptis immortalitatem inveniat.

Vitelleſchus Roccafortiæ precibus, piaculari igne eximitur; eique ſe oſtendit.

Ejus rei fides, & congruentiæ.

CA-

Digitized by Google

CAPUT X.

Unus & alter Provincialis Conventus. Cæsaris Cajetani eximia virtutes, & immaturus exitus. P. Carolus Ventimiglia Provinciæ magistratum aggreditur, deinde P. Marcellus Spinellus, & quæ intercidunt hominum, & rerum negotia, usque ad annum 1655.

1650

DAta est anno 1650, in Collegio Nætino, adnitentibus minorum Gymnasiorum doctoribus, Beatorum *Martyrum* Alphii, Philadelphi, & Cyrini latina tragœdia, insigni scenarum, & theatralis supellectilis apparatu, Actorum partes mirificè egerunt scholarum nostrarum alumni, lectissimi adolescentes, qui Beatorum Fratrum certamina, victoriam, atque triumphum, tantà dicendi, agendique alacritate ob oculos posuerunt, ut uberrimis lacrimis plauderetur, quæ ex admiratione voluptatem efficerent. Septies flagitantibus omnibus, reposita est fabula, subselliis in dies plenioribus, neque ullus fuisset reponendi finis, si spectatorum voces valuissent. Sed mos gerendus non erat, ut desiderium potiùs, quàm satietas consequeretur. Narrat P. Philadelphus Maurus Leontinus in Opusculo inedito *De Miraculis BB. Alphii, Philadelphi, & Cyrini*, ejus tragœdiæ celebritatem, a Nætinis inter præcipuos Civitatis eventus numerari consuevisse, cujus memoriam annus ferè sexagesimus nondum extinxisset. Sed quo potissimùm ære pretiosum spectaculum sit adornatum, non sit fas ignorare; ea enim largitio magnam habet Beatorum Fratrum religionem. Est in templo Collegii Nætini Sacellum, & ara antiquitus constituta, in qua quotidianà populi frequentià, Beatorum Fratrum imagines sunt propositæ, quæ quotannis præsertim, magnà ceremonià coluntur, sexto Idus Majas, quo die cruore, & vità Christo litârunt. Tunc enim, & exquisito symphoniacorum concentu, & solemni sacrificio, & publicà supplicatione expiatur Civitas, & ad confluendum excitatur. Quem quidem cultum, crebris significationibus, Deus ratum habet, neque fructu vacuum ostendit, Beatis enim fratribus deprecatoribus, divina beneficia, præter naturæ facultatem, de cœlo impertiuntur: nam & cæcis, & mutis, & insanabilium morborum molestiâ, & periculo

BB. Alphii, Philadelphi, & Cyrini tragœdiam Collegiũ exhibet Nætinum.

Ea tragœdia, incredibili Civium plausu, septies reponitur.

Quo ære, & qua de causa illud spectaculum sit adornatum.

Digitized by Google

culo laborantibus cœlestem opem fuisse administratam, votivis signis, ac tabulis cumulati parietes testabantur. His invitata prodigiis Nææ̈tina Matrona, dives, & orba, quæ infœcundum sortita thalamum, tristemque venerem, quinquagenaria steriles annos, & soboli ineptos attigerat, in spem venit prolis a Deo per Sanctos Fratres impetrandæ. Neque irritas fudit preces, quibus voti religionem adjecit: nam ex tempore gravem uterum sensit, & molestiâ nullâ cœpit gerere, donec virilem edidit partum, lautissimi patrimonii hæredem, qui familiæ solitudinem, & orbitatem, summâ omnium gratulatione, sublevavit. Mater beneficii, votique memor, ad amplificandam Sanctorum Fratrum religionem, eam, de qua memoratum est, tragœdiam exhiberi constituit, ducentorum ferè aureorum pecuniam contulit, & Collegio Nææ̈tino dono misit cum mandatis, nè impensæ parcerent; se quidquid deesset, liberaliter suppeditaturam, vel si esset septies reponenda: idque fide summâ præstitit, quum septimùm fuerit renovata, & scenæ reddita.

Sterilis Matrona, BB. Fratrum beneficio, virilem sobolem impetrat.

Voti compos facta, tragœdiã exhiberi constituit, & pecuniã confert.

II. Memorabile est pariter, quod hoc anno gestum tradit Tornamira in Collegio Mænenino, prope Idus Octobres. Versabatur ibi Frater Vincentius Umana, Mænis natus, qui paulò major sexagenario, omnium laboriosissimus, quæ asperiora essent domestica officia solus curabat, neque ullam sibi requiem indulgebat, nisi quam diurnâ defatigatione delassato corpori, nocturnarum horarum somnus furtim impertiret. Sed tanta fuit ejus erga *Deiparam* pietas, ut nullâ unquam delassatio probabilem attulit excusationem, quin Marianos quotidie tractaret globulos, & eo obsequii genere, Patronam suam accuratissimè coleret. Quod si tempus omne diurnum, atque nocturnum occupationum moles ademisset, surripiebat designatas ad quietem horas, nè dies laberetur, quo Marianæ religionis officium intermitteret. Accidit per autumnales ferias, ut magnus confluueret hospitum numerus, qui in Mænenino Collegio diversarentur, & unà pernoctarent. Quæ res Vincentium, qui coquum, & pistorem, & janitorem agebat, tot curis, atque laboribus involvit, ut maximopere defatigatus, a dultà jam nocte, in cubiculum se receperit, & somni, ac quietis appetens, lecto se statim dederit, Mariani obsequii prorsus immemor. Sed quum jam sopor irreperet, menti affulsit prætermissæ consuetudinis recordatio. Hæsit pauliſper anceps, & reluctante naturæ appetitu, parum abfuit, quin intestinâ pugnâ victus, cubare pergeret, & quiescendi impe-

Tornam. Ghirland. tom. 2. cent. 8. dec. 9. exemp. 9.

F. Vincentii Umanæ virtutes, & erga Deiparam pietas.

Marianos globulos pertractare nunquam intermittit.

Defatigatus, & ejus consuetudinis immemor somno corripitur.

tu

Digitized by Google

tu raperetur. Maximo tamen conatu, naturæ vim intulit, surrexit, & in genua procumbens Marianum officium persolvere aggreditur: neque verò ad finem usque potuit sensum compescere, quin lassitudine, somnoque superatus, in terram defluereret, sopitusque jaceret. Non tulit *Deipara*, clientem suum, seminudum, & gelidum, tanta cum molestia somnum capere. De cœlo adest, & magna voce Vincentium inclamat. Ille evigilat, surgit, oculos aperit, & attonito similis, æthereo fulgentem lumine Virginem intuetur, quæ gratias ei agit maximas, quòd tam insigni contentione animi, naturæ impetum fregerit, seque ad religionis officium comparaverit: *Ceterùm, nihil*, ait, *opus erat, ut surgeres, tua erga me pietati abundè satisfeceras, quum tali, ac tanto labore, alacritate, ac caritate hospites acceperis, & quantùm Societatis mores patiuntur, lautè habueris. Redde ergo quieti, istà ætate senex, languentia fatiscentis corporis membra, teque lecto, ac somno comitte*; atque in hoc dicto statim evanuit. Vincentius ostento recreatus, & nihil jam de somno, ac lecto cogitans, noctem in Marianis laudibus, & gratulationibus totam collocâsset, si nefas sibi non duxisset, a *Deipara* præscripto discedere. Quare lecto se tradidit, & inter dulcissimas lacrimas somno correptus, quietem planè cœlestem, oblatà sibi per somnium Virginis specie, nactus est. Reliquum deinceps vitæ septennium castigatiùs, atque emendatiùs exegit, *Deiparam* semper ore, atque animo anhelans, & anno 1657 ibidem sanctissimè conquievit, III Calendas Februarias.

Prætermissæ religionis recordatur, lecto se proripit, & illam persolvit.

Quanti Deipara illud religionis officium fecerit, Vincentio significavit.

Auctor est P. Joann. Onufrius apud Tornamiram.

Ipse ut Virgo jusserat, lecto se tradidit, eamq; per quietem iterum vidit.

III. Feralis, & sacer illuxit Provinciæ hic annus, assiduis Fratrum præsertim nostrorum defectionibus, quorum tragici exitus posteros admonent, ut qui stant videant nè cadant. Singula neque persequar, neque negligam omnia: selectiora memoriæ committam. Frater Paulus Collura Alcamensis, post exactum Messanæ religiosæ vitæ tirocinium, probatamque suam Provinciæ operam in domesticis obsequiis, atque muneribus, non sine communi opinione probitatis, repertus est non indignus, qui Chium extra Provinciam navigaret, ut in eo Societatis Domicilio, familiæ negotia procuraret, & Sacerdotibus præsto esset. Consedit ea in Insula annos fere duodeviginti, domesticis æquè, atque externis, propter eximiam navitatem, atque solertiam, quàm maximè commendatus; nisi quod Græcorum familiaritates parum cautè, & nimiùm liberaliter sibi conciliavit, deque se tandem violati pudoris suspicionem injecit. Flagitii insimulatus, & identidem admonitus,

Funestissimi Societatis trãsfugarum casus.

Tornam. exitus infelices inediti pag. 57. 58. 59.

F. Paulus Collura Chiũ missus, violati pudoris postulatur.

non

non modò se non expurgavit, & majoribus satisfecit, sed contumacem se præbuit, & refractarium. Quare in Provinciam remissus, & ut Messanam appulit, custodiâ inclusus est, in qua tamen neque ut veniam peteret, neque ut oblatam acciperet, adduci potuit; sed in eo totus erat, ut Chium rediret, & idoneis testibus accusationes dilueret. Quod quum non impetraret, neque in Societate cum ea infamia permanere se posse diceret, missionem denique pertinaciter flagitavit, & anno vigesimo, quàm Societati se devoverat, factus voti compos, quadragenarius Chium remeavit: unde comparatis Domesticorum, & externorum testimoniis, quibus calumniam refelleret, Romam contendit, ibique a Vincentio Caraffa, causâ cognitâ, absolutus, cum litteris in Provinciam est remissus, in quibus erat, gratum sibi fore, si Paulo Colluræ pateret sine dedecore reditus in Societatem. Panormitanis propterea tironibus aggregatus, & Messanam inde remigrare jussus, Sancti Xaverii Collegio est additus. Sed qui fraudibus, & versutiis hominibus imposuerat, & superiorem culpam occultaverat, divinæ animadversionis judicium vitare non potuit; nam quum exacto biennio, non satis commodè audiret, & primi sacramenti religio ampliaretur; vir iracundiæ impotens, quasi iterum injuriâ, atque infamiâ afficeretur, defectionis, ac fugæ consilium capere statuit. Nactus proinde diem, quo domi solus esset relictus, perfregit ostium ejus conclavis, in quo arca æraria servabatur, quam & adulterinis clavibus reseratam compilavit, aureosque siculos ferè quadringentos abduxit, & se fugæ mandavit, atque Alcami se abdidit; ubi eâ pecuniâ, agrum locavit saturæ idoneum. Sed terræ mandata semina vix recepit, quum finitimi omnes opimam messem retulerint: quare ablatam furto pecuniam consumsit omnem, neque tamen cœlestem ultionem ærumnâ exhausit: nam furti manifestus, latitando diutiùs fallere non potuit, quin comprehensus, & in vincula conjectus, publicarum custodiarum augere numerum coactus esset. Ibi pannosus, famelicus, & rerum omnium inopiâ propemodum exanimatus, quum ex vinculis causam diceret, vir superbus, & arrogans, pædore, ignominiâ, & ægritudine animi, graves Deo, ac Societati pœnas dedit. Quoniam pedicularem contraxit luem, & ejusmodi vermibus toto corpore mirum in modum scatentibus, ut vivum magnis agminibus exulcerarent, & omni ex parte depascerentur, sesquianno, ex quo iterum transfugio se polluerat, miserrimè peremptus est. Extinctum, & maximè olentem, quum quo efferretur non habe-

In Siciliam remissus missionem petit, & extorquet.

Dimissus, coram Caraffa calumniam refellit, & Societati restituitur.

Messanam missus ærariam Collegii arcam compilat, & fit transfuga Societatis.

Alcamum petit, ubi furti manifestus, in vincula conjicitur.

Pedicularem ibi morbū contrahit, & paulò post miserrimè perimitur.

Digitized by Google

beret, non est inventus, qui attingere auderet, aut terræ mandaret: quare centonibus involutum libitinaria sodalitas clanculum extulit, & humo altè infodit.

IV. Funestum quoque spectaculum edidit Frater Jacobus Aucellus Panormitanus, qui tanto studio Societatem adolescens flagitavit, ut honestis ortus majoribus, & re familiari satis instructus, ex macello ad Tirocinii domum, onera humeris asportaverit, mirantibus obviis, & insaniam suspicantibus; quo P. Nicolao Urso, qui tironibus præerat, idque mandaverat, persuaderet, ad omnia se paratum, quibus Societatis aditum sibi patefaceret. Nostro tamen numero aggregatus, ut extra paternam domum pernoctavit, matris desiderium ferre se non posse causatus; laboriosæ, latentis, silentisque vitæ tædium recusavit, & missionem facilè obtinuit. Ad matrem regressus, graves cum ea controversias agitavit, honestas tamen nactus est nuptias, & inter urbanos ærarios relatus est. Sed legitimam venerem aspernatus, damnatos amores secutus est, & adulter adulteras adamavit. Ea res uxorem diu latere non potuit. Mulierem exacerbatam, & sæva omnia molientem, post graviſſimas simultates, & odiorum reciprocationes, deseruit, seque totum licentiæ, & malis artibus dedit. Quare quod fieri necesse erat, re familiari cum ganeonibus consumtâ, conflavit grande æs alienum, cui quum dissolvendo non esset, & conturbandi necessitas immineret, scelus sceleri viam stravit. Ad fraudem enim, & dolum appulit animum, & syngraphis adulterinis ingentem urbano ex ærario pecuniam avertit; quod capitale est civibus, & præsertim ærariis, qui in officio deliquissent. Confestim itaque sensit vindicem irati numinis manum. Repetundarum postulatus, & vinculis publicis addictus, duriſſimam subire coactus est quæstionem. Nam tortoribus traditus, per manus a tergo religatas, duas omnino horas suspensus, maximo cum cruciatu pependit, ut acerbiſſimus dolor criminis confessionem exprimeret; quod tamen silentio texit; sed ex tortorum manibus semivivus receptus est; neque tamen est absolutus, sed extraordinariâ pœnâ damnatus, vitam retinuit quavis morte miseriorem. Capistratus enim, & collariâ vinctus, in quadrivio maximo Civitatis, manu sublatâ, & ad asserem clavo confixâ, tres ipsas horas, publicâ ignominiâ notatus est, & ludibrio habitus, spectante populo; neque propterea cœlestis indignatio conquievit. Quoniam a rerum capitalium judicibus ad remum datus est, pœnâ ad quinquennium prorogatâ. In ea molestiarum, dolorum, & ærumnarum iliade, in-

Jacobi Aucelli ante initam Societatē eximiæ virtutes.

Nostro numero vix additus, Matris desiderio, Societatem dimittit.

Ad Matrem regressus, malis artibus hæreditatē profligat.

Urbano ex ærario pecuniā fraude avertit, & repetundarū postulatur.

Publicè torquetur, & ignominiâ notatus, ad triremes dānatur.

Digitized by Google

felix Aucellus multo cum fletu testabatur, a se neglectam, & proditam Societatem, scelerum, & tragœdiarum suarum caput, & argumentum fuisse. Extant P. Ignatii Ascensi Mutycensis ad Tornamiram litteræ, quibus a se visum in quadrivio, & triremibus Aucellum docet, monetque, ut memorabilem eventum historiæ reservet.

Ejus rei P. Ignatii Ascensi luculentum testimonium.

V. Infaustum per hæc tempora dabat amissæ Societatis specimen Franciscus Baronius Monregalensis, rerum Panormitanarum nobilis scriptor, quem de Patria sua optimè meritum, grati animi causà, vindicare meritò, ac sapienter studet Antoninus Mongitore, qui probabilibus fretus auditionibus, optimo, & candido vir ingenio, suspectam habet fidem ejus ævi scriptorum, quibus tanquam Baronii invidis, non temere credendum arbitratur; neque nos diffitemur. Dissimulatis proinde externorum testimoniis, atque conviciis, qui contrariis fortè studiis ducebantur, domesticorum monumentorum fidem sequemur, quæ fidelissimis excepta fontibus Tornamira congessit, & P. Joannes Jacobus Laudatus, Hyblensis, sive Avolanus æqualis ejus, & Baronii necessarius, posteris contestata mandavit. Natus est Franciscus Baronius anno 1592, genere non satis illustri. Adolescentulus inter Panormitani Seminarii alumnos eductus, ut pubertatem attigit, Panormitanis Societatis tironibus adjunctus est. Sed ætatis potiùs, quàm animi levitate, excusans valetudinem, anno vix dum exacto, missionem poposcit, & commeatum ægrè extorsit. Sui juris factus, & litterarum impatiens ignaviæ se dedit, neque tamen lubricos annos malis artibus, & licentiæ permisit: gerebat enim projectæ Societatis religione exulceratum animum, & remeandi cupidum, sed repulsæ metu tristem, & verecundum, donec pudorem, diu noctuque sæviens defectionis conscientia superavit. Multis propterea, magnisque deprecatoribus reditum expugnavit, annum ætatis agens secundum supra vigesimum. Restitutus sedulam litteris, præsertim delicatioribus navavit operam, quas & quadriennium laudabiliter tradidit, & inter domesticos ingenii, atque musarum primas tulit. Non tamen ingenio, & litteris parem morum elegantiam Societati probavit, neque acerrimam indolem disciplinæ studio subegit. Linguæ intemperantiam, majorum censuram, æqualium contemptionem, agendi licentiam, scribendi petulantiam, nullis sive publicis, sive privatis reprehensionibus emendare unquam potuit. In reperiendis enim excusationum tergiversationibus maximè acutus, & mirificè ingeniosus, magnis,

Anton. Mongit. Biblioth. Sicul. part. 1. pag. 206.

Franciſci Baronii patria, ingenium, & e Societate defectus.

Dimissus, Societatem iterū petit, & reditū expugnat.

Propter linguæ intemperantiā exauctoratus, ad suos redire cogitur.

Digitized by Google

& quotidianis conquestionibus familiam concitabat, nè majoribus obtemperaret, neu castigatoribus morem gereret. Eam Collegii Panormitani perturbationem, alieno nimis tempore, quum Provincia in duas distracta, intestinis turbarum fluctibus premeretur, & divisionis vulnus, atque dolorem, in dies graviora sentiret; diutiùs ferendam non censuit P. Decius Striverius Catacensis, qui utrique Provinciæ extra ordinem *Visitator* præerat; & Franciscum Baronium sacris tum litteris dantem operam, anno 1621, quum annum vitæ numeraret prope undetrigesimum, invitum, & reclamantem exauctoravit, atque ad suos redire jussit. Ex eo tempore, quasi injuriâ ejectus fuisset, Societati semper infensus; & inimicâ mente semper infestus, Antonium Venetianum popularem, & gentilem suum in suis moribus exscripsit, & inchoatam ab eo vitæ fabulam, non absimili tragico exitu concluſit; nisi quod hic constantissimè Societati, quam deseruerat, pepercit, ille a qua ejectus est, perpetuum bellum indixit, & pertinaciter gessit. Extra Societatem Sacerdotio initiatus Senatui Panormitano a manu ministravit, laudatissimus epistolarum scriptor. Latinis potissimùm litteris, quas apud nos accuratissimè arripuit, plurimùm valuit, in his laudatior, quàm in italicis, in quibus si nitor, & proprietas respiciatur, nonnihil titubavit. Libros edidit quamplurimos ad usque annum 1646, cùm italicè, tum latinè, jam metricâ, jam solutâ oratione, in quibus summa elucet vis ingenii, magna eruditionis supellex, mira scribendi facultas; ut nihil desideres, præter prudentiam, & animi temperantiam. Fervebant anno 1647 in præcipuis Insulæ Civitatibus populares infimæ plebis seditiones, quæ Panormi etiam, propter maximam populi frequentiam turbulentiores agitabantur, quum Domus Panormitana, ab eo, quod impendebat direptionis periculo, Sparacini precationibus, & *Deiparæ* beneficio exempta est. Eo tempore, seu verè, quia Societati infensus esse nunquam destitit, sive falsò, quia propter linguæ venenum, plerisque erat invisus, accusatus est apud Religionis Censores Franciscus Baronius, quòd plebem exsuscitaverit, & vehementer incenderit, ut Domum Panormitanam invaderet, argentea Templi signa, & vasa diriperet, sacram supellectilem asportaret, & ea, quæ moveri non possunt, igni corrumperet. Quare sive religionis, & irreligiosæ machinationis, sive majestatis reus, sive invidorum calumniâ, in vincula conjectus, & ad catenas, atque custodiam datus est. Deteriorem fecit causam ejus Josephus Alesius Dux seditionis, qui paulò post,

Quàm fuerit exinde Baronius Societati infensus.

Ejus extra Societatem munera, & gloria litterarum.

In Panormitanis turbis, ut nostrorum Domum invaderet, populum concitâsse insimulatur.

Majestatis postulatus, in vincula cõjicitur; & Cosyram relegatur.

furente populo, a Censoribus Religionis, Baronium vinculis eximi, & sibi, ut idoneum talium consiliorum auctorem, dari postulavit. Ea de causa in majorem recidit majestatis suspicionem, & Cosyram est deportatus; ubi nuditate, atque fame propemodum exanimatus, nullum fuit, quo non angeretur, miseriarum genus. Quare odio rerum suarum, conscios nactus seditionis, non modò fugam tentâsse, sed novas etiam res moliri ausus fertur, quas tantùm ad exitum non perduxit. Nam deprehensus, & majestatis (delatorum fortè calumniâ) manifestus, quo tempore Joannes Austriacus Siciliæ præturam gerebat, triennio jam exacto, exilium mutare jussus est, & Cosyrâ Cajetam deportatus, eâ præscriptione, ut dum in navi esset, venter ejus supini nudus, quotidie virgis, & bacillis cæderetur. Cajetam attigit initio anni 1651, ibique non multò post, contusis ex dira, & jugi verberatione visceribus, maximis excruciatum doloribus, interiisse docet Tor namira; additque Joannes Laudatus, in ipso ærumnarum, & dolorum æstu, Baronium dicere solitum, ea sibi meritò accidere, qui olim Jesuita, altricem, atque magistram Societatem ingratus prosciderit, & ejectus ab ea, Sacerdos imparatus, ac criminosus immolaverit.

Cosyrâ Cajetam deportatus, miserrimè moritur.

Mongitore in Biblioth. Sicul. ibid. Baronium Cajetæ aliquandiu emēdatè vixisse, & piè admodum decessisse asseverat, neque nos refragamur.

Tornam. esit. infel. pag. 54. & seq. & apud ipsū Jo: Jacob. Laudatus.

VI. Unum habet hic annus insigne funus P. Francisci Privitelli Bidinensis. Ejus illustria sunt in Provinciam, & Collegium Bidinense merita, cujus propemodum auctor fuit. Anno 1607 natus integram, & inculpatam egit adolescentiam; ac divinarum rerum maximè studiosus, Sacerdotio potitus est, ut annum ætatis attigit quintum supra vigesimum. Ex eo tempore sacram Oratoriam fecit, non mediocriter ab doctrina, & dicendi facultate commendatus. Sed pleræque actiones ejus ad populum eâ clausulâ solvebantur, nihil fore Bidinorum Reipublicæ salutarius, & ad ornamentum, atque splendorem conducentius, quàm si locum, & patrimonium Societatis Domicilio destinarent, & finitimarum Civitatum exemplum sequerentur, quæ Collegia, & homines intulissent, & litterarum, ac pietatis incrementis magnopere lætarentur. Atque his vocibus excitatus fertur Horatius Vita, ut Collegio Bidinensi dotem constitueret. Sed suo erga Societatem amori parum Privitello satisfeciisse videbatur, quòd Societatem Patriæ dedisset; nisi seipsum Societati vicissim dederet. Quare annum vitæ numerans primum, & trigesimum, Messanæ nostro numero est aggregatus. Adepta est Provincia non tironem, militiæ nostræ rudimentis informandum, sed emeritum, & veteranum militem, qui ordines ducere posset, & reliquos vir-

P. Francisci Privitelli in Provinciam, & Collegium Bidinēse præclara merita.

Conatus ejus, ut Bideni Societatis Domicilium institueretur.

Messanæ, Sacerdos nostro numero aggregatur.

Digitized by Google

virtute anteiret. Quum enim prima faceret stipendia, & sacris litteris daret operam, neque cuiquam esset ingenio, aut eruditione secundus, contra quàm omnes hortarentur, doctrinæ periculum coram judicibus facere noluit, nè viam sibi muniret ad solemne quatuor Votorum sacramentum, qui summus est, & valde honorificus privatorum gradus, quo qui excluduntur doctrinæ causà, arcentur etiam a traditione disciplinarum. Quare in infimo Sacerdotum gradu permansit. Bidenum profectus, quo tempore Horatium Vitam, quem magnis obtrectationibus invidi homines a Societate abalienaverant, & qui nostros ad secedendum adegerat, titubantem confirmavit, & morientem supremis sacris adjuvit, ac Societati conciliavit. Domicilio iterum constituto, mirum est, quantà animi, ac corporis defatigatione, non Sacerdotum modò munera cumulatissimè expleverit, sed Fratrum quoque obsequia sibi imposuerit, & propria esse putaverit. Nemo laborioſiùs concionando, expiando, concursando, & morientibus diu, noctuque opitulando, popularibus suis præsto fuit. Sudore tamen diffluens, vel pluviâ madidus, ex itinere, aut concione, ad culinæ officia descendebat, scopis Templi sordes purgabat, aderat rebus omnibus, rustica etiam prædia asello insidens lustrabat, neque turpe sibi ducebat, farculo movere glebas, pastinare vites, terram egerere, & humeris asportare, nihil demum non aggredi, quo se deprimeret, & aliis persuaderet, nullius se esse numeri hominem, & obscuris parentibus procreatum. Novum, & inauditum accidit Bidinorum oculis spectaculum, P. Franciscum Privitellum intueri, qui octavo quoque die, per frequentiores Civitatis vias jumentum ageret, linteâ supellectili onustum, & forum prætergrediens, suburbanum fontem peteret, jumentum exoneraret, clitellas asportaret humeris, linea utensilia repurgaret, confricaret, candefaceret, expanderet, complicaret, & quum fullonicam rectissimè exercuisset, domum referret. His confectus, & delassatus laboribus, fatum sibi, ætate florens repræsentavit. Sed antequam e vivis abiret, Bidini Collegii censum amplificavit, cui, extinctis hæredibus, familiæ patrimonium addixit. Decessit sexto Idus Octobres, quum annum duceret ætatis tertium, & quadragesimum, elatusque est magno Bidinorum concursu, atque luctu.

Quatuor Votorũ sacramentum recusat, tẽperantiâ singulari.

Bidenum profectus, Horatiũ Vitam Societati conciliat.

Eximia virtutum ejus mõnumenta, & egregia facinora.

Per frequentiores Civitatis vias jumentum agit, & fullonicam publicè exercet.

Proprio patrimonio, Collegii censum amplificat.

VII. Tradunt annuæ Societatis litteræ ad hunc annum, Bideni contigisse, ut quum honestus civis, gravissimâ decumbens valetudine, emotâ mente laboraret, metuerentque propin-

Bidinensis Civis in gravem incidit valetudinem, & sensibus destituitur.

pinqui ejus, nè culpà involutum hora fatalis opprimeret, & deprecatores submisissent, qui a Deo per B. Ignatium impetrarent, nè cum corpore salus animi periclitaretur; æger continuò restitutus, & sibi redditus Sacerdotem admovisset: tum sacris lustratus officiis, consanguineos admonuisset, nè de se, quod ad animi salutem attineret, quicquam triste suspicarentur; idque ex eo intelligerent, quod apertè prænuntiaret, proximo sc. Sabbato moriturum; dictumque ejus, eventus exceperit. Verùm iis, qui hæc eadem apud Nolarcium quoque legerint, injucundum non erit cognoscere, P. Franciscum Privitellum prope Quintilis exitum, deliro homini, & planè insanienti adfuisse, atque ab illo ipso esse morientis familiam excitatam, ut a B. Ignatio, cujus dies impendebat, summis precibus contenderet sanæ mentis intercapedinem, donec peccata expiarentur: re autem B. Ignatii beneficio impetratà, auditis, atque deletis a Privitello peccatis, ab eo morientem didicisse, & quid esset de animi salute sperandum, & quo die esset e vita migraturus; quæ, Privitello tum vivo, Annuarum scriptor sapienter dissimulavit: eo jam vità functo, nulla est causa, cur ignorentur, ex domesticis Provinciæ hausta monumentis.

Vig. Nolarc. in V. S. Ignat. Loyolæ pag. 577.

B. Ignatii beneficio sibi redditus, apud Privitellum animi maculas exponit.

Quo die esset moriturus a Privitello didicit, & salutis magna cum spe decedit.

VIII. Multa hoc anno, qui fuit Provinciæ, sæcularis, & ab ea condita centesimus, a Deo cœlestia collata sunt per B. Ignatium beneficia, quorum nonnulla litteris nostris inserere non gravabimur, quæ illustriora censentur, & novitate, vel exemplo conspicua. Invaluerat Catanæ piarum B. Ignatii institutionum octo dierum exercitatio, ad quam in Collegium Societatis Viri nobiles conveniebant; matronæ verò continebant se domi, ibique secessu, atque silendi consuetudine, præscriptam, & a B. Ignatio digestam æternarum rerum cogitationem exequebantur. Tam salutare humanæ pravitatis, ac corruptelæ remedium, modis omnibus oppugnare non destitit hostis tartareus: sed quum occultæ artes nihil procederent, ad apertam vim descendere ausus est. Generosam, horribili specie, secedentem Matronam invadit, minis terret, circumfusis monstrorum larvis repentè opprimit, cruciatum, & necem intentat, nisi tristem illam silentii, & secessionis insaniam abjiciat, & otiosam, severam, atque asperam cogitandi stultitiam a se removeat. Denique in sententia permanentem cominus aggreditur, manum gutturi injicit, gulam premit, atque contorquet, & strangulare conatur. Illa B. Ignatium ingeminans, magnis clamoribus familiam convocat. Domestici extantibus oculis exanimatam reperiunt, & liventia digitorum vestigia

B. P Ignatii duo præsertim cœlestia beneficia recensentur.

Secedentem Matronam stygiæ furiæ Catanæ invadunt, & strangulare conantur.

gia

Digitized by Google

gia in collo deprehendunt, jacentem sublevant, B. Ignatii reliquias admovent, & recreatam, ac restitutam lecto componunt, ut se requie, ac somno reficiat. Sopor suavissimus statim irrepit. Dormienti se per quietem ostendit, cœlesti luce coruscans & formosissimam *Deipara* imaginem manu tenens, B. Ignatius, atque *Eja*, inquit, *numquid Ignatium vindicem tuum non agnoscis? Quid est quod metuis? Animum, quaso te, nè despondeas. Mecum tibi aderit magna Mater, cujus præsidio, te tuaque omnia in mea fore clientela, velim pro certo habeas.* Ad hæc illa confestim evigilat, religiosum testantur ostentum perfusus, & ebrius cœlesti voluptate animus, reparatæ actutum vires, nusquam apparentia stygiæ manùs vestigia, & nullà deinceps vexatus præstigiorum molestià reliquæ vitæ cursus. Hæc a Bartolo, Nadasi, Nolarcio strictiùs, & parciùs conglobata, non abs re fuit, ex primævis petita fontibus uberiùs exponere,

Adhibitis Ignatii reliquiis, liberatur, & lecto se cõponit.

B. Ignatius per quietem ei se ostendit, & metuentem confirmat.

Bart. in Vita S. Ignat.
Nolarcius in Vit. S. Ignat.
Nadasi init. ann. 1650.

IX. Lilybœi infelix vidua, plurium mater liberorum, quibus alendis non erat, non mediocre conflaverat æs alienum, quod vetustum jam esse cœperat, urgebatque creditor, ut nomen dissolveretur, nè diutiùs inveteraret. Humanis omnibus destituta præsidiis, quum in ea solitudine, quò se verteret non haberet, ad B. Ignatium confugit, cujus imaginem domi colebat, eumque de genu tenera cum familia obsecrare instituit, nè se, néve infantes circumpositos desereret, & sævo creditori committeret, qui domum erat propediem direpturus, quin necessariæ parceret supellectíli, & quo cubarent, aut sederent, relinqueret. Neque B. Ignatius justas preces, irritas passus est esse. Injecit mulieri mentem, ut pervetustam, & incustoditam arcam, quisquiliarum plenam adiret, & accuratè perscrutaretur, si fortè relictam ibi, neglectamque pecuniam reperiret. Ea tamen inanem, & stultam aspernata cogitationem, mentem ad B. Ignatium, & ad preces retorquere conabatur. Sed tenacissimè sensui inhærebat, & acrioribus stimulis pulsabat animum intima quædam perveſtigandi cupiditas, quæ tamdiu mulierem exagitavit, donec illa ad arcam properavit; quam quum pararet evertere, statim ac manus in eam conjecit, sacculus occurrit recenti pecunià gravis, quam quum numerâsset, tantundem reperit, quantum æri alieno dissolvendo opus esset. Reliqua sit fas properanti prætermittere.

Infelix Vidua in summa rerũ inopia a B. Ignatio opem petit.

Pecuniam æri alieno dissolvẽdo necessariam, ab eo recipit.

X. In communi luctu Societatis, præcipuam sibi vindicavit doloris, & molestiæ partem Provincia Sicula, quum P. Fran- 1651

ci-

P. Francisci Piccolominei Romæ beatus exitus.

eiscum Piccolomineum post sesquiannum, ex quo universam Societatem nunquam satis laudatus administraverat, in ipso limine senectutis, immaturo sanè fato, ereptum potiùs, quàm extinctum audivit. Quæ, & quanta sint illustris genere, doctrinà, sapientià, probitate, religione, & summis magistratibus viri in Provinciam merita, nemo posterorum exequi poterit, quum provinciales nostri æquales ejus, qui res domesticas ab oblivione vindicârunt, ita de eo commemorent, ut de homine, quo meliorem ad eam memoriam, Provincia nunquam viderit. Unum vix annum in ejus magistratu consumsit, & tamen pedibus interdum universam peragravit, & in singulis domiciliis, cœlestis cujusdam sapientiæ, caritatis, & æquitatis reliquit altè impressa, atque inusta vestigia. Difficillimo tempore, & magno æstu simultatum alienissimo, dilaceratam magis, quàm divisam, quum Mutius Vitelleschus in ea concilianda, admirabilem illam sapientiam consumsisset, mirà suavitate, ac fortitudine coagmentavit, spe novarum rerum sublatà, objecto perturbatoribus metu. Extant fasciculi litterarum ejus, cùm ad Collegiorum, & Provinciæ Rectores, tum ad privatos etiam infimos; quas utinam perlegerent, qui summos in Societate gerunt magistratus, vel qui quemadmodum sint gerendi, discere cupiunt! In his uberiores, humaniores, & in satisfaciendo accuratiores numerantur, quas dedit in summa totius Ordinis præfectura. Elucet enim divina quædam temperantia, paterna caritas, simplex, & aperta ingenuitas, sapientissima integritas, ingenium denique boni, & æqui studiosum, elegans, & cupiditatibus vacuum; idque ostendunt etiam interjectæ ab eo litterulæ, atque sententiæ, quibus Scribarum sive emendaret incogitantiam, sive castigaret indiligentiam, sive leniret acerbitatem. Maximum itaque est Francisci Piccolominei in Provincia Sicula nomen, indelebilis memoria, æterna meritorum commendatio, quam ad litterulas quoque nostras perveniſſe liceat, & cum immortalitate nominis ejus, memorem quoque, atque gratum Provinciæ animum posteritati transmittere. De morte ejus allato nuncio, dixisse fertur Innocentius X. Pont. Max. *Magnam factam esse ab Societate jacturam, & maximum in ea fore desiderium summi hominis, cui tanta fuisset in capite sapientia, in ore veritas.* Reperta est in scrinio ejus scheda, ut moris est, obsignata, & suà manu descripta, in qua Goswinum Nikel Societatis Vicarium appellabat, quam qui leget, non multùm desideret præclarius, & luculentius pietatis erga Socie-

Ejus in Provincia Sicula magistratus, & erga eandem præclara merita.

Eximiæ gubernationis ejus dexteritas, & elegantia.

Provinciæ Siculæ erga eundem gratus animus.

Luculentum Innocentii X de Piccolominei virtute testimonium.

Digitized by Google

cietatem, & in Deum religionis testimonium. Ea erat hujusmodi.

Dominus meus, & Deus meus.

O mi dulcissime Jesu, tibi consigno dilectam animam meam, & dilectissimam Societatem tuam, utramque mihi oculis, & vità cariorem. Animam meam amabilissimæ Matri meæ committo, hoc est spei salutis meæ: Societatem verò tuam ei commendo, quem Vicarium nomino, & judico juratus aptissimum, P. Goswinum Nichel Assistentem Germaniæ. Romæ 13 Junii, 1650. Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ, Franciscus Piccolomineus.

Goswinum Nichel Societatis Vicariũ appellat.

XI. Post nuncium mortis ejus, convocavit Goswinus Provincias ad pridie Calendas Januarias: Siculæ Magistratum gerebat P. Ludovicus Bompianus. Hic Provincialem dixit Conventum ad V Calendas Novembres, in Mamertina Domo cogendum, evocatique sunt singularibus litteris, numero quinquaginta Patres, qui ad diem præsto fuerunt. Convocatos mirificè delectavit Bompiani oratio, quam magno consensu laudatam comperio. Suavissimè questus, quòd magistratus sui initia Vincentii Caraffæ fatum contristaverit, finem verò luctu compleverit Franciscus Piccolomineus, quorum uterque maximis ornatus virtutibus, ad lugendum potiùs fuerit Societati propositus, quàm ad usum, & lucrum datus: lætari se, ait, Patrum conspectu, & maximè gratulari, quòd mutua lætitia mutuas absterserit lacrimas. Delapsus est ad officiosam hospitum salutationem, quos tanquam domestici cœli sidera humanissimè complexus est; illud sibi pollicitus, ut tantarum splendore virtutum, atque doctrinæ, in amplissimo consensu Provinciæ, apertiùs eorum merita dignoscerentur, qui inter dignos, a quorum numero neminem excluderet, dignissimi habendi essent, ut legerentur, & in Romano Orbis terrarum, & convocatæ Societatis theatro, universæ familiæ, atque militiæ nostræ Patrem, & ducem darent, atque in commune consulerent. Docuit deinde quas dotes, quas partes eorum esse oporteret, quibus id muneris demandaretur, & qui Provinciæ specimen essent in conspectu universæ Societatis præbituri. Cohortatus proinde est ut communiter omnes, ita singulos, partium, si quæ essent, privata studia ponerent, publico Societatis bono prospicerent, Provinciæ dignitatem, ac pristinam gloriam tuerentur, peculiares exuerent necessitudines, meritis denique magis, quàm gratiæ studerent. Postremò ad preces, & obtestationes descendit, ut quæ agenda es-

P. Ludovicus Bõpianus provincialem Cõventum Messanæ cogit.

Ad convocatos Patres Bompiani oratio plena virtutis.

Eorum merita mirificè extollit, & animum sibi devincit.

Ut publico Societatis bono, in Procuratore deligendo prospiciant, singulos cohortatur.

sent, caritate consultrice, atque duce, communi, ac liberâ consensione ultro censerent, atque statuerent. Magnæ Patrum conclamationes Bompiani orationem exceperunt: creârunt deinde Patres Actorum Scribam P. Datium Agliatam Panormitanum, Collegii Monregalensis *Rectorem*, laborisque dedere socium P. Aloysium Fardellam Drepanitanum, Collegii Lilybœtani Rectorem. Item ad negotiorum delectum, de quibus ad Conventum referri videretur, P. Cæsarem Boscum Domùs Panormitanæ Præpositum, & P. Carolum Russum Tauromenitanum. Missio Conventu, convenere iterum Patres pridie Calendas Novembres, & quum ad suffragiatum esset, quibus duo legerentur, cum Bompiano Romam profecturi, semel iteratis suffragiis, designatus primùm est P. Paulus Bellius, Tirocinii Mamertini Rector; deinde sextùm renovatà suffragatione, P. Josephus Castelnovus, quibus, & Bompiano, casu aliquo præpeditis, destinati sunt, qui ordinatim succederent P. Stephanus Turturetus, alteris suffragiis; P. Placidus Giunta Messanensis, Domui Mamertinæ Præpositus, tertiis: primis verò, P. Melchior Balduccius Syracusanus.

Primæ Conventus administrationes.

PP. Paulus Bellius, & Josephus Castelnovus ad summa Societatis Comitia designantur.

XII. Deliberatum est sequentibus diebus de Provinciæ mandatis Romam perferendis, quorum illud erat præcipuum, ut Collegium Rheginum Siculæ Provinciæ, jure adoptionis ab infantia proprium, & Neapolitanæ modò adventitium, ad primæva jura rediret. Seram nimis postulationem, & anno jam sexto, & vigesimo dissimulatam, æquam tamen, atque probabilem, eo potissimùm nomine Patres existimabant, quòd ejus Collegii distractionem, artificio quodam a Mutio Vitelleschо extorserit P. Joannes Jacobus Alexander Neapolitanus (quem Parte prima ad annum 1625 Hieronymum appellavimus, errore quodam ex Actis Provinciæ illapso, in quibus pro Joanne Jacobo est Hieronymus) qui quum turbolentissimo tempore Provinciæ magistratum nactus esset, quæ ex duabus in unam paulò ante coaluerat, occasionem negotii non prætermisit. Crebris enim litteris Mutium fatigabat, nè diutiùs distineret Provinciæ desiderium enixè jampridem flagitantis, Collegio Rhegino se abdicare, quod sibi tam grave esset; eique facilè persuasit, Siculis onus adimere, quod Neapolitani non recusarent. Ejus rei testes esse ejusdem Alexandri litteras, quibus Provinciæ Consultores docebantur, censuisse Mutium, *Collegii Rheginì translationem, sæpiùs ab hac Provincia expetitam, & ab eo tandem exoratam indulgere*; invitum tamen, & necessitate etiam coactum. Mirum autem esse, neminem in Provincia re-

Siculi Conventùs postulationes Romã perferendæ.

Ut Collegium Rheginum iterum Provinciæ Siculæ ascribatur, Conventus postulat.

Ejus Collegii distractio P. Joanni Jacobo Alexãdro tribuitur.

pe-

Digitized by Google

periri, qui de hujusmodi flagitationibus quicquam compertum habeat, aut meminerit, aut unquam audiverit; quum tamen plerisque notum sit, quo tempore, & a quibus postulatum fuerit, & impetratum, propter immodicam longinquitatem, exonerare Provinciam Collegio Catacensi, quod annos quamplurimos ante Rheginum, Neapolitanæ Provinciæ fuit contributum; quamvis Catacense, provincialium nostrorum sudoribus, vigiliis, industriâ, laboribus fuerit conditum, auctum, & constitutum; Rheginum verò, anno tertio ab ejus ortu, Siciliæ aggregatum, & post triennium, Neapolitanæ Provinciæ redditum, annisque totidem exactis, Siculæ adjectum, & ab ea anno jam secundo, & quinquagesimo retentum, omnia Siculis debeat, præter originem. Quæ verò necessitas Mutium invitum, & reluctantem compulit, ut manus daret? Numquid Rhegini Senatùs ad eum litteræ, quas vel adulterinas, vel fictitias esse constaret, & commentitias? Collegio enim Neapolitanæ Provinciæ jam attributo, quum ejus cepisset magistratum P. Franciscus Mascambrunus, Rhegina Civitas litteris, officiis, internunciis, precibus omnibus Mutium interpellavit, & nihil non movit, ut res in integrum restitueretur, memor Provinciæ Siculæ in se meritorum, quibus anno jam ferè sexagesimo, Rheginorum studia, & voluntates ea sibi demeruerat. Addebant Patres, Rhegini Collegii propinquitatem, brevi freto a Sicilia discluſi, distantiam a Neapoli maximam, angustias post administrationis, jurium, & hominum conversionem, rei familiaris, Gymnasiorum, & Templi solitudinem, ruinosum ædificium, itinerum difficultates, atque dispendia, asperum, & molestum eorum accessum, qui Neapolitanæ Societatis magistratum obtinerent, & domesticas Collegiorum rationes, atque negotia quotannis dispicerent. Quibus rebus permotus P. Vincentius Caraffa Neapolitanæ Provinciæ alumnus, ante initum universæ Societatis magistratum, in ea erat sententia, ut Collegium Rheginum ad Provinciæ Siculæ jura remigraret. Quæ tamen res nihil ad causæ naturam, & negotii arcem oppugnandam pertinere videbantur. Illius enim Provinciæ, non nostræ intererat, ea vitare incommoda, quæ nobis gravia esse non poterant, illi verò perferre non recusarent.

Provinciam Siculam eâ distractionem nûquam flagitâsse, ostenditur.

Idem ex Rheginorum erga Provinciâ studiis colligitur.

Alia rationum momenta adversùs Alexandrum proponuntur.

XIII. Majus habent momentum, quæ adversùs Joannem Jacobum Alexandrum jactabantur, virum gravem, & summis in rebus exercitatum, cujus fidem, & honestatem in suspicionem vocare nefas est. Sed si superiorum temporum,

Ea Alexandro inusta calûnia refellitur.

historiam memoriâ repetamus, & quæ fuerit eâ tempestate domesticarum rerum conditio, recolere non gravemur; Alexandrum facilè dolo, atque culpâ liberabimus, & Siculi Conventûs querimoniam ex eo manâsse deprehenderimus, quòd Patres notitia fugerit prioris ætatis. Jam ab anno 1564, quo Rheginum Collegium in Neapolitana Provincia ortum habuit, tot tantæque publicæ, privatæque calamitates Rheginorum perculére Civitatem, incendia, terræ motus, seditiones, Barbarorum, & Piratarum excursiones, populationes, direptiones, armorum civilium tempestates, & annonæ, ac pestilentiæ infortunia, ut ærumna ærumnam exciperet, & nullus esset miseriarum finis. Collegium autem Rheginum, tenuissimo conditum patrimonio, & nullis propemodum incrementis auctum, sed perpetuis impetitum calamitatibus, paucos alebat socios, eosque invitos, & ærumnosam commorationem refugientes, qui tanquam Mamertina Colonia, Messanam identidem confugiebant, Domum, atque Collegium onerabant, victum, & indumenta emendicabant, ut solitudo interdum in Rhegino Collegio fieret, Templum, & Gymnasia silerent, & qui eò designabantur, non secus afficerentur, ac qui ad exilium, & insulas deportarentur. Erat proinde Collegium Rheginum morbonia Provinciæ Siculæ, de quo delendo, & abrogando, in singulis provincialibus Conventibus agitabatur. Quod quum per Rheginos Societatis studiosissimos nunquam licuisset, magnâ contentione urgebantur summi Societatis Antistites, ut auctoritate, atque etiam potestate, Neapolitanos adducerent, ut Domicilium reciperent, quod Siculi repudiabant. Itaque certabant Provinciæ finitimæ; Sicula ut a se amoveret, Neapolitana ut excluderet Collegium Rheginum. Hæc prætexebat Siculæ proximitatem: illa originem allegabat alienam, & quod in Regno situm esset Neapolitano, ejusque mores, leges, & forum sequeretur, neque posset Neapoli causidicos alere, qui lites, & negotia procurarent. Neapolitana bis causâ cecidit, & semel, atque iterum jussa est, Rheginum Collegium sibi haberet, quod tamen a Sicula tanquam a nutrice alumnus, qui Matrem minimè nôrat, divelli nunquam omnino potuit. Neapolitani enim Socii, inopiâ compulsi, Messanæ diutiùs, quàm Rhegii versabantur, & ex Mamertinis Domiciliis, jam hoc, jam illo, alimenta, atque utensilia corrogabant. Siculæ propterea longè gravius visum est, alienum, quàm proprium alere Collegium; & ea de causa, separatis temporibus bis quoque illud recepit. Ventum est ad ea tempora,

Collegii Rheginipublicæ, privatæque calamitates.

Ea de causa Provincia Sicula Collegiũ a se amovere, Neapolitana excludere conatur.

Ad id obtinendum, utriusque Provinciæ prætextæ rationes.

qui-

Digitized by Google

quibus Alexander, qui anno 1625, Siculam administrabat; creditæ sibi Provinciæ causam suscepit, & provincialibus adnitentibus, cum Mutio egit, ut Collegii Rhegini abdicationem, tamdiu frustra tentatam, ratam haberet, opportunitatem nactus, quod altero jam anno, sæviente pestilentiâ, nulla intercedebat Rhegium inter, & Messanam hominum, aut mercium communio. Negotium confecit, & ad eventum adduxit; Siculam Coloniam Messanam evocavit, Neapolitanam Rhegium invexit. Quo facto, Panormitanos Provinciæ Consultores certiores fecit; eamque abdicationem, *sæpiùs ab hac Provincia expetitam, tandem a Mutio exoratam litteris Messanæ datis*, significavit; monuitque, ut Mamertinis sociis grave Collegium, pro mutua caritate abdicari, & ad primævæ Matris potestatem remeare paterentur, ac Mutii institutis, & voluntati acquiescerent.

P. Alexander Provinciæ Antistes, ut simultates sedaret, ea de re cum Mutio agit.

Mutius Collegium Rheginum Neapolitanæ Provinciæ addicit.

XIV. Quibus rebus fide summâ diligenter expositis, series ipsa narrationis Alexandrum absolvit, & fraudis suspicionem avertit omnem, quam hoc anno in provinciali Conventu immeritò suscitavit P. Carolus Russus Tauromenitanus, qui sive nescius, sive immemor eventuum superioris ætatis, senex admodum, & prope octogenarius, rem minimè tentandam aggressus est, ac Provinciæ gratiosus, auctoritate, precibus, officiis, juniores, ut eadem secum sentirent, concitavit, & in suam sententiam deduxit. Nos quidem tam insigni facto admonemur, quanti eorum interfit, qui publicarum rerum satagunt, & de illustrioribus Provinciæ negotiis in commune consulunt, scientiâ non carere præteritorum temporum, & domesticam historiam de manibus nunquam ponere; nè præsentibus acti consiliis, deteriora censeant, & in eas incidant syrtes, in quas offendere necesse est, qui nauticas negligunt tabulas, ex superiorum navigationum historia petitas, & summo studio elaboratas. Redeo jam ad Alexandrum, qui quum liberè, apertéque perscripserit: *sæpiùs ab hac Provincia expetitam, & tandem a Mutio exoratam* fuisse Rhegini Collegii abdicationem, nulla cujusquam vox, nisi post annum undecimum audita est, qui interpellaret, reclamaret, aut quereretur, & Alexandrum accusaret, quod deceptione aliquâ usus esset, & Mutio imposuisset, quum Provinciæ flagitationes detulerit, quæ nullæ unquam fuissent. Mirum sanè silentium, & nostris hominibus planè inusitatum; qui ut ingenio sunt acri, & erecto, atque ad ferendam publicam injuriam parum idoneo, ita juris sui retinentes, & in eo tuendo haud temere resonantes, & mo-

Quàm immeritò P. Carolus Russus ea in re Alexandri magistratum deceptionis arguerit.

Ex Siculorum natura, & ingenio, P. Alexandri innocentia comprobatur.

ra-

rarum impatientes esse solent, neque quum Respublica ita tulerit, majorem verentur potestatem appellare. Auditæ utique Romæ sunt Provinciæ significationes anno 1636, & post Rhegini Collegii ad suos reditum, undecimo. Nulla tamen perlata est doli conquestio. Provincialis enim Conventus, ut inter homines fieri consuevit, amisso Rhegino Collegio, incommodorum oblita, damnum intelligere cœpit, & commoda æstimare, quibus jactura pretium fecit, & eorum desiderium excitavit. Rogavit proinde Mutium, ut Collegium Rheginum, pristino jure adoptionis sibi debitum, in suam potestatem rediret, eo dumtaxat nomine, quòd diuturnà experientià edoctus didicisset; *Non contemnenda incommoda, tum illi Collegio, tum nobis ex ejus separatione provenire.* Eadem tertio post anno, nempe 1639, renovavit; neque quicquam a Mutio extundere potuit, præter spem, & studium gratificandi Provinciæ Siculæ, si Neapolitana magnum aliquid non afferret, quo abnuere cogeretur. Conticuit deinde Provincia annos ferè duodecim. Quo temporis spatio nacta supremum Antistitem Societatis Vincentium Caraffam, virum justitiæ tenacem, fortem, & secum de Collegio Rhegino sentientem; postremò Franciscum Piccolomineum, pari virtute hominem, & provincialium rerum æquè scientem, ac studiosum; si apud ipsos quæstionem intulisset, nil erat tam facilè, quàm apertam fraudem contestari, & Provinciam ab injuria vindicare. Interceſſere etiam quatuor Provinciales Conventus, in quibus nemini in mentem venit, neque Collegii Rhegini vulnus refricare, neque Alexandro etiam tum vivo deceptionis dicam impingere: qui quum initio hujus anni, quarto Idus Januarias extinctus sit, non fuit eo tempore fallaciæ postulandus, quo jam e vivis ereptus se expurgare non poterat. Hæc ideo uberiùs, quàm nostra ferat properatio, exornanda duximus, quòd e re nostra esse arbitremur, vindicare præclarum, & innoxium hominem, & de Provincia optimè meritum, qui divisam, & integram, ter per intervalla, summà omnium gratulatione administravit, & in ea ornanda, pacanda, coagmentanda, difficillimo tempore, plurimùm laboravit. Quare ut parem, & dignam habeamus clarissimæ Neapolitanæ Provinciæ gratiam, cœco quodam paucorum errore contigisse testamur, quæ adversùs P. Joannem Jacobum Alexandrum congesta sunt, quasi magistratùs potestate abutens, fidem publicam fallaciâ violâsset, & malis artibus, alienæ Provinciæ incrementis cum nostræ detrimento, atque damno studuisset.

Sicula Provincia semel, & iterum Mutium rogat, ut Collegium Rheginum in sua jura redeat.

Ea de re sapiēs Mutii ad Provinciā rescriptum.

Ex eo quod nemo apud optimos Societatis Antistites Alexandrum fallaciæ postulaverit, calūnia refellitur.

Ejus in Provincia magistratus & erga eandem merita singularia.

Qui-

Digitized by Google

XV. Quibus omnibus accuratè in utramque partem versatis, & in Romano Societatis senatu, auditis utriusque Provinciæ Procuratoribus, diuturnà deliberatione cognitis, Goswinus Nichel, qui Alexando Gotifredo ad regimen Societatis evecto, & paulò post, Romanis Comitiis nondum missis, extincto, suffectus est initio anni 1652, sapienter rescripsit, nihil ea in re abs se movendum censuisse. Caverent propterea, nè cujusquam operà, externi ad id flagitandum incitarentur, quod in rem judicatam abiisset; neque alio fructu, atque eventu tentaretur, quàm ut reprehensione digni haberentur, qui controversiam redintegrarent, neque Majoribus acquiescerent. Flagitavere insuper Patres, ut quæ ad hanc diem aliis alii temporibus summi Societatis Antistites sparsim, privatimque per epistolas tradiderant, ut seniorum ratio haberetur, qui florentem ætatem in Societatis officio posuerunt, & in militiæ nostræ laboribus vires, & valetudinem contriverunt; ea in unam conjecta præscriptionem, & formulam, summæ Societatis Concilii auctoritate pervulgarentur, & publicè ederentur, ut nemo deinceps ignoret, qui victus, quæ indumenta, quæ cura, emeritis, & veteranis, eorum qui præsunt operà, & studio debeantur. Respondit Goswinus, negavisse Patres ad negotiorum delectum designatos, de quibus ad summum Societatis senatum esset referendum, eam rogationem in medium proferri oportere. Flagitatum id quidem sæpè aliàs ab aliis Provinciis, sed constantissimè semper a Societate rejectum, quæ suos milites, quamvis emeritos, & veteranos, a disciplinæ, & vitæ communione nunquam exemit, neque perpetuam vacationem, aut singularia commoda impertivit, nisi quibus, aut morbida senectus contigit, aut valetudo ad ferenda disciplinæ incommoda prorsùs inepta. Sperare se non defuturam caritatem erga singulos, quam erga omnes definire, esset a nostris legibus, & moribus alienum, ac disciplinæ integritatem enervaret. Quod si ejusmodi fraternum, paternumque amorem, qui Societati est pro anima, alicubi relanguescere, aut omnino interdum desiderari contigerit; meæ partes erunt, cœlestem hanc flammam exsuscitare: neque interea a majorum nostrorum vestigiis, novà formularum præceptione, recedamus. Quæsivit etiam Provincia, quinam esset subrogandus, si fortè, qui ejus procurat negotia, prohiberetur, quominus Conventui interesset. Rejecit Goswinus postulationem ad Claudii Aquavivæ instituta, in quibus Collegii maximi Procurator designatur. Postulavit denique Conventus, nè cui liceret,

Primam Provinciæ postulationem, de Rhegino Collegio recuperando; Goswinus refellit.

Alteram, de peculiari Seniorũ ratione habenda, ut minimè necessariã notat.

Eandem, utpote nostris legibus, & moribus alienam non probat.

Operam suam pollicetur, nè caritas erga singulos relanguescat.

Tertiam, de subrogãdo Procuratore, ad Aquavivæ instituta rejicit.

Digitized by Google

Quartam, de carnium usu, laudat, & approbat.

ret, quibus diebus vesci carnibus nefas est, perpetuò medicorum privilegio uti, nisi venia quoque ejus accesserit, qui Provinciam administrat. Æquam postulationem Goswinus laudavit, & in mores abire jussit; iis tamen demptis, quos non perenni, sed fortuitâ ægritudine Medicus laborantes deprehenderit. In iis autem Romanis Comitiis, extincto Aloysio Confalonerio, Ludovicus Bompianus dictus est Italiæ Assistens; quare Carolus Ventimiglia, cui ille extra ordinem Provinciæ administrationem commiserat, in ea permansit, & sexto mense, ordinarium capessere jussus est magistratum, anno 1652, qui est in manibus.

P. Carolo Ventimigliæ Provinciæ administratio cómittitur.

1652

XVI. Recepit hoc anno Provincia ex Romano Tirocinio, ut superis eum transmitteret, Cæsarem Cajetanum, qui ex Siciliæ Dynasta militiæ nostræ tiro, illustrioribus veteranis meritò est accensendus. Quandoquidem prima Romæ stipendia quum fecisset, mense decimoquinto, suprema, atque summa Panormi fecit, inter emeritos facilè princeps. Ortus est XIV Calendas Februarias, anno 1633, Xuthini, quod *Sortinum* Juniores dixere, avitum familiæ Cajetanæ oppidum, amplitudine, & opibus florentissimum; in quo ea dominationem cum jure vitæ, & necis exercet. Gentiles ejus ab Othone Cæsare, sub quo erant militiæ Principes nobilissimi, anno sæculi decimi, secundo, & nonagesimo in Italiam deducti, Pisis consederunt, & liberis procreatis, genus amplificârunt, ex quo fortissimi duces, Purpurati quamplurimi, & tres Romani Pontifices prodierunt. Numeratur inter familiæ proceres Petrus Cajetanus, Sermonetæ Ducis propinquus, qui anno 1413, Pisis Panormum commigravit, quo tempore Gallos inter, & Aragonios ardebat bellum Siculum; & Aragoniorum partes secutus, fructum victoriæ cepit maximum, Princeps primùm Cassari dictus; Xuthini deinde Marchio. Ex talium majorum nepotibus genitus est Josephus Cajetanus, qui ex Isabella Barda Arverniæ Comitum nepte, duos suscepit liberos, quorum natu major fuit Cæsar, ad illustrandam Societatem cælitùs designatus. Puer latinis litteris celeriter imbutus est, propter ingenii præstantiam, discendique alacritatem, qualem tenera ætas, nondum virtute subacta, exerere non consuevit. Impubes Patrem amisit, & paulò post avum Cæsarem filio superstitem, qui amplissimos in insula gesserat magistratus, & quater Panormi, Philippi Quarti decreto, Prætor Urbanus est salutatus. Matris nactus est disciplinam mollem, atque remissam; quæ res lubricæ ætatis annos nonnihil inclinavit, & parum abfuit, quin ad licen-

Cæsaris Cajetani patria, ortus, & eximiæ virtutes.

Præclara ejus generis dignitas, & amplitudo.

Ejus indoles, ingenium, & a pueris institutio.

tiam

tiam invitaret. Retinuit nihilominus acceptam a majoribus pietatem, & metum religionis. Ut annum attigit decimumquartum, Dynastarum legibus, Matris tutelà exemptus est, & sui juris esse cœpit. Quare paternam cernere hæreditatem, avitam oppidorum ditionem capessere, & jus per se dicere coactus est. Inerat adolescentulo virilium curarum capax animus, negotiorum solertia, cauta senum cunctatio, & deliberandi, ac consulendi maturitas, præter religiosi principis misericordiam, justitiam, & æquitatem. Publica vectigalium onera sublevavit, publicanorum injurias, & acerbitatem repressit, fisci licentiam emendavit, & ad boni, & æqui fines retraxit. Viduarum, inopum, pupillorum vindicem, tutorem, atque patronum se præbuit; eorumque causam, atque curam ita suscepit, ut si esset omnium, & singulorum paterfamilias. His artibus, quæ justi, & moderati imperii nunquam antea visam imaginem exhibebant, populares suos admiratione defixit, qui non ab hominibus procreatum, sed delapsum nubibus principem, & humanà majorem adolescentis industriam, ac regendi scientiam prædicabant. Tantum propterea apud imperii sui oppidanos de se amorem excitavit, ut quandocunque valetudine aliquà tentatus ferebatur; in templis, & aris pro ejus incolumitate vota nuncuparent, seque, ac liberos cupidissimè devoverent. Sed longè cumulatiùs divinam sibi demeruit voluntatem. Quum enim duos ferè annos in imperii sui administratione collocâsset; sentiretque in dies graviorem rectæ, castigatæque gubernationis laborem, solicitudinem, & horarum pænè omnium anxietatem; secedendi stimulos animo versari intellexit, non tamen acres, & assiduos, sed qui paulatim dominationis studium debilitarent, & præsentium curarum tædium efficerent. Neque verò quietioris vitæ consilia se jucunda offerebant, aut fluctuantem sedabant animum, qui contrariarum cogitationum æstu interdum agebatur: non enim satis pervidebat, quænam potissimùm vitæ conditio abdicationem exciperet; placebat tamen commoda, & honorifica, quæ curas, & fastum excluderet, neque sordes, & molestiam afferret.

Matris tutelâ exemptus, avitam oppidorũ ditionem capestri, & per se jus dicit.

Ejus in suis oppidanis regendis scientia, dexteritas, ac misericordia.

His artibus, eorum animum mirum in modum sibi conciliat.

Humanarum rerum tædio affectus, secedendi consilia animo versat.

XVII. Hæc animo dum lentè, & rarò agitabat, cœlestia tamen semina occultis incrementis inolescebant; piorum librorum delectatione captus est, quibus horas negotiis, curisque vacuas, dare cœpit, seque abdere in Bibliothecam domesticam, quam majorum suorum curà, amplam, & pretiosam Xuthini habebat. Incidit primùm in P. Martini de Roa codi-

Piorum librorum delectatione capitur, & ex ea relati fructus.

Digitized by Google

cem hispanicè editum: *De alterius vitæ statu*; deinde in *Pratum spirituale*. Quotidiana horum lectio æternarum rerum curam injecit, & acrioribus aculeis mentem urere nunquam destitit, donec certam secedendi voluntatem concepit, & ad eventum adduxit. In secessionis autem delectu, de quo diu, multúmque cogitavit, quamdiu anceps hæsit, nullum excludebat religiosum Ordinem, præter Societatem, quam familiarium obtrectationibus suspectam habebat, eo potissimùm nomine, quòd ejus homines pecuniarum cupiditate ducerentur, testamenta captarent, hæreditates aucuparentur, & pietatem, ac religionem pedissequam haberent sordidi quæstùs, & avaritiæ. Refugiebat proinde eorum, nedum colloquia, sed conspectum etiam, & salutationem. Quàm vehementer a nostris hominibus abhorreret, judicari ex eo potest, quod domesticorum causâ dissidiorum, Panormum a Petro Faxardo, qui Prorege erat, evocatus, & ejus decreto, nè Matrem conveniret, in Collegio Panormitano hospitium nactus, ibique dies aliquot commoratus, atque liberaliter acceptus, & humanissimè habitus; neminem est allocutus, neque cuiquam sui copiam fecit, neque quemquam ad se accedere passus est. Vicit tamen innoxium, & minimè astutum seducti adolescentis odium P. Thomas Buscemius Selinuntiorum popularis, vir sanè probus, & bonis artibus ornatus, qui quum Collegii Xaveriani negotia procuraret, & eorum causâ adire Cæsarem necesse haberet, neque tamen auderet secretum postulare, tentaretque, quæ afferebat, per internuncium exponere, Cæsar a familiaribus admonitus, & hominis verecundiâ delectatus, admitti jussit. Buscemius colloquii necessitatem excusans, quod quia jamdudum creditor esset, neque liceret diutiùs in nominibus esse pecuniam, quæ in pios, & sacros usus esset erogan-da, infimis precibus Cæsarem obsecravit, ut vetustum nomen dissolveret: quod quum verecundè faceret, non tanquam nomen exigeret, sed ut qui gratuitam pecuniam flagitaret; Cæsar gavisus Buscemii cum facto consentire orationis temperantiam, nomen dissolvi, & pecuniam in ipso vestigio numerari mandat, & quum in ea esset cogitatione jamdiu defixus, ut expertum, & probum aliquem reperiret Sacerdotem, cui intima consilia, & sua omnia crederet, patefaceret animi maculas ab exordio ætatis, & ad nutum ejus vitam omnem componeret; secum reputans, oblatum sibi, cœlesti planè consilio, hominem, cui se totum rectè committeret, quem animi ducem sibi sumeret, & consiliorum participem haberet; ad multam noctem

Certam exinde secedendi voluntatem concipit, & ad evẽtum adducit.

Societatem, obtrectatorum invidiâ, suspectam habet, & excludit.

Ea de causa, Nostrorum cõsuetudinem, & congressiones evitat.

P. Thomas Buscemius negotiorum causâ Cæsarem adit, & ab eo secretum postulare non audet.

De Buscemii verecundiâ Cæsar admonitus, admitti jubet: & ejus temperantiâ capitur.

Digitized by Google

ctem retinet, & quam diu, noctuque meditabatur secessionem aperit. Mutuum suavissimè miscent sermonem, de vitæ brevitate, de fluxa, atque caduca humanarum rerum conditione, deque illorum periculo, qui in earum fluctibus, & tempestate versantur. Clausit Buscemius colloquium, Cæsarem adhortatus, ut optimorum consiliorum ducem Deum sequeretur, Deum consuleret, Dei nutum respiceret, & ejus vocem audiret; Deum sibi propterea conciliaret, & a totius vitæ culparum omnium expiatione, deliberandi initium caperet. Probat consilium Cæsar; ei se totum tradit; alium se nolle arbitrum, confirmat, & propediem unà fore pollicetur, diemque dicit.

Cæsar Buscemio se totum committit, eique secedendi consilium aperit.

XVIII. Ea congressio Cæsaris mentem ita convertit, ut qui paulò ante, nostros homines nè aspicere quidem sustineret, ab eis deinceps divelli non posset. Ad diem accedit, & apud Buscemium superioris temporis culpas omnes expromit, tanto animi sensu, ut oculi magis uberrimis lacrimis, quàm verbis lingua loqueretur, & crebri singultus culparum recitationem interpellarent. Expiatum, & immenso veluti pondere exoneratum Buscemius suavissimis verbis recreavit, reliquum vitæ spatium ordine, & præceptionibus temperavit, inter se colloquendi tempus præfinivit, Christianis officiis certas horas constituit, Vitas Sanctorum Francisci Borgiæ, & Aloysii Gonzagæ ei tradidit, præscripsitque quotidianam lectionem, ut viros Principes, & humanarum rerum contemptores sibi proponeret, & illustria ipsorum facta, in suos mores transferre studeret. Cæsar ex eo die vitam instituit severam, & emendatam. Solitudo maximè delectabat adolescentem; nugas, spectacula, voluptates, & inania colloquia refugiebat, parciùs vescebatur, emendavit familiam, pauperibus largiter subveniebat, nostrorum hominum captabat consuetudinem, religiosissimi Principis munera omnia exequebatur. Tam accurata, & exquisita morum conversio, universæ nobilitatis admirationem erexit; & præsertim ejus æqualium, quorum etiam indignationem excitavit, quòd inimicum, & generosis moribus planè indignum, ab eo institutum vitæ genus arbitrarentur. Perstrinxit omnium oculos inusitatæ virtutis splendor, quæ in Principe adolescente adulta jam, & heroicis apta canis videbatur. Deridebant propterea triste ejus, & silvis magis, quàm aulà dignum silentium. Carpebant fugæ, & exilio similem solitudinem, displicebant ejus omnia; & dicteriis, atque conviciis traducebant religionibus deditam adolescentiam, cui naturæ instituto, debita potiùs esset jucunda quædam hilaritas,

Buscemius consilium laudat, eumque ad totius vitæ culparum expiationem hortatur.

Superioris vitæ culpas apud Buscemium inter lacrimas, & singultus exponit.

Quæ deinceps fuerit intima vitæ ejus consuetudo.

Quæ irrisiones, & ludibria sit consecutus.

& indulgentia. Exagitabant modis omnibus teneram, & contumeliæ insuetum animum, ut eum ab incœpto deterrerent. Cæsar verò quæcumque audiret, ut a Buscemio edoctus erat, in jocum vertens, & jam indolem ad seria pronam, jam valetudinem, jam domesticas curas excusans, quas nemini rectè committi asserebat, in eodem constantissimè perseveravit, & importunas eorum nænias strenuè fregit, atque omnino patientiâ delassavit.

Æquallium irrisiones strenuè frangit, & in proposito perseverat.

XIX. Interea urebant animum Borgiæ, & Gonzagæ exempla, quorum ille res gestas, & invictum sui cum rebus omnibus abdicandi consilium quotidie volvebat: neque tamen Societatis amplectendæ propositum insederat, aut sese deliberanti jucundum offerebat. Sentiebat quidem intimâ mente surgentem Societatis amorem, & ejus adeundæ voluntatem; hærebat tamen adhuc, neque prorsùs abjecerat cupiditatis, & avaritiæ suspicionem, qua teneris ab annis imbutus, in eo totus erat, ut certâ aliquâ ratione, quid rei esset, deprehenderet. Audierat, ab Jesuitis non alia de causa arceri externos, nè intimum adeant conclave, neque in eorum cubicula pedem inferant, nisi quia occultare studeant, quàm commodè, ac delicatè habitent, quàm pretiosâ utantur supellectili, quàm exquisita adhibeant utensilia, scrinia, tabulas, signa, qualia nè viri quidem Principes emere auderent; eas esse manubias pietatis, & compilatarum domuum amicarum exuvias, in quibus nihil illi singulare, aut sumptuosum consistere patiuntur, quin blanditiis, ambitiosisque quâ laudibus, quâ precibus, ad se traducant, & ad cubiculorum ornamenta convertant. Ardebat Cæsar cognoscendi desiderio, an vera essent, quæ a plerisque tamquam certa, & explorata vulgarentur. Adit Collegium, & a Buscemio flagitat interius conclave intueri, in quo Patres habitarent. Negat ille, id licere cuiquam, nisi per eum, qui magistratum gerit, potestas fiat: auget propterea suspicionem. Præteriens fortè P. Petrus Salernus Buscemium tergiversantem excepit, nil tam velle Majores nostros, quàm tali genere Proceres intima quæque lustrare, & quæ penitissima essent, intueri. Tum reseratâ januâ, Cæsarem rogavit, ut scalas secum conscenderet, quem cum deduceret, & per ambulacra circumferret, rogatusque esset a Cæsare, quinam ibi habitarent, respondissetque, Seniores, gravioresque Patres; cupere se, ait Cæsar, eorum cubicula introspicere. Salernus nihil cunctatus singula aperit, & Cæsarem intromittit. Lustrat hic omnia accuratissimè, & vix oculis credens suis, nihil singulare com-

Amplectendæ Societatis voluntatem animo volvit; & ejus adeundæ difficultates.

Societatem cupiditatis, & avaritiæ suspectam habet.

Ea de re Collegii Panormitani interius conclave intueri flagitat.

Intromissus singula lustrat, & contra quam crediderat, nihil cōperit singulare.

corporis, præter honestam munditiem. Ceterùm nulla supellex, præter communem, & simplicem, & necessariam, eamque æqualem omnibus, atque similimam. Nudos parietes imagines ornabant papyraceæ, clavis confixæ; lectus, abaeus, loculi abiegni cum libris, lignea, nudæque sellulæ familiares. Obstupuit, & comperta calumnia, non tam obtrectatorum mendacium, quàm credulitatem suam incusavit. Lætissimus tamen abiit, quòd errorem abjecerit, haberetque unde reliqua dignosceret, quæ non absimilia de Societate perferrentur.

Omnem exindè de Societate suspicionem lætissimus abiicit.

XX. Nulla jam erat causa, cur non secedendi consilium ad Societatem spectaret, cujus innocentiam Cæsar perspexerat. Eam itaque modis omnibus flagitare se velle, Buscemio aperuit. Qui tamen quum nihil unquam tale cogitâsset, videretque, quantis controversiarum, & disceptationum fluctibus adolescentem objiceret, si cupienti obsecundaret; rei magnitudine, ac novitate perterritus, Cæsarem iterum, atque iterum admonuit, ut spatium ad maturè deliberandum caperet. Videret, quibus difficultatum ambagibus se committeret. Meminerit, Matrem se habere viduam, & ætate florentem, atque carissimam. Quid non moveret maternus amor, nè filium amitteret jam puberem, & ad alendam spem generis, naturâ, ac lege designatum? Fratrem quoque respiceret pene infantem, cui neque familiæ dignitatem, neque patrimonium, neque avitum imperium rectissimè commendaret. Propinquorum quoque habendam esse rationem, quibus gravissimum esset, familiæ splendorem, & opes infanti, qui diù sub Matre futurus esset, committi. Quod si omnia prona futura essent, & ex sententia cederent, cur non sibi, suisque rebus ante omnia prospiceret? suavem quidem, atque jucundam Societatis disciplinam vulgus prædicat, quòd non jejuniis, non vigiliis, non hirsutis, aut sordidis nitatur indumentis. Eam tamen præter corporis, mentisque labores, obedientiâ, & sui abdicatione, reliquis esse austeriorem, & omnium ferè difficillimam experti testantur. In memoriam revocaret, se valere quidem ingenio, sed litteras non habere, neque vires, quibus discendi laborem perferre posset. Nil tam fore grave homini ingenuo, ac verecundo, quàm inter litteratos sine litteris vivere. Valetudini quoque consuleret, corporis habitudine exilis, & imbecillus, ac in deliciis altus, & educatus. Qui alimentis a pueritia assuêsset lautis, ac splendidis, qua ratione victum pateretur non sordidum quidem, & tenuem, sed utique parcum, atque frugalem?

Societatis amplectendæ desiderium Buscemio aperit.

Buscemius eius rei difficultates Cæsari sapientissimè proponit.

Maternum amorē, & difficillimam Societatis disciplinā ei ob oculos ponit.

Ejus quoque corporis valetudinē causat, utpote nostris moribus parū consentaneam.

Se-

Sedulò demum cogitaret, quò se demitteret, sibique persuaderet, non tam esse glorioſum, & Deo gratum, Societatis militiæ nomen dare, quàm turpe, & criminoſum ab ea deficere. Id verò iis esse præcipuè metuendum, qui cum lacte suavem imperandi moleſtiam deguſtaverint, & obedientiæ jugo cervicem præbent mollem, & integram, nullâque attritam obtemperandi consuetudine.

Alia Buſcemii ad Cæſarem ſapientiſſima cõſilia.

XXI. Ea omnia Cæſari perquàm jucunda accidére. Placuit enim ſapientiſſimo juveni non incitari humanis conſiliis ad properandam ſeceſsionem, cujus ille unum Deum, intimum, & certum auctorem esse malebat. Renovatis itaque precibus, piis largitionibus, atque donariis, quum in ſententia perſtaret, & ſecedendi conſilium acriores quotidie ſtimuli urgerent; viſum eſt Buſcemio, tres præcipuos Collegii Panormitani Doctores conſulere, qui Cæſare audito, pronunciarent, eſsétne ad Provinciæ Antiſtitem, ejus deferenda flagitatio. Conſentiunt omnes, divinam voluntatem diutiùs retardari non oportere. Cæſar nè propoſitum intempeſtivè efferatur, ſi per litteras ageretur, quum Ludovicus Bompianus Calatahierone verſaretur, ad eum contendit, & ad componenda domeſtica negotia Xuthinum profecturus, ex itinere cum eo congreditur. Bompianus probat, laudatque conſilium, ſtudium, & operam ſuam pollicetur: monet tamen, quæ Dei eſſent beneficia, a Deo potiùs, quàm ab hominibus flagitari oportere. Tum Cæſar; *id me non fugit Pater, neque a me neglectum eſt: nam ſexto Idus Septembres, quo die Virginem Matrem natam colimus, Deum per eam adire ſtudui, nè me Societate indignum putaret, datis ad illam meo chyrographo litteris, quas P. Buſcemius ad aram, & pedes ejus collocavit, & deſuper immolavit.* A Bompiano digreſſus Xuthinum venit, ubi totum ſe involvit religionibus: nam & ad ſacras preces quotidie convocare familiam, & ad divinarum rerum meditationem, adhortatione præmiſsâ, excitare, & piam lectionem ſuper menſam adhibere, & orbas, inopeſque puellas lautè dotatas collocare, & ſceleſtos homines ſuis arcere, ac prohibere finibus, & aleatores conquirere, atque pecuniâ multare, omnia denique excogitare, quibus oppidanos a vitiorum corruptela, ad Chriſtianæ ſalutis frugem revocaret, tanto eorum emolumento, ut alius templorum cultus, alia vitæ temperantia, alii mores, unius Principis exemplo, atque induſtriâ, ſurgere mirarentur. Quod quidem ut magnum, & inauditum, non tamen Cæſaris curas omnes implevit. Duos enim Societatis Sacerdotes è Syracuſa-

Cæſaris in Societatis adeundæ propoſito, invicta conſtãtia.

Ea de re, tres præcipuos Collegii Doctores conſulit, qui cõſilium probant.

Bompianus Provinciæ Antiſtes, ad quem Cæſar contenderat, ejus voluntatem laudat, & operam ſuã pollicetur.

Affert earum litterarum exẽplum P. Joſeph Perdicarus in Vit. Cæſaris Cajetani pag. 62.

Xuthinum regreſſus, familiam, & oppidanos, Chriſtianis moribus imbuit.

Digitized by Google

sano Collegio evocavit, qui populum sacris concionibus erudirent, & confitentibus aures commodarent, atque culpis exsolverent, & expiarent. Quod tam insigni fructu pietatis, & religionis factum est, ut Cæsar, nè in posterum desuetudine dilaberetur, fixum, atque perpetuum esse voluit: aureos propterea quinquaginta supra centum Collegio Plateensi annuos, eà conditione legavit, ut duos aleret Sacerdotes, qui quotannis jurisdictionem suam excurrerent, oppida concionando lustrarent, & paganos, rusticos, montanosque homines, Christianis sacris excolerent. Quæ omnia ut certiùs, & accuratiùs transigeret, Buscemium sibi adesse a Bompiano impetravit, cujus etiam consilio secessionem adornaret, & plenam, atque absolutam sui, suarumque rerum abdicationem exequeretur. Id consequi se non posse statuebat, nisi Siciliâ excederet, & locum aliquem extra Provinciam deligeret, quò se procul a suis reciperet, & propinquorum congressiones vitaret. Collatis cum Buscemio consiliis, placuit Romanum S. Andreæ Tirocinium. Scripsit proinde ad Franciscum Piccolomineum summæ Societatis Antistitem accuratissimè, ut faceret ejus rei potestatem.

Censum constituit, ut nostri quotannis jurisdictionē suā lustrent.

Ut procul a Parentibus nostro numero adscribatur, Romanum Tirocinium a Piccolomineo flagitat.

XXII. Interea ad cœlestia duo Societatis lumina se convertit, Ignatium, & Franciscum Xaverium, quos publicè colere instituit, ut illis deprecatoribus, aditum sibi ad Societatem patefaceret, & in proposito permanendi voluntatem de cœlo ratam haberet. Novendiales proinde ferias B. Ignatio dedicavit, quas edicto promulgavit, & magno finitimorum populorum concursu celebratas, quotannis renovari jussit, censu ad id constituto, quo solemni pompâ, & apparatu, perpetuò haberentur. Novam deinde viam Xuthini aperuit, atque munivit, quam & *Xaveriam* nuncupavit, quòd ad Sacellum duceret, suo ære a fundamentis extructum, in quo Xaverius coleretur. Quæ quum magnâ Xuthinorum voluntate agerentur; redditæ sunt Piccolominei litteræ, graves, & officii plenæ, quibus gratias agebat, quòd Societatem tanti faceret, ut sui accessione dignam existimaret, & Parentis ejus Ignatii religionem, in suam jurisdictionem invehere, & amplificare tantopere laborâsset. Quod ad secessionis locum, & tempus attinet, per se non stare, quominus cogitata perficeret. Placeret tamen sapientissimo adolescenti, tantæ molis negotium non aggredi, nisi iterum, atque iterum animo cerneret, unde discederet, quid relinqueret, quò spectaret, quid peteret. Nunquam seram esse deliberationem, quam aut mors, aut incon-

Ad Societatem obtinendā, BB. Ignatii, & Xaverii religionē Xuthini invehit, & amplificat.

Perhonorificum Piccolominei ad Cæsarem rescriptū.

stan-

ſtantiæ, & defectionis ignominia emendaret. Dum res eſſet integra, diſpiceret, quid Principem deceret, quid vires poſſent, quæ difficultates conſurgerent, quantum, & quale futurum eſſet contra torrentem conari. Ceterùm ſe, quid fieri vellet, Bompiano oſtendiſſe: cum eo tranſigeret, quod optimum factu videretur. Suam tamen operam, & voluntatem; nunquam ei defuturam, in certiſſimis rebus haberet. Bompianus, ut a Piccolomineo juſſus erat, ab Cæſare colloquium petit, eumque rogat, nè gravetur, ſi per domeſtica negotia liceret, & commodo ejus fieret, Panormum accedere, ut mutuis conſiliis, reliquam ſeceſſionis deliberationem agitarent. Cæſar, qui jam ardebat deſiderio incredibili adeundæ Societatis, jam pridem Principatùs, & imperii explicatis rationibus, & domeſticis difficultatibus diligentiſſimè temperatis, edictum Xuthini proponi juſſit, quo oppidani admonerentur, Principem poſt certum diem abfuturum. Quare ſi qui negotium, aut nomen haberent, nè cunctarentur ad ſe venire, & quod unicuique ſui juris eſſet, coram poſtulare. Sed nemo repertus eſt, cui quicquam deberetur. Ipſe nihil ſibi ad properationem fecit reliquum. Ut dies illuxit profectioni præſtitutus, Xuthini, quos maturæ ſeceſſionis rumor diutiùs fallere non potuit, magno omnium ordinum ætatis, ac ſexùs conſenſu, atque concurſu, ut deſeri agri, & oppida viderentur, tamquam in communi luctu triſtes, atque ſilentes, niſi quod mulierum, & puerorum, inter lacrimas omnium, ejulatus exaudirentur, tamdiu Principem deduxerunt, quoad inediâ, ac laſſitudine prohiberentur. Ipſe lectica primùm vectus, mirâ oris hilaritate, quaſi ad triumphum properaret, omnibus, atque ſingulis manu, voce, nutibus valedicens, equo denique admiſſo, magnis itineribus, tertio die, inſigni comitatu Panormum pervenit, & neque Domum ſuam ingredi, neque ad ſuos diverterre, ſed rectà tirocinii Panormitani hoſpes eſſe voluit, & proximæ ſeceſſionis ſpem, & voluptatem antecapere. Ibi cum Bompiano, cujus candidum, apertum, & virtutis, probitatis, ac ſapientiæ plenum ingenium, Calatahierone cognitum, valde probaverat, perpetuis colloquiis cauſam ſuam ſtrenuè egit, eique perſuaſit, nè diutiùs ampliaret, quæ vulgaribus diſſipata rumoribus, diutiùs occultari non poterant, ſermonemque dabant hominibus; & propinquis morâ ipsâ, prohibendi ſpem offerebant, & voluntatem incitabant.

Eum, ad Societatis propoſitũ ſeriò diſpiciendum, graviſſimis litteris hortatur.

Bompianus de ſeceſſione deliberãda, Cæſarem Panormũ avocat.

Cæſar, explicatis imperii rationibus, inter oppidanorum lacrimas, Xuthino diſcedit.

Ut Panormum venit, nè ſuis quidem ſalutatis, ad Tirocinium rectâ cõtendit.

Cum Bompiano cauſam ſuã ſtrenuè agit.

XXIII. Ut Bompianus, Piccolominei verbis, & auctoritate, commeatum, & veniam proficiſcendi dedit, quum Cæſar pro-

profectionem appararet, & Romanam dissimulans peregrinationem propinquos, & amicos salutaret, & si quid Romæ vellent, requireret; præjacta secessionis suspicio usqueadeo vires sumpsit, ut intelligerent omnes, quò spectaret ea digressio. Quum tamen non diffitentis adolescentis animum frustra oppugnarent, publicam appellavere potestatem. Siciliam eo tempore Prætor administrabat Joannes Austriacus, qui pacatâ Neapoli, & in fidem acceptâ, ad sedandos Siculorum motus, Messanam primùm cum classe transmiserat, postmodum Panormum appulerat, ibique confederat. Hunc adit cum propinquis, & primoribus Civitatis Cæsaris mater. Queruntur omnes, artibus, & blanditiis Jesuitarum seductum, & circumventum nobilissimum, & candidissimum Juvenem, eorum disciplinam sequi velle, & fugam magis, quàm profectionem adornare, ut procul a suis, suorumque oculis, religiosæ vitæ tirocinium Romæ poneret, ea fortè de causa, ut avidi, rapacesque homines, lautissimum adolescentis patrimonium arbitratu suo abligurirent, & ad Societatis jura transferrent. Alium supereſſe fratrem, minorem, impuberem, propè infantem, & valetudine affectum. E republica non esse, primum generosissimæ familiæ lumen extingui, altero ad sobolis spem nondum idoneo, & ad avitam jurisdictionem temperandam adhuc inepto. Orituras, eo absente, inextricabiles controversias, & propinquorum simultates, de proxima successione certantium. Utriusque Siciliæ motu vixdum represso, cujus interdum scintillæ erumperent, adversùs imperium fieri, si gratiosus, & dives adolescens, idemque princeps, qui intimas, & potentes haberet in Italia propinquitates, Regno se subduceret, & secessionis obtentu, rerum novarum studio exiret. Id de Cæsare Cajetano, cujus tanta essent Majorum in Regem merita, nè suspicandum quidem; at in majestatis periculo, negligenda non esse nedum quæ habent suspicionem, sed quæcunque fieri possunt. Habendam quoque esse rationem ætatis, valetudinis, indolis. Inesse Cæsari triste, ac volubile ingenium, infirmas corporis vires, teneram, & gracilem pubertatem. Quàm rectè ergo de salute, ac vita ejus nobis esse metuendum, si peregrè novo, atque insalubri cœlo, inter ignotos, & alienos, solus, & parum cognitus, neque vilibus, vulgaribusque alimentis assuetus, gravem, & laboriosam arripiat disciplinam, in qua plerique integri, præduri, & frugaliter educti, aut ipsa in molestia salutem desiderant, aut fatum maturant, aut ad suos remigrant, quorum quid Cæsaris consanguinei magis nolint,

Cæsaris Mater, ejus animū, modis omnibus oppugnare conatur.

Joannis Austrici Siciliæ Prætoris publicam potestatem appellat.

Ejus ad Proregem oratio, & de Societate conquestiones.

Domestica negotia, & filii valetudinē causatur, quominus in proposito permaneat.

Digitized by Google

haud facilè quiſquam judicaverit. His commotus Joannes Auſtriacus, codicillos ad Cæſarem miſit, in quibus erat: *Graviſſimis de cauſis cautum velle, nè ex inſula pedem efferret, niſi commeatum abs ſe peteret, & impetraret.* Eadem ad Innocentium X. P. M. deferri curaverunt, eà clauſulà, ut quum univerſæ Societati tironum numerum præfiniret, Cæſarem Cajetanum excluderet.

Prorex, ne e Sicilia diſcedat, Cæſari præſcribit.

XXIV. Utroque nuncio tamquam fulmine ictus Cæſar, poſt uberrimas lacrimas, cœleſte præſidium imploravit, ſeque Deo aſſiduis precationibus arctiùs conjunxit. Tum optimæ ſpei plenus, mirà animi fortitudine in arenam deſcendit, novoque genere dimicationis aciem ſuſtinuit. Nam in tirocinio Panormitano quum eſſet, domi ſe continuit, communi mensà utebatur, verſabatur cum tironibus, quos apud Deum adhibuerat deprecatores, nihil ab eorum vivendi diſcedebat conſuetudine, niſi quod conſueta indumenta non poſuerat, reliquorum aſpernabatur, vel propinquorum familiaritates, qui ſi propoſitum ejus expugnare conarentur, celeriùs, & libentiùs dimittebantur, ut intelligerent, Cæſarem Cajetanum, non levitate animi, neque odio, aut tædio rerum ſuarum, ſed perſpectà diuturno conſilio Dei voluntate Societatem adamare. Quod reliquum erat diei ſpatium, conſcribendis ad amicos, & propinquos litteris collocabat, a quibus opem peteret, ut cauſam ſuam adjuvarent. Exiſtunt litteræ Aloyſii Moncadæ avunculi ejus, qui Paternionis Princeps, & ſapientiſſimus Purpuratus, cujus præclariſsimæ ſunt res geſtæ, in hanc ſententiam Romà reſcripſit: *Perlectis tuis litteris, ſingularem cepi dolorem ex ærumnis, atque moleſtiis, in quas offendit tuum iſtud illuſtre ſecedendi conſilium. Laudo, ut maximè debeo, conſtantiam, fortitudinem, & magnitudinem animi, quo quæ homines mirantur, & cupidiſſimè ſequuntur, cùm negligis, tum aſpernaris. Tutioris enim vitæ genus amplecti ſatagis, & ab humanarum cupiditatum vinculis, atque periculis longè remotum. Quare quum Dei, ut arbitror, jubentis nutum, ac vocem ſequi velis, in ea es voluntate, cui boni omnes invideant, quotquot ſub Chriſti vexillo Chriſtianæ militiæ ſtipendia merentur. Vale.* Supplices etiam libellos unos dedit, & alteros ad Joannem Auſtriacum, & Innocentium X, quibus cœleſti quadam ſapientià, ſuam & Societatis cauſam mirificè egit, atque in eo potiſsimùm laboravit, ut noſtros homines, a cupiditatis, & fallaciæ calumnia vindicaret. Vicit demum unius adoleſcentis perſeverantia, atque vir-

Cæſaris ex eo gravis animi dolor, & lacrimæ.

Cum noſtris Tironibus hoſpes agit, & eorum vivēdi cōſuetudinem ſequitur.

Ab amicis, & propinquis opē petit, ut cauſā ſuam adjuvent.

Aloyſii Moncadæ ad Cæſarem officioſiſſimæ litteræ.

Apud Joannem Auſtriacum, & Innocentium X ſuam, & Societatis cauſam agit.

tus

tus universæ nobilitatis conspirationem. Propinqui religione exagitati, quod divinæ obsisterent voluntati, manus dedere. Joannes Austriacus, libellis ejus accuratè pensitatis, causâ cognitâ, Cæsarem ad se venire jussum humanissimè complectitur, consilium probat, laudat constantiam, hortatur, ut in incæpto honestè permaneat, & conceptam de se expectationem tueatur, liberum denique commeatum impertit, & lætum, ac benè animatum dimittit: Innocentius X, negat, se posse, in dictâ causâ, Cæsari Cajetano Societatis aditum intercipere: sinant adolescentem ad Urbem accedere; eo diligenter audito, statui debere, quid sit consilii capiendum. Cæsar gaudiis omnibus cumulatus, insigne beneficium, & regnis omnibus præferendum *Deiparæ* acceptum refert, eique se mancipium devovet; ex eo die tamquam servitutis, & grati animi tesseram, argenteam catenulam collo illigat, eamque intimam, & veste contectam, deinceps nunquam ponit. Gratiam quoque habet B. Aloysio Gonzagæ maximam, quem in consilio capiendo ducem, & in retinendo, ac propugnando adjutorem, atque Patronum sibi optaverat. Quare clientelæ memor, & beneficii, argenteum Gonzagæ signum, quod in Collegio Panormitano colitur, efferri jubet, torquem aureum adamantibus distinctum, collo injicit, & eo munere insignitum, in Templo ad cultum, ardentibus circum funalibus, proponi curat.

Cæsar constantiâ, Matris, & Propinquorum voluntatem expugnat.

Insigne hoc beneficium Deiparæ acceptum refert.

Ejus erga Aloysium Gonzagam gratus animus, & amoris monumenta.

XXV. Quum omnia jam essent ad profectionem comparata, pridie Calendas Apriles superioris anni, navigandi opportunitatem nactus, Sicula enim classis ad anchoras solvendi signum præstolabatur, inter suorum, & amicorum lacrimas, cum Buscemio, & familia, triremem conscendit, & postridie Neapolim attigit, ibi dies aliquot commoratus, ut se ex nausea recrearet, singularibus lætitiæ, & mutuæ caritatis significationibus Domùs Neapolitanæ hospitium expertus est gratum, atque jucundum, ubi ejus Provinciæ optimatibus certatim ad eum confluentibus, assiduâ gratulationum, & gaudiorum vicissitudine, eos dies postea dictitabat, maximè lætos, & candidissimo lapillo dignos. Misit Ognati Comes, qui Prætor Regno præsidebat, honorificæ salutationis, & gratulationis causâ nuncium, qui etiam rogaret, nè ad se venire gravaretur; venientem osculo excepit, & sinui admovit; de se, suisque rebus prolixè narrantem cupidissimè audivit, demiratusque in vultu, & sermone ejus, cœlestem quamdam hilaritatem, & pacati animi continentiam, laudatum, & usque ad scalas deductum,

Inter suorum lacrimas ex Sicilia discedit, & Neapolim petit

Societatis, & ejus Regni Optimates gratulationis causâ ad eum confluunt.

honorificentissimè dimisit. Postridie Cæsar terrestri itinere viæ se commisit, & in meritoriis tabernis, quascunque attigit, religionis, ac pietatis vestigia impressa reliquit. Visum est inusitatum, & dignum admiratione spectaculum, juvenem Principem intueri, cui ut fesso, & ex itinere delassato, nihil tam cordi esset, quàm secessum ad sacras preces, & religionis officia invenire, familiam quoque ad id cogere, & convocatam adhortari; nullum, nisi salutare verbum proferre; inopes, quos pecuniâ sublevaret, disquirere, Deo imbutam mentem, animum, linguam, rebus omnibus ostendere. Ita lentè progrediens, quinto die in Urbem pervenit, & ad Romanam Domum, præmisso nuncio, rectà contendit. Ibi ad januam, præstolantem reperit Societatis Scribam, quem *Secretarium* itali dicimus, deinde ad summum scalarum aditum, ipsum Piccolomineum, qui honoris causâ, Farnesianam Diætam ad habitandum designavit, & amantissimè acceptum ipse deduxit, glorians, & exultans, quasi alterum Aloysium Gonzagam ex prælio, atque victoria venientem, domum inferret, & triumphum appararet. Implevit enim optimi Antistitis oculos, & animum præclarissimi candidati conspectus, in cujus ore, & corporis habitu, præter orationis suavitatem, & sapientiam, elucebat nobilitatis excellentia, maximis cumulata virtutibus, & imago quædam candoris, & honestatis. Quamdiu Romæ fuit, nihil adolescentem delectavit, nisi *Martyrum* exuvias colere, & eorum templa lustrare. Ceterùm profana omnia, quamtumlibet singularia, atque magnifica, quæ tantopere mirantur homines, peregrini præsertim, & remotis advecti regionibus, nè spectare quidem sustinuit, tantum abfuit a cupiditate intuendi. Ad suburbanam nihilominus villam, omnium pulcherrimam, & ornatissimam, familiæ gratiâ, deduci passus est, quam quum percurrisset omnem: *Quàm rectiùs*, ait, *libentiùs, atque jucundiùs Martyris corpus, ejusque tumulum spectavissem. Quid est quod modò intuemur, nisi inane oculorum ludibrium, & humanæ levitatis, ac vanitatis certissimum testimonium? Dicuntur hæ quidem, atque putantur summæ Principum delicie; sed quam viles sint, & obtutibus nostris parum dignæ, ex eo intelligitur, quod magno sumptu, ac labore comparatæ, & facilè, & confestim amittuntur: atque licet animum non expleant, post unum tamen, & alterum intuitum, satietatem, & nauseam efficiunt.* Inter communes, & assiduas Optimatum nostrorum gratulationes, singulari studio Cæsarem complexus est P. Joannes

Eo in itinere Cæsaris ubique relicta virtutũ impressa vestigia.

Ejus in Urbem adventus, eique honorum significationes a Primoribus impertitæ.

Ejus oculorum temperantia, & a cupiditatibus alienus animus

Præclarum ejus dictũ exẽpli plenum.

nes Paulus Oliva, qui tum Collegio Germanico Rector præerat: lautum enim Cæsari in triclinio dedit epulum, & in templo musicorum, ac symphoniacorum magnum, & exquisitum concentum, cujus carmen in eo versabatur, ut sub Aloysii Gonzagæ nomine, secessionis ejus virtus, atque constantia extolleretur. Singulis ferè diebus consanguineo adfuit Dux Sermonetæ, qui & ad Innocentium X eum deduxit, cum Buscemio, & familia, magno urbanarum rhædarum comitatu. Pontifex remotis arbitris, diu cum eo collocutus, admisit deinde Buscemium cum familia; commendavit pluribus verbis strenui adolescentis fortitudinem, & magnitudinem animi, aitque: *Optimam partem elegisti, effice nè a te auferatur. Adamâsti Societatem, probum, honestumque ordinem, cujus majores aqui sunt, ac sapientes, neque sinent, exilem istam corporis habitudinem labefactari, aut in discrimen adduci.* Tum ad Buscemium conversus: *Quàm copiosum habes*, inquit, *in electa Cæsaris anima, institutionis, atque industria tuæ fructum; mutuà dignum gratulatione, & Cæsaris in Societate amplectenda, & Societatis in Cæsare recipiendo! Augetur etiam Christiana Respublica locupletissimo exemplo, quod utinam plures sequantur! Societatis secessum, utpote optimum, valde probamus. Speramus fore cursum, & exitum initiis consentaneum.* Crucem denique manu significans, Cæsarem dimisit, inquiens: *Deum apprecabimur, ut ingentibus cœptis perseverantiæ beneficium adjiciat. Tu gratum feceris, si religiosis amictus indumentis ad nos identidem redieris.*

P. Joannes Paulus Oliva eum honorificentissimè habet.

Dux Sermonetæ propinquus ejus, eum ad Innocentium X deducit.

Sapientissima Innocentii ad Cæsarē oratio.

XXVI. Cæsar ab Innocentio digressus ad S. Andreæ tirocinium rectà tendit, ibique pridie Calendas Majas anni superioris, P. Dominicus Vannius, qui tironibus Rector præerat, eum amplexu adoptavit, & suorum numero addidit, qui flentem familiam, alacri fronte valere jussit, & quasi votorum summam adeptus esset, parietes iterum, atque iterum exosculatus, nihil tam enixè flagitavit, quàm ut in lecto, mensa, cubiculo, & reliqua vitæ consuetudine, nihil obsequii, aut officii, aut commodi præstaretur, quod non esset commune omnibus. Sacris addictus contemplationibus, quarum seriem digessit, atque præscripsit B. P. Ignatius, & ea de causa ex ornato, amploque conclavi, in humile nudumque cubiculum traductus, exultantis animi gaudium, & voluptatem modis omnibus significavit, quod ante eum diem se nondum dedisse Societati, sed tantùm commodâsse videbatur. Illud tamen ferre non poterat, quod pretiosas adhuc vestes ponere non liceret. Se sui pu-

In Romano tirocinio tandē nostro numero additur.

Cæsaris ea de causa lætitiæ significationes.

Digitized by Google

Antequam nostrâ tunicâ induatur, intimum Societatis indusium a Vannio flagitat, & impetrat.

pudebat, ut si in severo, serioque negotio larvatus, ac personatus incederet, & non domesticus, sed hospes esset. Impetravit proinde a Vannio summis, & imis precibus, ut intimum saltem indusium, commune gereret. Quod, quum fuisset allatum, plurimùm exosculatus, & lætissimis respersum lacrimis: *Pluris*, ait, *rudem hanc telam facio, quàm Regum purpuras, Cæsarum clamydes, & augustas Maximorum Pontificum tunicas*. Ardebat interim desiderio incredibili descendendi ad infima mensæ, atque culinæ obsequia. Non alias sibi proponebat animi sui delicias, quàm sordes verrere, abstergere lances, ollas repurgare, vilibus onustum ponderibus prodire, omnia, quæ mortales maximè refugiunt cupidissimè amplecti. Sed adventabat jam dies optatissimus, quo exacto meditationum cursu, erat communis Societatis tunica induenda, quum sartor, ut eam corpori accommodaret, Cæsarem rogavit, nè gravaretur tantisper stare, quoad staturæ, atque humerorum dimensionem exciperet. Ex eo Cæsar intellexit, id agi, ut nova sibi indumenta pararentur, quum ipse vetera, atque detrita flagitâsset. Eà spe dejectus, tristitiæ se dedit, & Dominicus Vannius flentem reperit; scisitatus quid rei esset, non modò non annuendum censuit, sed blandis verbis sapienter questus est, quòd sui esse judicii existimaret, statuere, quibus esset vestibus induendus. Sciret, nihil esse in Societate præstantius obedientiâ. Peteret quidem amictum vetustum, & obsoletum; sed eo, qui afferretur, contentus esset. Disceret motus animi frangere: parem esse inter nos culpam, sive novum indumentum appetere, seu recusare. Nihil esse tam suspectum nostris moribus, quàm privatis voluntatibus, quæcunque illæ sint, molliter acquiescere, atque indulgere: quare qui veterem sedato animo petenti, tunicam fortè non denegâsset, turbatè cupienti non esse concessurum, atque jussurum novam afferri, vel nullam. Agnovit Cæsar inauditæ antea doctrinæ eminentiam, & ut miti, ac facili erat ingenio, pristinam hilaritatem revocavit. Vannius tamen, qui sapientis magistri partes optimè nôrat, adolescentis impetus ita subegit, ut illos etiam aleret, quoniam ad hæroicæ virtutis fastigium pertinerent. Suà enim sponte ei nonnulla remisit, quæ ipsum maximè velle animadvertit: nam e cubiculo ejus, tabulam affabrè pictam, & ornatam amoveri jussit, & papyraceam effigiem subrogari; theculam quoque exquisiti operis, quæ graphiarium scalprum, & forficem contineret, & libellum argento distinctum, in quo erant *Deiparæ* laudes, mutari passus est, laudavit.

Pretiosis vestibus nondũ positis, ad humillima Fratrum obsequia descẽdit.

Eximia paupertatis ejus, & obedientiæ monumenta.

Vannius cum Cæsare, nova Societatis indumenta recusante, sapienter cõqueritur,

Nonnulla tamen, quæ pretiosiora essent, e cubiculo ejus amovere jubet.

Digitized by Google

vitque adolescentis continentiam, quod ex pluribus calamis, quas in graphiario paratos reperit, unum eumque deteriorem retinuerit, reliquos demi curaverit; sed consueta Societatis indumenta ei non permisit, nisi post diem decimum septimum; & summum ejus desiderium distinendum censuit, ut jucundiùs accideret, quod diutiùs dilatum, atque exoptatum fuisset.

XXVII. Itaque pridie ejus diei, qui Christo in cœlum ascendenti est consecratus, sub noctem delatæ ad Cæsarem sunt intimæ, extimæque Societatis vestes, cum Vannii mandatis, nè eas ante crastinam lucem, quæ esset auspicatissima, indueret. Cæsar gratulanti nuncio, quòd votorum apicem aliquando attigisset, ita gratias egit, ut si regnum, & regni insignia attulisset. Vestes deinde singulas, iterum, atque iterum accuratè contemplans, & suavissimis irrorans lacrimis: *O me beatum*, inquit, *qui cras tamquam novitius Christi miles, ejus sagulo indutus prodire potero! Numquam aliàs tam pura, ac liquida voluptatis abundantia, qua pleno jam animo exuberaret, seque in sensus effunderet, mea invasit præcordia.* Eam noctem, redundante lætitiâ, flendo magis, quàm quiescendo transegit; neque aliam in vita expertus est longiorem. Ut illuxit, matutinus excitator vigilantem reperit, Cæsar pallium poposcit, quo involutus lecto prosilit, & exclamans: *Venit demum auspicatissima hæc hora, & aureo felicitatis sæculo anteferenda!* In genua deinde ante vestes procumbens, easque capiens, sublatis manibus; *Accipite*, inquit, *Beati Societatis Jesu Proceres, quos consanguineos, cognatos, parentesque meos appellare jam audeo, Ignati, Xaveri, Borgia, Gonzaga, Kostka, superi Cœlitesque omnes, accipite, & magnæ Matri sistite solemne hoc abdicationis meæ testimonium. Tu pariter cœli, terræque imperatrix tuâ hac victimâ Deo Trino, & Uno litare velis. Tu denique cœleste numen, susceptum militiæ tuæ tirocinium ratum habe. Tibi horum castrorum initium debeo; tibi finem debere cupio; ut te Imperatore, prima, & ultima faciam stipendia, atque vivens, & moriens tuis sub signis merear, idemque sit militiæ, ac vitæ exitus.* Tum ab induso, usque ad pallium singula exosculans, & induens vestimenta Societatis, quasi tiro militiæ insignibus jam ornatus, lætitiis omnibus efferri, ac cumulari magis, magisque sentiens: *Nunquid vigilo*, ajebat, *an vano ducor somniorum ludibrio?* Denique in genua iterum provolutus, & plurima terræ figens oscula, tam illustre beneficium Deo acceptum retulit, & non secus, ac si cum principalibus indumen-

Societatis vestes ad Cæsarē deferuntur.

Ea de causa ejus animi lætitia, & voluptatis abundantia.

Ante vestes procūbens, totum superis, ac Deo se tradit.

Eas exosculans, tandem lætissimus induit.

mentis curas, & cupiditates humanas exuisset omnes, aliam mentem, alium animum, alios mores sibi induisse visus est. Novos proinde amores, nova desideria, spes novas surrexisse intellexit, & quæ videret, atque audiret, jam non eadem, quæ paulò ante fuissent, occurrebant. Sordere omnia, quæ divina non essent: honores, divitias, imperium horrere, Pluris facere scopas, quàm sceptra: summam voluptatem in corporis, animique doloribus collocare. Nihil putare sordidum, & abjectum, nisi quod homines summum, & primum putant; nihil maximum, & se dignum, nisi quod illi infimum, & inimicum, atque magnopere vitandum censent. Argumento sit, præter reliquam quotidianæ vitæ consuetudinem cœlestem potiùs, quàm humanam, quod quum domesticorum litteris certior fieret, rem Panormi familiarem divexari, atque dilabi; matrem verò, eo absente, illa eadem conari, quæ utpote detrimentosa, & familiæ, ac principatui contraria, præsens interpellâsset, & ne fierent restitisset, eademque coram semel, & iterum Dux Sermonetæ inculcaret, redderetque Aloysii fratris litteras querelarum plenas, & ærumnarum; Cæsar, *aspernari se*, ait, *ejusmodi nugas, quas ut abjiceret, & a se oblivione amandaret, Societati se devovisset*. Ad fratrem verò nonnisi jussus, & Duce ipso Sermonetæ adnitente, litteras dedit graves, & salutares, atque pietatis, consilii, & officii æquè plenas, quibus eum ad Christianos, & viro principi consentaneos mores hortabatur, docebatque: *Nullam se ex domesticis difficultatibus, atque infortuniis, cepisse molestiam. Humanarum se rerum curà nihil tangi, quas tantà voluntate, ac contentione projecisset, quantà modò purpuras, ac regna repudiare animatus esset. Nollet proinde secessionis suæ fructum, ac præmium sibi præripere, ut eas indueret inanium negotiorum molestias, quas neque spes, neque utilitas consequeretur*. Quum plurimas Romæ numeraret illustres affinitates, & cognationes, haberetque nonnullos e Purpuratorum numero consanguineos; tantum abfuit, ut ejus rei aliquando meminerit, quin potiùs si fortuito sermone de cognatis ejus, eo audiente, mentio incideret, videbant statim qui aderant, verecundià suffusas ardere genas ejus, & injucundi pudoris molestiam ostendere. Quod quum sæpiùs contigisset, cavebant omnes, nè quemquam nominarent, qui consanguinitate illum attingeret. Domum ex deambulatione sudore manans per æstatem redierat, rogatusque a Fratre, qui tironum obsequiis est designatus, placerétne intimum mutare indusium, respondit; *non oportere*, ti-

Quàm exinde ejus fuerit ab humanis rebus, & curis alienus animus.

Paternæ domùs curas, utpote a Societatis moribus alienas, constanter abjicit.

Cæsaris ad Fratrem, nonnisi jussus, litteras dat pieratis, & consilii plenas,

Admirabilis ejus, & mirum in modum insignis temperantia.

Digitized by Google

tironem delicatiores sequi munditias; & in eo perseveravit. Frater verò, cui Vannius valetudinem ejus enixè commendaverat, veritus, nè frigescente sudore, sanguis recrudesceret, vicit denique, ut Cæsar humentem poneret subuculam, & siccam admitteret, aliam ostendens, vetustam, tritam, & assutis resartam, & asperam centonibus, quam ne mendicus quidem non aspernaretur. Nam ut eam Cæsar vidit, ejus induendæ desiderio incensus, secessit, & indusium vertere properavit.

Sudore manans ut indusium vertat, vetusta subucula ei ostenditur.

XXVIII. Inchoavit itaque Cæsar Cajetanus religiosæ vitæ militiam, quò veteranos desinere maximè studeat. Eo ipso die, quo Societatis tunicà indutus prodiit, & cum tironibus versari cæpit, revixisse visus est Aloysius Gonzaga, cujus vitam in ore, in oculis, in verbis, in reliqua agendi consuetudine exscriptam illico exprompsit. Nihil in eo non commune, nihil non singulare: nam quæ communia omnibus essent, singulari quadam elegantià condiebat, ut si quidquid ageret, aut loqueretur, non virtute, atque consilio, sed jucundo, & amabili naturæ ductu, industriâ nullâ præstaret. Quod quidem adeo magnum est, & eximium, ut faciliùs admirere, quàm verbis exequaris. Ea enim pauciſſimorum est virtus, & cœlestium animarum moribus proxima. Oculos, vultum, manus, nihil aliud, quàm ad domesticas modestiæ leges composuit; quod & tirones omnes facere conantur; ille tamen nullo conatu. Quo factum est, ut vulgaris, & communis illa, sed facilis, atque suavis totius corporis continentia, omnium oculos in eum unum converteret, & defixos teneret; quemadmodum Aloysio Gonzagæ usuvenisse legimus. Cæsarem igitur domo exeuntem, non deerant, qui ad januam præstolarentur, qui comitarentur incedentem, quique in S. Vitalis templo Christianæ religionis elementa exponenti perpetuò adessent, ut vultum ejus contemplarentur, in quo spectabilem se præbebat non fucatus, & adscititius, sed ingenuus, ac veluti nativus intimæ virtutis splendor, & pulcherrima temperati, pacatiqui animi effigies, cujus suavitatem, & elegantiam nulla species, aut forma corporis assequi potest. Contubernalium quoque tironum oculos rapiebat oris ejus hilaris gravitas, & honesta jucunditas, quæ reliquas corporis partes admirabili concentu, habituque membrorum ad modestiæ cultum fingebat. Ut reliqua præteream, exemplo sit, quod quum Frater quidam mensæ accumberet, & Cæsarem e regione accumbentem esset fortè conspicatus, non secus, ac si inter epulas, & vulgarem edendi consuetudinem, vidisset cœleste aliquod candoris, & tempe-

Ejus candidi mores, & oris, ac corporis cultus, & disciplina.

Admirabilis ejus in domestica consuetudine vitæ ratio.

Oris ejus hilaritas, ac modestia singularis.

rantiæ ſimulacrum, tantopere commotus eſt, ut in perennes abierit lacrimas, & nihil omnino guſtaverit, atque impranſus ſurrexit. Ori mirum in modum conſentiebat orationis ſuavitas, quæ ſummam oſtenderet divinarum rerum ſcientiam, & ſaucium ſupernà caritate pectus, linguæ officio exoneraret. Certatim captabant colloquium ejus tirones, & apertè teſtabantur, nullam cujuſquam eſſe tam utilem, aut ſalutarem concionem, nullam cujuſvis libri lectionem ad efficiendos Dei amores, & humanarum rerum deſpicientiam tantùm valere, ut Cæſaris ſermo quotidianus, atque domeſticus. Accurrebant etiam ex Collegio, ac Domo Romana primores Societatis homines, ætate, magiſtratibus, atque doctrinà conſpicui, ut cœleſtia colloquentem audirent, & quàm appoſitè cujuslibet ſermonis anſam arriperet, & eà, quæ juvenem, & tironem deceret, verecundià, ad ſalutis, & æternæ Patriæ negotium deduceret, admirarentur. In his fuit Sfortia Pallavicinus, qui tum in Romano Collegio Divinas artes ſummus doctor tradebat, poſtmodò Purpuratus. Hic ex diuturno Cæſaris colloquio ita ſurrexit, ut quemcunque haberet obvium hortaretur, nè Cæſarem adire negligeret, cognoſcere ſi vellet, quibus verbis, quo vultu, quà ſapientià ſuperi ſecum invicem ſermocinarentur. Quæ quum P. Joanni Paulo Olivæ etiam dixiſſet, adjecit, tantam ſe prudentiæ altitudinem in Cæſare Cajetano deprehendiſſe, ut idoneum exiſtimaret, qui ſi ad maturam ætatem perveniret, univerſam adminiſtraret Societatem, eamque ſapientiſſimè regeret.

Colloquiorum ejus mira ſuavitas, & efficacia.

Ejus rei Sfortiæ Pallavicini, & Joannis Pauli Olivæ luculentum teſtimonium.

XXIX. Hæc tamen, quæ ad oris, & corporis cultum, & diſciplinam pertinent, levia ſunt, ſi cum iis conferantur, quæ ad mentis, animique virtutes ſpectant, quas in tirone Cæſare maximas, & quibus pauciſſimi veterani non inviderent, fuiſſe deprehendimus. Deo, rebuſque cœleſtibus imbutus animus, & humanis cupiditatibus omnino vacuus, ſingulas diei horas, diurnas, atque nocturnas, ſalutaribus dabat cogitationibus, quas quies, & ſopor ſomnianti offerebat. Quare nullum fuit ſomnium, quod non in ſuperûm colloquiis, & religionibus verſaretur, & eorum imagines dormienti oſtentaret. Supervacaneum itaque fuerit inveſtigare horarum numerum, quas in divinitatis contemplatione collocavit. Conſtat enim, nullam aliquando irrepſiſſe inanem, aut alienam cogitationem, quæ mentem a Deo avocaret, omni ex parte munitam. Quoniam neque intimi appetitûs inteſtini impetus, neque naturæ deſideria, neque externarum curarum memoria, neque oculis,

Singulares mentis ejus, animique virtutes.

Aſſidua ejus, etiam per quietem, cum Deo familiaritas.

aut

Digitized by Google

aut auribus injectæ imagines aditum reperiebant, quo animum invaderent, intermissione nullâ, cœlestia meditantem; vias namque interceperat omnes, quibus hostis irrumperet, aut mortalium negotiorum larva aliqua illaberetur. Exquisitam hanc mentis, animique custodiam vigilantiâ primùm, deinde fidelissimâ quadam linguæ ingenuitate, primoribus diebus est assecutus. Accuratè initio explorabat inanium curarum naturam, originem, aditus, & remedia excogitabat. Tempora, numerum, occasiones adnotabat. Non ephemeridas modò, sed horarium quoque habebat constitutum, ut deductis rationibus, diem diei, horam horæ componeret, & detrimentis emolumenta committeret, cognosceretque, quæ remedia prodessent, quæ artes procederent, quibus rebus, impensiore curâ occurri oporteret. His accuratione mirâ digestis, & adnotatis, consulebat quotidie magistrum suum, singula expromebat. Excutiebat mentis, & animi recessus omnes. Omnia versabat; cogitationes, intimi sensùs motus, titillationes, excitationes, imagines; nihil occultabat, quo ingenii sive habitus, sive morbus, sive culpa illustraretur. Vannius vivam, & excelsam Aloysii Gonzagæ, quasi cœlo delapsam imaginem demiratus, statim intellexit, eam esse cœlestem animam, quam Deus ad virtutum omnium apicem per se fingeret. Censuit nihilominus humanam quoque industriam non negligendam. Multa præscripsit, nonnulla mutavit, pleraque valetudini infensa fieri vetuit, pauca addidit. Quæ quum Cæsar sanctè servaret, ut nè apex quidem excideret, animum ita composuit, & expurgavit, atque emendatum circumsepsit, ut uni Deo pervius evaserit, reliquis verò rebus invius, & intercluſus. Ardebat itaque animus divinâ caritate, quæ vultum quoque, & oculos inflammabat, quum de Deo, aut Dei amore sermo incidisset, quem tirones interdum aucupabantur, ut Cæsaris genas cœlesti ardore candentes intuerentur. Quæ & quantæ ex his fontibus virtutes, & meritorum stipendia promanaverint, facile est judicare. Societatem ita post Deum, & Dei matrem dilexit, & caram habuit, ut nihil libentius, aut suavius commemoraret. Omnia ejus laudabat, placebant omnia, illudque crebrò usurpabat, Societatem ab iis non magnifieri, qui eam non nôssent; sibique culpæ dabat, quòd olim non cognovisset. Socios verò omnes, etiam Fratres, utcunque rudes, tam ingenuo amore prosequebatur, ut si iisdem, quibus ipse, parentibus nati essent, & eo amplius; verebatur enim nutus omnium, & nihil ei quisquam gratius faceret, quàm si obsequiis aliquid

Quibus artibus eam cum Deo familiaritatem sit consecutus.

Magistrum suum quotidiè consulit, eique intimos animi sui recessus aperit.

Quanta ex eo fuerit ejus in Deum caritatis abundantia.

Ejus erga Societatem studiũ singulare,

Tironem missionem petentē luget, ac stultū incusat.

apertè imponeret. Tironem, qui eo tempore valetudinis gratiâ missionem impetravit, lugere non destitit, donec Vannius luctum obedientiâ compescuit; stultum, & infelicem incusans, quòd non in Societate vitam claudere maluisset bonam, & emendatam, sed alibi aliquamdiu producere, vel improbam, vel periculi plenam. Incredibile proinde est, quàm omnes invicem eum diligerent, & observarent. Corpus cruento interdum flagro cædere, jejuniis extenuare, vigiliis, & cilicio affligere flagitabat: nunquam adeo ingeniosus, & efficax, quàm quum cruciandi corporis causam ageret. Vannius tamen valetudinis ante omnia rationem habendam censuit. Probavit quidem strenui adolescentis impetus; sed eâ contentus, rogantem obedientiâ continuit, neque unquam exorari passus est, ut quicquam indulgeret; non ut humi semel, non ut indutus aliquando cubaret, & somnum caperet.

Valetud inis causâ, ejus cruciandi corporis desiderium explere non conceditur.

XXX. Divinæ Matris beneficio assignabat, quod ex quo Societatis vestes induit, nullam veneris molestiam, nullum naturæ desiderium, neque corpore, neque animo senserit, & ab ejusmodi aculeis, quos olim graves, & acres sustinuerat, immunem deinceps adolescentiam expertus sit, & neque vitio, neque vitii periculo obnoxiam; quare inter homines versabatur, ut qui mortales exuvias gereret ab omni primævæ culpæ labe redemptas. Hanc ille innocentiam, & castitatis, pudorisque abundantiam, quæ in vultu, & oculis elucebat, singulari temperantiâ tuebatur; quamvis enim Vannius nihil non excogitaret, quo gracilem, & delicatè enutritum adolescentem, accurato eduliorum delectu confirmaret, juberetque, communia, vulgaria, & insalubria fercula non apponi; quia tamen omnia ejus perspecta habebat, reputabatque, quàm grave esset verecundo tironi, peculiaribus vesci epulis; communes interdum admoveri patiebatur, quæ valetudini non obessent. Sed quæcunque apponerentur, Cesar neque famem unquam sedavit, neque plura capere consuevit, quàm quibus vitam toleraret, quod fuit perpetui genus jejunii. Sed nihil fuit admirabilius, quàm insigne ejus obtemperandi studium, & alacritas singularis. Paruit enim, ut qui propriâ careret voluntate; & nihil ageret, diceret, aut cogitaret, quod non ab alterius nutu penderet. Nè verò memoriâ laberetur, scripto adnotabat, quæ juberentur. Præceperat Vannius, nè ultra horæ quadrantem, quotidianâ piorum librorum lectione mentem, & oculos fatigaret. Cæsar, cui nihil erat eâ exercitatione jucundius, quam delicias suas dictitabat, nè præfinitum

Summa ejus in Societate castitatis, & pudoris abūdantia.

Insigne ejus obtemperandi studium, & alacritas singularis.

spa-

Digitized by Google

ſpatium momento temporis violaret, reſerato jam codice, horarii ſignum expectabat, quo dato, lectionem inchoabat, ducebatque ad aliud quadrantis ſignum, quo audito, librum tantà celeritate claudebat, ut vel ſillabam abrumperet. Quod ſi tuliſſent vires ejus, ut ardua, & aſpera præciperentur, haberemus profecto inaudita obedientiæ exempla, quæ nemo alius edidiſſet. Nihil tam optavit, quàm ut ad Indos ire juberetur, quod tantà animi promptitudine ſe præſtiturum aſſerebat, ut neque equum, neque navigium, neque vitæ præſidia requireret, infirmus, & afflictà jam valetudine; ſed e veſtigio viæ ſe, obedientiâ fretus, committeret. Societatis autem legibus omnibus tali accuratione obtemperavit, ut lyncei tironum oculi nihil unquam deprehenderint, quod adversùs domeſticas inſtitutiones ab eo, ſive factum, ſive dictum fuiſſet; idque publico contubernalium omnium teſtimonio, quos Vannius ſingulatim rogâſſet, comprobatum tradit Perdicarus. Quod quidem neque Aloyſio Gonzagæ contigiſſe comperio, qui exquiſitiſſimas tironum cavillationes, ſemel, & iterum non effugit. Inter hæc divinæ caritatis flamma fibras intus exederat, & corporis vires in dies extenuabat. Aſſiduo capitis dolori, tuſſis acceſſerat, magnà præcordiorum, & laterum concuſſione, excreatione nullà, quod erat affecti pulmonis non obſcurum indicium. Tum Cæſar animadvertit, non longè abeſſe fatalem diem, quem a Deo aſſiduis precationibus jam pridem poſtulaverat, tribus repræſentari conditionibus. Prima erat, ut tiro decederet; altera, ut lentà tabe langueret; tertia, ut dies vitæ ſupremus, præcipuà *Deiparæ* eſſet religione conſecratus. Quare ex eo tempore cœleſtem Patriam crebriùs, & ardentiùs, vultu, & oculis anhelabat, neque quicquam ſuaviùs loquebatur. Vannius, cui Cæſaris omnia nuda erant, & aperta, divinorum particeps conſiliorum, ea fore de Cœlo rata non dubitabat, quæ Cæſar flagitaverat: neque induſtriæ tamen, neque pecuniæ pepercit, quominus ea omnia præſtaret, quæ inter homines agitantur, ut laboranti naturæ ſuccurratur. Convocatis itaque medicis, & purioris cœli temperiem, magno conſenſu præſcribentibus, quaſi etheris romani gravitas tabidis infenſa eſſet; Tuſculana primùm, deinde Albana ruſticatio Cæſari indicitur; ſed utraque vim morbi ſollicitavit. Cæſar antequam Romà ſecederet, & a Vannio digrederetur, ab eo petiit, ut ſingulis diei partibus, ſingulas deſcriberet vitæ exercitationes, quas abſens ſequeretur. Quod quum impetrâſſet, apices omnes ita verebatur, ut ſi Vannius adeſſet, & ejus omnia coram inveſtigaret.

Societatis legum ejus exquiſita cuſtodia.

Joſeph. Perdic. Vit. Cæſ. Cajet. lib. 2. cap. 3.

Ex divina caritatis flamma, pulmonis vitiû concipit.

Ea de cauſa, Cœlum vertere jubetur.

Ro-

Romam regressus, acriori tussi tentatus, Neapolim mittitur.

XXXI. Romam regressus, acriorem, & crebriorem retulit tussiendi incitationem, præterea maciem, & lassitudinem. Quæ res adegit medicorum peritissimos, ut juberent, Cæsarem solum vertere, & ad clementioris aëris haustum, Neapolim properare. Parendum fuit; sed quæ lacrimæ utrinque, hinc Piccolominei, Vannii, Tironum omnium; inde Cæsaris, quos mutua caritas, & suavissimi adolescentis virtus ita conjunxerat, ut ea digressio luctuosior non fuisset, si filius a Parentibus, aut frater a fratribus divelleretur! Adulto jam vere, Neapolitano tirocinio illatus est, ubi Vannio non absimilem nactus magistrum, ei se totum tradidit, & quo loco suæ res essent, prorsus aperuit, atque ejus ad amussim præscripto vitam instituit. Sed Majo adventante, assiduâ tentatus febriculâ, sanguinem rejecit vivum, & copiosum, qui saucii, ulcerosique pulmonis suspicionem injecit, & salutis ejus curam, ex magna maximam fecit. Hortantibus propterea Medicis, auræ maritimæ anhelitum capere jussus, quâ Vesuvius ad occidentem Solem, planitie molliter declivi, in mare desinit, aliam longè infensiorem aggreditur rusticationem, ex qua celeriter reversus est. Marini enim, salsique vaporis acrimonia vehementiùs præcordia exacerbavit, & asperam arteriam læsit, cujus pulsu, & irritatione, cruenta excreatio vires sumsit, & perpetuo tussis conatu, vitalem venam quatere nunquam destitit. Medici, collatis consiliis, urgent, nè cunctetur, nativi cœli beneficium experiri, si fortè navigatione, quam Plinius tabidis salutarem jactat, & domesticæ auræ respiratio intestino ulceri mederetur. Erat ad anchoras ex Januensi classe triremis, quæ nil, nisi Prætoris nutum opperiebatur, ut solveret, & Panormum versùs navigaret. Condicta est Cæsaris navigatio; ipse de nocte admonitus, quamquam ægerrimè ferebat, ad suos remeare, ut audivit, ita placere Majoribus, cum contubernalibus miscet lacrimas, & ad mare properat; serò tamen: triremis enim, nè idoneam dimitteret tempestatem, mari se, ac vento commiserat, neque longiùs progressam, Cæsar phaselo assequi potuit; quare Puteolos se recepit. Quod quidem cœlesti consilio factum arbitror, nè nausea, quam si triremem conscendisset, vitare non poterat, crebris, ac violentis vomitionibus, præcordia exasperaret, & sanguinem eliceret, venis divulsis, & apertis, adeo copiosum, ut spiritum interciperet, & tabidum adolescentem præfocaret. Triremis enim prope Capreas, austrum nacta turbidum, procellosum, atque furentem, fauces præterire non potuit, & præliantibus ventis in eo fuit, ut miserrimè de-

Ex ea digressione, mutuæ Vannii tironum, & Cæsaris lacrimæ.

Neapoli adversâ usus valetudine, ad patrium Cœlum remittitur.

Plinius Hist. Nat. lib. 28. c. 4.

Navis secundam nacta tempestatem, ante Cæsaris adventum, cœlesti consilio, e portu solvit.

Eam tempestas adoritur, & in maximo naufragii periculo versatur.

Digitized by Google

deprimeretur; nam quæ secundo mari, ac boreâ exierat, australium ventorum impetu rejecta est, neque naufragio se proripuit, nisi fractis antennis, & remis magna ex parte detersis; ægrè proinde tutam Bajani sitùs stationem cum luce arripuit, propè Puteolos, ibique se refecit, quasi ad Cæsarem recipiendum esset remissa; quo admisso, Panormum biduo appulit, Junio exeunte. Cæsar in Domum delatus Panormitanam, ita decubuit, ut qui deinceps surgere neque speraret, neque cuperet, neque vellet. Postridie tabida febricula in putrem abiit, & acerrimam, quæ extenuatum exinanivit, & spem salutis omnem ademit. Urebatur intestinis ardoribus, & siti necabatur, neque tamen gelidam unquam poposcit, nec nisi jusculà admisit, eaque calida, & contusis herbarum radicibus amara, atque olentia. Nimirum vehementior, sed dulcissimus ignis, medullas excoquebat. Nam divinà incensus caritate, & cœlestis Patriæ desiderio liquescens, vultu, oculis, verbis, modis omnibus significabat, se neque rebus humanis, neque jam affici corpore, quasi inter superos versaretur.

Bajanam stationem arripit, ibique reficitur.

Refecta Cæsarem recipit, & Panormum biduo asportat.

XXXII. Lecto adstantes propinquos intimà animi, orisque hilaritate alloquebatur; admiratusque quid rei esset, cur flerent, quum se intuerentur, lætitiis omnibus cumulatum, quòd ad cœlestia gaudia properaret, ipsos potiùs, ajebat, lacrimis dignos esse, quos in mortalis vitæ miseriis, curis, atque periculis, sollicitos, atque incertos relinqueret. Inter hæc Aloysius frater secretum postulavit, neque Cæsar negandum censuit. Remotis arbitris, multa de familia, de Matre, de re domestica cæpit disserere. Cæsar dicentem interpellavit: atque *vides*, inquit, *frater, quo loco sint res meæ. Quæ me integrum, & mei juris abjecisse gaudeo, numquid moriens, & Christo mancipatus non negligam? Quæ mea fuissent, tua esse omnia volui; tua sunto. Noli, quæso te, ad ea cogitanda me adigere, morti proximum, quæ nè florens, & incolumis cogitarem, abdicationis consilium cepi. Fraternum erga te amorem satis perspectum habes, quum nihil de patrimonio retinuerim, nihil unquam poposcerim. Tua tamen in me pietas postulat, ut sedulò cogites, quàm molestus Societati fuerim, Romæ, Neapoli, Panormi. Quemnam ea ex me fructum tulit, qui mecum nihil adduxi, præter ægram, & damnosam valetudinem? Quid tamen non excogitavit, quid non profudit, ut saluti meæ prospiceret? Numquid expensa pepercit, quam hausere non mediocrem remedia, Medici, itinera, rusticationes, famulatus. Tuæ igitur partes erunt gra-*

In Panormitana Domo graviter decũbés, eximiæ dat monumenta virtutis.

Ejus in ferendis doloribus patientia, & animi lætitia.

Cæsaris cum fratre privata colloquia, exẽpli plena.

Digitized by Google

gratum animum exonerare, meum, tuumque. Matrem te vereri decet intra eos fines, quos natura, quos lex, quos religio præscribit. Æqua petenti iniquum est adversari, impium verò non obsequi, justa præcipienti. Extra hos fines tergiversari licebit, non reluctari. Familiam æquitate, & exemplo continebis; imperii tui populares, clementiâ, atque justitiâ. Sic velim statuas, Principatum nihil distare a pauperum, & miserorum tutela, & clientela. Ipsi se tuentur viri divites, atque opulenti. Ætas, & usus suggeret cetera, & tu tibi trades, si Deum colueris, & omnium primum habueris, si religionem imperio præferas; si culpa, & vitium a te, tuisque remotum volueris. Si quotidie meditere, nihil esse tuum, nisi quod rectè feceris. Reliqua, quæ vel hæres, vel mors, vel casus auferet, aliena esse puta, tibi non tradita, sed ad honestè utendum commodata. Ad extremum illud te moneo, generis claritatem sobolem esse virtutis, quam Majores nostri Reipublicæ præstiterunt. Cave sis, nè quum ad te pervenerit, aut superbiæ alumna, aut vitii parens videatur.

Cæsar supremis sacris lustratus, extra ordinem prima Societatis sacramenta privatim nuncupat.

Sed Aloysius diutiùs lacrimas tenere non potuit, pollicitusque, fore se memorem dictorum ejus, digredi necesse habuit, nè doloris magnitudine, quòd talem fratrem amitteret, opprimeretur. Cæsar verò, deficiente naturâ, probè intelligens, vitæ exitum parum abesse, supremis sacris lustrari flagitavit, quibus expiatus impetravit, ut extra ordinem, prima Societatis sacramenta privatim nuncuparet. Tum pridie Nonas Sextiles, qui dies mortem præcessit, memor P. Dominici Vannii in se meritorum, supremum ab eo commeatum petere voluit, litterasque ad eum dictavit, suâ tantùm manu signatas, quæ quoniam pietatis, & fiduciæ plenæ sunt, & intimam ejus sanctitatem, animique lætitiam, & fortitudinem satis declarant, dignæ videntur, quas ex italico, fide summâ conversas, scriptis nostris inseramus. Sunt autem hujusmodi. *Mi Pater, extremos jam vitæ fines attingo, ac æternitatis januam pulso. In hoc tamen vitæ, mortisque confinio has ad te litteras dare volui, quibus testarer, nôsse me quantopere tibi debeam, & tui memoriam, nè summam quidem moriendi curam obliterare potuisse. Morior, mi Pater, tam latus, quàm nemo alius vivit, quoniam in Societate vitam pono. Ex tribus, quæ a Deo jampridem flagitaveram beneficiis, unum, & alterum, video me jam assecutum: nam & tiro, & tabidus, sensuum, meique compos decedo. Tertium, spero non defuturum, fortè enim proxima nox, quæ diei imminet crastino,*

Ejus ad Dominicum Vannii litteræ pietatis, & fiduciæ plenæ.

Ma-

Digitized by Google

Mariæ dulcissimæ matris, dominæque meæ religione consecrato, suprema erit meæ mortalitatis. Amplector Patres, Fratresque omnes, potissimùm verò tirocinii, disciplinaque socios. Vale mi Pater. Imus ad superos. Panormi, ex lecto, quod est novissimum vitæ meæ domicilium. Pridie Nonas Sextiles, qui dies utinam vitæ supremus contingeret! Tuis me sacrificiis plurimùm commendo; teque, ut debeo, colo atque observo. Vale. Filius in Domino, Cæsar Cajetanus.

XXXIII. Noctem deinde vigil, & jam *Deiparam*, jam B.P. Ignatium, jam hos, jam illos superos appellans, & suavissimè alloquens, ita transegit, ut qui inter cœlitum colloquia beatæ vitæ gaudia præguſtaret. Fuit inter ceteros, qui ad eum religionis causà confluerent, nobilissimus eques, qui ab eo digrediens, exclamavit, obvium quemque compellans. *Ite, & videte, Aloysium Gonzagam morientem. Equidem non intelligo qua ratione, sanctiùs, & suaviùs, quis mori possit.* Officii tamen non immemor, ut illuxit, Cæsari Boscho, qui Domui præerat, & morienti, diu noctuque adfuerat, gratias egit, quòd tam illustri caritatis abundantiâ hospitem & tabidum, & inopem, nec nisi feretro idoneum exceperit, liberaliter foverit, & rebus omnibus juverit; eique tamquam grati animi pignus, æneum, auroque illitum Christi e cruce pendentis signum dedit, quod Româ discedens a Vannio magistro suo dono acceperat, & in carissimis rebus habuerat, adjecitque: *Habes, Pater, in hac icuncula mea bona omnia, & quæ in terris, & quæ in cœlo possideo.* Ad Buscemium postea conversus, quem ille salutis ducem, & suæ felicitatis auctorem prædicabat, Marianos ei globulos largitus est; quibus ad numerandas *Deiparæ* laudes uti consueverat, velut unicum hæreditatis suæ patrimonium, & pretiosum amoris, ac pietatis documentum. His perfunctus officiis, ad cœlestes voluptates reflexit animum, & inter Patrum, fratrumque precationes, & lacrimas, Nonis Sextilibus, quo die B. Mariæ ad Nives commemoratio colitur, paulò ante meridiem, nonnihil suspiciens, quasi jucundissimo oculorum conjectu, quò spiritus tenderet, indicaret, nullo graviore anhelitu, placidissimè conquievit, octavo mense, ex quo primùm morbo tentatus est, quum annum vitæ ageret undevigesimum, Societatis verò secundum. Demortui corpus, cujus animæ domicilium fuerit, statim ostendit. Apparuit enim in vultu ejus excelsa quædam, & humanâ major species, quæ intuentium oculos ita defixit, quasi divinum aliquid cernerent, quod sensum quoque pietatis,

Ejus beata mors, & cum superis colloquia.

Sua erga P. Boschum merita exponit, & ejus erga eundem; & Buscemium gratus animus.

In domo Panormitana inter omnium lacrimas sanctissimè moritur.

tis, ac religionis efficeret, & animum recrearet. Domestico funere elatus, eo die humari non potuit; populo enim irrumpente, & pedes, ac manus certatim exosculante, feretri direptio est consecuta, neque corpori parcebatur, quin cutem, & articulos divellere conarentur. Is tumultus utcunque pius exequias interpellavit, neque aliter sedari potuit, quàm immissis militibus, qui arcerent multitudinem, & corpus tuerentur. Quare nobilitas universa, cui plebecula aditum intercluserat, flagitavit, nè terræ mandaretur. Postero die, admissis clanculum nobilibus, & primoribus Civitatis, dum Matronæ etiam, atque puellæ cœlestem vultum, & in horas formosiorem contemplantur, manus attrectant, pedibus figunt oscula, circumjectos flores auferunt, vestes, & quæ circa ipsum essent, abradunt, capillum, & ungues tondent; irruit iterum turba, & feretrum invadit. Tum Cæsar Boschus veritus, nè corpus ad nuditatem redigeretur, aut etiam immodicâ religione, concerperetur, amoveri jussit, & sepulcro inferri, loculo clausum, & obsignatum. Postmodum verò plumbeæ in arca, & serico ornata collocatum, traductumque est, & juxta aram B. Francisci Xaverii, dextrorsum infossum. Celebratæ sunt Xuthini, & Cassari insigni apparatu, & immolantium concursu, novendiales defunctorum feriæ, quarum luctum cumulavere sacri Oratores, qui quotidie extinctum laudavere. Mandavit quoque Provinciis Goswinus Nichel, ut elogium vitæ ejus, quo die extinctus est, quotannis super mensam recitaretur. Circumfertur inciso ex ære, papyro excepta imago Cæsaris Cajetani cum ejusmodi elogio: *Cæsar Cajetanus, abdicato Cassari Principatu, & Xuthini Marchionatu, suique contemptu clarissimus, in ipso ætatis, & fortunæ flore, per incluctabiles obices Societati Jesu addictus, posito Romæ disciplinæ tirocinio, maximarum virtutum laude conspicuus, in Domo Panormitana extinctus est, Nonis Augusti, die B. Mariæ ad Nives sacro: ann: sal. 1652, ætatis undevigesimo, Societatis secundo.* Plurima numerantur per eum, & vivum, & mortuum a Deo collata beneficia, quorum meminit Perdicarus, ad calcem vitæ ejus. Duo attingam, quæ majorem habent fidem, & sanctitatis commendationem. Dum Romæ Cæsar inter tirones versabatur, Vir gravis, & in Societatis militia emeritus, qui quum Deo supplicaret, animum tenere non poterat, quin avolaret, seque humanis curis involveret, ab eo petiit, ut ea de re cum Deo ageret, rogaretque, nè deinceps fuga mentis contingeret, quæ cœlestium rerum contemplationem inter-

Funus ejus, exequiæ, ac feretri direptio.

Corpus ejus plumbea in arca collocatur, & sepositò in loco infoditur.

Xuthini, & Cassari ejus funus solemni pompâ celebratur.

Cæsaris Cajetani elogium.

Plurima per eum a Deo collata beneficia.

tur-

turbaret. Rem in se Cæsar recipit; cui ille postridie gratias egit, quod inter supplicandum, pias cogitationes expertus esset adeo fixas, atque tenaces, ut menti ultro inhærerent, neque fieri potuisset, ut a divinis rebus aliò avocarentur. Diem enim integrum exegerat, quo mens, inusitatà animi inductione, eódem recurreret: neque in posterum fugientis cordis molestiam passus est. Majus est illud, quod illustris Matrona, Cæsare jam extincto, ut de fato ejus postridie est nunciatum, ab eo flagitavit, ut si Deo frueretur, culparum detestationem sibi impetraret. Ter enim per annorum intervalla totius vitæ labes sacrà confessione expiaverat, numquam tamen sedaverat conscientiam, quòd vereretur, nè dolore animi caruisset, sine quo nulla est expiatio. Vix eas preces mente conceperat, quum repentè memoriæ sese offerunt culpæ omnes, earumque fœditas tanto horrore, intimas concussit medullas, ut contremisceret, quasi stygia monstra intueretur; præcordia verò non secus, ac si in frusta concerperentur, tam acribus pœnitentiæ motibus exagitari sensit, ut infinita vis lacrimarum saucii molestiam animi testaretur. Horam in eo intimi sensùs cruciatu consumsit, quo tempore, nullum erat tormenti genus, quod illa non optaret, ut Dei a se læsi injurias ulciscereturr. Eo demum admirabili ostento cognovit, Cæsarem regnare cum superis, & preces ejus apud Deum valere plurimùm.

Nè inter orandum aliò mens avocaretur, quidam a Cæsare petit, & impetrat.

Nobilis Matrona culparũ detestationẽ a Cæsare flagitat, & obtinet.

XXXIV. Præcipuum habet locum inter clarissimos Provinciæ viros P. Philippus Alegambe, quem Societas hoc anno, sexagenarium Romæ desideravit. Ortus est Bruxellis postridie Calendas Februarias, anno 1592. Adolescens in Hispaniam profectus, & in Orsonæ Ducis ephæbos, propter corporis, animique elegantiam relatus, cum eo ad Siciliæ præturam designato, Panormum venit, Calendis Aprilis, anno 1611. Latinas litteras, quas in Belgio didicerat, & in Hispania aluerat, apud nos tanta cum laude exprompsit, ut delicatioris latinitatis vindex, & Musarum amator haberetur. Nostris propterea hominibus maximè delectabatur, eo potissimùm tempore, quo Dux Orsonæ obtrectatorum artibus nondum occupatus, plurimùm Societati studebat, & ad Domum Panormitanam familiarissimè ventitabat. Eorum consuetudine captus, quam ingenuam, honestam, & castigatam deprehendit, aulicam assentationem, & simultates, & tricas diutiùs ferre non potuit. Quare quum annus tertius excurreret, quàm in Siciliam venerat, Orsonæ Duce non invito, imò multùm gratulante, militiam Societatis optavit, quum attigisset ætatis sesquiannum su-

P. Philippi Alegambe cùm extra, tum intra Societatem merita, & virtutes.

Cum Duce Orsonæ in Siciliam venit.

Duce annuente, Societatis disciplinam amplectitur.

pra viceſimum, & ſeptimo idus Septembres Panormitanis tironibus adjectus eſt. Nactus eſt diſciplinæ ducem, atque magiſtrum P. Carolum Romanum, eximiæ virtutis hominem, ſæpè aliàs in hac hiſtoria laudatum, & præcipuè ad annum 1624: ſub quo, præter ſanctioris vitæ elementa, inſignem *Deiparæ* primùm, deinde Societatis amorem hauſit, quem in omni vita retinuit, & ingenio, atque immenſo labore amplificavit. In Collegio Panormitano, ſtatim a tiroçinio, Philoſophiæ ſedulam navavit operam, & exacto triennio, ingenio, ac linguà mirificè promptus, peripatheticam doctrinam publicè propugnavit, atque humaniores litteras ibidem tradidit, confluentibus certatim adoleſcentibus, generoſis præſertim, & muſarum ſtudioſis, ut magiſtro darent operam, inuſitatæ eruditionis, atque virtutis laude conſpiçuo. Quibus rebus excitatus Mutius Vitelleſcus, maximæ ſpei adoleſcentem Romam evoçavit, ut in Collegio Romano ſacrarum litterarum diſciplinam arriperet. Itaque flens Provinciam altricem ſuam reliquit, neque tamen ejus amorem, & gratificandi ſtudium unquam dimiſit, retinuitque ad extremos uſque canos remigrandi voluntatem, quin litterarum officium cum æqualibus ſuis aliquando intermiſerit. Studiorum ſpatio decurſo, Sacerdotio inſignitus, & Auſtriacæ Provinciæ addictus, Græcii conſedit, ubi in percelebri illo Societatis Lycæo, quas apud nos didicerat Philoſophicas Artes, tanta cum ingenii, ac doctrinæ opinione docendo illuſtravit, ut confeſtim Doctoris inſignia adeptus, ad Theologicam facultatem publicè tradendam gradum feçerit. Verùm Principi Eggembergio Societatis Virum poſçenti, qui filium adoleſçentem in Europæ peregrinatione comitaretur, denegari non potuit. Erat enim Ferdinando II Cæſari omnium gratiſſimus, & rebus noſtris ſtudebat. Deſignatus eſt P. Philippus, linguarum ſcientiâ, & agendarum rerum prudentiâ ſpectatus, qui juniori Principi comes itineris, conſiliorum arbiter, & dux animi adeſſet; luſtravitque ſine querela çujuſquam, Italiam, Hiſpanias, Luſitaniam, denique Gallias; nonniſi poſt quinquennium Græçium regreſſus, ubi ſaçram morum diſciplinam aggreſſus eſt, & domeſticæ juventuti pietatis, ac religionis officia adminiſtravit. Paucos tamen annos eo in munere çolloçavit. Nam ab eodem juniore Eggembergio eſt evocatus, qui a Ferdinando III Cæſare, legationis Princeps dictus, ut Urbanum VIII per eos dies ad ſummas Romanas inſulas evectum conſalutaret, & gratulationis, atque obſervantiæ officium perſolveret, eà conditione profectio-

Panormitanis tironibus adjicitur.

Philoſophicis ſtudiis peractis, humaniores litteras Panormi ſummâ cum laude tradit.

Romæ theologicis facultatibus dat operâ.

Græcium miſſus philoſophiâ, ac Theologiam publicè tradit.

Principi Eggēbergio peregrinationis Comes ſemel, & iterum deſignatur.

Digitized by Google

ctionem non recusavit, si P. Philippum viæ comitem, saltem Romam usque impetraret. Accepit conditionem Mutius Vitelleschus, & peractâ legatione, Eggembergium rogavit, ut pateretur, P. Philippum Alegambe secum Romæ consistere, cujus operam, in dandis latinis ad Germaniam litteris fidelem, atque præclaram cognoverat. Eo in munere quadriennium laboriosissimè versatus, parum abfuit, quin perpetuâ defatigatione scribendi oculos amitteret; quare cæcitatem veritus, anno quinto missionem petere coactus, & vacationem ætatis: illam non impetravit; hanc Mutius non negavit; noluit enim, Domum Romanam tali viro carere, eo contentus, ut domesticis præesset religionibus, & in templo confitentibus aures præberet. Utrumque laudabiliter gessit propter doctrinæ excellentiam, prudentiæ opinionem, & accuratissimum disciplinæ studium, nostris æquè, ac externis carus, & amabilis. Quantopere Societatem dilexerit, ex eo judicari potest, quod nihil in omni vita non excogitavit, quo eam illustraret, labore planè infinito, qui plurimorum Scriptorum ingenia, & operam delassaret. Nam inchoatum a Petro Ribadeneyra scriptorum Societatis indicem, & ad annum usque 1602 perductum, annos complexus quadraginta continuavit, & Societatis Bibliothecam appellavit. Quod quanti fuerit, is æstimabit, qui in eo vigiliarum genere non est admodum peregrinus. Prodierunt quoque eo auctore, virorum Societatis res gestæ, qui in contagiosorum obsequio extincti sunt, sub hoc titulo: *Victimæ caritatis*; item eorum, qui religionis causâ sunt necati, quas inscripsit: *Mortes illustres*. Quæ omnia tribus voluminibus eximiæ magnitudinis comprehensa, & accuratione summâ elaborata, jubente, atque urgente nemine, otiosi hominis, & neque itineribus, neque publicis muneribus occupati vigilias, & curas omnes exhausissent; sed ejus erga Societatem amorem non consumserunt; nam longè ampliora, caligantibus etiam oculis, ordiebatur, quæ fatum interpellavit. *Deiparam* verò non vulgari pietate coluit; diesque hebdomadis singulos ejus cultui, ac religioni addixit. Primum, ut Beatorum Spirituum Reginæ; secundum, ut *Patriarcharum*, & *Prophetarum*; tertium, ut *Apostolorum*; quartum, ut *Martyrum*; quintum, ut Pontificum, atque Doctorum; sextum, ut *Confessorum*; septimum, ut Virginum. Quibus titulis, orbe perpetuo magnæ Matris memoriam, & reverentiam, quotidianâ exercitatione renovabat. Quum ad immolandum prodiret, ea Bernardi verba procedens ingeminabat: *Per te accessum habemus ad filium.*

Tandem Romæ consedit, & ejus in ea domo munera, & virtutes.

Ejus in Societatem amor.

Ingenii ejus posteris relicta monumenta.

Deiparam summo studio colit, & ejus religionem perpetuò exequitur.

Digitized by Google

lium. Denique ad calcem Bibliothecæ Societatis teſtatum poſteritati reliquit, quanti æſtimaret Patronam ſuam; peculiarem enim contexuit indicem, in quo Marianos omnes Societatis Scriptores, digeſtà per initiales ordinatim litteras ſerie nominum, complexus eſt. Quare non fortuito eventu factum arbitror, ut qui pridie Marianæ Nativitatis, ſub auſpiciis naſcentis *Deiparæ*, in Societate vivere cœperat, idem eodem die, poſt annos undequadraginta auſpicatò tumularetur. Deceſſit aquæ intercutis vitio, quod ex perpetuà ſedendi, elucubrandi, atque ſcribendi conſuetudine contraxit, in Domo Romana, anno ætatis ſexageſimo, ad laborioſæ, piæque vitæ præmium a *Deipara* evocatus.

Eòdem die, quo vivere in Societate cœperat, Romæ ſanctiſſimè moritur.

XXXV. Domus quoque Mamertina cœlo tranſmiſit P. Felicem Andream, Bovæ in Brutiis ortum, vel ut P. Antonius Natalis adnotavit, in Oppido Melicuca. Adoleſcens in Collegio Mamertino litterarum, & pietatis elementa probè edoctus, ob ingenii, morumque commodam opinionem, ut parum cognitus, & corporis habitudine non ſatis valens, Mamertinis tironibus adlectus eſt, annos natus duodeviginti. Tradendis artibus apprimè idoneus, Sacerdotio, & quatuor Votorum ſacramento inauguratus, ſacrum optavit præconium, & in eo munere vitam conſumſit. Siciliam ferè univerſam concionando peragravit, & expiavit, incredibili ſemper populorum emolumento, atque concurſu. Ætate florens, Indicam peregrinationem crebris litteris flagitavit. Eà propter corporis imbecillitatem non impetratà, Indiæ labores, & merita, in montibus, aſperrimiſque Siciliæ regionibus invenit, quem neque gelidæ hiemes, neque ardentiſſima ſidera, neque itinerum pericula, neque annonæ difficultates, neque hoſpitiorum inopia deterreret, quin quovis anni tempore, villas, & oppida concurſaret ſolus, & algens, ac jumento vectus vel nullo, vel quod ſors obtuliſſet, ut paſtoribus, ruſticiſque, campeſtribus in locis prodeſſet. Auxit nihilominus membrorum infirmitatem, & aſſiduam laſſitudinis moleſtiam voluntario corporis cruciatu, quem non ſecus, ac ſi integer eſſet, & otioſus, indies acriorem, & duriorem valetudo non intercepit, niſi ſuprema. Continentium jejuniorum parcitatem ad uſque inediæ fines perduxit. Intimum, & ſetis intextum cilicium, nè cubans quidem exuit, neque febriens, neque moriens. Quieſcentibus domeſticis omnibus, quum conſopitos exiſtimaret, intempeſtà nocte ſurgebat, & nudum corpus ferreà catenà plectebat, quoad vires laſſitudine deficerent. Quod quum ſo-

P. Felicis Andreæ ortus, patria, & in Societate munera

Indicam miſſionem ſedulò, ſed fruſtra flagitat.

Incredibili Inſulanorum fructu, crebris cõçionibus Siciliã luſtrat.

Ejus in cruciando corpore auſteritas.

Digitized by Google

sonitu catenarum, & verberum expergefactus; denique animadvertisset qui proximè habitabat, P. Bernardinus Malandrinus Messanensis, vir innocuis salibus, atque facetiis probè jucundus, & postridie in Andream incidisset, jocans questus est, infensam se habere vicinitatem, & malis furiis obnoxiam, quæ nocturnis terroribus, & tractibus catenarum proximè cubantem consalutarent, & sibi somnum abrumperent. Extremos vitæ annos languenti similis, ut vix pedibus consisteret, in Mamertina Domo transegit; ex qua ut poterat, quotidie prodire conabatur, & in proxima templa populum convocabat, ad quem mirà frequentià confluentem, saluberrimas habebat conciones, nunquam molestus, nisi quum Orationem perorando claudebat. Rogatus tamen, ut festis diebus in Jerosolymitani Ordinis S. Joannis æde, quæ longiùs aberat, verba faceret: *Date mihi*, inquit, *crura, quibus eò veniam, reliqua in promptu habeo. Turpe non est, asellum asello vehi.* Itaque per manus jumento impositus eò ventitabat. Sed nunquam illustrius patientiæ, & fortitudinis specimen præbuit, quàm quum ætate, valetudinibus, laboribus, ceterisque vitæ incommodis, quæ ipse sibi imposuerat, exinanitus, jussus est equitare Raguſam usque, quod est finitimum Pachino oppidum, quatuor dierum itinere Messanà dissitum, ibique in majori jejunio quotidianis concionibus populum detinere: nullà enim tergiversatione equum conscendit, & eò festinavit; neque vulgarem obedientiæ fructum tulit: sed quem maximè cupiebat; nusquam porrò aut uberiores, aut pleniores, & quæ tantum efficerent motum animi, orationes pronunciavit, licèt viribus jam defectus, per manus suggesto inferretur. Multa insuper evenere prodigia, quæ merito ejus a Deo patrata, Raguſani interpretati sunt. Illud memoriæ proditum comperio, quod quum eo concionante, stridula, & inusitatæ figuræ avicula, templum repentè ingressa, cantu personaret, & vocis ejus exilitatem vinceret, non absque offensione audientium; Felix Andreas vocem, & oculos in avem illam intendens: *O*, ait, *Creatura Dei, jubeo te silere, neque divinum præconium interpellare.* Atque ad ea verba avicula cantum compressit, & nusquam ampliùs visa est. Id se ex Raguſanis accepisse testatur P. Paulus Giunta Messanensis; quum tiro P. Carolo Vintimillio, ibidem concionanti, anno, qui proximè est consecutus, ministravit. Ex molestissima Felix expeditione Messanam reversus, naturam sensit labore victam, atque prostratam. Nam extenuato prorsus corpore, stare non poterat.

Infirmus, & senex Messanæ populum quotidie convocat, & concionibus instruit.

Eo tempore Raguſã ad sacras conciones habendas, mittitur.

Admirabile obedientiæ ejus exemplum; & ex ea relati fructus.

Stridula avis templũ ingressa eo jubente, centum cõprimit.

Messanam regressus, ex molestissima expeditione decumbit, & vitam amittit.

rat. Decubuit proinde, & paulò post in Domo Mamertina, cui officiis, exemplis, & assiduis largitionibus plurimùm profuit, sine febri, & dolore extinctus est, VI Calendas Majas, anno vitæ sexagesimo. Reliquas ejus virtutes, quòd nullum habuerit excursionum suarum domesticum comitem, cùm temperantia ejus occultavit, tum obliteravit antiquitas.

Joannæ Messinæ erga Collegium, & domũ Mamertinam munificentia.

XXXVI. Claudere hujus anni negotia nefas esse arbitror, quin litteris obiter nostris illustretur Joannæ Messinæ, Mamertinas inter Matronas nobilissimæ, erga Societatem munificentia; nè posteri Manibus ejus habere gratiam, atque etiam referre desinant. Nam religiosissima mulier, & Societatis studiosissima, quæ dum vixit pauperum mater audire nunquam destitit, moriens aureos quater centum annuos Collegio Mamertino legavit, & Mamertinæ Domùs inopiæ miserta, conditionem adjecit, ut ex eo proventu, aurei quinquaginta supra centum gratuito subsidio, quotannis quinquagies ad eam pervenirent: deinceps verò aurei admodum centeni quindecies annuis pensionibus, templo primùm, deinde valetudinario, denique Bibliothecæ solverentur; eádem serie ad annum usque decimum quintum, annuatim non intermissà. Hoc etiam anno, ea Domùs Mamertinæ pars, quæ ad occidentem Solem obversa est, decreto Senatûs, penes quem erat, partibus consentientibus, extraordinario jure, potestas ædilitatis, ad summum usque fastigium est absoluta, nequicquam reluctantibus finitimis Cænobitis, qui plures annos perpetuis litibus ædificationem distinuerant. Liceat denique funesto, sed memorabili eventu anni hujus monumenta concludere. Erat Messanæ ex præclaro Aliphiorum genere, ætatis suæ omnium formosissimus adolescens, cujus nomini consultò parcimus. Hunc amore plusquam materno vidua Genitrix deperibat, puberem jam, & conjugio idoneum. Optimus tamen juvenis, cujus animi dotes corporis formam præstabant, ut dives, & unicus hæres, Societatis gymnasiorum consuetudine, quæ ex infimis elementis ad philosophicas artes percurrerat ferè omnia, ad pietatem, & virtutem omnem eruditus, militiæ nostræ disciplinam humanis rebus antepositi, & nostrorum augere numerum, diu multúmque flagitavit. Mater, ut ab eo cognovit, quæ, & quanto studio agitaret, ancipiti dolore uri cæpit. Alterutrum enim erat gravissimum, seu filium flagrantissimè cupientem repulsà contristare, seu commeatu impertito secedentem amittere. Maluit tamen amittere, quàm contristare. Dolori autem suo mederi se posse arbitrabatur, quàm simillimam

Domus Mamertina Senatûs decreto ãplificatur.

Quidam ex Aliphiorũ genere adolescẽs Societatem flagitat.

Mater, nè filium, quem deperibat, contristaret, Societatis adeundæ copiam fecit.

Digitized by Google

mam filii imaginem pluribus in locis depictam haberet, & quasi præsentem intueretur. Itaque Aliphium non modò tironibus nostris annumerari passa est, sed magno etiam suorum, & Principum Civitatis comitatu ipsa deduxit, & P. Paulo Bellio, qui tirocinio tum præerat Mamertino, instituendum tradidit. Attamen domum reversa, ut solitudinem animadvertit, cujus molestiam tenebræ, & silentium auxere, eam noctem flendo transegit, filium compellans, & magno ejulatu requirens. Ea verò effigies, ut illuxit, ejus videndi cupiditatem incendit potiùs, quàm sedavit. Eo in luctu, quum dies aliquot consumsisset, luxissetque filium, quasi fato sublatum; desiderium ejus diutiùs sustinere non potuit. Ad eum proinde advolat, colloquium a Paulo Bellio ægrè impetrat. Societatis tunicà eo ipso die indutum reperit; seducit, materni amoris, atque doloris eloquentiam expromit omnem; nihil non movet precibus, obtestationibus, lacrimis; neque tamen adolescentem flectit. Ad apertam igitur vim descendit, familiam antea edoctam convenire jubet, invitum rapit, & non secus, ac fugitivum, domum retrahit. Sed quæ filium iniquis fleverat lacrimis, justis, & legitimis lugere coacta, præsentem irati, violatique numinis ultionem festinavit. Nam filius inter matris illecebras, atque blanditias, & propinquorum preces aliquando victus, uno tempore, & expugnatum defectione animum, & oppugnatum lethali frigore corpus sensit, quod pestifera febris est consecuta, quæ primo impetu vires, sensus, & memoriam rerum omnium ademit, vitam verò ad desperationem adduxit, & tantùm non eripuit. Vestem propterea Societatis, quam cum pretiosis indumentis commutare parabat, non exuit, nisi ut fatali morbo decumberet. Neque Medicorum industria, neque vis remediorum languentem sublevavit. Quidquid præscriberetur vitæ spem minuebat, mortem accelerabat. Medici demum ad levandam capitis ægritudinem, quam perpetua vigilia in horas vehementius exacerbabat, soporem ei dederunt, quo sumpto, nunquam deinde evigilavit; & in eo, sacro dumtaxat inunctus oleo, quasi compressis faucibus, magno conatu, exertà linguà, contortis, emissisque oculis, liventibus, ac nigricantibus genis, animam exhalavit; atque ille idem oris, & corporis status ita permansit, ut nullo artificio occultari potuerit. Adolescentis itaque vultus ita est deturpatus, ut cujus vivi elegantissima species Matrem ad insanum consilium adegerat; extincti fœditas terruerit, & exanimatam fugaverit. Funus ejus spectaculo fuit multitudini,

Mamertinis tironibus, magno Principum comitatu, annumeratur.

Mater, filii desiderio, Tirocinium petit, & cum eo colloquium a Bellio impetrat.

Eum per familiam invitum rapit, ac domũ retrahit.

Filius inter Matris illecebras, lethali frigore corripitur, ac sensibus destituitur.

Tandem, quasi compressis faucibus, miserrimè extinguitur

quæ rei novitate excitata, ad contemplandam insignem oris conversionem, incredibili concursu circa feretrum sese effudit: atque una attonitæ Civitatis vox fuit, monstri similem faciei turpitudinem, in eo qui paulò ante pulcherrimus fuisset, non casu aliquo contigisse, sed cœlestis iræ consilio assignari oportere.

1653

XXXVII. Nihil obtulit annus 1653 tradendum posteris, præter illustrem excursionem, quam Tertiani Patres, qui ex Collegio Thermitano ad Aquas Selinuntias prodierunt, in Panormitani Pontificis jurisdictione exequi jussi sunt. Contigit enim, Caccamensibus, Chiminanis, Marinæinis, & Oleastris optatissima, & maximè salutaris. Princeps fuit expeditionis P. Josephus Alexander Bidinus, qui magnis postea virtutibus, & magistratibus ferè perpetuis Provinciam exornavit, ut ad annum 1700, eique datus est Socius P. Hieronymus Pregadius Sanctiangelitanus, qui artibus postea tradendis nobilem dedit operam, & in earum palæstra, anno 1669, inclinatà nondum ætate, Calatahierone vivere desiit. Josephi tamen Alexandri morum suavitas, & dicendi facultas, quam exili voce, sed cœlesti quadam virtute administrabat, populorum animos ita sibi conciliavit, ut finitimi etiam, desertis agris, & oppidis, ad eum audiendum quotidie accurrerent; & neque templa, neque areæ multitudinem reciperent, & in apertis locis concionem convocare oporteret. Sed inter prodigia numerabatur, quòd exilitas vocis ejus, quasi patentibus, & puris in campis vires acciperet, resonantius exaudiretur, quàm in clausis, & angustis conclavibus. Expiata sunt hominum quindecim ferè millia. Sedatæ sunt publicis pacificationibus vetustissimæ simultates, restitutus Templorum cultus, revocatus splendor religionis, & quod caput est, Christianis sacris non pauci lustrati sunt, qui plures jam annos magnis flagitiis contaminati, vel expiationem neglexerant, vel confitendi difficultate prohibiti, graviores culpas occultaverant, & superioribus delictis sacrilegii cumulum crebrò adjecerant. In his erat honesto loco nata mulier, cujus casum exponere mihi liceat, veluti rarum, ac luculentum, & divinæ clementiæ, & Marianæ pietatis testimonium. Hæc a pubertate incestuosis subacta amoribus, perpetuà stupri consuetudine, ad annum usque trigesimum, & uterum gerere, & partum remediis abigere assueverat, & quamvis octavo quoque die, sacram simularet confessionem, sumeretque cœlestem hostiam, nunquam tamen scelerum conscientia verecundiam expugnaverat, &

Tertianorum Patrum in Panormitanâ jurisdictione excursiones.

Patris Josephi Alexãdri in iis eloquẽtia, & ab eo relati fructus.

Quædam mulier incestuosis amoribus dedita, P. Alexandri operâ, resipiscit.

eò

eò dementiæ se projecerat, ut cum incestùs auctore, mutuo Sacramento paciscereturveneni, & necis potestatem, cujus in alterutrum jus esset, qui vel Sacerdoti, vel moriens enunciati sceleris suspicionem afferret. In tanta nihilominus flagitiorum fœce demersa, ex qua sibi emergendi facultatem ademerat, Marianos quotidie volvebat globulos, quibus *Deiparæ* salutationes, & laudes numerabat. Incidit interea mulier in gravissimam valetudinem, ex qua Medici morituram pronunciabant. Adfuit Sacerdos, qui confitenti aures præberet; ea tamen pravi tenax propositi, levia quædam aperuit; quæ pudibunda essent, dissimulavit. Non deseruit *Deipara* clientem suam: nam ei se per quietem obtulit, & verbis jam blandis, jam severis contumacem admonuit, ut a pertinacia desisteret; præcepitque, nè cunctaretur omnia vitæ superioris errata Sacerdoti committere: ni faceret, nullam esse salutem. Illa tamen secum statuit, nefas esse, somniorum superstitione duci; & in silendi perfidia animum obfirmavit: neque jam pudore tenebatur, quominus peccata confiteretur, sed incredibili quadam mentis obstinatione. Nam urgente in dies ægritudine, quum impendere jam fatum sibi persuasisset, desperatione perculsa, & se esse divinà sententià damnatam, & audientibus omnibus damnationis causam declaravit: scelera enim patefecit omnia, eaque se Sacerdoti, neque unquam aperuisse, neque aperire velle confirmavit. Et tamen divinam non exhausit patientiam, quæ *Deiparæ*, ut arbitror, beneficio, & vitæ, & pœnitentiæ spatium impertivit. Nempè convaluit, negavitque ea se admisisse crimina, quæ delirans enunciaverat. Numerabat jam annum ab eo periculo decimumquintum, & eádem pice sordebat, quum P. Josephus Alexander eò se contulit. Adfuit illa concionanti, & ingratas eas animas objurganti, quæ divinam clementiam non amoris, & caritatis, sed licentiæ, temeritatis, atque furoris argumentum esse arbitrantur; & quam non gravissima ægritudo, non proximæ mortis periculum, non orci, & æternorum metus cruciatuum, non *Deiparæ* præcipientis ostentum ad salutis curam converterat, vicit denique mitissima Alexandri vox, quæ medullas intimas pertentavit, fregit animi pervicaciam, & ad pedes ejus flentem, & pœnitentem adduxit. Alexander cœlestis clementiæ spectaculum demiratus, insignem illum divinæ patientiæ triumphum, atque tropæum Christo lubens reconciliavit, ac dedicavit; nam antequam inde se reciperet, mulierem emendatam, & magnis, assiduisque religionibus ad-

Ejus impia facinora, & simulatæ confessiones.

Ei graviter ægrotāti Deipara se per quietē obtulit, & ut Sacerdoti peccata committeret frustra, præcepit.

Urgente ægritudine, desperatione perculsa, se esse divinà sententià damnatam declaravit.

Sanitati restituta, in eadem flagitia relabitur.

Tandem P. Alexandri concionibus Christo conciliatur.

Digitized by Google

dictam, in ipso intimè dolendi, ac pœnitendi æstu, optima cum spe morientem adjuvit, & extinctam sacrificiis sublevavit. Quæ omnia probatissimus senex, me adolescente, tironibus suis, obortis lacrimis, commemorabat, quum divinæ benignitatis abundantiam humanis consiliis longè majorem prædicaret.

1654

P. Nicolai Lõgobardi patria, funus, & virtutes.

XXXVIII. Incidit annus 1654 in clarissimi viri fatum, quem Provincia, in ea natum, altum, & ad firmiores annos provectum jure meritò sibi vindicat, annos admodum octo supra quinquaginta Sinarum imperio commodatum. Decessit enim P. Nicolaus Longobardus, qui Philippi Alegambe testimonio: *Plurimos Christo lucrifecit, per varias Imperii Provincias, nec ullus hactenus Sociorum Europæorum tam diuturno, ac improbo labore, vineam illam Domini excoluit.*

P. Philippus Alegambe Bibliotb. Societatis pag. 632. col. 1.

Ortus est Calatahierone generosis parentibus, non anno 1566, quemadmodum apud Dominicum Albertum significatum comperio; neque 1565, ut innuit Alegambe, sed 1556, quem natalem ejus fuisse constat, qui octavum, & nonagesimum excurrens vitæ annum, hoc item anno 1654 extinctus est. Quod ideo fuit admonendum, nè amputatum vitæ decennium, reliquum rerum gestarum ordinem, & veritatem perverteret.

Quonam anno natus, & Societati fuerit addictus, disquiritur.

Quare non facilè judicaverim, uter ex his scriptoribus magis titubaverit; an qui anno ætatis decimosexto, an qui decimoseptimo, Longobardum nostris tironibus additum censet; quum non secesserit ante annum ætatis sextum, & vigesimum: quod quidem optimè congruit cum consequentibus. Nam si teneros annos Societati dedisset, & in ea litterarum, & artium elementa arripuisset, summo adolescens ingenio, & integrà semper valetudine, anno 1599 in infimo Sacerdotum gradu, inopià doctrinæ collocatus non fuisset, neque Sinensium deinde litterarum gratià, post annos duodeviginti evocatus a Mutio Vitelleſco fuisset. Anno igitur 1582, quum omnia alia cogitans adolescentiam exegisset, prope vir, & nostratium litterarum planè rudis, humanis rebus nuncium remisit, & militiæ nostræ tirocinium, sub Ludovico Ungria, compertæ virtutis magistro, Messanæ invenit. Post biennium in Collegio Panormitano coram Balthasare Siracusa primum Societatis Sacramentum edidit, anno ætatis duodetrigesimo; ibique latinas litteras biennium didicit, easque, Sacerdotio inauguratus, postmodò docuit, ferè quinquennium; neque deinceps severiores nonnisi leviter attigit disciplinas, quoniam virilis ætas doctoribus dare operam refugiebat. Studiis se proinde abdicavit, qui-

Panormi latinas litteras docet, & superiores facultates dimittit.

Digitized by Google

quibus dimissis, anno 1593, qui fuit undecimus ab inita Societate, inter tirones Mamertinos, tertium, quem *Probationis* dicimus annum, posuit. Quod moribus nostris fieri non potuisset, si anno ætatis decimosexto, Societati se aggregâsset, & tum annum ætatis septimum supra vigesimum, non supra trigesimum numeraret. Ab eo tempore privato studio, ex primævis Bibliorum, Patrum, & Scriptorum fontibus, sacrarum litterarum doctrinam cumulatissimè hausit, & Asiaticam inter barbaros expeditionem, assiduis litteris tamdiu flagitavit, quoad post triennium, Claudii Aquavivæ rescripto, ad Sinas navigare jussus est, anno 1596, vir ad sustinendos insignes labores, naturâ, & magnitudine animi maximè idoneus. Staturam sortitus est præter vulgarem conditionem, nonnihil proceram, & erectam; corporis habitudinem integram, atque robustam; membra corporis dura, & plena; frontem amplam, & exporrectam, prægrandes oculos, nasum decenter prolixum, genas candidas, teretes, & sanguine aspersas, oris speciem jucundam, & placidam, capillum densum, & flavum; vocem denique firmam, diffusam, & toto organo instructam. Ut exeundi nuncium accepit, barbam, quam Sinæ accuratissimè alunt, nunquam deinceps tonsori præbuit, & spissam, atque ad imum pectus promissam, Macaum attulit, ubi difficillimâ perfunctus navigatione, anno ætatis quadragesimo, Sinicarum litterarum elementa laboriosissimè aggressus, vulgarem quoque Sinarum linguam, summo studio, infra annum eatenus arripuit, ut commodè inter Sinas versari posset. Quare P. Alexandri Valignani litteris, anno 1597 addictus est Xauceano Domicilio, ut P. Lazaro Cataneo Socius adesset, a quo Sinicæ consuetudinis, & eruditionis disciplinam acciperet. Reperit ibi Longobardus in ampliſſima, florentissimáque Civitate, quod ad rem attinet christianam, sterilem agrum, & fructu vacuos Sociorum labores, qui superioribus annis sementem fecerant planè inutilem, & nullo germine lætam, ac salutarem. Probabant Sinarum litteratissimi, christianæ religionis leges, instituta, sanctitatem, mores, æquitatem. Terrebat tamen omnes disciplinæ cùm novitas, tum severitas. Contemptui erat Deus patibulo affixus; arduus se ostendebat, & naturæ contrarius inimicorum amor; inhumana videbatur lex maritalis, ut singuli singulas ducerent. Itaque post annos quamplurimos nemo unus Christo se adjecerat. Magistratus tamen nostros homines a concitati popelli injuriis prohibebant, & tantùm non ejecerant, nè innocuos, & honestos hospites, qui sine male-

Asiaticam expeditionem ab Aquaviva flagitat, & impetrat.

Corporis ejus eximiæ dotes, & Animi virtutes.

Post difficillimam navigationem, Macaû venit, ibique Sinicas litteras laboriosissimè aggreditur.

P. Valignani litteris Xauceano Domicilio addicitur.

Sinarum mores christiano nomini infensissimos reperit.

BIBLIOTECA

Digitized by Google

Eo in otio, P. Lõgobardi cõtentio, & profectus in addiscendis Sinarũ notis.

leficio apud eos consedissent, hospitii jure excluderent, quod sine causa violari, nefas ducunt. Longobardus scientissimi magistri otium nactus, eò brevi processit, ut impeditissimas Sinarum notas magis quàm litteras, quarum singulæ singulas indicant res, probè dignosceret, & sinicè legeret, scriberet, loqueretur, orationem contexeret, disceptationem institueret, auderetque eruditissimum quemque lacessere, & religionis causam tueri.

A Cataneo relictus, ut Sinas sibi, ac Deo cõciliaret, vitam maximè austeram instituit.

XXXIX. Cataneus memoriæ vim, & diurnam, atque nocturnam discendi contentionem admiratus, ut animadvertit, magistri scientiam a discipulo consumtam omnem, & Longobardum plura didicisse, quàm ipse tradidisset, aut omnino sciret, ab eo digressus biennio nondum elapso solum reliquit, nullis humanis præsidiis, sed suà virtute satis munitum. Longobardus sese non deserit. Dies noctesque supplicando, divinam opem implorat. Vitam instituit castigatam, & maximè austeram. Ciborum condimentis omnibus sibi interdicit; jejuniis, flagris, atque vigiliis corpus excruciat, nudos cubando premit asseres, sub septentrionibus simplici lodice contectus, rebus omnibus, temperantiæ, innocentiæ, atque doctrinæ opinionem promeretur. Addit religionibus industriam, & navitatem. Munditias, urbanitates, officiorum abundantiam, quibus rebus Sinæ magnopere delectantur, studiosè sectatus est. Morum quoque, & orationis elegantiâ aditum sibi paravit ad Optimatum amicitias, & Principum familiaritates, qui apud Sinas litterati sunt omnes, & sapientiam primam habent. Cum his quotidie disceptabat, de cœlorum, ac siderum cursu, de tempestatum conversionibus, de naturalium rerum causis, de immortalitate animorum, de divinitatis natura, de gubernatione universi, eaque omnia exponebat, quæ viam sternerent ad christianæ religionis lucem, & veritatem. Sed magistratus, quos Mandarinos Sinæ dicunt, præcipuà curà coluit. Maximi enim intererat, eos sibi conciliare, qui plurimùm apud Regem valerent, & summorum consiliorum duces, & arbitri haberentur. Horum consuetudinem gratulationibus, obsequiis, munusculis, colloquiorum suavitate captabat primùm; deinde irrepebat in amicitiam, & intimam necessitudinem, quam, illis magistratu abeuntibus, eruditarum litterarum assiduitate alebat; nè pluribus in locis amici deessent, qui inter tot christiani nominis hostes, rebus dubiis, & ut fieri necesse erat, identidem adversis, & ærumnosis, se suosque tuerentur. Ea res deinceps, & Longobardi nomen clarum fecit,

Quibus artibus Lõgobardus sibi Sinarum animos demereretur.

Religionis causa Sinenses magistratus colere, & ejus cõsuetudinem officiis omnibus captare conatur.

Digitized by Google

& rei christianæ non semel saluti fuit. Placuit enim veræ religionis auctori Deo, cœlestem providentiam in ea inferenda, ornanda, & excolenda ita administrare, ut non una esset ejus invehendæ, & augendæ, per prodigia, & sanguinem via. Aliam aperuit apud Sinarum gentem, barbararum omnium litteratissimam, atque excultissimam, quæ via honestate, prudentiâ, ac litteris niteretur, laboriosa illa quidem, & maximè diuturna; sed pacata, & denique salutaris. Hanc viam majorum suorum exemplis munitam quum percurreret Longobardus, & eorum vestigia legeret, in easdem incidit, quietæ otiosæque vitæ difficultates, quam patienter ad annum ferè quartum protraxit. Tum verò intellexit, Xauceanam arcem, quæ ampliſſimæ Provinciæ caput esset, frustra oppugnari, nisi obsidione clauderetur. Quare excurrendi ad finitima, & suburbana ferè oppida consilium cepit, ad quæ jampridem nominis ejus celebritas, & christianæ religionis fama pervenerat, Machianum, Mochinum, Cincunanum, Janscianum, Cintenum, Vancunanum. Præmisit Fratrem Franciscum Martinium, qui de ejus adventu oppidanos admoneret. Ipse postero die Sinensium Doctorum togâ indutus, sese in conspectum dedit. Circunfundunt peregrinum hominem, corporis proceritate, & oris honestate spectabilem, qui inter populares eruditione præstabant. Mirâ eloquentiâ, & vocis suavitate disseruit, *De mundi origine; De primi hominis intemperantia; De posteritatis corruptela, atque pernicie; De Christi assertoris adventu; De vera Religione; De via salutis; De æternis bonorum præmiis, & malorum suppliciis; Deque omni sacra doctrina.* Postridie Christi reparatoris imaginem, ardentibus circùm funalibus proposuit, & populo frequentiore, eadem enucleatiùs inculcavit; horamque certam præstituit, qua ii ad se ventitarent, qui hæsitatione aliquâ tenerentur, quominus cœlestem doctrinam arriperent, & qua si quid esset interrogandum, ac respondendum, publicè accederent. Idem sequentibus fecit diebus, oppidanis certatim confluentibus; atque nè memoriâ laberentur, quæ nova acciderant, & inaudita, néve auribus excepta corruptiùs vulgarentur, paucis digestam chartis, sacram doctrinam de scripto edidit, ut exempla quamplurima exciperentur. Tum demum inventi sunt, qui cœlesti luce perfusi, sacro fonte lustrari flagitarent, quorum paucos Longobardus accuratissimè eruditos, de numero parum sollicitus, magno symphoniacorum comitatu, coram magistratu, & oppidi primoribus, solemni ceremoniâ, domi suæ expiavit, & ad proxi-

Alii Longobardi apud Sinarum gentem labores, atque industriæ.

Xauceo egreditur, & ad finitima oppida excurrit.

Christianæ religionis semina jacit.

Ad Longobardum Oppidanorum concursus.

Eorum plurimi sacro fonte lustrari flagitât, & ab eo domi expiantur.

Digitized by Google

ximos oppidanos deduxit, quorum pleroſque faciliùs Chriſto adjunxit. Ita Xauceum, quaſi occupatis exterioribus munitionibus circumvallavit; atque eas primitias, religionis principibus Petro, & Paulo dedicavit.

Magno Chriſtianorum comitatu Xauceū redit, & Civitatē expugnat.

XL. Quare qui ſolus exierat, frequentiſſimo Chriſtianorum comitatu, Xauceum rediit, & Civitatem expugnavit. Sanctiſſimi eorum mores, qui priſtinam ſuperſtitionem abjecerant, atque mutaverant, & emendatiſſima vivendi ratio Xauceanos incendit nonnullos, ut initiari vellent; quorum impetus Longobardus tamdiu retardavit, donec in litteratiſſima Civitate, ita præceptis imbuerentur, ut diſciplinam tueri, ac tradere poſſent, & auderent. Quibus ſic comparatis, publicam, atque ſolemnem indixit inaugurandorum ceremoniam; quos per celeberrimas Civitatis vias, magnà pompà deductos, ſonantibus undique cymbalis, lituiſque concinentibus, confertiſſimo inſpectante populo, aquà luſtravit, & Chriſto addixit. Primam hanc religionis ſoboſem Longobardus plurimos deinde annos diligentiſſimè conſervavit, & ex parva maximam fecit, ac totius Sinarum imperii florentiſſimam. Facta eſt enim eximia Mandarinorum acceſſio, & ejus præſertim, qui omnium longè doctiſſimus numerabatur, in quo uno propter opinionem virtutis, & ſapientiæ, pars Sinarum potiſsima chriſtianæ diſciplinæ adjecta cenſebatur. Dicebatur enim vulgari appellatione *Cato Xauceanus*: & quem neque Matthæus Riccius, neque Lazarus Cataneus, neque quiſquam alius, etſi optimè de religione ſentientem, expugnaverat; vicere aliquando Longobardi lacrimæ, quibus eam ſibi donari victimam, quæ Chriſto litaret, a Deo impetravit; & publico, ac magnifico ritu luſtratum, Stephanum vocavit; incredibili Chriſtiani nominis glorià, atque fructu. Sed nulla adhuc mulierum Chriſtiana ſacra ſuſceperat; quòd ſumma eſt apud Sinas ejus ſexùs cuſtodia: nam neque ipſis pedem domo efferre licet, neque ad eas accedere fas eſt, niſi propinquis. Nulla unquam in celebritate verſatur, etiam domeſtica; neque convivio accumbit, neque colloquii copiam facit, præterquam familiaribus, & proximis cognatis: ſed latent omnes in interiore parte ædium, quo viris non eſt aditus. Ea res Longobardum vehementer ſollicitabat; quoniam religio, neque radices figeret, neque coaleſceret, ſi integræ familiæ eam non colerent, & alter ab ea ſexus excluderetur. Excogitavit nihilominus, quemadmodum huic incommodo accurreret. Effecit enim, ut Matresfamilias, puellæ, famulæque a domeſticis ipſis probè erudirentur. Ipſe ve-

Xauceanos quamplurimos ſolemni ceremoniâ Chriſto addicit.

Mandarinorū omnium doctiſſimū Chriſtianæ religioni conciliat.

Quibus artibus, Sinenſes mulieres Chriſtianis legibus imbuit.

Digitized by Google

verò non ante adesset, quàm dies diceretur, quo eas coram familia universa sacram doctrinam recitantes audiret, & prætermissà reliquà, juxta Romanum decretum, ceremonià, quæ tactu aliquo administratur, in genua provolutus aquà aspergeret, & religiosis verbis expiaret. Verùm surgente jam religione, intellexit Longobardus, quænam turbæ, procellæ, calumniæ, criminationes impenderent, & quæ futuræ essent malarum furiarum artes, & astutæ machinationes, quibus jacta religionis fundamenta evertere conarentur. Quare severiùs vivere, & circumspectiùs agere instituit. Duplicavit supplicandi tempus, jejuniorum mensuram, alimentorum parcitatem, flagrorum cruciatum, & reliquas corporis molestias, quas initio sibi imposuerat. Horam a consueta somni brevitate detraxit, quam Sinicæ adderet litteraturæ; alteram, quam Deo, & religionibus præberet. Nulla deinceps ad se munuscula, præsertim a Christianis, pervenire passus est. Quòd si ea Sinarum moribus, nefas esset repudiare, gratiam cumulatissimè referebat, ut omnibus esset persuasum, se non ad aliam laborum, & peregrinationum suarum mercedem, ac lucrum spectare, quàm ad Sinensium salutem, sibi a Deo commendatam. Sed nulla cautio abstergit astutæ suspicionis venenum. Quum res Christiana non alibi magis floreret, nemo tam patuit malorum hominum insidiis, quàm Longobardus. Acriter primùm postulatus est adulterii; quod capitale est apud Sinas. Testes conflaverant magno consensu ipsi justitiæ vindices, judices, & magistratus, ut ille calumniam pecuniâ redimeret, & eâ largitione, admissum crimen re ipsâ fateretur. Sed Longobardus nihil perterritus occupat eorum consilia: non expectat, dum diem sibi dicant, & in jus vocent. Ipse se sistit judicibus, & magnâ oris, animique constantiâ, libellum porrigit, causam severè agitari flagitat, & feminam produci sceleris conscium; testes urget, ut locum, & tempus indicent. Habere se amicos Pechini, docet, qui injuriam sibi fieri non paterentur; nec desiderare se aditum ad Principis gratiam, atque justitiam, cui gravissimum contingeret, innoxios hospites ad extorquendam pecuniam, calumniâ, & iniquo judicio interrogari. Tanta animi celsitudo, quæ innocentiam testaretur, & fraudem astutè adornatam illustraret, judices exterruit. Mulier, quæ Longobardum, nè de facie quidem nôsset, de irrogata sibi infamia, magnis clamoribus querebatur. Is fuit judicii exitus, ut Longobardus absolutus discederet. Testes in vincula conjecti,

Nè jacta religionis fundamenta everterentur severioris vitæ rationem agere instituit.

Longobardus apud Sinas adulterii postulatur.

Ejus eximia constantia, atque dexteritas in ea calumnia propulsanda.

Longobardus absolvitur, testes in vincula comiciuntur, ac damnantur.

calumniæ causam dicere coacti sunt, & quum se non expurgarent, damnati.

XLI. Graviorem alio tempore, aliisque magistratibus, sustinuit impetum inimicorum. Factus est majestatis reus, quasi res novas moliretur, & religionis specie, milites conscriberet, sibi sacramento obnoxios, ac regnum affectaret. Parum esse, quòd plura jam parata haberet Christianorum millia, qui nutum ejus intuerentur; & in dies expectarent, ut arma caperent, nisi etiam numerum quotidie amplificaret, novisque se præsidiis muniret, & vires suas confirmaret. Nunquam alias in majori discrimine, toto Sinarum imperio versata est Christiana religio, quæ in eo fuit, ut funditus interiret. Tantæ enim molis accusatio per provinciales magistratus Pechinum delata est, multis etiam ornata phaleris, & inflatiùs, quàm res esset, vanissimis onerata suspicionibus, quasi jam essent arma congesta, & occultissimis locis abdita, & nocturni conventus agerentur, quibus de tota intestini belli ratione disceptaretur. Longobardus tamen Deo fretus, cujus causam susceperat, mirà consiliorum certitudine, statim cognovit, calumniæ atrocitatem, magnitudine suà laborare. Nullam proinde paravit defensionem, nisi quod ad amicos, quorum plurimos Pechini habebat, jocosè perscripsit, quæ de se inimici jactarent; non quòd sperarent, cuiquam persuadere, ea vera esse, quæ tantam stultitiam præseferrent, sed ut illud aliquando vincerent, Longobardum helleboro, & vinculis dignum esse, quòd ad summam insaniam perveniisset; delirum sanè hominem, qui unus, & hospes, & inermis, potentissimo Regi, munitissimo imperio, bellicosissimis, fidelissimisque populis bellum indiceret, & arma, exercitus, regnum, vigilans somniaret. Hæ Longobardi litteræ, jocosæ quidem, atque jucundæ, sed quæ altissimam celarent prudentiam, & admirabilem ostenderent sapientiæ dexteritatem, cumulatissimam exprompsere defensionem, qua permoti Satrapæ Pechinenses, graves ad Magistratum Xauceanum dedére litteras, quibus eum admonebant, nè sibi fas esse putaret, ludibrio habere majestatem, atque rempublicam. Hoc Longobardi temperamento, turbulentissima procella conquievit. Quotidianæ autem erant injuriæ, quas Deorum cultores, ac Sacerdotes, qui apud Sinas plebeji sunt, inferebant. In atrium domùs ejus magno agmine, atque tumultu, numinum suorum horrida simulacra invehebant, petebantque magnis clamoribus, ut odoribus, & suffimentis ea coleret, aut saltem pecuniam aliquam,

Alia Longobardo gravior illata calúnia.

Majestatis accusatur, & christiana religio maximo in discrimine versatur.

Artes ejus admirabiles in eludenda calúnia.

Pachinenses Satrapæ Lõgobardi defensionem suscipiunt.

vel

vel donaria conferret. Sed infinita propemodum multitudo, unius hominis & peregrini auctoritatem, & orationem usque adeo verebatur, ut nemo unquam vim attulerit, omnes vultum ejus, & animi magnitudinem ferre non possent. Nam voces eorum modò aspernabatur; modò venientibus occurrebat, atque in fugam universos, imperio, ac potestate conjiciebat; jam blandis verbis mulcebat; jam silere jussos alloquebatur, & profluentibus lacrimis, eorum insaniam commiseratus, qui vilissimis rebus, atque monstrosis, truncis, viminibus, saxis divinitatem appingerent, magnà voce requirebat, ut se respicerent, & a stultitia desisterent; quibus rebus, sibi ex damno lucrum paravit. Ceterùm apud magistratum, neque singulos, neque universos aliquando flagitavit, aut de injuria, vel molestià questus est; nè populi invidiam exasperaret, sed patientià leniret.

Alias injurias, quæ a plebe inferuntur, singulari prudentiâ aspernatur.

XLII. Eà temperantià longè plura est consecutus, quàm, quod alii frustra optaverant, ut unum saltem templum in universa Xauceana Provincia Christo dedicaretur, quo Christiani ad sacra officia publicè, liberéque coirent, & religionis facies, ac ceremonia explicaretur, quæ & disciplinam aleret, & barbaros, qui ad spectandum, & audiendum confluerent, sibi conciliaret. Certabant magno studio Christiani, ut pecuniam suppeditarent, qua ædificium constitueretur satis amplum, atque magnificum: nec defuere ex opulentioribus, qui totius operis sumptum sibi imputari contenderent. Longobardus nè ad templum quidem capiendum censuit. Non mediocrem tamen a Lusitanis negotiatoribus pecuniam corrogat, quam quum illi cupidissimè contulissent; Templum Xaucei condidit, primamque religionis arcem constituit, formà potiùs, quàm amplitudine conspicuam, quæ novitate placeret, magnificentià invidiam non incitaret, eamque Christo humanæ salutis auctori consecravit; gestientibus lætitià Christianis, barbaris molem, & elegantiam mirificè collaudantibus. Ædituos deinde designat Christianorum primores, qui Templum ornatu concinnent, sacram curent supellectilem, munditiæ studeant, & immolandi instrumentum tueantur. Hoc exemplo excitati finitimorum oppidorum Christiani, suis opibus, summà omnium voluntate, celebrioribus in locis Templa ponunt, ornatiora etiam, & ampliora, quæ Longobardus religiosà ceremoniâ lustravit, legesque præscripsit, quibus loci dignitas, atque religio servaretur. Ex his initiis, atque incrementis, gradus factus est Longobardo ad universam Provinciam Xau-

Temperantiâ ejus christiana, religio amplificatur.

A Lusitanis negotiatoribus pecuniam corrogat, ac Templũ Xaucei cõdit.

Hoc exemplo oppidani excitantur, & Templa alia suis opibus ponunt.

ceanam religione imbuendam; quam quum unus, & solus obire non posset, Pechinum contendit, ut Socios aliquot, a Matthæo Riccio, qui summam Sinicam expeditionem administrabat, impetraret. Magna ibi inter Riccium, & Longobardum exorta est disceptatio. Non satis inter eos conveniebat, quo potissimùm nomine apud Sinas, sinico vocabulo esset Deus appellandus. Placebat Riccio, ab ea appellatione recedi non oportere, qua sapientium Sinarum vetustissimi, doctissimique usi fuissent, quorum sententiâ, ad ea usque tempora ad litteratos derivatâ, Deus & unus, & summus, & Mundi auctor haberetur. Negabat Longobardus, eam dictionem Deo dignam esse, postquam inter Sinarum sapientes nova serperet *Atheistarum* superstitio, quæ Dei nomen ad rem creatam a divinitate detorserit, & materiæ sentinâ corruptum, naturæ vitiis inquinaverit. Cur non potiùs latinum vocabulum adoptaretur, & ad sinicam pronunciandi rationem deduceretur? Repellebat Riccius eam adoptionem, propter odiosam peregrinitatem, & barbaram turpitudinem, a Sinicæ linguæ elegantia, & venustate alienam; quam etsi agnoscebat Longobardus, ferendam tamen, & ut in malis, usu molliendam asserebat, ut gravius incommodum declinaret. Et sanè ejus doctrina, atque auctoritas tanti fuit apud omnes, ut ea controversia ad hanc usque ætatem sub judice fuerit, & semper futura videatur. Dissentientibus tamen duobus summis ingeniis, quum non superbè, atque astutè, neque vincendi contentione certarent, sed ingenuo religionis studio ducerentur; invariata permansit voluntatum conjunctio, & mutua existimatio virtutis, atque scientiæ. Riccius interea Xauceanæ messis fructum, atque uberioris segetis spem gratulatus, digredientem Longobardum, tres ex omni numero lectissimos Socios, qui ei obtemperarent, sequi jussit. Eo supplemento auctus Longobardus, duobus Sociis Xaucei relictis, tertium secum ducit in ulteriorem Provinciam, in qua magnam sui reperit expectationem, rerum gestarum famâ excitatam, & Christianæ religionis non obscurum desiderium, cujus beneficio, quamplurimos, ex summo etiam sapientium ordine Christo addixit, Domicilium posuit, Templa pluribus in locis excitavit, disciplinam numero, exemplis, gloriâ cumulavit.

Ut Socios a Riccio impetraret, Pechinum contendit, ubi inter eum, & Riccium disceptatio exponitur.

Disceptationis causa, & ratio declaratur.

Tres Socios a Riccio impetrat, Pechino digreditur.

Alii a Longobardo in ulteriori Provincia relati fructus, ac labores.

XLIII. Inter hæc Matthæus Riccius impendentis sibi fatalis temporis non ignarus, posthabitis aliis Sociis, qui toto Sinarum imperio plurimi numerabantur, senioribus etiam, & in aula versatis, Longobardum, sibi gravissima in re dissentientem,

Digitized by Google

tem, qui sibi succederet, designavit, & litteris, ac nunciis Pechinum evocavit, mandavitque, ut prætermissis rebus omnibus, non cunctaretur quantocius adesse. Eodem tempore Longobardus fit certior, conjurâsse adversus eum, & Christianos omnes, in proxima Villa Paganos, qui adventum ejus opperirentur, ut & disciplinæ suæ alumnos, & ipsum, seditione factâ interficerent: monebatur proinde nè eò accederet. Longobardus conspirationis causam scitatus; reperiebat: colere paganos illos Coninam Deam, ut olim Romani Cererem. Ab ea assiduis poposcisse supplicationibus, & sacrificiis, ut sitientes agros, & morientes segetes imbribus recrearet: respondisse Deam, nolle se aquam effundere, quòd ipsi injurias ejus negligerent, quum eam quotidie a Christianis comburi paterentur; stultè eos petere, ut ardentis solis incendium pluviâ extingueretur, qui non satagerent, Christianorum sanguine, flammas sedare, quibus ejus signa, & imagines cremabantur. Longobardus, qui ardebat cupiditate incredibili Christo vitâ litandi, ut suis adesset, se periculo objecit, trepidantes confirmavit, & ad sacras preces convertit, dum sacrificium ipse perageret. Eo immolante, placidi, largique imbres, solutis repentè nubibus, tamdiu illapsi sunt, quoad agri irrigarentur, & annonæ spem integrarent, pacarentque iratos paganorum animos, quorum plerique ostento commoti, crudelem Deam ejuraverunt, seque Christo adjecerunt. Videbat propterea Longobardus, Pechinum evocatus, quanto esset cum detrimento abfuturus; neque eum opinio fefellit: nam eo digresso, Xauceanum Domicilium, elapso nondum biennio, extinctum est, inimicorum calumniâ, qui finitimam Machaënsibus Lusitanis Provinciam, & bello inferendo idoneam, perviam esse peregrinis hominibus, qui in ea inveterarent, periculosum jactabant. In Longobardi digressione apertissimè cognitum est, quàm Christo genitos filios diligeret, & ab eis diligeretur. Quæ non mutuæ lacrimæ, qui non gemitus discedentem sunt consecuti? non enim in parentum, aut filiorum luctu tam effusæ doloris significationes edi solent. Ille anno 1611, Pechinum ingressus, locum, & templum Riccii sepulcro, Regis munificentiâ destinatum ornavit, eique christiano more, ceris, concentu, sacrificiis justa persolvit, & titulum tumulo addidit, magnâ curâ elaboratum. In ea Sinicarum disciplinarum palæstra ita Longobardus versatus est, ut nullam Riccii virtutem desiderari contigerit, non ingenium, non doctrinam, non sapientiam, non agendi dexteritatem, non temperantiam. Nam quod ad vi-

Riccius morti proximus, Lõgobardum ad se venire jubet, eũque ad summam Sinicæ expeditionis administrationẽ designat.

Eodem tempore novæ, ac graves adversus Longobardum conjurationes.

Pagani a Conina Dea, quam colebant, imbres petunt.

Dea in Christianorum cædem cultores suos incendit.

Longobardus suos confirmat, & sacrificiis imbrem a Deo impetrat, non sine Paganorum fructu.

Ut Riccio obtẽperaret, tandem digreditur, & Xauceanum Domicilĩu extinguitur.

Longobardus Riccio Pechini justa persolvit.

res

res corporis attinet, quamvis propemodum æqualis ejus, & tribus ferè annis natu minor; integram tamen, atque vegetam nactus valetudinem, laborum, atque curarum veluti initium sumpsit ab ea ætate, qua Riccius æger, & affectus, anno duodesexagesimo ævi sui finem sortitus est.

Pechinensium magistratuum gratiã captat, ut Xauceanum Domiciliũ restituat.

XLIV. Longobardus itaque, cui nihil tam cordi erat, quàm Xauceanum Domicilium restituere, gratiam omnem potentium aulicorum, & Pechinensium Magistratuum, quam initio plurimam collegerat, eò contulit, ut iniquam ejectionem improbarent innocentium virorum, ereptasque Domicilii ædes, & insulam, præsenti pecuniâ coëmptam, antiquis, legitimisque possessoribus reddi juberent, liceretque ejectis per summam injuriam hospitibus, lege, & jure gentium agere, ut in integrum restituerentur. Impetravit graves ea de re litteras ad Nanchinensem Prætorem, quas maximis itineribus ipse attulit, reddiditque; & defensionem unà obtulit, qua hospitum innocentiam, inimicorum vim, artesque malas illustraret. Prætor judicium institui jussit, & causâ cognitâ, nefariam abrogavit sententiam, & quæcunque hospitum fuissent, esse mandavit, & corrupta, aut furto ablata reparari. Longobardus coloniam eódem reducit, quantâ non modò Christianorum, sed inimicorum etiam gratulatione, excogitari vix potest. Nam illi ipsi, qui eliminandos curaverant, jampridem excluſos, innocuos, & beneficos homines querebantur, eo potissimum nomine, quod eam oppidi regionem, in qua erat Domicilium, amnis, qui interlabitur, reliquis incolumibus, invaserat, & redundantibus aquis, penè demersérat, ac eorum ædes afflixerat, qui accusationem, & testes conflaverant; ipsos verò auctores, pleroſque abduxerat, atque peremerat. Ea clades Deo christianorum assignata, qui suorum injuriam ulciſceretur, Noſtrorum reditum optabilem fecit, & supra quàm credi potest, lætum, atque jucundum. Longobardus Xauceanis rebus compoſitis, reliquam lustrat jurisdictionem, & quàm longissimè disita ad septemptriones Domicilia, infinitis itineribus, ac difficultatibus contendit. Ea in excursione dum maximo rei Christianæ emolumento versatur, Pechini gravissimè eo absente turbatum est. Pechinenses, Nanchinenseſque Socii, rebus prosperè fluentibus, liberiùs jam, & apertiùs, quàm Riccius consueverat, religionis officia exprompserant, & Mandarinos observare neglexerant, quos Riccii comitas, & observantia continuerat, & Longobardi affabilitas ex amicis amicissimos fecerat. Quare patuerunt obtre-

Ea de re litteras ad Nanchinensem Prætorem impetrat.

Coloniam, judicio instituto, Xauceum reducit.

Amnis aquis redundans, Coloniæ ejectionis auctores abducit.

Xauceanis rebus compoſitis, reliquã lustrat jurisdictionem.

Nova Pechini in Noſtros exorta procella, & ejus causa.

Digitized by Google

trectatorum calumniis, & inimicorum insidiis, quorum operà nostris imprudentibus, persuasum est Regi, e republica fore, suspectos legibus peregrinos homines, qui novis quotidie supplementis numerum augerent, & sobolem habere perpetuam instituerint, regno amovere, & rempublicam metu liberare. Incredibili proinde Christianorum, & bonorum luctu, Regis decreto ejecti sunt omnes, & Machaum amandati; qui quasi repentinà tempestate perculsi, inimicis furentibus, amicis abalienatis, serò ad officia, & obsequia recurrerunt. Deserti, & ludibrio habiti, sexaginta dierum itinere, Machaum cum ignominia, & rerum omnium inopia, inter armatos deducti sunt; deletis momento temporis, & fisco addictis domiciliis omnibus, quæ tot annorum cura, & labor insignium virorum constituerat. Longobardus initio tumultùs aviis itineribus omnium oculis se subduxit, & consciis amicorum perpaucis, Nanchini biennium ferè delituit. Ex eo latibulo, tamdiu Deum precibus, ac perpetuo corporis cruciatu; amicos verò Pechinenses, crebris litteris fatigavit, donec uno, & altero Rege extincto, Pechinum duobus cum Sociis anno 1623 est evocatus, ut inter novi Regis familiares, eumdem, quem Riccius, honoris, & dignitatis gradum teneret. Reducem occupavere Principes Civitatis, nè eos primus adiret, & adventum ejus accuratissimà frequentià, ac gratulatione frequentavere. Ipse publicis litteris familiæ Regis adlectus, & quas amiserat, rebus ex integro receptis, & domum in qua commodè habitaret, & duos regios veredos, quibus ad amicorum officia equitando uteretur, dono accepit. Nec multò post Sociorum omnium reditum, & Domiciliorum instaurationem impetravit.

Obtrectatorũ apud Regem in Christianos calumniæ, & inimicorum insidiæ.

Regis Decreto Pechino ejiciũtur, & Machaũ summà ignominià amandantur.

Post biennium Longobardus Pechinũ redit, & inter novi Regis familiares ascriptus, Sociorum redditũ impetrat.

XLV. Consecutus est memorabilis eventus, qui doctiorum Sinarum, ingenia ad eruditionis gloriam capiendam excitavit, & Longobardi doctrinæ excellentiam Sinis omnibus anteferendam ostendit. Toto Sinarum imperio anno 1624, terra diu, multúmque movit, vehementiùs verò Pechini, cujus Provinciam, & finitimas præsertim regiones, crebræ, magnæque concussiones non modò exterruerunt, sed quia sunt materiata ædificia, tantùm non deleverunt. Is casus apud Sinas inusitatus, qui gloriam ingenii primam ducunt, sapientissimum quemque compulit, ut tantæ ædificiorum fluctuationis, quantà nè irato quidem mari naves agitantur, causas scrutarentur, & libris editis evulgarent. Sed naturalis Philosophiæ expertes quæ non monstra extuderunt? In miras, & inauditas abiere opinationes, quas tamen nostris probare hominibus,

Longobardus singularis doctrinæ, novo eventu apud Sinas, specimen præbet.

Terræmotus Pechinum, & ejus Provinciã diu, multumque vexat.

Ejus causas Sinarum sapientissimi scrutari tentant.

plu-

plurimùm ſatagebant. Longobardus Socios omnes ſilere juſſerat, neque quicquam improbare, nè quemquam laceſſeret. Vetuit tamen ea laudari, quæ meritò reprehenderentur. Ea temperantia ut Sinarum animos ſibi demeruit; ita ſuſpicaces, acutoſque homines ſatis admonuit erroris ſui, quum viderent magni *Occidentis* doctores, quales noſtros homines vocitabant, ea de re nihil pronunciare. Itaque jam nemo neque aliis, neque ſibi placebat. Omnes diſcendi cupidi quid Longobardus ſentiret, cujus præcipua erat eruditionis opinio, ab eo flagitant, nè diutiùs Sinarum mentes diſtineat. Ille offenſionem veritus potentium amicorum, negat ſui eſſe judicii Sinenſium ingeniorum, quæ ſumma eſſent, lites finire: nolle ſe medium diſceptantibus amicis, & neceſſariis objicere, quum neutrorum partes poſſet ſuſcipere, ſed ab utriſque diſſentire coactus, non alterutros, ſed utroſque abalienare neceſſe eſſet. Unam eſſe viam rumpendi ſilentii, ſi juberetur. Nullis igitur precibus expugnari potuit, ut ab ea mente deſiſteret; in qua tamdiu perſeveravit, quoad ſummi magiſtratùs decreto, ſuadentibus Mandarinis, juſſus eſt formatum proferre ſermonem, quo ſubſultantis terræ origines in vulgus ederet. Longobardus ſpatium ad elucubrandum ſumit. Per noſtratis Philoſophiæ elementa totum genus complectitur. Per vulgata Sinarum placita certiſſimis argumentis explodit. Verſat rem omnem accuratiſſimè, & exemplis illuſtrat. Quæ adverſantur, partim diluit, partim occupat. Ea omnia ſinicà oratione comprehendit, & delicatioribus ſapientiſſimorum notis exponit, admirabili elegantià, & facilitate ſcribendi, quam vix expromeret, qui Sinenſes litteras cum lacte hauſiſſet, eaſque omnes unicè conſumpſiſſet. Liber Sinicis formis excuſus tantam habuit admirationem, & doctrinæ, ac veritatis commendationem; ut qui vigilias ea de re ſuas emittere certaverant, earum mox exempla diſquirerent, & occultarent. Sed nihil tam defixit Sinarum mentes, quàm linguæ ſcientia: nam fieri non poſſe arbitrabantur, peregrinum hominem, qui ad eos quadragenarius veniſſet, non modò impeditiſſimam exhauſiſſe ſcriptionis difficultatem; ſed omnes etiam ſinicæ elegantiæ delicias, ac veneres in unum volumen conjeciſſe, neque quicquam ab emendatæ elocutionis proprietate, ac dignitate aberraſſe. Maxima ex eo facta eſt Longobardo acceſſio famæ, ac publicæ benevolentiæ, potenteſque conciliatæ ſunt aulicorum, & optimatum amicitiæ, qui magnis officiis ſtudebant ad ejus colloquium, & familiaritatem pervenire, ac res ejus omnes tueri.

Ea de re a Longobardo ſuam ſententiam flagitant.

Mandarinorũ offenſionem veritus, judicium ſuum in mediũ proferre negat.

Mandarinis ipſis, ut voluerat, jubentibus, Terræmotus origines in vulgus edit, ſummo omnium plauſu.

Ejus in eo libro excudendo rei veritatem, ac linguæ ſciẽtiam, Sinæ admirantur.

Quanta ex eo facta ſit Longobardo famæ acceſſio.

His

LXVI. His auctus, atque munitus præsidiis, rem Longobardus aggressus est planè illustrem, & magnam, ac religioni maximè salutarem, quam Matthæus Riccius vehementer optaverat, ac diu frustrà tentaverat, sed eò deduxerat, ut qui extincto succederet, effossa, & jacta reperiret immensæ molis fundamenta. Erat Pechini antiquitus Institutum Mathematicorum Collegium, cujus ductu, & auctoritate, civilia, militaria, religiosa regni negotia regebantur omnia. Invexerant olim Arabes disciplinam, Caldaïcis digestam litteris; legesque supputationum tradiderant, quibus astrorum cursum, cœlique conversiones Sinæ cognoscerent, tempestates indicarent, Solis, Lunæque concursus, & defectiones prædicerent, Planetarum, & majorum Siderum conjunctiones prænunciarent, atque anni tempestates dirimerent. Sinæ disciplinam neglexerant; ducendarum cœli rationum artem dumtaxat retinuerant, quam labentibus sæculis delinquere, & ad errorem deflectere in dies turpiorem necesse erat; nisi interdum disciplinæ scientiâ ad rectum exigeretur, & crebris emendationibus castigata restitueretur. Quo tempore Matthæus Riccius Sinas penetravit, tanta in subducendis, & exequendis Astrologiæ numeris, ac rationibus irrepserat corruptela, & Academia tantopere duraverat, ut fallacissimæ jam essent Solis, ac Lunæ defectuum prædictiones, conjunctiones siderum, æquinoctiorum, & solstitiorum stationes, magnâ Sinarum Reipublicæ perturbatione, quæ cœlestibus calculis, & notionibus tota continetur. Quare in eo multus fuit, ut summi Pechinenses magistratus eam curam seriò susciperent, & nostris hominibus demandarent. Atque nè rem se, ut arduam, & laboriosam, ita inextricabilem, ac infinitam movere, ac polliceri intelligerent, quæcumque in ea cœli regione incidissent Lunæ, Solisque obscurationes, & notiorum siderum, ac planetarum occursus, aspectus, conjunctiones, multo ante, tabulis ephemeridum promulgatis, adnotavit, & contrà quàm Academia præstituisset, cum eventu congruere re ostendit. Sed quod boni omnes vehementer cupiebant, & bonum publicum maximè postulabat, interpellavit paucorum invidia, & præcipuè Mathematicorum, quibus grave, ac turpe futurum esset, advenarum censuram sustinere, eosque habere disciplinæ participes, atque magistros. Hinc perpetuæ insectationes, atque calumniæ, quæ eò tandem evaserunt; ut Riccio jam defuncto, & Longobardo absente, Socii, quemadmodum est demonstratum, ejecti sint omnes. Longobardus itaque, eo, quod diximus,

Neglectas cognoscendi Astrorum cursum leges, crebris emendationibus Lõgobardus castigatas restituit.

Arabes eam disciplinã primi invexerant, quam Sinæ postea neglexerãt,

Quanta ex eo irrepserat corruptela apud ipsos in Cœli conversionibus dignoscendis.

Tantum opus Lõgobardus cũ nostris hominibus in ea cœli regione aggreditur.

Sinarum Mathematicorũ invidiã, insectationibus, & calũniis opus interpellat.

pervulgato volumine, in tantam venit doctrinæ opinionem, & tam gratiosus esse cœpit aulæ primoribus propter gratuitam humanitatem, & liberalem vitæ, & vocis elegantiam; ut id aliquando impetrârit, quod Riccio flagitare tantùm licuit.

Longobardus, Regis edicto, Mathematicorũ Collegio præficitur, & dictum opus aggreditur.

Nam Regis edicto, quod nunciis, & præconibus toto regno est promulgatum, fuit Longobardo demandatum, ut Mathematicorum Collegio præesset, adscitis, quos maximè vellet, sive suis, sive alienis negotii adjutoribus, jussitque Præfectis ærariis, pecuniam suppeditare, quæ rei gerendæ ejus arbitratu opus esset. Palatii demum Præfecto in mandatis dedit, ut Longobardo tanquam aulico, & intimo familiari, epulum quotidie regium impertiret, mitteretque, quò ipse designâsset. Ea Regis voluntas, & conatus fregit inimicorum, & toto Sinarum imperio rem Christianam non recreavit modò; sed mirificè amplificavit. Duplicavit enim domiciliorum numerum provincialium, quæ quum Riccio e vivis erepto, quatuor numerarentur, Longobardo adhuc florente, octo jam per hæc tempora censebantur omnium præcipua, ex quibus minora alia in dies prodibant, quæ vastissimas Provincias excolerent, & erudirent: neque jam quinquageni, aut centeni, sed milleni, & quod excurrit, solemni ceremoniâ, certis unà temporibus lustrabantur.

Quanti Rex Longobardum fecerit.

XLVII. Immensum ergo, sed immortalem, & sæculo dignum laborem ingentibus animis complexus est Longobardus, & paucos intra annos vivus, & integer, per summas, & ineluctabiles difficultates, magnâ Societatis gloriâ, & religionis incremento, supremam tanto operi manum vidit impositam. Pugnandum perpetuò fuit cum Academiæ Mathematicis, qui assiduis libellis Regem fatigabant: *Nè pateretur Lusitanorum exploratores, quos Avus ejus Regno expulisset, nova, & barbara superstitionis auctores, in Sinici imperii Provinciis, & Pechini, & in aula inveterare. Quid rei esset, quod cum peregrinis, & ejectis potissima Regni negotia communicaret?* Magnis præterea clamoribus, curiam, forum, magistratus excitabant, ut Regem periculi, atque pudoris admonerent. Majorem tamen habebat difficultatem moles ipsa negotii, cui nonnisi divina quædam magnitudo animi par esse poterat. Permagnum fuisset novas conflare Ephemeridas illis cœli, terræque regionibus accommodatas, nostris tamen Astrologiæ elementis, & calculis digestas. Sed non erat ab Arabum disciplina discedendum. Placuerat enim Regi, & Regni Principibus, nè demptis quidem, qui rebus

Quibus apud Regem calumniis, & querimoniis perpetuò appeteretur.

Arabicis Astronomiæ elementis, & legibus eo in negotio standum erat.

no-

Digitized by Google

noſtris ſtudebant, veterem non abrogari ſupputandi facultatem, nè vel ſcientiſſimi ſiderum, & cœleſtium rationum peritiſſimi, in ejus tirocinio ſenes, & emeriti verſarentur. Quis enim ferret, ad ludum, & novæ artis infantiam damnari canos, & vetuſtatem omnem ignominiâ notari. Quare expungenda dumtaxat erant erratorum figmenta, & ad Arabum leges caſtiganda; quæ parum cognitæ noſtris hominibus, eos adigebant, ut ad eam redirent facultatis infantiam, quam Sinæ refugerent; & ab eis diſcerent ex arabicis originibus petita elementa, quibus corruptam emendarent diſciplinam, & Arabum ſcita ad præſentes aſtrorum ſtationes derivare: deprehendere oportebat errorum initia, & fontes, & iis omnibus mederi, quæ ſæculorum vetuſtiſſima indiligentia depravaverat. Verùm religionis ſtudium, & caritatis abundantia, qua Longobardus Chriſtiani nominis incrementa moleſtiis, atque incommodis omnibus anteferebat, effecit, ut neque labori, neque ſomno, neque vitæ parceretur. Convocavit ex Provinciarum Domiciliis, & Collegio Machaënſi, ex India, ex Europa, quotquot ad id laboris idoneos comperit Socios, adjecitque ex Sinis Mathematicis Chriſtianos aliquot Mandarinos; ex quibus novam condidit Academiam, ut collatis omnium ſtudiis, ingeniis, atque conſiliis, in eo plurimùm conniterentur, ut quàm citiſſimè opus abſolverent, & Societatis, ac religionis fidem liberarent. Itaque diurnà, atque nocturnà ſcribendi, & elucubrandi aſſiduitate defatigati, noſtrorum plerique gravem, & periculo proximam contraxere valetudinem, atque Machaum remiſſi ſunt. Non pauci periculoſiùs tabidà febre tentati, & ad diuturna itinera inepti ad mitioris cœli Provincias ſeceſſerunt; ſeptem ferè ſeparatis temporibus labor, & cura peremit, quibus ſupplendis Longobardus, in quem ſtudiorum ſumma reciderat, ſtrenuam poſuit operam, miſſis quoque in Italiam nunciis, & legatis, qui ſubſidia peterent, & rei Mathematicæ gnaros evocarent. Prodiere nihilominus Pechini, toto inde imperio diſſipata, centena accuratiſſimè elaborata volumina, Sinicis impreſſa formis, ac litteris; quibus Arabicæ diſciplinæ cardines cum noſtris elementis conferebantur, & ad concordiam trahebantur: erratorum occaſiones, tempora, & cauſæ reperiebantur: varia correctionum genera proponebantur; addebantur denique artis præſidia, quæ in poſterum tempus errorum initia præcaverent. Alia centum volumina per amicorum, & aulicorum manus ferebantur inedita, quæ abditioris diſciplinæ per *Algebra* radices, & ſemina, apud ve-

Mira Longobardi ſedulitas, & conſtantia.

E convocatis hinc illinc laborum Sociis Academiã cõflat, aſcitis etiã Chriſtianis aliquot Mandarinis.

Immodicis laboribus defatigati, plerique ex eo numero in gravem valetudinem incidũt, ſeptem vitæ jacturam faciunt.

Tantæ defatigationis fructus Pechini 100. volumina Sinicis formis excudũtur.

Alia 100. inedita circumferuntur, quæ rem ipſam per Algebræ radices egregiè verſant.

terrimos Arabes nondum cognita, rationes omnes complectebantur.

XLVIII. Dum hæc famâ, & omnium prædicatione, magno cum Christiani nominis emolumento, & laude vulgantur, atque tantæ rei expectatio in dies augetur, si fortè eventu carerent, quæ tot voluminibus jactabantur, exarsit furor inimicorum, qui frequenti coacto Mathematicorum conventu, alteram, conspiratione summâ, excitavere Academiam, nostræ contrariam, cujus operâ libri exiere quamplurimi, quibus, quæ Longobardus edi curaverat, in fallaciæ suspicionem vocabantur; refellebantur omnia; & vetusta Sinarum Academia vindicabatur a peregrinorum hominum impostoris, atque calumnis. Quare quum in eo res esset, ut Sinarum Imperator, decreto suo Provinciis ediceret, placere sibi, confectas a Longobardo, ejusque Academia cœli rationes, & Ephemeridas, imperii sui proprias esse, & in mores, ac Curiam inferri; interceſſere, oblatis ad id libellis, & officiis omnibus impetrârunt, ut negotium ampliaretur, & ejus rei cognitio ad aliud tempus rejiceretur. Parum proinde abfuit, quin quindecim annorum labor interiret. Sed Longobardi vigilantiâ factum, ut ex inimicorum injuria lucrum caperetur. Excurrebat annus 1638, quum unus, & alter impendebat Solis, & Lunæ defectus, neque multum aberat maxima quædam insignium astrorum conjunctio. Occasionem arripit Longobardus: Regem orat, nè rem inveterare patiatur, quæ nostris hominibus tanti stetisset. Juberet utriusque Academiæ controversias judice cœlo finiri. Ederet utraque unius proximi anni tabulas, adderet ratiocinationes, cœlestes eventus præsignaret, eventuum diem, horam, & horæ particulam adnotaret. Utra, veriores, & certiores expromeret prædictiones, testis futurus esset orbis terrarum, sententiam sidera ipsa proferrent. Æquitas conditionis repulsam ferre non poterat. Rescripsit Rex publicis litteris, ita fieri oportere, ut Longobardus censuisset. Exeruit utraque ex eo die unius anni Ephemeridas, & publicavit. Misit Rex ad Provinciarum Prætores, ut eas toto imperio promulgarent. Numquam aliàs tanta fuit hominum expectatio, ut certamen spectarent, cujus theatrum futurum esset cœlum, actores verò Planetarum nobilissimi. Adfuit Rex ipse spectaculo. Indicabant adversariorum tabulæ, utramque defectionem, uno ferè ante die, quàm ea contigerit. Siderum conjunctionem, utpote incognitam, præterierant. Ut dies advenere; ardentibus omnibus cupiditate spectandi, quum loca

Inimicorum invidiâ, alia excitatur academia, quæ Longobardi libros aliis libris confutat.

Ut Longobardi Ephemerides ad aliud tēpus rejiciantur, ab Imperatore Mādarini flagitāt.

Dirimendæ litis occasionem arripit Longobardus ab imminenti Solis, & Lunæ deliquio, astrorumq; quorumdam conjunctione.

Rex, Longobardi rogatu, astronomicas totius anni tabulas utramq; Academiam edere jubet.

su-

Digitized by Google

superiora spectatoribus complerentur, & sidera interdiu, quàm longissimè excurrerent; noctu verò Luna, sereno cœlo nullam deliquii speciem ostenderet; in publicam, communemque indignationem conversa est tantæ multitudinis expectatio, quasi ludibrio haberetur. Verùm Christianæ Academiæ prædictiones, nè momento quidem temporis fefellere. Omnia ad dictum congruebant; & quæ, & quando, & quantùm pars sideris obscuratione tegeretur. Eodem eventu animadversa est siderum conjunctio, quam Nostri designaverant. Consequutæ sunt victoriam, ejusque publicam omnium ordinum gratulationem, Regis litteræ, quibus statuebat magni *Occidentis* Academiam fore perpetuam; Academicis præmia decernebat, eisque Christianæ religionis promulgandæ, & toto imperio disseminandæ potestas fiebat, ac Longobardum, & Socios familiares esse suos, atque Academiæ doctores, quibus reliqui darent operam, declarabat. Tumultuariam verò inimicorum Academiam funditus delebat; academicis tantum pecuniæ distribui jubebat, quantum opus erat, ut Pechino abessent, & commodè iter facerent. Ita obtrectatio conquievit, & Longobardi existimatio, ejusque in Religionem, & Societatem merita in immensum excrevere. Jam enim Pechini Templum publicaverat, ad quod omnes sine exceptione confluerent, & in quo ipse, suique cœlestis doctrinæ præconium facerent. Quum verò aulam quotidie frequentaret, potentissimos aulicorum eunuchos eo usque sibi conciliavit, ut Christianæ militiæ aggregaverit, & per eos Reginam, ac Regni hæredem sacrà Lymphà expiaverit. Regis autem per codicillos tanta erat cum Longobardo familiaritas, & litterarum consuetudo, tam assiduæ, atque effusæ intimi amoris significationes, tantæ Christianæ legis præconia, quæ per Provincias efferebantur; ut in vulgus exierit, Regem Christo se devovisse. Auxit ejus rei suspicionem, quòd Deorum signa, quæ uxores, & aulici colebant, ejici ex aula mandaverit; jejunia Christiano more peragenda Provinciis indixerit; Deo publicas preces, & supplicationes decreverit. Sed ad Christi gratiam sacrà religionis aspergine perveniisse negant Longobardi ad propinquos litteræ, quas consuluisse se tradit Tornamira, rerum ejus eximius cognitor, & adnotator.

Nulla fit Lunæ defectio die ab Adversariis designatâ.

Ad Longobardi Academiæ prædictiones respõdet eventus cũ magna ipsius gloria, & rei Christianæ incremento.

Dissolvitur inimicorũ academia, & academici Pechino ejiciuntur.

Longobardus Reginam, & Regni hæredem Christo lucratur.

Rex tum Longobardi, tum Christianæ legis studiosissimum se præbet.

Tornamira in Adversariis monumentorũ ineditorum.

IL. Rebus Pechini pacatis, atque auctis, & toto Sinarum imperio, ut maximè optabat, succedentibus, Longobardus, qui religionis amplificandæ studio eò ardentiùs flagrabat, quò devexiores canos candidissima barba ostendebat, octogenarius jam,

jam, & ad ætatis vacationem idoneus, unius Civitatis mœnibus contineri non poterat, quin finitimas pedibus concurſaret Provincias, eas præſertim, quæ ad Septemtriones ſpectant, & hiemem habent adeo diuturnam, & ſævam, ut menſes ferè quatuor altæ nives contengant agros, & flumina glacie conſtrata pedibus tranſmittantur. Quod quemadmodum contingat, nemo adhuc extricare potuit: quoniam eæ regiones duobus ferè geometricis gradibus, ab æquinoctiali circulo minùs recedunt, quàm ager Romanus, in quo vel nulla, vel breviſſima eſt glacies. Longobardus duriſſimo anni tempore in Provinciam Xantunenſem, in qua eſt Pechinum, excurrere conſuevit, quòd eà tempeſtate maximum ardebat bellum inter Sinas, & finitimos Tartaros, qui non alio a caſtris, & excurſionibus vacabant tempore, niſi quum nives, & gelidiſſimæ hiemes hibernis eos continerent, neque aliud erat ſpatium, quo Pechino exiretur ſine periculo. Quare hæc otii intervalla captabat, delaſſatione incredibili, laborioſiſſimus ſenex, & per nives, ac glacies magnis itineribus irrumpebat, ut remotiſſima luſtraret oppida, Chriſtianos recrearet, barbaros erudiret, & expiaret, omnibus ſalutis, & religionis curam injiceret. Tanta autem erat in ea Provincia nominis ejus celebritas; ut ſtatim ac de adventu ejus perlatum eſſet, ex remotiſſimis etiam Civitatibus, quæ ſeptuaginta abeſſent millibus paſſuum ad eum omnium ordinum multitudo convolaret, & ſummi etiam Mandarini concurrerent, ut de religione diſſerentem audirent, & admirabilem oris majeſtatem, venerandis ornatam extremæ ſenectutis inſignibus, intuerentur. Vehementiùs tamen rapiebat omnium mentes, & animos, candidiſſimi, optimique ſenis indefeſſa caritas, ſingularis verecundia, nulla niſi gratificandi cupiditas, mira ſomni, cibique parcitas, continentia, humanitas, manſuetudo, inuſitatus denique virtutum omnium concentus, quarum magnitudine, tanquam delapſum cœlo hominem verebantur. Hibernas ejuſmodi expeditiones ad annum uſque ætatis ſextum, & nonageſimum continuavit integer, & incolumis; niſi quod ſupremis vitæ annis, jumentum, quo veheretur, non recuſavit. Redibat quotannis Pechinum ex moleſtiſſimis excurſionibus maximè lætus, quòd uberrimis onuſtus manipulis ſe reciperet, jeciſſetque futuræ meſſis ſemina, ad quam erat remigraturus: numerabat enim ſingulis annis quingentenos ferè, quos Chriſto adjunxiſſet, quibus erudiendis, & conſervandis, vetuſtiores relinquebat Chriſtianos omni ex parte conquiſitos, qui ſe abſente, juniores ex-

Longobardi in ſumma ſenectute ad ſeptentriones ſacræ excurſiones.

Medià hieme, ut plurimùm Xantunenſe Provinciam concurſat.

Quanto in honore, ac reverentia illic haberetur.

In hoc excurrendi genere ad 69 ætatis annũ conſtantiſſimè, & ſumma cum laude perſtat.

Digitized by Google

excolerent. Itaque quum annos ipsos tredecim florentioris ætatis in Cantonensi Provincia, & perlustrandis, confirmandisque australium regionum domiciliis posuisset, supremum vitæ spatium, & frigidissimos menses septentrionalibus dedit, inauditâ fortitudine, atque constantia. Pechinum quotannis redeuntem excipiebant exquisitis honoribus aulici ferè omnes, cum magistratibus, & Collegiorum Principibus, qui quum ejus adventum magno concursu celebrarent, pari consensu, id ab eo demum impetrabant: nè gravaretur, officii vicem rependere; sed ut ætati parceret, atque naturæ beneficio, & senectutis privilegio uteretur. Anno denique vitæ sæculari jam proximus vidit toto Sinico diffusam imperio Christianam religionem, audiebatque locis omnibus surgentes Christianorum colonias, exoptatos, & expetitos divinæ legis Præcones, atque inaudita inter barbaros maximarum exempla virtutum. Sed quæ Pechini capiebat incrementa religio, sine lacrimis commemorare non poterat: nam quum pauciſſimos reperisset, qui Christum colerent, plura jam capitum millia numerabat, & in his lectissimos viros summi Ordinis Mandarinos, ferè bis centum aulicas Matronas, cum Regina, & liberis supra quinquaginta, totidem ferè aulicorum Principes Eunuchorum. Quæ quum animo cerneret, admirabili temperantiâ, ea sibi abjudicabat, & Deo primùm, deinde Matthæo Riccio imputabat, qui quæ ipse excogitaverat, atque tentaverat, ut per alios perficerentur, a Deo de cœlo contenderet, & præsidiis cœlestibus adjuvaret. Uni verò sibi tribuebat, quòd non lætiora etiam, atque uberiora contigissent.

Quibus honoribus reducem quotannis Pechini eum exciperêt Principes Civitatis.

Uberrima in toto Sinico Imperio Lõgobardi laborũ messis.

Maxima ejus animi temperantia, & quàm demissè de seipso sentiret.

L. Reliqua vitæ, ac mortis ejus monumenta non aliunde rectiùs, ac certiùs peti possunt, quàm ex litteris P. Francisci Clementis, quæ ex gallico conversæ sunt hujusmodi. *P. Nicolaus Longobardus natione Siculus extinctus est Pechini Nonis Septembris anno 1654, ætatis duodecentesimo, Societatis tertio, & septuagesimo, ex ejus in Sinas adventu supra quinquagesimum. In adducendis ad Christianam pietatem Sinensibus plurimùm laboravit. Annos consumpsit tredecim in adjuvanda Cantoniana Provincia, ex qua ad illustrandas Christi luce finitimas ad austrum Provincias, & Societatis Domicilia obeunda, identidem exibat. Quod superfuit sanè diuturnum vitæ spatium in septentrionalibus regionibus collocavit, quas laboriosissimè excoluit. Vir planè summus, & religionis invehendæ, alendæ, amplificandæ studiosissimus, Tantâ fuit magnitudine animi, ut vel in summa, & rara se-*

Ex Gallico latina interpretatio litterarum P. Francisci Clementis de Longobardi inter Sinas Vita, & virtutibus.

Digitized by Google

senectute, ardua, & difficillima quaque conatus sit, etsi humanis viribus majora censerentur; & nullum unquam vitæ periculum deterruerit; quin quæ Dei obsequium, & animarum salus postularet, exequeretur. Nunquam ullum movit cum domesticis, aut externis dissidium; neque ulla unquam cum quopiam simultas, verbis, aut factis ejus exorta est. Nulla ex ore ejus excidit cujusquam obtrectatio; nulla audita est querimonia, nulla conquestio. Maximè officiosus, & obsequendi mirificè cupidus, ac supra quàm credi potest animi temperantiæ studiosus, morum, & orationis suavitate, domesticorum æquè, atque externorum voluntates sibi conjunxit, atque obligavit: Sinarum præsertim, qui officiis, & urbanitatibus mirum in modum delectantur. Summam munditiarum concinnitatem, summa cum paupertate conciliavit. Quidquid temporis, salutaribus persolutis officiis, supereffet, Deo de genu supplicans impertiri nunquam desitit. Quare quoties domi se contineret, non alibi unquam repertus est, quàm in templo, solus, & silens, & divinarum rerum contemplationi deditus. Sibi magnopere infensus, nullam corpori voluptatem indulsit, seque, quum Sociis honorifica mandaret, atque jucunda concederet, molestiis omnibus cumulavit. In alimentorum delectu ea dumtaxat adhibuit, quæ vilia essent, vulgaria, & insuavia; delicatiora nunquam gustavit; neque unquam sale, pipere, aceto, aut alio condimentorum genere usus est, a quibus religiosa continentia non abhorret. In extrema etiam senectute, quæ annum attigit prope centesimum, tam minora, quàm majora jejunia nunquam intermisit, & exquisitissimà curà sanctè servavit. Quietis causà cubans nunquam culcitram, aut stragulum corpori supposuit, sed meros asseres; nisi quod supremis vitæ annis, jussus est tenuem, contextam juncis stoream, aut tegetem substernere: neque frigoris arcendi gratiâ, aliam admisit supellectilem, quæ algida, ac tremula senis membra protegeret; etiam Pechini, ubi omnia per hiemem nive, & glacie rigent, præter simplam, detritamque lodiculam. Quotidianam flagrorum consuetudinem, maximè decrepitus, quum jam extenuato corpore, ossibus pellis hæreret, constantissimè retinuit, & ad extremum duplicavit. Tantam Sinicæ orationis, non elegantiam modò, sed etiam eloquentiam, immani labore, & singulari industriâ, est consecutus; ut Mandarinos ipsos linguæ doctores delectaret, & incredibilem sui admirationem, invidos etiam suos, & obtrectato-

res

res compelleret; scripsit proinde Sinicis litteris eruditissima volumina, quæ omnium manibus cupidissimè terebantur. Sinensium numerus, quos ad religionem a superstitione traduxit, tam insignis est, & eximius, ut quem calculus nullus exhauriret, rectiùs divinæ scientiæ commiserimus. Sensibus perpetuò integer, extremis tamen vitæ mensibus, vitalibus exinanitis igniculis, intimi sensûs virtus eò languoris pervenerat, ut sacras jam Sacerdotum preces, legendo percurrere non valeret. Quare admirabili accuratione, totidem marianis globulis alias numerabat vocales precationes, ut singulis diebus utrorumque verborum numerus numero responderet; rogabatque quotidiè Socios, ut rationem accuratè diurni pensi ducerent, ejusque rei sibi gratiam facerent. Triduo ante fatum, quum templum solito sæpiùs frequentaret, & in ipso vestibulo, gradientis vestigium falleret, ita lapsus est, ut caput impingeret, & leviter vulneraret; sed ætatis gravitas casum fecit gravissimum. Quare in conclave relatus, fatale tempus properare animadvertit, ac nemine admonente, culpis rite expiatis, cœleste æternitatis viaticum sumpsit, & sacro Oleo lustrari flagitavit. Quibus magna cum pietate, & religionis sensu peractis, P. Joannem Adamum, amicum, & necessarium admovit, qui Christi patientis, & morientis historiam perlegeret; rogatusque numquid molestia, aut metus aliquis sollicitaret animum, sublatis in cœlum manibus, & oculis, dulci fletu manantibus, lætitiâ exultans, respondit. Imus, mi Pater, Imus. Quid verò mihi molestiam, aut metum memoras, cui Christi cruciatuum lectio, & mortis, & vitæ nuncium attulit? Die, quam decubuerat, tertio, albente jam cœlo, Adamus pro moriente immolavit; mox P. Gabriel Magaglianeus; quo divinam Hostiam extollente, P. Nicolaus Longobardus mirâ vultûs, & animi suavitate exanimatus, sine febri, sine dolore, sine molestia conquievit. Christiani, qui circa lectulum de genu aderant, tantos edidere gemitus, & ejulatus, quasi communem Parentem lugerent, ut vicinia tota ad inusitatos clamores accurrerit. Ut de ejus fato Pechini auditum est, convenere imperii Principes, summa Judicum Collegia, primi subsellii magistratus, omnium Ordinum Mandarini, Regis etiam Eunuchi, Aulicique quamplurimi, qui omnes in caput proni, ut terram fronte contingerent, ter suis moribus, extincti corpus consalutaverunt, & quasi vivum coluerunt. Qua ceremoniâ, summi honoris significatio, & sanctitatis

opinio continetur. Rex cujus summa erat Longobardi virtutum existimatio, perlato nuncio mortis ejus, aureos ferè nongentos dono misit, quibus funeris honores magnificè persolverentur. Corpus pretiosà materià clausum, solemni pompà elatum est, frequentissimo Mandarinorum, & Optimatum comitatu, apparentibus quadringentis aulæ Principibus, qui ad sepulcri ædem deportatum, quam Regis Abavus Societatis hominibus attribuerat, & juxta Matthæi Ricciii reliquias collocatum, lustratumque Christianis exequiis, cum ceris, atque concentu, capite ad pavimentum ter demisso, stantes sunt venerati. Ex eo autem æstimari potest, quanti faceret Longobardum, & quantà benevolentià eum prosequeretur Populus Pechinensis, quòd in amplissima Civitate, & supra quàm credi potest frequentissima, quum efferretur, & sepulcrum duobus passuum millibus a mœnibus abesset, magna hinc, atque inde stipata multitudo viam compleret, & odoratis suffimentis, exquisitisque vaporibus, honorem funeris cumularet, conclamantibus omnibus, Christianis, & Barbaris, viri virtutem, ac probitatem. Denique Regis missu, adjectus est tumulo lapis cum hoc elogio Sinicis litteris. P. Nicolaus Longobardus, natione Siculus, Professus Societatis Jesu, in ea vixit annos tres, & septuaginta, quorum duodesexaginta Christi præconium faciens apud Sinas collocavit. Qui quum Sociis post Riccium quàm diutissimè præfuisset, plenus demum dierum, ac meritorum, Pechini vitam clausit, Nonis Septembribus, anno 1654, ætatis suæ octavo supra nonagesimum. Vir planè inter dignos dignissimus, qui summis non modò Provinciæ, sed universæ Societatis doctrinà, & sanctitate hominibus annumeretur. Ex editis ab eo libris ad nos pervenere litteræ e Sinis annuæ anni 1598, latinè quoque, sed Sinicis litteris: *Preces cum officio funebri, ac Sepultura.* Sinicà verò oratione, atque litteris: *Formula examinandi conscientiam, & confitendi: sive exercitium quotidianum, Christianorum usibus valdè accommodatum. Vita B. Virginis, & nonnullorum Sanctorum. De Anima, ejusque potentiis. De causis terræmotus Pechinensis, anno 1624.*

Lucubrationum ejus varietas, & operum cõmemoratio.

Natan. Sotuel. Biblioth. Societ. pag. 631. et seq. Mongit. Bibliot. Sicul. tom. 2. pag. 90. col. 2. et 91. col. 1.

LI. Quamquam P. Placidi Samperii memoriam ab interitu satis vindicant eruditæ, quas ipse edidit, piæque vigiliæ, placuit tamen, nostris eam quoque scriptis exuscitare, quibus singulari futura est ornamento. Messanæ ortus, anno 1589, ætatis undevigesimo Societatis tirocinium ibidem inchoavit pridie Calendas Majas, anno 1609. Amœnioribus litteris, ingenii jucundi-

P. Placidi Samperii Patria, ingenitum, & eximiæ virtutes.

Digitized by Google

ditate apprimè deditus, severiores neglexit; quare quatuor votorum sacramentum tantùm non attigit, sed uno infra eum ordinem gradu, volens, ac lubens acquievit. Humaniores itaque litteras, & Rhetoricæ artem ad annum usque nonum tradidit, navitate, ac solertiâ singulari, in eo præsertim commendatus, quod Societatis non immemor institutorum, religionem, ac pietatem ante litteras, ac musas habuit, & demandatam sibi juventutem egregiis moribus informavit. Illud tamen sibi ante omnia proposuit, ut Auditores suos, quos propter eruditionis, & accuratæ institutionis opinionem, frequentissimos semper numeravit, ad Matris Virginis religionem adduceret, quam Christianæ probitatis cardinem, & alimentum putabat. Edidit sub id tempus Rhetoricis ornatam phaleris, Mamertini portûs laudationem, italicâ oratione, in qua nihil desideres, præter delicatiorem ævi nostri palatum, cui non sapiunt, nisi nudæ, ac puræ munditiæ. Verùm ea sæculi conditio est, non ingenii, vel artis. Graviores annos, Domui Mamertinæ addictus, a Musarum consuetudine ad salutares exercitationes transtulit, quas magno civium, ac nobilitatis concursu, & præsertim Matronarum, administravit, quibus audiendis, & expiandis quotidianam navabat operam, sed mitem, atque suavem; at quum res poscceret, reprehensionis severitate temperatam. Quidquid temporis a piis, & salutaribus templi obsequiis vacuum nanciscerctur, id omne in augenda, & illustranda *Deiparæ* gloria secedens posuit. Plurimos enim annos in divinæ Matris Mamertinorum Patronæ *Iconologia* elucubranda consumpsit, & anno vigesimo, atque ante fatum decimo, emisit, in qua nemo non perspicit, quàm effusâ Samperius erga Deiparam caritate flagraret. Appingunt plerique Samperio libellum, Marci Antonii Sestini nomine, Perusinis, & Maceratensibus prælis expressum; quem tamen eruditum quidem, & eleganter elaboratum, religiosissimo viro meritò abjudicat Antoninus Mongitore, utpote acerrimis salibus, & lycambæo felle respersum. Diem Samperius supremum attigit in Domo Mamertina, V Calendas Septembres, & in *Deiparæ* complexu conquievit, anno ætatis quinto, & sexagesimo. Civem sui studiosissimum, deque se egregiè meritum, magno omnium luctu, Patria desideravit, & magnificè extulit. Funeri interfuit P. Marcellus Spinellus Patritius Neapolitanus, qui paulò antè Provinciam attigerat, ut eam extra ordinem cum potestate lustraret, exciperetque sequenti anno, P. Carolum Vintimigliam, honore perfunctum, ordinario Provinciæ magistratu.

Ejus in amœnioribus litteris tradendis navitas, ac solertia.

Deiparæ religionem summo studio auget.

Ingenii ejus edita monumenta.

Biblioth. Soc. & Sicul. ordin. Alphab.

Samperio inusta calumnia refellitur.

Ejus in Domo Mamertina beata mors, & funus.

1665 LII. Annus 1655, qui fuit a soluto summo Societatis Conventu, quartus, aperuit Provincialia comitia, quæ in Domo Panormitana ad Calendas Majas celebrari jussit, P. Marcellus Spinellus, qui jam ab extraordinaria ad ordinariam Provinciæ præfecturam gradum fecerat. Ad diem convenere quadraginta numero Patres, quibus extra ordinem jure suo adjectus est Cæsar Boscus, qui Provinciam administraverat. Coacto postridie conventu, Spinellus præclarè disseruit, de consultandi necessitudine, deque libera, & erecta, non serva, & pedissequè suffragatione. Laudavit copiosè Provinciam, quam *amores suos, ingentem partem, & præclarum decus Societatis* appellavit. Patres denique hortatus est, ut in homine legendo, qui de Provinciæ negotiis ad Goswinum Romæ referret, non privata studia, sed bonum publicum sequerentur. Summa hæc orationis capita fusiùs adnotavit P. Thomas Tamburinus, Calatanixetensis, qui eodem die ad Comitiorum acta conscribenda, communibus suffragiis est designatus, & muneris adjutorem nactus est P. Petrum Mariam Cigalam Panormitanum, Collegii Lilybœtani Rectorem. Qui verò negotia deligerent, de quibus in Conventu deliberari oporteret, dicti sunt P. Bernardinus Bonicius Melitensis, & P. Cæsar Boscus. Die, ut fit, intermisso, tertiâ rogatione, creatus est Provinciæ Procurator idem Bonicius; & quartâ suffragatione, destinatus est P. Stephanus Turturetus Messanensis, Domui Mamertinæ Præpositus, qui Bonicio fortè prohibito, succederet. Ventum est sequentibus actionibus, ad decernenda Provinciæ postulata; quorum erat primum, nè quibus in majori jejunio perpetuæ valetudinis gratiâ, edendæ carnis fit potestas, ea concedatur supremis quinque diebus. Laudavit Goswinus postulationem, & in mores abire jussit. Alterum, nè deinceps fas esset Collegiorum sive Rectoribus, sive Procuratoribus, in rebus contrahendis, publicas conficere tabulas, cæcà quadam conditione *Pro persona nominanda*. Id quoque commendavit Goswinus, & nè fieret injunxit, atque factum fuisse, miratus est. Postulavit demum Provincia, ut P. Hieronymum de Angelis, qui religionis causâ, apud Japones necatus est, sacros honores Romæ decerni curaretur. Pollicitus est Goswinus in loco, & tempore operam suam; eatenus tamen, quoad per Romanorum Pontificum decreta liceret.

P. Marcellus Spinellus provincialem conventum Panormi celebrari jubet.

Spinelli ad convocatos Patres Oratio.

P. Bernardinus Bonicius Provinciæ Procurator eligitur.

Provinciæ postulata Romam ad Goswinum deferenda.

LIII. Præclarum hoc anno processum habuit in universa Provincia B. P. N. Ignatii religio, præsertim verò Thermis ad Himeram, ubi propositâ cum ceris Imagine, toto Quintili men-

Thermis ad Himeram B. P. Ignatii religio amplificatur.

Digitized by Google

mense, ejus Collegii Patres, civibus convocatis, de sanctissimi Viri virtutibus, ac beneficiis a Deo, ejus gratiâ collatis, quotidie vicissim disserèrent. Exarsit enim tanta beneficiorum impetrandorum fiducia, ut nulla esset diei hora, qua non ante ejus aram magnum supplicantium agmen vota conciperet, aut exsolveret. Quadraginta ferè, paucis diebus, cœlestia prodigia, jurejurando contestata adnotavit Tornamira, & litteris consignavit; quorum nonnulla huc transferam, quæ rarioris habent eventûs admirationem. Quum ad cædem traheretur ferox vitula, vicit laniorum vires, & ex eorum elapsa vinculis, & manibus, fugavit omnes: tum furens, & errans in trimulum incurrit infantem, qui diffugientibus reliquis, periculi imprudens, non procul a matre, media in via spatiabatur. Hunc petit, ac dejicit, & iterum, atque iterum ferit, mox in sublime jactatum bis cornibus excipit, ac rursus jactat. Mater spectaculo perculsa, & materno amore incitata, periculum nihil verita, protinus accurrit, ac B. Ignatium exclamat. Ea vox frementem belluam in fugam conjecit, & filio saluti fuit. Mulier enim prostratum infantem, quem exanimatum putabat, & lugere cœperat, sublevat, & integrum, atque incolumem, nullo vulnere, nullo dolore, nullo contusionis vestigio recipit; omnibus, qui aderant civibus, miraculum conclamantibus. Tres honestæ sorores, virgines, & orbæ parentibus, ex pupillari vinea, a majoribus testamento accepta, vitæ alimenta ducebant; supremis tamen amissis tabulis, de bono possidendi jure docere non poterant. Quare in jus ab adversario vocatæ, quum neque patronum haberent, neque possessionis titulum judicibus probarent, fieri non potuit, quin causâ caderent, & abjudicatam ipsis vineam amitterent, & unico illo vitæ subsidio carerent. Attonitas, & consilii expertes non deseruit B. Ignatius, ad cujus aram quum confugissent, rogâssentque multis lacrimis, ut præsto esset, vix templo digressæ, quum domum se reciperent, occurrit ignotus homo, qui uni earum publicas tradit litteras, paulò ante in tabulario repertas, quibus ostendant, quo auctore ad eas vinea pervenerit; monetque nè cunctentur, B. Ignatio gratias agere, cujus beneficio repertæ tabulæ prædium redemerint. Judices tabularum fide compertâ, Sororibus vineam adjudicant, & propriam fore decernunt. Pestiferâ ardebat febri Eleonora Notarbartola, nobilis, & pia mulier, quam vis morbi adeo consternaverat, ut Medici ad summa corporis, animique remedia præscribenda descenderint, & propediem morituram pronunciaverint.

Cœlestibus beneficiis confirmatur.

Infans quidam a furente vitula petitur, & cornibus in sublime jactatus, ab ea excipitur

Ejus Mater B. Ignatium exclamat, & ejus beneficio filiũ integrum, & incolumem recipit.

Tres honestæ Sorores amissas prædii tabulas a B. Ignatio recipiunt.

Repertis tabulis, Judices Sororibus vineam adjudicant.

Ad-

Eleonora Notarbartola morti proxima, per B. Ignatium repentè convaluit.

Adventabat B. P. Ignatii dies, cujus illa, religione maximè tangebatur. Reliquias ejus popoſcit, quibus allatis, ſecum ſtatuit, quidquid cerarum ad illuſtrandam ejus diei celebritatem opus eſſet conferre: ægritudo nihilominus in dies ingraveſcens eò proceſſerat, ut quæ impendebat febris acceſſio, fatalis putaretur. Et jam intimus rigor, & arctior venarum pulſus, novi ſſimi impetûs præludia oſtendebat: quum Eleonora, a P. Joanne Maria Vella Melitenſi, qui aderat, ſciſcitans, quot ceræ libbres ad aram B. Ignatii eo die arderent, qui honoribus ejus eſt conſecratus, ut audivit duodecim emi ſolere, numerum duplicavit, & libras quinquaginta dono mitti juſſit. Dum ceræ afferebantur, ea repentè convaluit, ſtupentibus medicis, & cœleſtem virtutem conteſtantibus.

CAPUT XI.

Inſignium Provinciæ Virorum unius anni 1656 funera, præſertim P. Aloyſii Lanuzæ, cujus ex integro admirabiles res geſtæ exponuntur.

1656

NUnquam aliàs uno eodemque anno tot viros illuſtres deſideravit Provincia, quot ſimul extinxit annus 1656, qui propterea totum ſibi vindicat caput undecimum, quod aggredimur. Principem obtinet locum P. Franciſcus Dragus, qui ſæviente Neapoli peſtilentiâ, primus omnium in officio caritatis extinctus eſt; ſed quo die, aut menſe, nemo adnotavit. Panormi ortus eſt generoſis majoribus, anno 1601: ætatis verò decimo ſeptimo, inter tirones Panormitanos, ſub P. Antonino Philippatio eſt relatus, & exinde Mœnas traductus, prima ibi Societatis ſacramenta nuncupavit, anno 1620: ſolemnia demum quatuor vota, peractis magna cum laude ſtudiis, coram P. Cæſare Boſco, qui Domui præerat Panormitanæ, edidit, anno 1636, ſexto Idus Septembres. Reliquum vitæ ſpatium in variis exegit Provinciæ Collegiis, atque muneribus, ſtrenuus æquè laborioſus, ac indefeſſus, exempli plenus, diſciplinæ ſtudioſus, & temperantiæ ſervantiſſimus. Quinquagenarius ferè graviſſimâ diu afflictus valetudine, Medicis adnitentibus, ſolum vertere coactus eſt, & Neapolim confugere, ubi clementioris cœli beneficio, properè convaluit, & reſtitutus conſedit. Capuæ hoc anno verſabatur, quum peſtilentia Neapolim adorta eſt, & incredibili

P. Franciſcus Dragus Neapoli in officio caritatis extinguitur.

Alegambe Victimæ Charitat. pag. 535.

Ejus cùm intra, tum extra Provinciam munera, & res geſtæ.

Valetudinis causâ, Neapolim mittitur, ibique reſtitutus conſedit.

cla-

Digitized by Google

clade grassari cœpit, atque differri. Exire jussi sunt tirones, & juniores omnes cum suis doctoribus, nè Provinciæ soboles interiret. Delecti sunt ex eorum numero, qui certatim contagione affectis operam suam mancipare flagitabant, seniores, quorum duo Sacerdotes fuere principes, Josephus Gustapane, & Franciscus Dragus. Hic salutem, quam Deo, & Neapolitanæ Provinciæ acceptam referebat, utrique dicare statuit. Sed ægrè admodum impetravit. Invidiosum enim videbatur, alienæ Provinciæ hominem, qui eò valetudinis causà venerat, facilè periculo objicere. Sed assiduis flagitationibus acerrimè petenti diutiùs negari non potuit. Itaque cum primis prodiit ex Domo Neapolitana, & contagiosorum hospitio clausus, tamdiu in officio perstitit, subveniendi languentibus admirabili caritate, quamdiu incolumitatem nactus est. Sed eádem lue tentatus, consumtusque est, & ibidem tumulatus, annos natus quinque supra quinquaginta. Strenuum hunc ducem alii fere quinquaginta secuti sunt, qui diversis in locis, contagiosis adfuere, & tribus demptis, in obsequio caritatis occubuere omnes. Tradit Tornamira, & innuit Alegambe; P. Franciscum Dragum, magno studio opitulari consuêsse animabus, quæ piacular igne lustrantur; redditamque ab eis præsentissimo in periculo vicem. Quando enim æger Neapolim navigabat, procellosam nactus tempestatem, octavùm depressa est, & eversa phaselus, qua vehebatur, & octavùm sublevata, quum prope altissimam ripam fluctibus jactaretur, & certissimum naufragium immineret. Subvenere periclitanti, gratissimæ illæ Animæ, quæ nautarum specie repentè extiterunt, candidissimis amictæ indumentis, & restitutam identidem naviculam cum vectoribus, & remigibus ad littus incolumem deduxere. Addit Alegambe, id se accepisse ex homine compertæ fidei, qui navigationis, naufragii, & incolumitatis comes fuerat. Memorant quoque Albertus, & Tornamira inter Provinciæ victimas caritatis, P. Petrum Ferracutum Messanensem, qui quum in Neapolitana Domo inveterâsset, & annos duos, & quadraginta custodias publicas, corporis, animique subsidiis adjuvisset, hoc etiam anno, contagiosis sublevandis addictus, septuagenario major, pestifero veneno correptus est, & extinctus. Sed hunc Siculæ Provinciæ Neapolitana meritò abjudicat, in qua tirocinium adolescens posuit, vir quartum dixit sacramentum, & senex ad supremos usque canos perpetuò laudabiliter meruit; neque nobis quicquam adjudicat, præter originem, atque Patriam.

Grassante Neapoli pestilentiâ, cõtagiosis adest, & eádem lue tentatus occumbit.

Tornamira in adversariis ineditis, & Provinciæ Monum. Alegambe Victimæ charitatis pag. 536.

Defunctorum manes studiosè sublevat, a quibus ab imminẽte naufragio liberatur.

P. Petrus Ferracutus in eorumdem obsequio vitam ponit.

Plu-

II. Plurimùm debet Provincia Nicolao Galletto Panormitano, qui vivus, & mortuus eam, ut generis nobilitate, sic raro exemplo illustravit. Editus est in lucem III Calendas Octobres, anno 1628, ex præclarissimo Gallettorum genere, qui plurimis ab hinc sæculis, inter Pisanæ Reipublicæ Patritios, & Optimates numerabantur, & in Siciliam traducti, insignes præfecturas, amplissimas cognationes, & possessiones, & oppida, & insulas, & titulos adepti sunt, Principes jampridem Fluminis Salsi, & Sancti Cataldi *Marchiones*. Nicolaus annum ætatis attingebat decimum septimum, quum humanis rebus se Panormi abdicavit, & Societati nomen dedit. Vixdum primum exegerat tirocinii annum, quum, fratre natu maximo e vivis erepto, ad eum respiciebat lautissima hæreditas. Sed nullæ propinquorum illecebræ, preces, adhortationes strenuum adolescentem a Societatis proposito avertere potuerunt. Biennio expleto, prima Societatis vota privatim nuncupavit, fratri natu minimo locupletissimum addixit patrimonium; & Calendis Juniis, solemne trium votorum sacramentum publicè recitavit, ac jura omnia sibi ademit, fratrique transmisit; quod tantâ animi voluptate, lætitiâ, ac magnitudine præstitit, ut qui regno tum potiretur, Juribus, ac curis solutus omnibus, ingenium ad litteras appulit, alacre, erectum, & supra vulgarem conditionem discendi cupidum. Quare musarum, & Philosophiæ studiis intemperanter se involvit, & jecinoris vitio sanguinem rejecit; neque intestinum ulcus sanari potuit ullis remediis, quin cruentam identidem vomitionem, & excreationem efficeret, qua ægritudine extenuatus, & mirum in modum viribus exinanitus, vitam ægrè protraxit ad annum usque ætatis duodetrigesimum, mirificè gestiens, & lætitiis omnibus incedens, quòd non modò quibus extra se essent, divitiis, titulis, commodis, honoribus Christo litâsset; sed intimis etiam rebus, sanguine, ac vitâ moriens Christo litaret. Itaque præpropero fato, paulatim consumtus, in Domo Panormitana vitam reliquit, non sine magno sui desiderio, & emeritæ virtutis exemplo: renovavitque P. Vincentii Galletti Politiensis, Patrui ejus memoriam, qui Principatu Fluminis Salsi dimisso, Panormitani Collegii censum paternis bonis amplificavit, & auctore Tornamirâ, in contagiosorum obsequio, virus contraxit, ex quo ibidem ætate florens mortalitatem exuit, annos natus quinque supra quadraginta, ut ad annum 1626, quo extinctus est.

P. Nicolai Galletti generis nobilitas, & excelsa virtutũ exempla.

Humanis rebus se abdicat, & Societati Panormi ascribitur.

Admirabili tẽperantiâ lautissimum patrimonium fratri natu minimo addicit.

Ex nimio litterarum studio, jecinoris vitiũ contrahit.

In Domo Panormitana ex eo morbo vivere desinit;

Gallettorum erga Societatẽ merita.

III. Majorem profectò attulit luctum P. Carolus Vintimiglia

Digitized by Google

glia Panormitanus, quem ex tribus, quos Provincia numerat, seniorem comperio, vir omni ex parte magnus, sed gubernationis scientiâ præstantissimus. Ex Gallia Celtica oriundus vetustissimæ familiæ nobilitatem ex præcipuis ducebat tribunis militum, qui ex Normannia profecti, Rogerio Duce, Siciliam, Afris bello superatis, fusis, & ejectis, receperunt, & pacaverunt; ac victoriæ præmia, agros, & oppida retulerunt. Ortus est anno 1592, & probè adultus, propinquis nequicquam reclamantibus, anno ætatis undevigesimo, Panormitanis tironibus adjectus est. Hieronymum Tagliaviam animi Rectorem, atque magistrum nactus, talem se ad virtutem omnem fingi passus est, qualem domestica instituta postulant Societatis hominem, corpore, & animo rectum, atque emendatum. Sublimioribus artibus laudabilissimè emensis, ac publicè propugnatis, Philosophiam junior Panormi, inusitatâ auditorum frequentiâ; senior sacram morum disciplinam, propter confluentium numerum in aula maxima tradidit. Quamquam verò ingenio plurimùm valeret, & disceptandi alacritate æquales vinceret; tamen, & oris dignitas, & altitudo judicii, & domesticarum institutionum scientia, & rerum agendarum facultas, & rectissima sentiendi, decernendique probitas, gerendis magistratibus maximè idoneum, ad honores evocavit. Quum igitur jam ab anno 1625, quartum dixisset Societatis sacramentum; primum omnium ei obvenit Collegium Melitense, in cujus administratione aliquandiu versatus, quatuor continenter annos Collegium rexit Panormitanum, ab anno 1636, deinde S. Francisci Xaverii Domicilium, mox iterum Collegium Panormitanum, quod non alia cujusquam fuerit tam accurata, & salutaris domesticæ juventutis institutio. Annum postea jam quartum ab hoc magistratu siluerat, quòd requiem poposcerat ab muneribus publicis, & ætatis vacationem. Sed Piccolomineus, qui hominis virtutem, & sapientiam coram cognoverat, eum crebris litteris, & officiis compulit, ut Provinciæ administrationem capesseret anno 1651, quam ille gessit nunquam satis laudatus. Aliud repentè expromsit gubernationis genus, quàm in privatis Collegiis exeruisset. Nam qui in minoribus magistratibus minimarum quoque rerum paternam ostenderat sollicitudinem, & nihil negligeret, nihil curam ejus effugere debere existimaret; Provinciæ rectionem ita instituit, ut minima tantùm non ignoraret, ceterùm neque tentaret, neque moveret: quæ verò summa essent uni sibi relinqueret, neque quemquam attingere pa-

P. Carolus Ventimiglia Panormi Societatem amplectitur.

Philosophiam, sacramque morum disciplinâ inusitatâ auditorum frequentia ibidem tradit.

Singularis ejus gubernationis scientia.

Magistratuum ejus vix intermissa series exponitur.

Provinciæ Siculæ præficitur, eamque summa cum laude administrat.

teretur. Quod erat sapientis animi, & rectæ, moderatæque gubernationis expertissimi. Ita enim vitavit invidiam, & conquestiones, amplificavit auctoritatem, potestatem retinuit, & venerabilem potiùs, quàm metuendam exhibuit gubernationem. Quare neque sordes per se scrutari, neque animadversiones, nisi per alios injungere, neque de parvis culpis cognoscere, neque culpationes administrare consuevit. Delatores, nisi probabilis causa subesset, ad magistratus plerunque suos rejiciebat. Sed iis, qui præerant, sedulò, assiduéque imminebat, nè quid facerent, aut dicerent, quo potestate abuterentur. Aditus habuit non difficiles, neque facillimos, quod ubicunque esset, Optimates, & Principes Civitatum ad eum frequentes accurrerent cùm officii, tum etiam consilii gratiâ. Juniores semper stantes, plerunque stans, rarò sedens audivit: neque facilè judicare quis poterat, utra magis in eo valeret, & jucundior haberetur, gravitas, an comitas; nam utramque sapienter temperabat, ut altera alteram comitaretur. Posito magistratu, in Collegio Panormitano biennium consedit, ad id designatus, ut domesticos adolescentes pietate imbueret, expiaret, & religionibus exerceret. Quo in munere eorum voluntates usque adeo sibi conjunxit, ut sua omnia illi committerent, & nihil esset, de quo eum celatum vellent. Ipse morum candore, integerrimi animi facilitate, & gratificandi studio, omnibus acceptus, & amabilis, uni sibi nihil indulgens, ut primos, ita supremos religiosæ vitæ annos, unà eádemque disciplinæ normà composuit; certavitque cum junioribus verecundiâ, cum veteranis prudentiâ, & gravitate. Cœlestis epuli religionem suavissimo animi sensu semper coluit; & in ipso curarum, & negotiorum æstu, quum horæ spatium sacrificio dedisset, tantundem temporis de genu supplicabat. Divinam quoque Matrem magno in amore, & honore habuit. De ejus gloria, atque virtutibus dulcissimè loquebatur. Marianos dies singulari pietate traduxit, & pridie eorum dierum, secessit, siluit, & cibo caruit. Cœlestibus illum assuevisse beneficiis, tum primùm cognitum est, propter insignem ejus temperantiam, & loquendi parcitatem, quum impendentis sibi mortis præsagium de cœlo eum accepisse, nemo non intellexit; ab eo enim auditum est, quo mense, ac die fatalem horam expectaret, quam vaticinio optimè congruentem exitus declaravit. Nomen ejus universæ Provinciæ, sed Collegio potissimùm Panormitano, quod perpetuis largitionibus locupletavit, memorabile, atque immortale futurum, docet imago ejus, publicis in-

lo-

Quibus artibus magistratùs invidiam, & conquestiones vitaverit.

Posito magistratu, adolescentes in Collegio Panormitano, pietate imbuit.

Eximia ejus erga Eucharistiam, ac divinam Matrem religio.

A Deipara mortis nunciũ accipit, & eo, quem prænunciaverat die, Panormi decedit.

locis proposita cum hoc titulo. *P. Carolus Ventimiglia genere, doctrinâ, prudentiâ, religione, virtutum omnium concentu summus, Provinciæ semel, Collegii Panormitani bis, septennium per intervalla Rector, disciplinæ custos, & rei domesticæ amplificator, in eo decessit postridie Nonas Quintiles, anno 1656, ætatis quinto, & sexagesimo, Societatis sexto, & quadragesimo, ab emisso quatuor Votorum sacramento trigesimo primo.*

Ejus imago publicis in locis cum elogio proponitur.

IV. Insigne P. Bernardi Colnagi vaticinium hoc anno implevit P. Alexander Nevola Panormitanus, qui adolescens quum esset, & in Collegio Mamertino Philosophiæ daret operam, atque a prandio cum tribus aliis domesticis æqualibus, de cœlestis Patriæ desiderio colloqueretur, obvium habuit Colnagum, qui singulos circumspiciens, & quo ordine desiderium essent expleturi significans, Nevolæ misertus est, quòd novissimus omnium esset e vita migraturus. Neque secus factum est: Nevola enim reliquis superstes ad annum primum, & nonagesimum vitam produxit, & illis eà serie, qua Colnagus enunciaverat, jampridem extinctis, hoc anno oraculi fidem liberavit. Ortus est anno 1565, non obscuris parentibus, & annos natus undeviginti, pridie Nonas Decembres, Societatem amplexus est Messanæ, ubi Andreæ Ungriæ magistro dedit operam, & perfectioris vitæ elementa ab eo hausit, ac in omni vita retinuit. In Provincia quoad vixit primas ingenii, ac doctrinæ tulit, sive discipulus, sive doctor. Nullum est litterarum genus, quod non fuerit ita assecutus, ut singulari cum commendatione tradiderit. Tradidit autem in Collegio Panormitano, quod nescio an nemini contigerit, artes omnes, & linguas ejus Academiæ proprias, & doctrinæ stipendia omnia gradatim percurrit. Ingenio, memoriâ, & linguâ promptus, voce gratus, & resonans, in disceptando acutus, & efficax, in consiliis explicandis certus, & verus, quæcunque ageret, aut diceret, tot tantisque luminibus illustrabat, ut sive publicè, sive privatim disputaret, nihil esset, quod non certando vinceret, & dissentientibus persuaderet. Magni proinde, atque incredibiles ad eum audiendum fiebant discipulorum concursus, quos ille ita complectebatur, & jam publicè omnes, jam privatim singulos erudiebat, ac rebus omnibus juvabat, ut quem tamquam doctorem egregium verebantur, veluti Patrem quoque colerent, atque diligerent. Emeritis jam disciplinarum omnino omnium stipendiis, devexam ætatem domesticæ Reipublicæ admovit, quam deinde continentibus magistratibus perpetuò

P. Colnagus, P. Alexandro Nevolæ cũ tribus aliis, quo ordine essent decessuri, prænunciat.

Exitus vaticinio congruit.

P. Alexandri Nevolæ virtutes, & in Societate munera, & res naviter gestæ.

Ejus ingenium, & linguarum peritia, & in explicandis consiliis eximia dexteritas.

administravit. Honores a Collegio Calatahieronensi inchoavit, anno 1611; ubi tam illustre prudentiæ, æquitatis, & vigilantiæ specimen dedit, ut ad sustinenda cum dignitate publica munera natus videretur. Quare ad prima statim subsellia evocatus, Domùs primùm Panormitanæ, deinde Collegii, iterum Domùs magistratum perhonorificè gessit. Provinciam quoque extra ordinem quatuor menses obtinuit, sed in ordinario ejus magistratu nunquam fuit; fortè quia litteris, quum ætate floreret, involutus, ad honores serò pervenit, & emeritos jam canos alienis Provinciis addicere jussus est. Nam iis, quos diximus, magistratibus laudabiliter perfunctus, summam Venetæ Provinciæ præfecturam primùm adiit; deinde in Neapolitana extraordinariam potestatem *Visitator* exercuit. In magistratibus sui juris maximè retinens, Collegiis, Domibus, atque Provinciis tanta cum severitate præfuit, ut adventus ejus disciplinam erigeret, atque componeret. Nam ut Domiciliorum limen attingebat, ocreis nondum positis, & viatico palliolo indutus, familiam convocabat, & ad excusitandum sanctioris vitæ studium hortabatur, antequam quemquam audiret, nè ea, quæ diceret, aut reprehenderet, vel alios detulisse, vel aliis placuisse, aliqua cum offensione putaretur. Sed eam severitatem, morum innocentiâ, doctrinæ auctoritate, & incorruptæ gubernationis scientia tuebatur: condiebat quoque officiis, mansuetudine, continentiâ, præcipuè verò misericordiâ, & lenimentis suavitatis, ac caritatis. Salutarem proinde, ac minimè gravem instituit regendi consuetudinem, quam nè ii quidem qui culpabantur, & plectebantur, carpere auderent. Nihil enim tam ægrè patiuntur homines, quàm eos, qui præsunt, alienarum dumtaxat virtutum custodes esse, & vindices vitiorum. Extremum vitæ tempus in Panormitana Domo privatus transegit, integris semper corporis, animique viribus. Tantâ autem valuit opinione probitatis, atque doctrinæ, ut quamvis consilia ejus severitate niterentur, commune tamen esset universæ Civitatis oraculum, ad quod non modò nobilitas, sed magistratus etiam, & Judicum Collegia confugerent; & quod ipse faciendum statuisset, Proreges ipsi absque ulla recusatione sequerentur. Quorum quidem plerique in difficillimis quibusque negotiis non alium vellent præturæ ducem, & arbitrum, quem consulerent, atque requirerent, & in cujus nutu, ac consilio conquiescerent, quo nihil fieri poterat rectiùs, ac sapientiùs. Quotidianus quoque, & omnium ferè horarum erat optimatum concursus, & principum matronarum, quæ

Ejus in Provincia honores, & magistratus.

Venetam Provinciam administrat, & Neapolitanæ Visitator eligitur.

Gubernationis ejus ratio, atque severitas.

Quantâ apud externos valeret opinione sanctitatis, atque doctrinæ.

Digitized by Google

quæ Nevolam ad expiandum pœnitentiâ animum flagitarent. Ille omnibus adesse; singulos patienter audire, accurrere quò vocaretur; & si quid otii supereſſet, nè vocatus quidem, ad januam, & templum ultro accedere, & venientes præstolari. In his fuit Alburcherchii Siciliæ Prætoris uxor, quæ quum ab eo impetrare non potuisset, ut ad aulam veniret, tanti Nevolam fecit, ut ipsa ad eum ventitaret, & Domùs templum adiret, ibique inaudito sanè exemplo, auribus ejus culpas committeret. Extant in Domo Panormitana beneficentiæ ejus monumenta quamplurima: nam & ampliſſimam Bibliothecam extruxit, cui lautum censum addixit, & conclave superius inædificavit, & atrium exterius absolvit, sacrarium sculptilibus ex pretiosa materia pluteis ornavit. Nephriticis denique doloribus acerrimè excruciatus, & stranguriâ peremptus, cœlestis Patriæ desiderio, quod ab adolescentia conceperat, nonagenarius satisfecit, tertio Idus Octobres, anno ab inita Societate tertio, & septuagesimo.

Optimates, & Matronæ ad expiandum pœnitentiâ animum, Nevolam flagitant.

Proregis uxor Societatis Templum adit, ut Nevolæ culpas committat.

De Panormitana Domo benemeritus, nonagenarius in ea vitam ponit.

V. Incidit in hunc annum V. P. Aloysii Lanuzæ beatus exitus. Non alius in scripta nostra pervenit, qui cum eximio hoc viro conferri possit, præter Bernardum Colnagum; nisi fortè neminem parem habuit, non tam prodigiorum numero, ac magnitudine, quàm quod quamdiu inter homines versatus est, offensiones admodum vitavit omnes; & disciplinam adeo coluit, ut majoribus omnibus satisfecerit, & nemo fuerit, cui Sanctitas ejus suspecta haberetur. Quod quàm sit multum, ac magnum, & singulare, ii judicaverint, qui religiosis claustris assueverunt, & in rebus gestis illustrium sanctitate virorum non sunt hospites, & peregrini. Anno centesimo, quàm in lucem editus est B. P. Ignatius, qui cum eo congruit, quo e vivis abiit B. Aloysius Gonzaga, ortus est Aloysius Lanuza; anno nimirum 1591, ut in eo cerneremus, & quæ Gonzagæ adolescens gessit, & quæ gessisset, si diutiùs vixisset, & maturam, senilemque ætatem attigisset. Patriam, fortuito casu, sortitus est Alicatam, in ea Siciliæ ora situm oppidum, quæ in meridianum Solem spectat, antiquitate celeberrimum. Nam ex Phintiæ parietinis, atque reliquiis conditum, vetustissimam quoque Gelæ originem jactat, cujus ruinæ Phintiam ediderunt. Jacet in æquissimo promontorio, quod ex utroque latere littus habet, & in ingentem, editumque desinit scopulum, in quo est arx munitissima, quæ utrumque mare despectat, & piratarum incursiones ab oppido arcet, atque muralibus tormentis mœnia tuetur. Hujus arcis præfecturam gerebat Joannes

V. P. Aloysii Lanuzæ Patria, ortus, adolescentia, & præclarissimæ virtutes.

Alicata celeberrimum oppidum Patria P. Lanuzæ.

Alicatæ origo, situs, prospectus, & arx munitissima.

La-

Vincentius Auria Chronolog. Proreg. Sic. pag. 24. 25. & 26.

Lanuza, quum ex matrona nobiliſſima Leandra Spina Rizzonia Aloyſium ſuſcepit, quo tempore Vidua detinebatur in cuſtodia, quòd marito ab inimicis interfecto, in ſuſpicionem venerat necis ejus. Erat Joannes Lanuza generoſiſſimus eques Cæſarauguſtanus Hiſpaniæ Tarraconenſis, Joannis Lanuzæ nepos, qui ab anno 1495, annos ferè duodecim Siciliæ pro Ferdinando Rege præturam, difficillimo tempore ſapientiſſimè adminiſtravit, genere, ac virtute militari clariſſimus. Ignoratum diu eſt, quo loco fuerit Aloyſius ſacro fonte luſtratus: nuper tamen compertum eſt legitimis documentis, infantem Agrigenti primà ceremoniâ expiatum fuiſſe. Vixdum a nutricis ſinu depulſus, Panormum primùm, deinde Cæſarauguſtam, Joannem Patrem redire juſſum ſecutus eſt; ibique litterarum elementa didicit. Inerat puerulo docilis, & aurea indoles, magnarum rerum capax animus, ingenium ferax, alacre, & inveniendi, atque imitandi cupidum. Altaria, ſupplicationes, ceræ, ſacræ imagines, piique concentus, pueriles, primaſque curas implebant omnes. Nihil quod leve eſſet, & joculare; ſed convocare æquales, concionari, religionis rudimenta tradere, ſacrificium ſimulare Aloyſium delectabat. Jam enim a primordio ætatis ſentiebat pietatis igniculos, & aculeos religionis, quibus ad culpæ, & voluptatis fugam, atque ad intimam cum Deo conjunctionem ſecedendo ferebatur. Sed Feriæ Dux Siciliæ Prætor deſignatus Joannem Patrem amicum, & neceſſarium, & unà Aloyſium ex itinere ſibi adjunxit, & in Siciliam reduxit, eà conditione, ut Joannes Panormi, & prætoriæ cohortis Præfectus, & Tribunus militum eſſet. Undecimum Aloyſius terebat ætatis annum, quum Pater, homo militaris filium caſtris admovit, & ut ab infimis ſtipendiis militiæ aſſueſceret, militaribus armis indutum ſervare ordines, & ſtationem tenere, & excubias, atque vigilias agitare juſſit, expers cœleſtium conſiliorum, quorum decreto ſtrenuus adoleſcentulus ad alia ſtipendia, aliamque aciem erat jam deſignatus. Neque tamen morum, & litterarum inſtitutionem neglexit, quibus teneram illam ætatem imbueret: nam qui puero adeſſet, non mediocri pecuniâ conduxit Petrum Gravinam Himerenſem Thermitanum, unum ex primis illis Panormitanæ Convictionis alumnis, quam Merullus Pontifex, paucis ante annis, ex integro condiderat, & rebus omnibus inſtruxerat. Atque hic ille eſt Petrus Gravina, cui quum Aloyſius dediſſet operam, dubitari meritò poteſt uter utri plus profuerit, & majorem ex aſſidua con-

P. Lanuza ſacro Fonte Agrigenti luſtratur.

Cæſarauguſtæ cum Patre petit, ibique litterarum elementa diſcit.

Ejus animi cõditiones, & prima virtutum ſemina.

Ejus Pater cum Feriæ Duce in Siciliam redit, & prætoriæ cohortis præfectus eligitur.

Aloyſius a Patre caſtris admovetur.

Eodem tempore ſub Petro Gravina litteris dat operam.

Digitized by Google

consuetudine fructum tulerit. Nam Joanne Lanuzà post triennium extincto, ab Aloysio Cæsaraugustam ad explicandam, & adeundam paternam hæreditatem missus, ut ibi audivit, disciplinæ suæ alumnum humanis rebus se abdicâsse, & Societatis militiæ dedisse, eo nuncio, & exemplo commotus, rerum omnium suarum & ipse curam abjecit, ac Societatem Sacerdos amplexus est, & in Americam navigavit, atque in Mexicana Provincia inter barbaros laboriosissimè meruit, & Topiæ, quæ est in gelidis, asperrimisque montibus posita Christianorum colonia, ilium, & pulmonis ægritudine, quemadmodum Aloysius, anno 1634, ætatis tertio, & quinquagesimo consumtus est.

Postea Aloysii exemplo humanis rebus vale dicit, nostro numero adjungitur, & in Americam navigat.

VI. Gravina igitur incorruptum, & a vitiis vacuum adolescentulum, atque ad virtutes idoneum, ac proclivem, quin & divinis in rebus, suà sponte exercitatum, quasi currentem incitaret, facilè adduxit, ut perfectissimam vitæ rationem aggrederetur: nam religionibus ita addixit, ut quotidianis cœlestium rerum meditationibus horam tribueret; singulis diebus festis *Eucharistiam* sumeret, corpus flagris, aculeatà catenà, & cibi parcitate subigeret, pluribus sacrificiis adesset, ac ministraret, & Aloysii Gonzagæ mores sibi ad imitandum proponeret. Nè verò in arduo perfectioris vitæ cursu dux deesset, P. Hortensio Scamaccæ adolescentem tradidit, nè quid, ipso inconsulto, moveret. Hortensius, perspectis ejus moribus, indolem, atque divinæ consuetudinis, & familiaritatis notitiam demiratus, id unum non probavit, quòd inter supplicandum perennes funderet lacrimas, quarum assiduitatem internum, externumque sensum lædere necesse erat. Quare fletui modum imposuit, edixitque, nè ultra horæ quadrantem lacrimis indulgeret; nisi fortè sacratioribus diebus plusculum aliquid dandum esset. Adultus jam, ut acriorem discendi laborem ferre posset, frequentare cœpit gymnasia Collegii Panormitani, & Marianas Sodalitates, quæ nonnisi discipulis patere solent. Sed litterarum, ac religionum studium ita temperavit, ut distributis temporibus, alteræ alteras non interpellarent, quin adjuvarent potiùs, & mutuam opem afferrent. Atque ut omnia paucis comprehendam; Aloysii Gonzagæ res extra Societatem gestas in suis moribus tam accuratè descripsit, ut qui Gonzagæ adolescentis vitam perlegerit, & Lanuzæ se legere, putare possit. Et sanè rogatus aliquando Lanuza, quare hoc, aut illud faceret, ingenuè fatebatur, *quia ab Aloysio Gonzaga ita factum reperio*. Ceterum de suo etiam nonnulla addebat; & il-

Recta Aloysii a pueris institutio, ejusque perfectissima vitæ ratio.

P. Hortensio Scammaccæ totum in divinis rebus informandum se tradit.

Admirabilis Aloysii inter supplicandum vis lacrimarum.

Ab Hortensio imponitur, nè ultra quadrantem lacrimis indulgeat.

B. Aloysii Gonzagæ mores sequutus, ei se simillimum reddidit.

illud in primis, quod derideri se, & in summam æqualium contemptionem venire laborabat: nam & dissutis calceis, & illotâ facie, & impexo capillo, & pallio inverso sese in conspectum dabat, ut moveret stultitiæ opinionem, & nullo numero haberetur. Verùm nè Pater ejus hæc ipsa cognosceret, & inhiberet; admirabili sagacitate, alacrem ei se domi præbebat, curabatque, ut saltantem, & rudibus batuentem reperiret. Patre verò Messanam digresso, ut Feriæ Ducem sequeretur, Aloysius Panormi quum substitisset, nè litterarum cursum intermitteret, suique juris esse cœpisset, austerioris vitæ genus adortus est instituere, & religionibus se totum dedere; parcius vivere, delicatiores epulas pauperibus reservare, & ipse tradere; subductam necessario usui pecuniam miseris elargiri; cœlestium rerum contemplationi præfinitum tempus duplicare, & somno demere; ludibria, & irrisiones captare, nihil prætermittere, quo se, suaque omnia nullius esse pretii ostenderet, & res humanas aspernaretur. Documento sit rarum exemplum. Miserat pater ejus, aureo capulo ensem, & pileum cristis, ac gemmâ ornatum, & torquem aureum, & argenteas fibulas, balteum, & pretiosa indumenta, jusseratque, nè cunctaretur, ea omnia induere, ac sibi admovere; illud fortè spectans, ut proximam Christi redivivi celebritatem, atque lætitiam, eo cultu magnificaret. Aloysius insignem, & publicam sui deprimendi occasionem cupidè arripit; & supremis magni jejunii diebus, qui Christi funeris atratam, & lugubrem continent ceremoniam, cristatus, phaleratus, & armillatus, ac militaribus insignitus ornamentis prodit, & de se mimum Civitati præbet, ridentibus omnibus, tam alieno tempore, bacchanalem quasi larvam, & Saturnalibus dignum spectaculum. Ingreditur deinde Collegium Panormitanum, & in atrio spatiatur, ubi æqualium multitudine circumfusus, funeralium dierum mœstitiam in risum vertit; maximè lætus, quòd ambitiosam ejus, leviſſimamque stupiditatem, alii exsibilarent, alii deplorarent, omnes admirarentur. Aderat noster Sacerdos, qui Aloysium conspicatus, consiliorum ejus ignarus, accurrit, & levitatem ejus objurgans, quasi tantam indignitatem ferre non posset: *Quàm vellem*, inquit, *quisquis es, qui Christi parentalibus illudere audes, ut non torques aureus, sed alliorum restis ex isto collo penderet!* Aloysius contumeliam lucro apponit, reprehendenti gratias agit, domum se recipit, munditias, & phaleras ponit, obsoletam induit vestem, & quod maximum est, ut alius ex alio mimus existeret, mo-

Quibus artibus & quo studio hominum irrisiones captaret.

Patre Messanam totum se Deo tradit.

Admirabile Aloysii facinus, & rarum exemplum.

Sui deprimendi causâ, supremis magni jejunii diebus, cristatus, ac phaleratus prodit.

Quæ irrisiones, & ludibria sint consecuta.

Noster Sacerdos Lanuzæ levitatem objurgat.

Digitized by Google

monilis loco, alliorum restem collo accommodat, & paulò post, celebriorem per viam, ita ornatus in atrium ad Sacerdotem redit. Qui eo spectaculo attonitus, eos, qui venientem sibilo exceperant, reprehendit, ridiculum illud insigne amovit, Aloysii virtutem pluribus verbis commendavit.

Aloysius, captâ occasione, phaleras ponit, alliorum restē collo accōmodat, & ad Sacerdotem redit

VII. Hæc Panormi agebantur, quum Joannes Lanuza Messanæ gravi morbo tentatus, dubiâ jam spe salutis, ut filio prospiceret, eumque, si quid durius accidisset, ante fatum complecteretur, præpropere Panormum venit; & navigationis molestiâ, atque nauseâ ægritudinem exacerbavit, & paucis post diebus, Christianis omnibus officiis sublevatus decessit. Auxit Aloysii orbitatem, & luctum Petrus Gravina, qui ejus missu, in Hispaniam concessit, ut pro se paternam cerneret hæreditatem, quam Joannes Pater, etsi eques Hierosolymitanus, ex avito patrimonio legaverat. Quare hinc Patris desiderio, inde Pædagogi absentiâ exagitatus, minor adhuc, & curatoris egens, atque tutoris, P. Petrum Villafratem nactus est, quo non alius & rem domesticam accuratiùs tueretur, & animi doctrinam sapientiùs administraret. Huic se Aloysius totum tradidit. Assiduâ summi hujus viri consuetudine, surgentem animo sensit Societatis adeundæ voluntatem, quam Villafrates non nescius qualem, & quantum adolescentem Provinciæ conciliaret, vehementiùs incitavit, & rebus omnibus aluit. Agebat jam Aloysius ætatis annum decimumquintum, quum secedendi, sibique humanas spes omnes præcidendi consilium cepit. Ex eo tempore, quasi tum demum se respiceret, resipisceret, & a vitiis emergeret, castigare vitam instituit, & alios mores induere. Aculeatis catenis quotidianas addidit vigilias, & flagra interdum cruenta, ac diuturna. Non supplicabat, nisi nudis genibus, & pronus, ut ore terram contingeret, & dentes corrumperet. Parum fuit intimum, & horridum setis cilicium nunquam ponere, nisi interjiceret vetusti panis micas, quæ terga, & pectus excruciarent. Subjiciebat quoque inter pedem, & calceum, testulas, acutosque calculos, ut nullum sine dolore vestigium imprimeret. Sed multò plura erant, & graviora, quæ a Villafrate invito, & reluctante, non impetrabat, qui in eo multus, ac totus erat, nè vires ille corporis, & valetudinem labefactaret; sed frangeret motus animi, compesceret cupiditates, & a quibus abhorret depravatæ naturæ vitium, ea sequeretur, & strenuè conaretur. Quæsivit summo studio Aloysius quem coërceret ingenii appetitum, neque alium reperit, nisi ignominiæ fugam, & contumeliæ. Flagitavit proinde a magistro suo,

Ejus Pater Panormi extincto, P. Petro Villafrati totum se tradit.

Assiduâ Villafratis consuetudine, Societatis desiderium concipit.

Quænam ex eo tempore fuerit aspertima Aloysii vitæ ratio

Admirabilis ejus, & mirum in modum insignis temperantia.

A Magistro suo flagitat, ut simulatâ indiligentiâ, publicè vapulet.

ut cum dedecore plecteretur, & publicè vapularet, causam se daturum, simulatâ indiligentiâ. Quod quum ille constanter se facturum negaret; in eo tamen flagitanti morem gessit, quòd identidem eum objurgaret. Sed adultior jam, & Rhetoricæ admotus, illud præterea excogitavit, quo vituperationem aucuparetur, ut quæ de scripto afferret, essent ea quidem emendata, & ab erratis pura; sed sordida, inconcinna, lituris fœda, & inæqualibus notis, ac vacillantibus literulis turpiter interpolata, ut non facilè, nec sine molestia legerentur. At verò quum assidua convicia non patienter modò, sed lubentissimè ferret, neque se expurgaret, gratias ageret, & in eodem perseveraret; simulationem denique doctor animadvertit, & amoveri jussit. Nullum erat jam tempus a litteris vacuum, quod non ad cœlestes cogitationes transferret. Nocturnas, diurnasque horas quamplurimas cum Deo suavissimè traducebat: quo tempore tantopere afficiebatur, ut cœleste numen sentiret, & sæpè alienatus a sensu, divina pateretur. Accidit interdum, ut vehementiùs raperetur animus, & corporis gravitatem vinceret, illudque secum abduceret, ac è terra sublime efferret eodem statu, quo de genu supplicabat. Quod quum domestici intuerentur, & vix oculis id testantibus, propter insuetæ rei magnitudinem, crederent, non defuit, qui clanculum ponè accederet, & spatium, quo genua a pavimento distarent, palmo, & ulnâ metiretur, quin Aloysius, quæ circa se fierent, deprehenderet. Quæ ad Villafratem delata, & accuratis percontationibus ab eo comperta, nè litteris, ac valetudini officerent, sapientem hominem compulerunt, ut Aloysio mandaret, nè sacris meditationibus plusquam unius horæ spatium concederet. Nihil duriùs injungeretur divinarum rerum cupidissimo juveni. Obtemperavit tamen; surgebat ad horæ signum, sed non secus, ac infans ab ubere, & lacte depelleretur, stabat tantisper, & vultu, atque oculis ita sacras imagines intuebatur, ut qui jussus, & invitus commeatum peteret, & suavissimum colloquium abrumperet, atque interciperet.

Rhetoricæ admotus, quomodo vituperationem aucuparetur.

Deo supplicandi studium adhuc puer nunquam intermittit.

P. Mich. Frazet. Vit. Aloys. Lanuzæ lib. 1. c. 1. Andr. de Pont. ibid. lib. cap. 1.

Deo plenus, & in sublime elatus conspicitur.

Villafrates valetudinis causâ Aloysio mandat, nè sacris meditationibus plusquâ unius horæ spatium concedat.

VIII. Ex quo Marianæ Sodalitati sub Villafrate se aggregavit, divinam Matrem summis in deliciis habuit. Eam ad horæ pulsum dulcissimè salutabat. Ejus imaginem, sive legeret, sive scriberet, vel ob oculos positam, vel libris insertam contemplabatur. Illam quoque ad lævam circa pectus, tanquam cordis custodem gerebat; ad dexteram verò Christi in cruce pendentis effigiem, ut inter ubera, & vulnera, hinc lactis

Deiparam, ac Eucharistiam, summâ religione colit.

Digitized by Google

ctis, inde sanguinis gustu frueretur. Sæpiùs tamen ad lævam caput, & oculos demittebat, quòd suaviùs, & confidentiùs ad dulcissimam Matrem confugeret, & in ejus amore conquiesceret, cujus religionem, ardentibus, assiduisque colloquiis, usque adeo cum æqualibus communicavit, ut jam plurimi numerarentur, qui mariano igne conflagrarent. Verùm sacratissimi Panis Mysterium Aloysii curas omnes sibi devinxit, ac ferè consumsit. Nam cœlestis *Eucharistia* tam assiduus, & omnium horarum cultor fuit, festis præsertim diebus, ut divinæ Hostiæ Custos, Ephæbus, & *Angelus*, communi proverbio diceretur. Conspectum ejus æquales omnes mirum in modum verebantur. Quamquam enim florentissimam vultu præseferret adolescentiam, & non vulgarem oris elegantiam candor, nec parum sanguinis commendaret; spirabat tamen cœlestem quemdam pudoris, & verecundiæ splendorem, qui intuentium, & colloquentium animos, occultà vi contineret, atque ad puræ mentis custodiam excitaret. Nemo, eo audiente, ausus est, aut leve, aut scurrile verbum, nedum procax, aut improbum pronunciare. Quod si, eo absente, sermo esset non satis cautè institutus, qui primus accedentem conspicabatur, reliquos admonebat, ut orationem ad alia omnia transferrent, quando Aloysius adventaret. Majus est illud, quòd ex æqualibus plures, ferventibus, de brevitate, & humanarum rerum inanitate, adhortationibus, a morum licentia ad bonam frugem traduxit, & ad secedendum compulit; quos inter non pauci computabantur, qui Societatem amplexi, & senio caduci, retinebant adhuc sententiarum aculeos, quibus Aloysius adolescens, adolescentes ad Dei cultum, ac metum, & ad religionis officia adegerat. Quantum verò, nondum Societati aggregatus, alienæ salutis, & frugis studio flagraret, docebit memorabile exemplum. Fuerat in Aloysii famulatu Ephæbi loco, Hispanus Adolescens, qui Joanne Lanuzà extincto, militiæ adscriptus, salutis curam omnem abjecerat, & aleà, ganeà, venere involutus, & voluptatibus, ac ventri serviens, turpem, & Christiano nomine indignam plures jam annos vitam agitabat. Inexpugnabilem hujus pervicaciam fregit aliquando Aloysius. In arce Panormitana commorantem aggreditur; hortatur, ut sibi consulat, & futura prospiciat; salutis periculum exponit, nihil non movet, quo ad saniora consilia furentem convertat; neque tamen perditum adolescentem a pravitate deterret. Tum ad pedes ejus in genua provolutus se abjicit, ingeminat preces, minas, obtestationes, addit lacrimas, singultus, & eju-

Sacram Virginis imaginem ad lævam circa pectus perpetuò gerit.

De ea cum æqualibus sæpissimè verba facit

Virginalis Aloysii pudor, & morum innocentia.

Aloysii Sodales, eo veniente, turpia colloquia abrupunt.

Nondum Societati aggregatus, alienæ salutis studio flagrat.

Perditis moribus Hispanus adolescens ab Aloysio in bonam frugem traducitur.

D. Augustini disciplinã amplectitur, & in ea moritur.

latum, pedes tenet, & exosculatur: testatur, se inde non discessurum, nisi eo recepto, & ad pœnitendum parato. Victus est ille tandem; flevit; diem condixit, quo peccata expiaret; promissis stetit; profanam militiam cum sacra commutavit, secessit, & severiorem Augustini disciplinam constantissimè professus est; in eaque laudibiliter vixit, & obiit.

Aloysius Societatẽ modis omnibus frustra flagitat, & qua de causa.

IX. Triennium jam Aloysius Societatem modis omnibus flagitabat; neque quicquam extricaverat. Perplexum habebat Jacobum Dominicum, qui Provinciæ præerat, corporis ejus imbecillitas. Deterrebat etiam orbitas, reputabatque, si fortè per valetudinem disciplinæ incommoda ferre non posset, nullum esse propinquum, cui dimissum committeret: quare Aloysii flagitationes, & lacrimæ Dominici repulsam non expugnabant. Excogitavit tamen, qua ratione, quod maximè optabat, denique vinceret. Per bacchanales ferias de Christi nece, ac cruciatibus, elegantissimam orationem elaboravit, recitavitque in Rhetorum gymnasio, coram Jacobo Dominico, & Collegii Panormitani optimatibus. Is erat exitus orationis, quam mirà dicendi facultate pronunciavit, ut desiderium suum nè diutiùs Patres remorarentur. Non diffiteri, indignum se esse, cui ad Societatem pateret aditus. Audirent tamen pro se clamantem divinum Sanguinem. Habere Christi vulnera linguam suam. Jesum deprecatorem nè aspernarentur, qui causam ejus suscepisset, & moriens, ut sibi quidquid deliquisset, ignosceretur, rogâsset. Quæ quum flens, appositè perorâsset, Dominici voluntatem adeo convertit, ut e suggestu descendentem complexus, nostro numero designatum edixerit, monueritque, ut ad Mamertinos tirones properaret. Aloysius gestiens, & lætitiis omnibus cumulatus, rectà ad mare contendit, ubi navigium ad anchoras nactus, portorium pacisci tur, & postridie conscendit, biduoque Messanam appulit. Ibi annos natus duodeviginti, decimoquarto Calendas Martias, anno 1609, inter tirones est cooptatus, quibus præerat Hieronymus Lombardus, vir exploratæ virtutis, ac sapientiæ. Huic Aloysius ita se fingendum tradidit, ut qui divina nunquam attigisset, ac delibâsset. Eádem continentià cum æqualibus versari cœpit, a quibus facilè est consecutus, ut litterarum expers, cœlestium rerum planè rudis, & nullo numero haberetur. Sed Lombardi sapientiam non fefellit, qui omnia ejus solertissimè rimatus, confestim intellexit, non sibi cum tirone rem esse, sed cum emerito, & veterano, Christianæ disciplinæ scientissimo, qui jam præesse tironibus cum laude poterat. Deprehen-

De Christi nece, & cruciatibus orationem elaborat, & coram P. Jacobo Dominico recitat.

In ejus exitu, Societatis desiderio flens exponit.

Provinciæ Antistes eâ oratione victus, eum nostro numero designatũ edixit.

Messanam mittitur, & nostris Tironibus adjungitur.

Ejus temperantia, & in occultãdis animi dotibus studium singulare.

Digitized by Google

hendit candidissimam animam, nullà unquam culpà fœdatam, intimam, & exquisitam sedandarum cupiditatum scientiam, & vigilantiam, implacabile rerum suarum, suique odium, perpetuo caritatis æstu conjunctum Deo animum, divinarum cogitationum voluptate mentem quidquid ageret, delibutam, cœlestem denique ebrietatem, quæ res ejus omnes comitaretur. Cognovit proinde quàm singulare munus, & quantæ expectationis adolescentem Deus Provinciæ contulisset. Ea res Aloysio fraudi fuit, qui ab summo periculo parum abfuit. Quoniam Lombardus eò usque tironem vereri cœpit, ut si cum æquali ageret. Nihil non indulgebat; quascunque peteret corporis, animique molestias, recusare non audebat. Jejunia, vigilias, flagra, inedias, contumeliam, ignominiam, quæcunque vellet, rarò negavit. Quin & impetus, atque conatus ejus adjuvabat; nam & tenuissimas culpas acriter accusabat ipse, & ab alio super mensam gravissimis verbis enunciari jubebat. Addidit doloribus, & molestiis cumulum cœleste numen, cujus voluntate factum est, ut intercluſis supernarum deliciarum fontibus, & divinà luce subductà, tenebræ mentem ejus invaderent, & infinitum miseriarum agmen animum excruciaret. Hæc culparum suarum numero, ac magnitudini imputabat Aloysius, & justam, ac debitam delictis pœnam existimabat. Hinc singulis horis in se descendere, excutere mentem, & animum, scrutari animi latebras omnes, quidquid ageret, turpe, ac fœdum, & culpæ plenum putare. Hinc intimi, perpetuique metus, assiduæ expiationes, intestinæ anxietates, austerior vitæ ratio, nullus in se sæviendi modus, inexpiabilis culparum vindicta, perpetuus contra torrentem nisus, atque conatus. Tam diuturna, & sæva colluctandi defatigatio, corporis, animique vires extenuavit. Languebat in dies Aloysius, & miseriis quotidie ingravescentibus, ad eam maciem pervenit, ut neque stare posset, neque verba satis exculperet, & parum mente constaret.

Intima vitæ ejus adhuc Tironis consuetudo.

Quanti Lombardus virtutē ejus fecerit, non sine Aloysii periculo.

Ejus animi angores, & corporis cruciatus.

Diuturnâ corporis, animique defatigatione, mirum in modum vires extenuat.

X. Tum denique cognovit Lombardus, optimè quidem potuisse Aloysio aliorum committi rectionem, sed non ut ipse sibi præesset, & arbitratu suo corpus affligeret, & animum exinaniret. At verò res, prostratà jam valetudine, ad summam salutis desperationem pervenerat. Quare Bernardinus Confalonerius, qui Dominico successerat, ut miserrimam illam expirantis mortui imaginem vidit, missionem Aloysio obtulit; si fortè extra Societatem convalesceret, ut incolumis, & ad munera idoneus remigraret. Neque adolescentis imæ preces, & la-

Ea de causa in maximo amittendæ Societatis periculo versatur.

Confalonerius Aloysio missionem offert; & in eo consilio perstat.

& lacrimæ, in Societate mori flagitantis, Confalonerii pugnacem animum, & in missionis consilio perstantis, expugnabant. Interceſſit tamen Lombardus, rem distulit, & æquissimis Claudii Aquavivæ litteris demum vicit, nè Aloysius, ipso invito, dimitteretur. Ægrum interea quæcunque dura, & aspera essent, ac naturæ contraria intermittere jussit, & adhibitis medicis, atque remediis, curâ summâ recreavit, atque recepit. Confalonerius autem, eo restituto, ut de virtutibus ejus maximis, optimi vir ingenii, accuratiùs cognovit, nihil dum vixit, tam acerbum, atque molestum, meminisse se, ajebat, quàm quòd de dimittendo Aloysio cogitaverit. Biennio vixdum consumto, ad Rhetoricæ studia Calatanixetam missus, primum ibi coram P. Josepho Massà Mænenino, XIII Calendas Martias, anno 1611, Societatis sacramentum nuncupavit. Messanam inde post biennium remissus, Philosophiam didicit in Collegio Mamertino, & publicè propugnavit. Quibus potissimùm in locis, & quamdiu latinam grammaticam, & litteras humaniores docuerit, nonnisi obiter adnotatum reperio Collegium dumtaxat Drepanitanum, ubi fortè debitum infimis gymnasiis, ex instituto Provinciæ, quadriennium collocavit. Quo tempore, mirum est, quàm insigni studio, in erudiendis, & informandis adolescentulis laboraverit. Præstitutas doctrinæ horas sanctè servavit; neque unquam passus est, particulam temporis aliquam labore vacuam excidere. Pietatem verò, ac religionem teneris mentibus usque adeo insinuavit, ut pleraſque Drepanitanas familias discipuli ejus emendaverint, ea recensendo, & moribus præstando suis, quæ ab Aloysio, per occasionem audierant. Minimè plagosus, atque clamosus, creditos industriæ suæ pueros, pudore magis, & verecundià, quàm virgâ, aut flagro continebat; nisi fortè contumacem aliquem, & temerarium pœnâ coêrcendum existimaret. Quod quum aliquando facere aggrederetur, ausus est pervicax adolescens, probris, & contumeliis omnibus, magistrum suum onerare. Cognovit Aloysius tentari patientiam, & in discrimen vocari mansuetudinem. Quare frementibus discipulis, & in refractarium irruere parantibus, fregit eorum impetum Aloysius, admirabili temperantiâ: nam è suggestu desilit, in genua procumbit, pedes ejus exosculatur, & gratias agit, quòd nemo adhuc tam vera, & se digna dixisset. Eà re commotus adolescens, multis cum lacrimis veniam, & pœnam petere cœpit. Aloysius verò non pœnâ, sed præmio dignum putavit. Nulla enim fuit singularis benevolentiæ significatio, qua non illum

Lombardus apud Aquavivam pro Lanuza intercedit, eumque in Societate retinet.

Calatanixetæ primum Societatis sacramentum dicit; & Messanam missus, Philosophiæ dat operam.

Ignotum ubi, & quamdiu Lanuza prima Societatis stipendia fecerit.

Ejus in erudiendis adolescentulis solertia singularis.

Pervicax adolescens Lanuzã magistrum suũ contumeliis onerat.

Ejus admirabilis temperantia, & erga illũ benevolentiæ significationes.

cu-

Digitized by Google

cumularet, a quo se beneficium accepisse dictitabat. Discipulos quotidie non modò omnes, sed etiam singulos diu, multúmque de genu Deo commendabat; habebatque adolescentium descripta nomina, quos ad religiosam vitam idoneos judicabat; sed eorum præsertim, qui ad Societatis officia aptiores videbantur. Hos sibi a Deo concedi potissimùm flagitavit; & impetrâsse traditur; nam ex ejus auditoribus digito monstrabantur, qui non ex ejus disciplina ad religiosum aliquem ordinem prodiissent; longè tamen pauciores numerabantur, qui memores Aloysii præceptorum, non in reliquo ætatis spatio; quàm emendatissimè viverent.

Suorum auditorum recta institutio.

XI. Ad sacras litteras Panormi addiscendas evocatus, quum se viæ comites addidissent æquales aliquot, suavissimis divinarum rerum colloquiis comitatum ita detinuit, ut nox imprudentes oppresserit, & tenebris prospectum adimentibus, facilè fuerit a via deflectere. Quare jumentis in incertum vehentibus, per devios colles, & loca aspera eò tandem progrediuntur, ubi dejectus suberat altus, atque præruptus, qui præcipitem obtulit casum. Quod quum qui ante omnes processerat, animadvertisset; & sequentes magnà voce admonuisset, nè ire pergerent; sed omnino consisterent; in præsentissimo omnes periculo versabantur: nam inter ingentia saxa, neque jumenta convertere, neque pedem referre poterant, neque adultà jam nocte, quo se reciperent, aut tenderent, neque quid consilii caperent, succurrebat, & ubinam essent, ignorabant. Omnes erroris, ac periculi causam Aloysio delegant, quòd properationem colloquendo retardâsset: orant, ut idem, suis ad Deum precibus præsidio sit, & saluti. Ille consternatos, bono animo esse jubet, & fore pollicetur, ut qui itineris comitem Deum habuissent, & ducem essent habituri. Tum non quicquam aliud, quàm oculos attollit, ac suspicit, quasi ad Deum se converteret: & in ipso vestigio comitatus omnis, non secùs, ac si alas induisset, & explicâsset, repentè exinde se proripit, & momento temporis ante fores consistit ædium rusticarum Collegii Panormitani, in agro Corilionensi, adquas divertere destinaverat, ut ibi pernoctaret. Ea res quanti apud Deum esset Aloysii nutus, declaravit. Sacrarum litterarum disciplinam arripere adortus est, sub eximiis doctoribus Josepho Augustino, & Cæsare Bosco, qui confiteri non verebantur, majorem se ex uno Aloysii colloquio haurire cœlestium rerum notitiam, quàm ex doctissimis aliorum voluminibus. Nunquam aliàs tantopere floruit cùm publicè, tum privatim domesticæ juventutis di-

Panormum ad sacras litteras addiscendas evocatur, & ejus in itinere admirabile facinus.

Viæ Comites suavissimis de Deo colloquiis ad noctem detinet.

Tenebris prospectum adimentibus, a via deflectunt, & in præcipitis casùs periculo versantur.

Ad Aloysium confugiunt, & ab eo opem petunt.

Ejus beneficio repente exinde se proripiunt, & momento tèporis ad destinatas ædes cõsistunt.

Digitized by Google

disciplina: plurimùm enim poterat Aloysii exemplorum splendor, emendatissima loquendi, ac sentiendi consuetudo, non tristis, & austera, sed facilis, hilaris, & amabilis agendi ratio. Consspiraverant cum Aloysio æqualium quamplurimi, quorum tanta erat caritatis, atque virtutis administratio, ut eorum industriâ errantes compescerentur, valeretque litterarum, atque virtutum existimatio, quæ cardo est, & necessaria radix domesticæ adolescentium institutionis. Præerat tum Collegio Panormitano P. Nicolaus Cusmanus, vir maximè probus, ac sapiens, qui cum videret, Aloysio duce, suâ sponte amplificatam juventutis in officio religionis, & pietatis alacritatem, ut cohibenda potiùs esset, quàm incitanda; & laudanda magis occurrerent, quàm castiganda; in dulces effusus lacrimas, identidem exclamabat: *O si Collegium Panormitanum, aut Aloysium Rectorem, aut ejus similem semper haberet! quàm latam, atque florentem aleret Provincia sobolem, superioribus statibus anteferendam!* Sed tamen quo tempore Aloysius in litterarum palæstra versatus est, id omne cœlestibus voluptatibus vacuum fuit. Perfectioris vitæ semitam, acutissimis horridam sentibus expertus est. Gravissimæ se offerebant religiones omnes. Nihil erat jucundum, nihil suave, nihil non molestiæ, satietatis, & tædii plenum. Recurrebant ferè quotidie truces illæ mentis ambages, animi angustiæ, dubitationum æstus, metuum fluctuationes, quibus tiro vexatus fuerat. Perstitit nihilominus in officio, admirabili fortitudine, sibique tantam vim inferebat, ut ex conatu, sanguinem aliquoties rejiceret. Intestinâ hac incredibilium molestiarum veluti flammâ, eluxit cœleste consilium fingendi hominem, populis emendandis, ac expiandis doctrinâ idoneum, & durissimis dimicationibus exercitatum. Quum enim humanus animus voluptate aliquamdiu carere non possit: subducta est divinarum rerum delectatio, ut Aloysius necessariam a litteris caperet voluptatem, eas adamaret, & non alibi, quàm in assidua studiorum exercitatione, molestiarum intermissionem, ac requiem inveniret. Conflandus quoque fuit, & excoquendus perpetuo annorum ferè quindecim cruciatu Aloysii animus, ut quæcunque deinceps incidissent, in æstu itinerum, & laborum humana incommoda, leviora contingerent, neque laboriosissimarum expeditionum cursum interturbarent.

Quantum Aloysii explis Panormi floruerit domestica disciplina.

P. Nicolai Cusmani de Aloysio existimatio, ac memorabile dictum.

Ejus animi angores, molestiæ, & religiones.

Quantum ex eo tædio profecerit Aloysius.

XII. Verùm Sacerdotio jam sub studiorum exitum inauguratus, primam sortitus est immolationem supernis affluentem deliciis. Affulsit enim divinæ lucis radius, quo delibutus ani-

Digitized by Google

animus, intimum sensum tantâ suavitate cumulavit, ut exultare, & gaudio liquescere visus sit, quasi inter superos ageret, & æternæ Patriæ voluptates prælibaret. Et sanè ex eo tempore, veluti reseratis cœlestis beneficentiæ fontibus, divino nectare mens redundabat; quidquid ageret, loqueretur, aut cogitaret, jucundissimam ostendebat caritatem, quæ rebus omnibus eluceret. Aloysio jam Sacerdoti, studiis nondum missis, domesticorum Rhetorum cura est demandata, anno 1625. Censuram exercuit, sanctorum moribus, mitem, commodam, & verecundam, gratificandi cupidus, reprehendendi parcus, omnibus profuit, in neminem animadvertit: nam vigilantiâ, assiduitate, exemplo, culpas occupabat, nè pœna sequeretur. Continebat adolescentium mores aspectus ejus, eatenus gravis, quoad frontis hilaritatem non excluderet; verbis animos inflammabat. Sed nihil tam inculcabat, quàm amorem erga Societatem, ut communem Parentem; cui necessariam hanc caritatem, sine qua reliqua omnia inania sunt censenda, eos qui præsunt non promereri statuebat, si desit paterna pietas; quæ nisi sapienter administretur, & ipsi vitricos agunt, & illa sese novercam præbet. Aditus habebat jucundos, amabiles, & omnium horarum. Sed qui eum adibant, semper de genu supplicantem reperiebant. Quamdiu censorium illum gessit magistratum, neminem super mensam accusavit, præter se ipsum; quod tanto sui deprimendi studio faciebat, ut qui ex animo infamiam aucuparetur. Se aliquando vanitatis, & ineptiarum publicè postulavit, quod fieri posse cogitâsset, ut Christi Simulacrum secum, dum supplicaret, colloqueretur. Sed paulò post cognitum est, vanum non fuisse colloquium. Postridie enim rusticantes convocavit adolescentes, eisque obortis lacrimis enixè mandavit, nè cunctarentur Deum rogare, ut ignosceret, neque quod imminebat supplicium, irrogaret. Percontantibus autem illis quodnam esset supplicii genus, *summum*, respondit, atque *commune*. Mox verò truculentissima illa erupit pestilentia, quæ Siciliam universam vastavit, & Italiam consternavit, ut ad annum 1625. Eam nactus occasionem, iis omnibus ducem se præbuit, qui contagiosis adesse flagitârunt: nam primus omnium, ut de grassante Panormi contagione auditum est, victimam se Deo, ac majoribus obtulit, neque lacrimis pepercit, ut fieret voti compos. Sed non fuit divinum consilium, eum discrimini offerre, qui non ad paucorum obsequium, sed ad totius Siciliæ salutem erat de cœlo designatus. Quare non impetravit. Quod

Quum primùm immolaret, animi angoribus continuò liberatur.

Studiis nondum missis, Nostrorum Rhetorum cura Aloysio demãdatur.

Ejus dexteritas, vigilantia, & comitas in ea exercenda.

Eximia ejus temperantia, & assidua cũ Deo familiaritas.

Truculentissimam pestilentiam nostris adolescentibus brevi futuram prænunciat.

Ut eâ tabe afflatis inserviret, a majoribus enixè petiit.

Digitized by Google

ille in ignominiam suam vertit; quasi dignus non haberetur. Secessit proinde ad tironum domicilium, ut conciones adornaret, quibus sacrum præconium facturus erat. Postero anno 1626, quum pestilentia consedisset, in Domùs Panormitanæ Templo, Calendis Novembribus, coram Jordano Cascino, quartum Societatis sacramentum publicè dixit; & eodem ferè die, Christiani Adventùs Orationes inchoavit, non ut eloquentiæ tiro, sed ut emeritus. Quamvis enim adhuc parum cognitus, frequentissimo tamen populo primas sacræ facundiæ hastas jecit, & quum de extremo naturæ die verba faceret, audientes ita commovit, ut si adventantem summum de cœlo Judicem oculis cernerent, & multis lacrimis, magnisque clamoribus clementiam ejus implorarent. Adfuit tum primum concionanti eloquentiæ candidato P. Petrus Spuccius Panormitanus, cui Aloysius tanquam oratoriæ facultatis magistro, eà tempestate clarissimo, formatum sermonem castigandum dederat, & castigatum, eo audiente, & voce, ac gestu interdum præeunte, privatim recitaverat. Spuccius tamen omnia alia audivit, quàm quæ Aloysius cum eo communicaverat, neque verò deteriora, sed meliora etiam, ac pleniora. Quod quum vehementer miratus esset, casu tamen aliquo factum putâsset, redeunti Aloysio, & orationem aliam deferenti, officium præstitit, reliqua dissimulavit; cupidiùs tamen dicenti adfuit, si fortè iterum Aloysius alia ostenderet, alia e suggestu pronunciaret. Sed vehementiùs obstupuit, quòd neque verba, neque argumenta congruerent. Tum illudi sibi arbitratus, tertiùm ad se accedentem Aloysium occupavit; nonnihil questus, quòd molestus esse pergeret, & magnà temporis jacturà, inanem urgeret laborem, quum non eadem publicè diceret, quæ privatim attulisset. Ad ea Aloysius pudore suffusus: *Ignosce*, inquit, *Pater, verecundiæ meæ. Equidem quantà fieri potuit, accuratione, quæ tu legeras, & concinnaveras, memoriæ mandaveram, & eadem recitaturus prodieram. Sed antequam dicendi initium facerem, oblivio semel, & iterum, quæ paraveram, delevit omnia; quæ nunquam cogitaveram, memoriæ, ac linguæ occurrebant. Quod quemadmodum contigerit, non satis assequor. Meas nihilominus partes esse arbitror, ad dicendum non imparatum accedere, sed accuratissimè quæ sum dicturus meditari, perscribere, ad incudem, & limam revocare, & memoriæ committere.* Quibus auditis Spuccius non obscurè cognovit, inesse homini vim humanà majorem, quæ mentem, & linguam eò ageret, quò Deus maximè vellet.

Christiani adventùs conciones Panormi primùm habet.

Admirabilis orationum ejus ratio exponitur.

Divino numine afflatus, aliter e suggestu conciones, semel, & iterum pronunciat, quàm memoriæ mandaverat.

Ejus rei Aloysii luculentum testimonium, & excusatio.

Fuit

XIII. Fuit itaque genus eloquentiæ ejus divinum potiùs, & cœleste; quàm ingenii, aut artis industriâ elaboratum. Exprompsit enim conciones planè admirabiles, sed plerunque terrificas, ac vehementes, quæ pervicacissimum quemque, & in scelerum sentina demersum excuterent, percellerent, denique vincerent. Quoniam verò plura inerant Aloysio naturæ bona: alacritas, copia, acumen, sales, lepos, linguæ promptitudo, honesta facies, vox resonans, & ad eloquentiæ partes omnes ductilis, & idonea; divinarum litterarum summa scientia, testimoniorum, atque sententiarum, ex Patribus petitarum, magna supellex; eaque omnia cumularet divina virtus, quæ actionum ejus impetum, & nativum conatum mirificè augebat; facundiam exeruit minimè lutulentam, atque pedestrem; sed gravem, copiosam, facilem, efficacem, torrentem, splendidam, affectibus ornatam, sententiarum luminibus, & sacrorum Vatum dictis uberrimam; demum, quæ motus animi teneret, excitaret, flecteret, & quos, & quantos, & quando, & quamdiu vellet, efficeret. Propterea in amplissimis quoque, cultissimisque Civitatibus cupidissimè auditus est. Accurrebant omnes, modò sciretur, eum pro suggesto dicturum, magnis agminibus, ut locum caperent ante lucem, stipabantque tantâ frequentia eximiæ amplitudinis templum, ut Sacerdotes ad immolandum progredi prohiberentur: confertâ enim multitudine nulla dabatur irrumpendi facultas. Quare nè immolationes prætermitterentur, prodibat Aloysius summo mane, trahebatque orationem jam duas, jam tres fermè horas, nec semel quartam attigit, & explevit, quin ulla unquam audiendi satietas, aut standi molestia populum delassaverit. Convolabat etiam certatim universa nobilitas. Confluebant Principes Matronarum, augebantque numerum omnium Ordinum *Cœnobitæ*, quibus omnibus non grave erat per brumam, & summam hiemem, cum sideribus Templi fores, dum aperirentur, obsidere, & apertis, ad subsellia cursu contendere. Incredibile est autem hæc Panormi contigisse, ubi tanta est concionantium copia, tanta ingeniorum varietas, tam delicatus aurium sensus, tam vulgaris prolixæ auditionis fuga, nisi Aloysius communem excellentium Oratorum conditionem quàm longissimè superâsset. Assiduus erat Aloysii auditor Martinus Pons de Leon Pontifex Panormitanus, Augustinianæ Familiæ alumnus, vel quum interregno Siciliam administrabat, qui ad redivivum Bernardinum Senensem, Vincentium Ferrerium, Augustinum parentem suum prope-

Eloquentiæ ejus cœleste genus, & eximiæ virtutes.

Ad conciones ejus inusitati confluentium, concursus, & acclamationes.

Ut auditorum multitudini satisfaciat, ad tres, & quatuor horas orationem trahit.

Quantâ omnium ordinum voluptate, Panormi fuerit auditus.

Quibus a Martino Ponte de Leon, Pontifice Panormitano Aloysius in dicendo fuerit comparatus.

rare dictitabat. Profectò vir planè doctissimus satis mirari non poterat, quàm appositè, ac luculenter abditissima religionis Mysteria enodaret, ad perspicuam nuditatem adduceret, & ad vulgi captum accommodaret, quibus enucleandis, & mitigandis Doctorum sapientissimi frustra laborant. Verùm longè sunt ampliora, quæ in remotis Siciliæ oppidis, vicis, & pagis, quos annos admodum triginta perpetuò concursavit, contigisse memorant Aloysii rerum Scriptores. Vix ullum erat templum, quod confluentem ex agris multitudinem contineret. Angustæ interdum erant areæ Civitatum, & in apertos plerumque campos prodire necesse fuit. In regionibus enim frequentioribus, ex finitimis villis tanti ad eum concursus fiebant, ut triginta, & eo ampliùs, hominum millia, unà concurrerent, & ut proximi, ita remoti concionantis vocem exaudiebant, ut nullus apex excideret. Qui fructus conciones ejus consequeretur, judicari faciliùs poterit, quàm verbis exponi. Illud sine fraude affirmaverim, renovatum, eo concionante, locis omnibus Ninivitarum luctum, ejulatum, & pœnitentiam, quam a Deo ille impetrabat diuturnis precibus, atque doloribus; nam antecedentes concionibus noctes insomnes ferè omnes, & de genu ducebat, neque unquam ad sacrum præconium prodiit, nisi cilicio indutus, & aculeatà catenà ad vivum præcinctus, & post cruentum flagrorum cruciatum, quibus nudum corpus omni ex parte cædebat, ut cœleste numen pacaret.

Incredibilis in reliquis Siciliæ oppidis ad ejus conciones auditorum frequentia.

Quænam, & quibus artibus, ex suis orationibus christianæ disciplinæ incrementa retulerit Aloysius.

XIV. Auxere concionum ejus celebritatem cœlestia prodigia, quibus tam dicenti auctoritas accedebat, quàm audientibus metus injiciebatur. Faciem concionantis plerique conspicati sunt jam radiantem, jam scintillantem, jam igne circumfusam, jam flammis involutam, jam instar carbonis ardentis candentem, jam favillis respersam. Ejus rei legitimi, juratique coram judicibus testes prope centum numerantur; & in his *Cœnobitæ*, *Cœnobitarum* Antistites, *Presbyteri*, summi Judices, Regii Administri, Optimates, Principes Civitatum, Infulati Pontifices; inter quos potissimùm laudatur Aloysius Camerus tum Pontifex Monregalensis, postmodo Valentinus, qui Lanuzam Messanæ, anno 1649, coram Joanne Austriaco in æde Principe differentem intuitus, vultum ejus Sole splendidiorem ferre non poterat, propter immensæ lucis exuberantiam, quæ oculorum aciem perstringeret. Item Franciscus Mellus summus Siciliæ Prætor, qui dicenti Aloysio nunquam non adfuit, genas ejus instar sideris splendentes semper vidit, & interdum flammam vibrantes. Fuit, qui cœlestem Ephæ-

Lanuzæ facundiæ cœlestibus prodigiis confirmatur.

Ejus concionantis facies mirificè coruscat.

Hujus rei luculenta, & præcipua testimonia.

bum

bum ejus concionantis latus tegentem cerneret. Qui candidissimam columbam caput ejus pro suggestu dicentis, circumvolantem intuerentur, fuere quamplurimi. Maria Infantolina gravis, & pia mulier, in Templo Domùs Panormitanæ, vertici expassis alis insidentem, & rostro oscula fronti figentem conspicata, assidenti sorori, quid rei esset nescia, columbam digito indicavit. Apertius ibidem, & resonantius fuit puellulæ testimonium, quæ columbam ex capite ejus avolantem quum vidisset, silentibus omnibus, exclamavit: *Volat avis, avis volat.* Ea vox magnum circumfusæ multitudinis murmur excitavit, & missà concione, scitandi studium incendit, quid ea vidisset. Puella verò, ut res erat, ingenuè enunciavit, & de columba narravit, quæ quum perorantis caput, alis detensis, umbraculi instar, diu contexisset, sub exitum sermonis denique abiit. Quibus ostentis, intelligebant homines divinæ lucis abundantiam, quæ quum intimas ejus medullas compleviſſet; ex vultu, & oculis redundaret; agnoscebantque spiritùs cœlestis illapsum, qui publicè sermocinanti, salutaria verba, & certissima sententiarum lumina suppeditaret. Familiare proinde fuit Aloysio, occultas e suggesto mentium latebras aperire, ignota edicere, enunciare futura, absentia prospicere, & indicare, eodem tempore, pluribus locis adesse. Pauca congeram. Causidicus Panormi invitum, & tergiversantem clientem denique ad Aloysium audiendum deduxit, & concionantem reperit. Sed cliens, qui alta, & vetusta gerebat animi vulnera, & medicum refugiebat, multitudine tectus, & paulatim dilapsus, alia ex janua se clam ejecit; jamque plures a templo passus aberat, maximè lætus, quòd Patronum fefellisset; quum properantis, & aversi humerum manus percutit: respicit; Aloysium sequentem videt; objurgatur, redire jubetur, paret, Aloysius regredientem sequitur. Ille stupens, neque satis intelligens, qua ratione fieri potuerit, ut tantà celeritate, concionator e suggesto descenderit, & festinantem assequeretur; templum ingreditur, & vix auribus, atque oculis fidem habens, personantem Aloysii vocem audit, ipsum in suggesto agentem videt, & ad se conversum, atque clamantem: *Numquid Christianum te esse negas, qui Christi vocem refugiebas?* Reliqua flens accepit. Solutà concione, Sacerdotem adit, decimumquartum jam annum in scelerum maximorum contumacia se permanere fatetur, remedium flagitat, seque Christo conciliat. Non absimile est illud, quod quum in Domùs Panormitanæ Templo concio haberetur, au-

Eum populo verba facienté cœlestis Ephœbus comitatur.

Candidissima Columba Aloysium pro suggesto dicentem semel, & iterum circumvolat.

Uno tempore duobus in locis mirabili ostento visus est.

Ea de re unum, & alterum testimonium.

Dum Panormi in téplo verba facit, aliquos extra Templum cõfabulantes ad concionem audiendam hortatur.

rigæ

rigæ verò, ac famuli quamplurimi in area proxima confabularentur; prodit Aloysius, otiosos increpat; monet nè divinum præconium negligant, hortatur, ut concionanti adsint. Illi celeriter in Templum se recipiunt, & Aloysium minacibus oculis prospicientem, & debacchantem, atque querentem comperiunt; quòd grave sit Christianis, Christi nomine, de Christo, & pro Christo loquentem tantisper auscultare? Infinita prætereo ejusmodi alia; & cognoscendi cupidos ad copiosos Aloysii vitæ Scriptores rejicio, & ad ea propero, quibus populos vaticinando exterruit.

Futura, occulta, remota assiduè vaticinatur.

XV. Syracusis ex littore ad classiarios triremium Melitensium, quæ in portu erant ad anchoras, concionabatur, quum Equites aliquot Jerosolymitani, nobiles, externique adolescentes, quibus inusitata contigit tam concitata, & vehemens dicendi ratio, & Aloysius erat parum cognitus, concionantem deridebant, vocem, gestum, corporis habitum imitabantur, & maximi ex joco, ac mimo risus consequebantur. Excanduit Aloysius, & in derisores, oculos, vocem, manum intentans, *Ridetis?* inquit, *Rideatis per me licet; proximâ tamen nocte flebitis*; quæ ipsa verba, tanquam intercalaria, concione totâ ingeminavit. Solvunt de secunda vigilia triremes, & non procul a Pachyno, incidunt in Africanum navigium bene magnum, & telis, tormentis, militibus optimè munitum. Prælium committunt, certatur utrinque virtute summâ, tres continenter horas, mutuâ clade. Sed navis capi non potuit, nisi extinctis Aloysii derisoribus, qui omnes nocturnâ dimicatione, ante lucem ceciderunt, & vaticinio fidem fecerunt. Quod quum postridie Syracusas perlatum esset, cognitum est, ea de cæde fuisse Aloysium de cœlo admonitum, hæsitque universa Civitas magno terrore defixa. Erat Leontini avarissimus senex, qui ingentem pecuniam iniquis usuris cumulaverat; & quod scelestissimum est, dissoluto jam a debitoribus ære alieno, eorumdem syngraphas retinebat, quibus contractum fatebantur, negabatque accepti cautionem. Aderat hic Aloysio, flebat flentibus aliis, neque tamen in animo habebat, æquis cautionibus debitores metu liberare, & concionanti, qui eam rem plurimùm inculcaverat, morem gerere. Non fugiebant Aloysium, quæ improbus senex mente agitaret. Exarsit ex tempore, & quantùm potuit voce contendere, sic dicere adortus est: *Audite Leontini. Est in hac multitudine, qui conscientiæ aculeis maximè saucius, pœnitentis animi significationes omnes ostendit: sese effundit in lacrimas, singultus edit,*

Nonnullis eum Syracusis concionantem deridentibus vitæ exitum prænunciat.

Eventus vaticinio fidem facit.

Avarissimi senis, pœnitentem animum simulantis infaustissimum exitium vaticinatur.

Ea de causa ad populũ Lanuzæ gravissima verba.

Digitized by Google

edit, clamat, pectus tundit, veniam à Deo petit: sed nondum statuit, usuras reddere, syngraphas rescindere, cavere debitoribus. Ad mortem provoco. Vos appello testes, Leontini. Annus non excurret: multum est; sex menses non abierint: citiùs, sanè citiùs; intra mensem videbitis miserrimi hominis infaustissimum exitum. Veterno correptus, nunquam amplius evigilabit. Mentis impos, & lethargicus morietur, stupentibus, & frustra laborantibus medicis. Scribetur quidem ad speciem testamentum, & nutus ejus requiretur: sed numquid erit testamentum ab eo, qui voluntatis non habet facultatem? Equidem abero. Vos me litteris facietis certiorem. Nil non eventus ratum fecit. Decimoquinto die, senex morbum contraxit: undetrigesimo convaluisse putabatur, trigesimo eum veternus invasit. Obtulit Captator hæreditatis supremas tabulas; simulatus est annuentis nutus; paucis post horis, noctem ante mediam lethargo consumtus est. Postero die, attonitis Leontinis, ejus rei nuncius ad Aloysium pervenit, qui finitimis in regionibus versabatur. Ut Planam venit, Græcorum oppidum, quod Epirotarum condidit Colonia, patrum nostrorum memoriâ, ex Epiro deducta, magnis clamoribus, ad confertissimam in foro multitudinem sic dicere orsus est: *Quid illud est Epirotæ, quod sine metu vivitis? An non videtis vobis impendentem tempestatem? O quæ imprudentibus, atque inopinantibus imminet procella! Turbo vos manet tam atrox, & truculentus, ut nulla fuerit evadendi conditio, nisi ad templum confugiatis. Sed numquid omnes poterit templum recipere? Est inter vos; & me audit, cui neque locus erit, neque aditus, & extra limen fulmine percussus concidet, & exanimatus. Hac victimâ divinæ justitiæ litare necesse est.* Paucos post dies, quàm Aloysius sese inde recepit, fœdissima ingruit tempestas, qua truculentiorem nemo excogitaret, & ea omnia sunt consecuta, quæ Aloysius fore prænunciaverat. Flagrabat Panormitana Civitas Aloysii desiderio incredibili, qui plures jam annos aberat, gravissimis alibi distentus occupationibus. Apparuit denique inopinantibus omnibus in quadrivio maximo Civitatis, ubi ex loco superiore, crucem cum Christi signo manu tenens populum invocabat. Prodigii simile visum est, quantâ celeritate, fama adventûs ejus negotiosissimam, amplissimamque Civitatem impleverit. Cives effuso cursu, per vias omnes ad eum properabant. Convolavit etiam universa nobilitas. Intra horæ quadrantem triginta ferè hominum millia concionanti adsti-

Eventus vaticinio congruit.

Planæ, sereno Cœlo, e suggesto impendentē tēpestatem portendit.

Aloysius, inopinantibus omnibus, Panormum venit.

In quadrivio Civitatis triginta ferè hominum millia cōcionanti adstiterunt.

ſtiterunt. Acceſſit omnium noviſſimus magni nominis eques. Vix ex carpento deſcendens terram attigerat; quum Aloyſius, vocem comprimens, & parumper ſilens: *Commendemus*, ait, *ex adſtantibus, & audientibus unum, qui ſexto jam anno in ſcelere permanet non expiatus*. Eques ſe appellari intellexit, quòd in ea eſſet navi. Maluit nihilominus artificio quodam certiùs, & accuratiùs rem explorare. Poſtridie Aloyſium convenit, & ab eo quærit, recténe ſuperioris vitæ culpas omnes unà confeſſione Sacerdoti committeret? Vereri ſe, nè ſi ſordes ſcrutaretur, animi ſcrupulos, & conſcientiæ aculeos non evelleret, ſed maximè incitaret. Tum Aloyſius ſubridens, hominemque complectens: *Quid hoc eſt*, inquit, *fallaciarum? Metuiſne ſcrupulos, & aculeos, qui ſex ipſos annos graviſſima alis animi ulcera, & tam neceſſario tempore adhibendus ſitne medicus, rogas?* Eques eà voce admonitus, divini oraculi nutum agnovit, & expiationem flagitavit. Eadem ter Meſſanæ contigiſſe tradit Tornamira, indicato annorum numero, quo hic, aut ille, uſque ad vigeſimum, & ferè trigeſimum, remedia ſalutis omnia repudiaverat. Eadem alibi frequentiſſimè.

Equitis noviſſimè ad eum accedentis animi latebras cognoſcit; eumque Chriſto cõciliat.

XVI. Intuebatur etiam auditorum ignota crimina, & præſertim mulierum, quæ quæſtu corporis ſe proſtituerant. Adjunxerat ſe Aloyſio extra mænia ad triremium ſtationem proficiſcenti, P. Chiavellus Dominicanus, cui Aloyſius quum in conſpectu eſſet portus: *Vidéſne*, ait, *Pater, ſtygias furias, quæ prætoriam conſcendunt*. Eo negante, adjecit. *Id mihi eſt de cœlo datum, ad rectam muneris mei adminiſtrationem, ut in frequentiſſimo populo lupas, & lenas dignoſcam. Singulæ enim duas hinc inde comites habent furias, igneis cornibus valdè conſpicuas*. Et jam ad prætoriam appropinquabat, quum occurrenti portiſculo: *Quin tu*, ait, *qui remigum es cuſtos, & gubernator, duas illas ejicis furias, quæ prætoriam conſcenderunt?* Ille verò facetè jocans, inquit: *numquid* Exorciſtam *me nôſti, cui furiarum ejectionem mandes?* Aloyſius autem, jocum reponens: *Eſto igitur ſaltem oſtiarius, & duas illas amanda furias, quæ clanculum, te abſente, irrepſerunt, & in intima prope ſentinam cellula deliteſcunt. Niſi expellantur, concionem, quam paravi, non expromam*. Repertæ ſunt coram Chiavello, quemadmodum Aloyſius indicaverat. Quibus cum ignominia ejectis; flagrante vultu, ardentibus oculis, orationem aggreſſus eſt ſalutarem, qua remiges, & claſſiarios ad lacrimas, & pœnitentiæ ejulatum conci-

Penetrandi intimi animi receſſus virtute pollet.

Duas proſtituti corporis feminas in Triremibus delitescentes divinitùs intuetur; & amandari jubet.

ta-

Digitized by Google

tavit. Interdum, quæ auditores ejus tacitis cogitationibus animo volverent, cognoscebat, respondebatque, quasi rogarent. Panormi Faber quidam, qui alternis vicissitudinibus, jam licentiorem, jam castigatiorem vivendi consuetudinem secutus fuerat; demum tamen in turpissimam prolapsus deterioris vitæ fœditatem, in ea inveteraverat, & plures jam annos remedia salutis omnia neglexerat, in Aloysium fortè aperto loco concionantem incurrit. Substitit, & quem antea cupidissimè audierat, audiebat cum nausea, atque molestia. Quod quum secum reputaret, mirabatur, quid rei esset, quod sacro præconio, invitus, & tanta cum satietate interesset. In hominem hæc cogitantem Aloysius oculos conjicit, & *Quid miraris?* ait, *Pepulisti tot sceleribus ex animo Christum. Legionem furiarum in vacuum venire, necesse fuit, & mentem, & sensum, & corpus possidere. Servis infelix miserrimam servitutem, ut jam non liceat in crudelissima dominatione, quæ velis agere, sed ea quæ nolis placere oporteat.* Mox e suggestu descendens ad eum rectà contendit, brachium ejus apprehendit, & attonitum in proximum templum deducit. Sedet, peccata nonnulla audit, reliqua ipse per genera, & classes, & numerum, & tempora, & loca indicat, scelerum participes enumerat, & appellat; flentem expiat, atque confirmat, qui deinceps emendatissimè vixit. Concione dimissà, quam in macello habuerat, quum ad deosculandam manum ejus turmatim omnes accurrerent, & in his profligatissimus adolescens, qui a pueritia flagitiis omnibus assueverat, neque ea unquam expiare cogitaverat, nisi semel, & iterum post pubertatem, & Christianum se esse propemodum ignorabat. Huic ad osculum accedenti: *Siste,* inquit Aloysius, *te te volebam ipsum.* Manum arripit, in propinquum S. Antonii Templum adducit; jubet tantisper secedere, & peccatorum memoriam revocare. Ille confessionem paucis absolvit, neque quicquam aliud esse testatur, cujus meminerit. Tum Aloysius sic orditur. *Natus es apud Thermas Selinuntias. Tertio jam anno expiationem refugis. Fœdissimis implicitus amoribus, Margaritam propinquam, & Virginem stupri consuetudine corruptam tamdiu deperisse parum fuit, nisi etiam, ut bis partum abigeret, compulisses. Viperæ caput in rivalem Josephum, maleficii causâ, prope limen domûs ejus infodisti.* Plures tenuit horas longa criminum ejus commemoratio, quæ quum Aloysius exponeret, identidem rogàbat, *essèntne illa, quorum poterat non meminisse?* Adolescens tam insigni vaticinatione,

Suorum Auditorum tacitas cogitationes frequentissimè cognoscit.

Perditus quidã faber miratur, quòd Aloysium dicentem, audiat cum nausea.

Huic talia cogitanti inter perorandum ejus rei causas Aloysius exponit.

Eum, e suggestu descendens expiat, & Christo conciliat.

Perditi adolescentis occultas animi maculas aperit, & ad bonam frugem adducit.

& caritate commotus, stupens, & tremebundus pœnitentiam ostendit, & ad canos usque retinuit: tantique memor beneficii, Aloysio jam extincto, rem coram Judicibus, jurejurando interposito, senex detulit, quòd æternæ salutis jacturam, aut certè periculum, caritate, studio, atque industriâ ejus redemerit.

Aliæ de sacris Virginibus admirabiles inter concionandum Lanuzæ divinationes.

XVII. Accuratiùs adnotârunt Christianæ Vestales, quæ gynæceis continentur, admirabiles Aloysii inter concionandum divinationes, quibus earum recessus animi penetrabat, occurrebat dubitationibus, cogitationes enunciabat, sed divinâ quadam sapientiâ, ut quæ occulta essent, atque pudenda, illæ dumtaxat, quarum intererat, assequerentur, reliquæ non intelligerent. Quum Messanæ apud sacras quasdam Virgines tum primùm verba faceret, & ex his una, cujus culpas omnes descripserat, se proculdubio peti animadvertisset, & secretum postulasset, confitentem audivit, & lacrimis ejus commotus, ait; *Satis pœnarum dedit animus, quod ad corpus attinet, equidem pro te satisfaciam*. Post menses aliquot, Aloysio jam absente, eadem Virgo, cujus erant partes, sororibus farinam metiri, cum alia de mensura disceptavit, eamque acri convicio perstrinxit. Postridie ecce ab Aloysio litteræ, Panormo datæ, in hanc sententiam. *Ego quidem, quòd pro te vadem me præbui, maximis excruciatus doloribus, graviter decumbo, & debitas tibi pœnas luo. Tu verò non dubitas, farinæ pulvisculum caritate pluris facere, & sorori tuæ edacitatem, & gulam exprobrare?* Apud sacras Virgines Syracusis concionabatur, quarum una nil tam adamabat, quàm inania cum externis colloquia, eaque quotidie instituebat diuturna, & periculi plena. Cum ea Aloysius perpetuum contexuit dialogum. Quidquid illa mente versaret, motusque animi omnes excipiebat, respondebatque, ut si ea non cogitaret modò, sed loqueretur. Eamdem sequentibus concionibus semel, & iterum inconstantiæ postulavit, quòd promissis non stetisset. Tertiùm eódem relapsam per nuncium admonuit omnibus incognitum, his verbis, *Ait Aloysius Lanuza, hæc est fides?* Illa, quasi cœlestem verita exprobrationem, tricas omnes amputavit, amatoribus valedixit, seque ex animo Christo dedidit. Aloysius ad concionem reversus, Virginem nomine appellans, quasi Magdalenam alloqueretur; *Maria*, inquit, *a cruce, cave discesseris. Servâsti fidem: fac servare pergas. Quod si iterum terga vertis, serpens te manet, cujus neque dentes, neque ungues, neque venenum deinceps unquam effugies.*

Messanæ sacram Virginem apud Aloysium suas culpas exponere cupientem, divinitùs cognoscit, & audit.

Messanâ absens, eam Virginem cum alia de farinæ mensura disceptantem postridie per litteras arguit.

Aliam Syracusis inania cum externis colloquia adamantē admonet, & inconstātiæ postulat.

Eo ostento perterrita, se ex animo Christo dedit, & in proposito perseverat.

Agno-

Agnovit ea perpetuam vaticiniorum seriem, & in fide permansit. Accersitus dum Carini agebat, ad sacram Virginem privatim audiendam, quæ maximis jactata anxietatum, & angustiarum fluctibus, nil tam cupiebat, quàm in ejus doctrina, ac sapientia conquiescere. Negavit Aloysius, otium sibi esse, quod privatis impertiret; illud tamen pollicitus, eam se publicè allocuturum. Venit post dies aliquot, sacras Virgines ad concionem convocavit. Compressis, ut in Gynæceis solebat, oculis, dicere aggressus est. Post semihoram oculos aperuit, & in eam Virginem conjecit, quæ secretum postulaverat: exposuit animi ejus æstus, & ambages omnes, atque singula percurrens diligentissimè satisfecit. Quod quum illa silens miraretur: *Nolim mireris*, ait, *quasi te Deus non amaret, aut res humanas negligeret, cui & formica, & culices curæ sunt.* Quod sequitur, prodigium habet vaticinio conjunctum. Matutinam concionem ultra meridiem quàm longissimè Panormi traxerat Aloysius. Quum peroraret ad piam mulierem e regione sedentem, ait: *Quum domum redieris, maritus occurret famelicus, & iratus, quòd culinam reperit frigidam, gelidam ollam, oryzam, nondum igne suppositò, neque coctam, neque aquâ subactam. Quæ ira, qui clamores, quæ minæ! Nè verearis: calida, condita, cocta omnia comperies.* Illa domum properat, maritum debacchantem patienter sustinet, impetus ejus blandis verbis remoratur, & Aloysii memor dictorum, omnia parata esse confirmat, mensam ornari jubet, & ipsum accumbere. Ad culinam deinde advolat; ignem extinctum reperit; ex silice favillas excutere incassum laborat. Inops consilii Aloysium cogitat, & promissi admonet. In mentem venit, ollam detegere: fumantem, fervent rem, atque spumantem videt: oculos ad oryzam convertit, quam in patera siccam, & intactam reliquerat, & coctam, conditam, calidam deprehendit. Fercula marito statim apponit, & mirabilem eventum narrat. Vir miraculo fidem auget; testatur enim, nunquam se delicatiores epulas degustâsse.

Carini, alteræ animi anxietates Aloysio privatim aperire desiderat.

Nondum cum ea collocutus, publicè inter concionãdum, animi ambages exponit, atque iis medetur.

Panormi cuidam feminæ, quæ ejus concioni aderat, futura prænunciat.

Quos nondum ipsa paraverat cibos, Aloysii beneficio, coctos, cõditos, & calidos deprehendit.

XVIII. Quinquies jam Aloysius per majoris jejunii ferias, Panormi quotidianas habuerat conciones, quibus quotannis addiderat, quæ per intervalla in Christiano Adventu, & festis per annum diebus pronunciari solent, orationes; divinas quoque litteras quinquennium in Domùs Templo enucleatas tradiderat. Ter Messanæ, bis Drepani, semel Catanæ, ac Syracusis quadragenarum actionum laborem consumserat; quo tempore custodiis, valetudinariis, classiariis, remigibus, nau-

Aloysii incredibiles in Domibus, atque Collegiis assiduique labores.

tis, piscatoribus quotidie aderat, morientibus diu noctuque presto erat, plateas, areas, quadrivia Civitatis concionando personabat: se tamen profluentibus lacrimis, super mensam sæpè incusabat, quasi residem, otiosam, commodam, & delicatam vitam duceret, atque alimenta frustra consumeret. Erat in amoribus ejus laboriosius vitæ genus. Flagitabat molestissimas excursiones in loca aspera per difficillima itinera, ad pauperes, & rudes homines, ubi nulla essent hospitia, nullus mensæ apparatus, nulla cubandi facultas, nulla laborum requies. Sed habenda erat ratio ætatis, virium, & valetudinis ejus. Sentiebat jam onus ingravescentium annorum; corporis habitudine utebatur parum commodà, nec satis firmà; vires extenuaverat perpetua delassatio, & cruciandi corporis assiduitas. Vicere demum majorum hæsitationem Aloysii preces, & lacrimæ. Ille quasi votorum summam attigisset, incredibili alacritate, sacras deinde expeditiones nunquam intermisit, nè hieme quidem summà in gelidissimis montibus, asperrimis itineribus, nullo frigoris præsidio, humi plerumque aut sedens, aut saxo innixus, parcum, atque molestum somnum capiens. Nullà vi cogi poterat, ut lauta, & commoda non vitaret hospitia; quod si tuguria, atque mapalia non occurrerent, sub dio potiùs apertis in locis, & campis pernoctabat, quàm in privata divitum limina pedem inferret, & eorum lautitiis, atque munditiis se involveret. Prandio ut plurimùm caruit; aquà, & rustico, vetusto, corrogatoque pane cœnam plerumque duxit; nisi fortè, ut opulentiùs sibi aliquando indulgeret, oleas adderet, sale subactas: nam si cæpam admisisset, largiùs se invitâsse arbitrabatur. Ita universam Siciliam vicatim concursando iterum, atque iterum peragravit; neque tamen repleviſſet animum, aut desiderium suum, nisi ad finitimas etiam insulas navigaret, & Cosyram, Melitam, atque Liparam ad Æolias excurreret; Brutios deinde trans fretum ad Apennini montes pervaderet, & illustria pietatis, ac religionis imprimeret vestigia, quæ Monteleone, quod est oppidum Brutiorum, neque tempus, neque oblivio, memoriâ nostrà deleverat. Duos secum in ejusmodi expeditionibus habere consuevit juniores Sacerdotes, itinerum comites, & socios laborum, quibus ille nullum fuit humanitatis, & caritatis officium, quod non summo studio impertiret: cogebatque invitos etiam, & reluctantes, ut sibi parcerent, & accuratè prospiciebat, nè lectum, nè tectum, nè alimenta deessent, quibus in Societatis Collegiis uti consuêssent. Cultioribus proinde in lo-

Super mensam sæpè, ut otiosum se incusat, temperantiâ singulari.

Molestissimas excursiones, fractis adhuc viribus flagitat, & obtinet.

Excursionum ejus oratio, & cruciandi corporis asperrima consuetudo.

Incredibili fructu, atque labore universam Siciliam semel, & iterum excurrit.

In finitimas Insulas navigat, & Brutios etiam pervadit.

Erga suos excursionum ejus comites eximia caritas.

Digitized by Google

locis eos jubebat consistere, confitentibus præbere aures, & familiari oratione, sacram doctrinam in Templo populis administrare. Ipse, quæ dura, & insuavia essent, uni sibi relinquere, pedibus arduos, & præruptos montes conscendere, pastores, aratores, montanos homines disquirere, cogere, erudire, atque ad pagos deducere; ardentes, prolixas, & contentiosas ad plebem actiones in foro, in area, in trivio sub bruma, & nimbo, flantibus ventis, flagrantissimo Sole, sui juris esse velle. Ceterum si cum Sociis accumberet, intermittebat jejunia, & jucunditate mirà gustabat singula, nè senioris continentia edentibus junioribus pudorem efficeret. Communem propterea mensam, ingeniosà sagacitate vitabat, causasque inveniebat probabiles, quominus coram arbitris cibum sumeret.

Admirabilis ejus comitas, & maxima prudentia.

XIX. Quoniam verò usu edoctus, nihil esse tam salutare compererat, quàm Christi cruciatuum, & necis memoriam excitare, & mentibus impressam relinquere, antequam ex oppidis, & pagis digrederetur, pictis Imaginibus, Christi dolorum, & vulnerum monumenta, certis in locis extra portas extrui curabat. Hæc stationes vocabat; quæ secus viam idoneis intervallis disposita in proximum collem desinerent, ubi tres cruces eximiæ proceritatis essent erectæ, quarum media reliquis major Christi morientis patibulum indicaret. Eum collem, montem *Calvarium* appellabat. Crux autem omnium maxima, humeris hominum imposita, magno supplicantium agmine, ad collem, in quo esset figenda, vehebatur. Bini præcedebant omnium ordinum cives, quorum alii cruento flagello terga cæderent, alii nudum pectus aculeato subere ferirent, traherent alii pedibus ferreas catenas, hi pondera ferrent ingentia, alii decussatas trabes bajularent; neque deerant qui per brumam nudi, & acutissimis sentibus involuti, luctuosum de se spectaculum præberent. Sequebatur Aloysius, divini Redemptoris jam extincti signum brachiis, & sinu gerens, stipabantque atrati Sacerdotes, qui lugubre carmen Christo canerent, & funeris ejus mæstitiam, atque luctum augerent. Ita flentibus, ac silentibus omnibus, ad singulas stationes Aloysius spinis redimitus exanime Christi Corpus, & vulnera, & sanguinem ostentans, & magnis clamoribus rogans: *Quisnam fuerit tanta necis, & plagarum, atque dolorum auctor?* Et seipsum accusans, & alapis, pugnis, ac flagro tundens, ejulante, ac cœlestem clementiam implorante multitudine, lentè procedebat ad collis fastigium, ibique ex loco superiore circumfusos oppidanos dum Cruces locarentur, tanto impetu hor-

Quàm maximè erga Christi vulnera, & cruciatus afficeretur.

Eam religionẽ in universa Sicilia amplificat, & qua ratione.

Stationes in singulis oppidis extra portas extrui, & tres cruces in proximo colle erigi curat.

Qua ceremonia Cruces illæ vehebantur, & in collis fastigio collocabantur.

hortabatur, nè a Christo deficerent, nè mortis ejus memoriam unquam ponerent, neu Stationes, & *Calvarium* frequentare deinceps sinerent, ut conclamantis populi voces proximos colles implerent, & nubes veluti cogerent, & agitarent. Nam nunquam contigit, eum diem, quo stationes, & cruces dedicarentur, aperto sole, ac puro cœlo fulsisse, sed turbidum semper, obductis nubibus, tristem, atque funestum se ostendit, & nocti similem. Quod quum veluti in mores jam abiisset, dictitare solebant socii: *Et tenebræ factæ sunt*. Sed nubilo semper cœlo, nunquam pluisse constat. Nam si aliquando præviæ guttulæ proximum nimbum indicarent, Aloysius suspiciens, & manum protendens, significabat, ut tantisper expectaret, donec funebris ceremonia clauderetur, atque eo nutu imbrem continebat. Non aliam Deus crucis, & mortis suæ religionem, tam insignibus prodigiis de cœlo ratam habuit. Plurima litteris prodita sunt, quorum ex his, quæ vivo, & præsente Aloysio contigerunt, aliqua proferam. Ortum habuit ea religio Saponariæ, quod est oppidulum Mamertinæ jurisdictionis, ejusque initium insigni miraculo est consecratum. Figenda erat edito in colle crux ad quadraginta palmorum dimensa altitudinem. Quæ quum attolleretur, & propè jam esset, ut parte infimà in scrobem ad id pressam descenderet, attollentium manus, & vires pondere vicit, & præcipiti casu, Christophori Martinii tempora siniſtrorsum tanto impetu perculit, ut penè exanimatum ad terram dederit, capitis ossa contriverit, cerebrum contuderit, & ex naribus, ore, atque oculis sanguinem expresserit. Mirabantur maximè omnes, quod tamen viveret. Aloysius domum per manus referri jussit semivivum Sacerdotem, quem in horas extinctum iri Medici pronunciabant, neque ullum remedium adhibendum censebant, de cujus salute desperaverant. Delirans nihilominus, & animam agens, vitam non sine prodigio protraxit, majori prodigio reservatus. Nam Aloysius postridie concione peractà, quam terrificam, & maximè salutarem ediderat; repentè exhilaratus: *Noster Martinius*, ait, *jam est incolumis. Crux non necem, sed vitam affert. Ite, & homini renunciate, ut bono sit animo: quoniam Crux salutem, & gratiam a Deo impetravit.* Convolant ad eum omnes, & lætum reperiunt, atque ex eo tempore integrum, quo Aloysius de incolumitate ejus populum certiorem fecerat. Postero die Aloysium digredientem comitatur. Plurimos vixit præterea annos, quin aliquando ullam capitis ægritudinem senserit, aut gravissimi casùs vestigium

Nè pluvia funebrem ceremoniam interturbaret, nutu sæpè imbrem cõtinet.

Quo loco orta sit ea religio exponitur.

Eam Deus prodigiis ratam habet.

Christophorus Martinius ruẽte Cruce gravissimè percutitur, ac semivivus relinquitur.

Ut Lanuza prædixerat, repentè convalescit.

Digitized by Google

gium ullum, præter insignem cicatricem, expertus sit.

XX. Majorem habet prodigii admirationem, quod gestum traditur apud Acim Xiphoniam, ad Jonium mare in imis Ætnæ radicibus prope Catanam situm oppidum, cujus ager ignivomi montis obnoxius ejectionibus, ferrugineas passim ostendit rupes, quæ bituminosis, metallicis, fusilibusque concretæ excrementis, tantam concipiunt duritiem, ut neque arte, neque ferro, neque sæculorum edacitate vinci, aut subigi queant. Designaverat Aloysius idoneum *Calvario* locum. Via erat amplissima, atque rectissima per campos aperienda, quæ supplicantium turbam, & supplicationum administrationes reciperet. Dimensum est opus, locatumque ære publico redemptoribus. Via jam erat magna ex parte constrata, quum operæ incidunt in ex his unam, quas diximus, rupibus, ulnarum ferè quinque, adeo crassam, densam, metallicam, & insuperabilem, ut post sex horarum delassationem, neque malleis, neque dolabris, neque upupis, neque ullà vi, assulam, aut schidium, aut ramentum excusserint: ad Aloysium, qui aderat, & laborantes confirmabat, confugiunt omnes, orantque, ut viam exiguo sinu retorqueri, & invictam cautem declinari patiatur. Ille subridens: *O vos inertes, atque resides*, ait, *qui labore perterriti, victoriam saxo permittitis*! Deinde ad rupem conversus, & crucem ter exporrectà manu significans, Deumque appellans trinum, & unum: *O rupes*, inquit, *jubeo te malleo cedere, & Christo, ejusque cruci servire*. Simul operas, ut ad opus redire velint, hortatur; ipse nè laudem ex prodigio caperet, confestim se subduxit, neque quò se receperit, & abdiderit, in apertissimo campo, quisquam animadvertit. Sed rupes nè primum quidem ictum sustinuit: semel enim malleo percussa, non secus, ac si esset vitro conflata, non modò disjecta est, sed in ramenta, & pulverem universa subsidit. Operæ in genua procumbunt, & miraculum conclamant; prodigii auctorem disquirunt, neque usquam vident, aut reperiunt. Collesani quum fossa in arido collis jugo, Aloysio jubente, & de genu supplicante, deprimeretur, salientis aquæ vena statim erupit, quæ vel epota, vel ad abluendum corpus adhibita, insanabiles morbos curaret. Cœlestibus beneficiis primus omnium fidem fecit Balthasar Adamus, qui paralyticus, & infimis artubus, plurimos jam annos captus, ut neque ingredi, neque stare posset, simul de reperto fonte accepit, ad *Calvarium* sellà delatus, & eo latice ablutus, membris repentè confirmatis, pedibus domum, summà prodigii acclamatione

Apud Acim Xiphoniã idoneum Calvario locũ designat; & viam insterni jubet.

Insuperabilis rupes rectam viam intercipit, & operarum vires frustra delassant.

Aloysius rupi jubet, malleo cedere, & Christi Cruci servire.

Rupes vix malleo percussa in ramenta, & pulverem subsidit.

Collesani dum fossa deprimitur, salientis aquæ vena erumpit, & morbos curat.

ne

ne remeavit. Siccum, & imbribus vacuum Leontini autumnum exegerant, & hiemem inchoaverant, neque ulla se cœlo nubes ostendebat, quæ pluviæ spem faceret. Adusto solibus agro, neque semina terræ mandaverant, neque ulla jam suppetebat facultas pabuli, quo pecora, & greges alerent. Eo die, quo Aloysius crucem posuerat, & ex *Calvario* concionabatur, consurrexerunt omnes, & magnis clamoribus ab eo pluviam flagitare cœperunt. Aloysius autem quasi divino quodam æstu incitatus; *Numquid*, ait, *Leontini, communia scelera, vos pœnitentiâ deleviße arbitramini, aut cœleste numen pacâße, qui tam confidenter de imbribus mecum expostulatis, quasi agris vestris deberentur? An nondum agnoscitis scelerum vestrorum indignitatem, & gravitatem? Vos culparum pœnam omnem ferre non potestis. Videte innoxias pecudes ut languent, & herbarum inopiâ perimuntur, quia vestræ sunt, & tam improbos habent dominos, ut eorum causâ plectantur.* Ad ea verba greges ovium, & capellarum, quæ proximis specubus continebantur, effuso cursu erumpunt, & magnis balatibus ad eum contendunt, quasi pabulum ab eo peterent, & suis vocibus conquererentur, quòd alienis sceleribus fame necarentur. Eâ specie commoti Leontini, ejulatu summo, atque communi, ad cruenta flagra se convertunt, ii verò, quibus flagelli copia deerat, silices utráque manu arripiunt, & quantùm valent viribus, pectus tundunt. Tum Aloysius misericordiâ tactus, obortis lacrimis, nimbum ante lucernas pollicetur, & concionem dimittit: Repentè toto se cœlo nubes effundunt, & imbrem sustinent, dum multitudo in oppidum se recipiat. Mox largissimus nimbus sitientes agros recreavit; qui proximâ æstate cum trigesimo ferè extulere, memorabili sanè proventu.

Ob diuturnam serenitatẽ, ager Leontinus siccitate laborat. Aloysii oratione Leontini ad pœnitentiã excitantur.

Eo die, quo Crucem Lanuza posuerat, imbres sunt consequuti.

XXII. Illustrioti prodigio subventum est Plateensibus. Eo ipso anno, quo in Plateensi suburbano *Calvarii* religio est instituta, magnis sationibus virebant agri; sed a brumæ solstitio ad vernum æquinoctium nulli obtigerant imbres, qui segetes alerent, & incrementum afferrent. Aloysius erectâ jam cruce, octo dierum supplicationem edixit, ab oppido ad *Calvarium*, planè cruentam, quæ tam insigni civium, & finitimæ usquequaque multitudinis frequentiâ est celebrata, ut cruoris vestigia viam respersérint. Octavo die Aloysius supremam ex *Calvario* concionem habuit, atque ita clausit. *Audite Plateenses; quando sanguine vestro terram irrigâstis, jam nullis opus est nimbis, ut annona proveniat latissima, atque uber-*

Sitientibus agris Aloysius erectas supplicationes instituit, summâ Plateensiũ frequentiâ.

Ad Plateenses ex Calvario Lanuzæ oratio, & de optima messe vaticinia

Digitized by Google

uberrima omnium. Nulla igitur est causa, cur imbres, aut vos flagitetis, aut nubes demittant. Sicco vere, aridâ æstate, messis exurget in paucis opima, & plena. Crucem hanc vobis relinquo vadem, & prædem dictorum meorum. Nihil prodigiosus eventus a præsagitionis veritate discessit. Nullæ eo anno, ad æquinoctium usque autumnale, nubes, nullæ pluviæ Plateensem agrum recreârunt: sed nemo erat, qui meminisset, majorem, aut parem ex superioribus sationibus fructum relatum. Reliquis demum prætermissis, omnium fuit præclarissimum Isnellianum prodigium, quod publicis litteris consignatum, & legitimi testis jurejurando ratum comperio. Dies illuxerat constituendo Isnelli *Calvario* præstitutus. Tres in medio foro jacebant cruces. Convenerat infinitum propè supplicantium agmen, & Aloysii nutum expectabat. Ille tres primùm homines nominatim designavit, qui crucem maximam ad *Calvarium* perferrent. Negabant hi, tres dumtaxat homines tanto oneri ferendo pares esse, quod robustissimos decem viros delâssaret. Aloysius in eodem perseverans: *Numquid*, ait, *mentitus est qui dixit, jugum meum suave est, & onus meum leve: aut vos Christiani non estis, qui Christi crucem gravem putatis, & viribus vestris longè majorem?* Illi denique obtemperant; at dum vestes exuunt, seque ad crucem ferendam, & sublevandam comparant; ecce tibi Crux illa major, quæ porrecta in foro jacebat, universo spectante populo, paulatim sponte suâ humum relinquit, & ut erat jacens, tangente nemine, ad sesquipalmi altitudinem in sublime fertur, atque in eodem jacentis statu suspensa consistit. Agnoscit circumfusa multitudo cœleste spectaculum. Invadit mentes omnium divinus quidam Dei quasi præsentis, operantis, & summam potestatem exercentis horror, ac metus. In genua procumbunt, voces attollunt maximas, ter misericordiam conclamant, fronte ad terram demissâ, flentes sublimem crucem venerantur. Aloysius quoque in genua provolutus cœleste signum adorat, & facie terram contingens nonnihil conquiescit. Tum tres illos appellans: *Eja*, inquit, *si neque mihi, neque oculis vestris fidem habetis, credite jam humeris vestris. Accedite, succollate, jugum suave, onus leve sentietis.* Illi de genu proni supponunt humeros, & nullo negotio crucem sublevant, atque delassatione nullâ ad *Calvarium* usque bajulant. Eam crucem summo, ac diuturno prodigio consecratam, maximo deinceps concursu, finitimi etiam oppidani coluere, & in sacratissimis rebus habere non destiterunt, neque pauca exinde beneficia retulerunt.

Isnelli singulari prodigio Calvarium constituēdum aggreditur.

Matth. cap. 11.

Crux, quæ in Calvario erat collocanda, spōte suâ humum relinquit, & in sublime fertur.

Quinam ex eo ostento populorum animi motus fuerint cōsequuti.

Ad destinatum locum, nullâ bajulantiū delassatione, Crux asportatur.

Aloysius a stygiis monstris diu, multùmque exagitatur.

XXII. Inter hæc mutuum, perpetuumque exarsit bellum Erebi furiarum cum Aloysio. Quid non moverunt quotidianis insidiis, ut eum opprimerent, concionantem interpellarent, navigantem naufragio mergerent, equitantem dejicerent, & in flumina præcipitem agerent? Aloysius contrà, stygium hostem parvipendere, ex lymphatis corporibus deturbare, imperio cogere, modis omnibus ad obtemperandum compellere. Messanæ conscenderat Panormum navigaturus, sereno cœlo, ventis ferentibus. Repentè procella extitit adeo fœda, & truculenta, ut navis, furente aquilone, & crebris jactata turbinibus, in eo esset, ut deprimeretur. Flentibus nautis, & salutem desperantibus, Aloysius, *agnosco*, ait, *auctorem tempestatis*: incolumitatem omnibus pollicetur; & in summa puppi, jucundissimà oris tranquillitate, Deo de genu supplicat aperto capite: ruentibus interea nimbis, fluctibus puppim superantibus, & ingruentibus, aquà omni ex parte infusus, & madens, maris, cœlique impetum sustinuit, donec post trium horarum conflictum, hoste superato, atque in fugam conjecto, procella conquievit; ipse in littus ante sidera descendit, ad meritoriam tabernam digreditur, ibique intimè madidus, ac diffluens, neque vestes exuit, neque mutat, neque quicquam gustat, sed positis genibus, noctem supplicando transigit. Socios tamen cibum, & somnum capere jubet; quos ut illuxit requisi. it, *Placerétne in expeditionem exire, & ad proximum Caroniæ oppidum excurrere, ibique stygiis hostibus hesternæ dimicationis vicem referre?* Cupientibus omnibus, viæ se committit. Arduus erat ad oppidum ascensus, lubricum iter, atque præruptum, ille indumentis nondum siccis, incredibili alacritate, post unius diei inediam, atque vigiliam, ducem se præbet; socii, & nautæ præeuntem ægrè assequuntur. Caroniam ingressus oppidanos ad concionem convocat, ad pietatem, & religionem excitat, christianis sacris biduo expiat, & lustrat; videtque turmatim diffugientes furiarum legiones, quæ magnis clamoribus Lanuzam, & comitatum ejus execrantes oppidum deserunt. In Templo domùs Mamertinæ, confertissimo populo ad luctum, & pœnitentiæ ejulatum adducto perorabat, quum grex molossorum repentè apparuit, magnis inter se latratibus prælian,iam, & irrumpentium in auditorum subsellia. Tartareas bestias cognovit Aloysius, & vocem attollens; *Satis est*, ait, *satis est*. Eà voce stygii canes tamquam fulmine icti, confestim siluerunt, seque in fugam dederunt. In Siculensi oppido concionantem lymphata mulier furens, & clamans interpel-

Panormũ navigãs stygiâ fraude, sævissima exortâ procellâ, magno in periculo versatur.

Ejus precibus tempestas conquiescit; & ante sidera in littus descendit.

Adhuc madidus Caroniam ingreditur, & eo concionãte, lemures fugiũt.

Messanæ perorans malas furias in concionem irruentes, in fugam avertit.

Digitized by Google

pellavit dicens: *Quid vis Lanuza? cur huc veniſti? cur locis omnibus nos inſectaris?* Aloyſius nè verbo quidem, ſed digito ad labia adducto, in eam oculos conjecit, & eo nutu ad ſilendum compulit: dimiſsà mox concione, furiis iterum exagitata, & ſacris execrationibus vexata, denique declaravit, furias non abituras niſi Aloyſius imperaret. Accerſitus, *quid opus eſt*, ait, *præſentis imperio? ſatis eſt cingulum mittere*; quo allato, & admoto, furiæ ſtatim evaſerunt. Drepano digrediens incipit ex itinere in profligatiſſimum mulionem, furti reum, pejerandi aſſuetum, & vitiorum omnium fœce inquinatum. Cohortatus eſt modis omnibus perditum hominem, ut in ſe aliquando deſcenderet, Deum læſum, atque iratum timeret, peccata Sacerdoti committeret, cum Chriſto in gratiam rediret, ſeque a dira Stygii tyranni ſervitute, atque vinculis in libertatem aſſereret. Riſit ille tyrannidem, vincula, ſervitutem, ut nugas aniles, & ludibria poëtarum. Aloyſius exarſit; & *O te infelicem, ac cacum*, ait, *qui ridenda putas, quæ ego oculis cerno, & quæ tu quoque videbis, ſi reſpexeris!* Reſpicit mulio, videtque atrum æthiopem, ferum, monſtroſum, ex ore, naribus, oculis flammas anhelantem, qui ſe catenis, & vinculis illigatum tenet, & ponè ſequitur quaſi ferocem belluam captam ageret. Obriguit, ſeque ex jumento dejecit, propemodum exanimatus, ut ad Aloyſium confugeret, & fidem ejus imploraret, ſeque ei totum traderet.

Sicli lymphatam mulierem, cingulo admoto, dæmonibus eripit.

Drepano digrediens, ex itinere profligatiſſimum hominē oſtento terret, & Chriſto conciliat.

XXIII. Cæterùm Aloyſii vitam omnem a puero ad ultimos canos perpetuam fuiſſe prodigiorum ſeriem, legitima ejus acta teſtantur. Nonnulla delibare fas eſſe arbitror. Ægritudinum inſanabilium curationes repentinæ quamplurimæ, pallii, aut indumentorum ejus inſcientis contactu, peractæ numerantur. Alicatenſis mulier, multos jam annos rupta, & ex eo miſerrimè laborans, ut ejus e ſuggeſtu deſcendentis pallium attigit, domum integra rediit. Catanæ Franciſcum Scaliam, eodem morbo jamdiu vexatum, remediis omnibus fruſtra conſumtis, confirmavit fragmentum veſtis ejus. Ibidem Jacobam Melitenſem puellam, fœdè ſtrumoſam, auxilium ab eo petentem, ad ardentem Antonii Patavini lampadem, & oleum rejecit. Illa non acquievit, ſed præeuntem ſecuta, pallii fimbriam clanculum collo admovit, & in ipſo veſtigio, nè cicatrix quidem ſtrumarum reliqua fuit. Margarita Salerna Alicatenſis femina, jampridem oculis capta, præterèuntis Aloyſii pallio palpebras tetigit, & ſtatim videre cæpit, flentibus qui aderant, & clamore ſublato gratulantibus. Intimo,

Eximia, & planè inuſitata Aloyſii cœleſtiū beneficiorum abundantia.

Lanuzæ indumentorum contactu quamplurimi morbis curantur.

Cæca mulier, ejus pallio oculis admoto, viſum recipit.

Alia intimo, & cæco ulcere excruciata, ac macie consumpta ejus palliũ tangit, & morbo liberatur.

ac cæco ulcere diu, multúmque excruciabatur honesta, ac pudibunda Alicatensis item virgo, quæ præter maciem extremam, maximos dolores ferre maluit, & mortem potiùs oppetere statuebat, quàm medici manibus, & oculis se committere, Aloysii ad suggestum properantis occursum captavit, & pallium ejus sibi admovit; atque in ipso contactu recreatam morbus reliquit. Bimestris tertiana, acerrima destillatio, perpetua nausea, diuturna vigilia Josephum Merolum Acensem ad vitæ limen compulerat. Aloysii pallium immolantis mater nacta, eo filium involvit, ingruentis febris rigore tum maximè laborantem. Adolescens salutarem calorem venas permeantem illico sentit, & morborum omnium fugam ex eo consecutam: quare inopinato prodigio excitatus divinitatis metum concipit, humanis rebus se abdicat, & ad *Seraphicos* barbatos secedit. Lauria Formica Alicatensis matrona, quinto jam mense, gelidis quarto quoque die tentata febribus, ea potissimùm de causa angebatur, quòd per excurrentes majoris jejunii Ferias, Christianam ciborum continentiam violare cogeretur. Remediis omnibus incassum exhaustis, in Aloysii demum pallio opem invenit, cujus fimbriam exosculata morbum pepulit, & jejunium absque molestia peregit. Majorem habet admirationem quod sequitur; nam salivam quoque ejus, & quotidianas excreationes, quas inter concionandum temere ejiciebat, accuratissimè legebant ægri homines, & saluberrimas esse prædicabant. In his fuit Carinensis Sacerdos, qui vetustissimas strumas, olidas, & ulcerosas, quas opobalsama nulla castigaverant, quin recrudescerent; statim ac Aloysii sputo linivit, aridas, & cicatrice obductà, extinctas cognovit. Alicatensis item calculosa mulier, inusitatà magnitudine calculum annos quamplurimos vesicà aluerat, stillicidio, ardoribus, acutissimisque punctionibus diu, noctuque vexata, ut Aloysii salivam adhibuit, calculum nullo dolore ejecit, neque deinceps ullum coaluisse testabatur.

Josephum Merolum in ejus pallio involutũ tertiana reliquit.

Lauria Formica pallii fimbriam exosculata febri eximitur.

Saliva ejus olidas strumas extinguit, & calculo laborantẽ curat.

Quamplurima alia, humanà virtute majora Lanuzæ prodigia.

XXIV. Verùm Aloysii prodigiorum ratio, numerus, magnitudo communem, atque vulgarem quàm longissimè superat mirabilium rerum conditionem. Alicatæ nobilis viri plurium annorum pellex, Aloysii perterrita concionibus secessérat, seque in tuto abdiderat gynæceo; quod quum ægerrimè tulisset perditus concubinus, perfractis foribus, conquisitam, atque repertam, domum retraxit; neque dubitavit postridie concionanti adesse. Aloysius publicum, & Christiano nomine indignum facinus gravissimis verbis insectatus, tanti flagitii auc-

to-

Digitized by Google

ctorem ad sanitatem adducere conatus est. Sed nullis minis, atque terroribus pervicacem frangebat. Tum divino veluti furore incensus, vocem exeruit consuetà, & humanà majorem; & *quando*, ait, *hominis verba contumacem non expugnant, Deus loquatur. Fulminet ergo. Descendat magno impetu cœleste telum, & sceleratum admoneat criminis, atque periculi sui.* Ea verba tonitru excepit; & sereno, puroque cœlo repentè fulsit, ac tonuit tanto fragore, ut & templum, & oppidum quateretur. Trepidant omnes, sed præ ceteris ille nefarius, qui magnis clamoribus veniam petit, & se imperata facturum pollicetur. Accipit Aloysius conditionem, & manum protendens, *satis est*, inquit: atque vocis ejus imperio, Cœlum conticuit. Biennio ferè antequam è vita migraret, in apertis, purisque prope Saponariam campis, puellorum multitudinem omni ex parte contraxerat, tradebatque Religionis elementa, quum a Fratre Joanne Bellomo Ennensi admonitus, ut turbam dimitteret, seque actutum reciperet; quoniam turbo impenderet, & nimbus maximus jam erumperet: *Nil est*, ait, *quare metuas*, & duas insuper horas dicendo traduxit. Solutis interea nubibus, regionem omnem incessunt imbres, fulgurat, tonatque vehementissimè, volitant, serpuntque fulmina toto cœlo, & capitibus imminent audientium; sed nè gutta quidem Aloysium, & circumstantem attigit multitudinem; nam triginta ferè passus, abfuit pluviæ circuitus, tanquam circino ductus. Ut Aloysius dicendi finem fecit, ea ex parte, qua receptus erat in oppidum, imber constitit, & venientes sequebatur. Id quidem sæpè alibi contigisse perhibetur, sed certissimis testibus Cartafalsano in pago, ubi ad rusticum Collegii Drepanitani prædium ex itinere digressus, agricolas, & pastores in amplissimum ædium impluvium coëgit, & ad concionem prodiit, quam quum longiùs ille duceret, nimbus se procellosus dejecit; tectis circùm pluviâ fluentibus. Putavit frater nescio quis, paganos illos sub dio stantes procellæ impetum patienter excipere, ac sustinere; miratusque, quòd Aloysius dicere pergeret, ex fenestra se ostendit, clamavitque: *Quid rei esset, quod miseros homines tamdiu sub nimbo detineret?* Sed vehementiùs obstupuit, quum intellexit, siccos esse omnes, neque quempiam imbre madere. Longè excelsius, ac nobilius est, quod Rafadali, teste universo populo, gestum comperio. Jacet is pagus ad infimas radices editæ rupis, in cujus vertice positum est summum templum, neque ullus est, nisi magno circuitu ascensus. Aloysius in ima oppiduli area populum ad concionem

Ut cotumacem hominem expugnet, cœlestē ultionem inter concionandum exortat.

Lanuzæ vocis imperio, Cœlū tonat, eumque Christo conciliat.

Locum, in quo Aloysius pueros religionis elemēta docet, pluvia non attingit.

Cartafalsano in pago aliud non absimile prodigiū.

Rafadali molli quasi volatu, stupente populo, impervia saxa, & murũ superat.

nem convocat, & per eum quem dixi circuitum, ad templum præmittit. Ipse inspectante multitudine, expassis brachiis qua nullus est ascensus, sed immensus pendet dejectus, altissimo muro interseptus, sursum tendit, & molli quasi volatu impervia saxa, & murum superat, atque in Templi area consistit, ex qua stupentem, accurrentemque populum, ut ad sacrum properet præconium manu, ac voce invitat, cœlestem vultum præseferens. Legitimi, oculatique testes, qui tam illustre facinus, coram judicibus tradiderunt, narraverunt etiam P. Michaëli Frazettæ, audivisse se attonitos ejus rei spectatores, volantem Aloysium hisce vocibus invicem indicantes. *O Deum Omnipotentem! Videte ut homo volat!* Alios verò sic reponentes. *Volat quidem, quoniam vivus adhuc, dignus est, qui inter cœlestes animas referatur*. Non absimile prodigium apud se contigisse testati sunt Salemitani Cives: item Catanensis accolæ suburbani, qui Aloysium brachia, tamquam alas expandentem, publicis apertisque in locis sursum deorsum ferri, volantis instar sunt conspicati. P. Petrus Rizza Syracusanus, litteris prodidit, audivisse se, Calatavulturii quum esset, testem coram judice asserentem, Matthæum quemdam, visum abs se ibi Aloysium, qui per aspera loca incederet, quin pedibus terram contingeret: quum verò præceps jam dejectus subesset: accurrisse se, & volantem, solumque legentem a tergo complexu tenuisse, atque exclamasse: *Quò te præcipitem agis Pater?* illum autem somnum simulasse, & quasi tum demum evigilásset, respondisse: *Eamus, eamus qua eundum est, & ad sacrarum Virginum ædes, quæ in montis supercilio sita sunt properemus*. Singulare tamen est illud; quod in Æde Principe Acensis Civitatis, quum perorâsset, & confertissimus populus scalas etiam oppleviset, per quas erat e loco superiore descensus, ipse e suggesto ad aram maximam, stans, & neque terram calcans, neque summa hominum capita premens, aut tangens, coram, & palám evolavit, multitudine ostento perterritâ, & communi concentu miraculum prædicante.

P. Mich. Frazetta in Vit. lib. 1. cap. 11. Andr. a Puteo Ibid.

Plures multis in locis idem de Aloysio testantur.

Calatavulturii conspicitur per aspera loca incedere, quin terram contingat.

In æde principe Acensis Civitatis, e suggestu ad aram maximam per aerem fertur.

Admirabilis Aloysii virtutũ series exponitur.

XXV. Eximiam hanc, & planè inusitatam cœlestium beneficiorum abundantiam, quamvis gratuitam, & nullis meritis debitam; de cœlo tamen non impertitam nisi magnis, arduisque virtutibus comperimus; in quibus infimum obtinet locum subigendi corporis perpetua, & constans disciplina, quæ nihilominus, si ex incorruptis fontibus, oriatur, universam perfectioris vitæ molem alit, atque sustentat. Hoc Aloysius ab ineun-

te

te adolescentia fundamentum altissimè jecit, & magnis substructionibus quotidie amplificavit. Tenuissimo usus est cibo, vulgari, ac communi, ex reliquiis plerunque, quas alii fastidirent. Dulcia nunquam gustavit, nisi aceto, & sale corrupta. Recentibus quoque pomis, & iis omnibus abstinuit, quæ sive arbores, sive palmites, sive frutices gignunt, nisi quòd ficuum, & malorum putamina, quæ alii projecissent, accuratè legebat, & cupidissimè edebat. Condiebat interdum fercula acerbissimis malorum aureorum corticibus, ingratisque seminibus, quæ & mandebat diutissimè, & gulæ suæ bellaria vocitabat. Jejunia, quum sine arbitris esset, quotidiana usurpabat: at in communi mensa, ad consueta, singulis hebdomadis, duo adjecit, quæ tam cautè dissimulavit, ut ea non animadverteret, nisi qui res ejus accuratissimè scrutaretur. Pridie eorum dierum, qui religiosiùs coluntur, nil sibi indulsit, præter panem, & aquam, quam vel in maximis caloribus, & concionum, atque laborum æstu, nive refrigeratam nunquam nisi jussus, & rarò adhibuit: nam diligenter cavebat, nè juberetur. Aculeatas catenas ab utroque humero ad latera descendentes, & ad pectus, & terga decussatas, interdiu ad vivum duas gessit. Tertia major, & longioribus interstincta acuminibus, lunatis tamen, nè directo vulnere confoderent, & cum periculo sauciarent, ilia cingebat. Hanc ego tirunculus in Domo Panormitana, anno 1694 servatam vidi, & ponderis, atque aculeorum magnitudinem exhorrui; neque ejus dolorem, & carnificinam humana membra ferre posse videbantur. Eadem fuit flagrorum conditio, quibus nudum, & extenuatum corpus, singulis diebus, sed præsertim noctibus cædebat; multo infectis parietibus sanguine, & in terram etiam defluente. Bis fortè fortuna est deprehensus, quum a via secessisset in asperas, impeditasque silvas, nudos artus in rubis, & senticetis volutare; atque inde cruore omni ex parte manante, se recipere. Id primùm conspicati sunt non procul a S. Stephani Pago in Mamertinorum jurisdictione, Bernardus Giardina, & filius ejus Paulus jam Sacerdos; qui ex loco superiore, quasi ex insidiis, & nudum, & se supra spinas versantem, & cruentum, & accuratè circumspicientem, si fortè arbiter esset aliquis, conspexere. Iterum paucos post dies ab eo Pago digressus, & puerorum manum ad proximam villam ducens, comitatu secus viam consistere, & requiescere jusso, ipse quasi per naturæ exonerandæ occasionem, in silvam densis dumetis horridam, se abdidit. Sed quum diutiùs moraretur, pueri accuratè conquisitum re-

Subigendi corporis ejus perpetua, ac constans disciplina.

Quanta fuerit ejus in cibo capiendo parcitas, ac penè inclementia.

Aliæ ejus in frangendo corpore asperrimæ exercitationes.

In rubis, & senticetis nudus semel, & iterum volutatur.

Ea de re unum, & alterum testimonium.

Digitized by Google

reperiunt, positis indumentis, jacentem, & rubo se canino involventem, ac saucium. Quod quum illi frustra silere jussi, puerili levitate enunciâssent, id sibi Aloysius, quasi parum circumspectè egisset, culpæ vertit, & de se pœnas sumit. Pueris enim ipsis postridie ex itinere facilè persuasit, ut lapides in se jacerent, & contumeliis, atque ignominiis omnibus onerarent, quod quum illi insigniter feciſſent, Aloysius non indonatos dimisit. Curabant summo studio comites ejus, nè iter facientem per agros deducerent, nisi puros, & expurgatos: nam si in carduos agrestes, aut paliuros incideret, paulisper secedens spinas tractabat, stringebat, digitos, & palmas incutiebat; ac cruentas deinde manus pallio occultabat; unguibus interdum genas lacerabat; vellebat superciliorum, palpebrarum, temporum pilos: nihil non excogitabat, quod dolorem, & corporis cruciatum efficeret.

Pueris persuadet, ut in se lapides jaciant, & contumeliis onerent.

XXVI. Eódem pertinent, quæ adversus naturæ appetitum, & refugientis stomachi motum Aloysius conatus est. Molliter ab exordio ætatis educatus, ingenium præterea, & palatum sortitus est adeo sordibus inimicum, ut pronus esset ad nauseam, quam in capiendo cibo, aut potu, musca temere illapsa moveret, & vomitionis impetum suscitaret. Cum ejusmodi nauseandi proclivitate perpetuum gessit bellum; neque post insignes victorias fractam, & expugnatam stomachandi habitudinem extinguere unquam potuit, quin repente consurgeret, & ad dimicandum lacesseret. Quibus diebus e Domo Panormitana ad Collegii villam rusticatum prodibat, matutinis horis coquo dabat operam, centone indutus, & allia, ac cœpas, quibus maximè stomachabatur, tractabat manibus, & concinnabat, expurgabat, incidebat, admovebatque naribus, quasi odore delectaretur. Quod quum cupidè intueretur alter Petrus Regius, insigni nobilitate, & abdicatione domesticus adolescens (a quo sene, & Provinciæ Rectore juniorem accepisse me memini), Aloysius nauseæ molestiam in jocum vertens: *Petre*, ait, *quid intueris? nihil fieri potest hoc odore suavius; olfacito, quæso te, & mecum senties.* Quæ quum ridens, & mirà oris hilaritate proferret, cognovit Regius id agi ab Aloysio, ut nauseam, & ejus excruciandæ studium occultaret. Anhelatorem Socium, & maximè suspirioſum, qui inter epulas, tussim ciebat, & excreabat, usqueadeo Aloysii stomachus aversabatur, ut eo accumbente, cibum respueret, & rejiciendi conatu velleretur. Ipse tamen naturæ recusationem frangere adortus non modo proximus quotidie accumbebat; sed datà operà frustra-

Ejus in frangendo stomachi motu, & in nausea toleranda egregia facinora.

Coquo rure dans operam, allia, & cœpas, a quibus abhorrebat, incidit, earumque odore delectari simulat.

Panem sordidis tussientis ejectamentis involvit, & avidissimè vorat.

Digitized by Google

ſtulum panis in terram delabi ſinebat; ut illud pronus legeret, & ſordidis, olidiſque ejectamentis involutum reciperet, ori admoveret, ac dentibus paulatim conficeret, & deglutiret. Quum pateras in culina expurgaret, & calidâ ablueret, ſordidam illam, & purgamentis corruptam, fœtidamque aquam ſorbere conſuevit. Ad decumbentem accitus, cujus faciem lepra exederat ſicca, & maximè olida, fregit reluctantis naturæ fugam, & mærentem dulciſſimis verbis conſolatus, atque arctè complexus ſinui admovit, & genis oſcula fixit. Meſſanæ morienti mancipio chriſtiana officia adminiſtrabat, quum æger cruentam ſaniem, & atram, olentemque bilem rejecit, quam quum Aloyſius, nè languentem fatigaret, linteolo excepiſſet, ſenſit faſtidientis ſtomachi repulſam, & vomitionis irritamentum. Exeruit propterea virtutem omnem. Linteolum illico labris admovit, & purulenta vomicæ excrementa lambendo conſumſit. In Collegio Mænenino ex itinere diverſabatur, quum porriginoſum puellum nactus, quaſi per ejus erudiendi occaſionem, remotis arbitris, quartam horæ partem in lingenda putidæ, humidæque porriginis ſanie, ex ſquamis erumpente, collocavit, donec virus exhauſit omne, & caput ſiccum reliquit. In Domo Mamertina reperit inter quiſquilias, librarii glutinis vetuſti, olidi, verminoſi ollam, & in eo fuit, ut odore, & nauſeâ victus, oculos, & faciem averteret: ut in repentino tamen caſu vires colligit, ollam invadit, & corruptum glutinum vorat. Sed ſtomachus victoriam non diuturnam paſſus eſt eſſe: magno enim tumultu ſe exoneravit, & diem vomendo traduxit. Multo præclarius, atque teſtatius eſt illud, quod apud Leontinos geſtum traditur. Sacrum ibi Aloyſius per ſummi jejunii ferias, exercebat præconium, quum in ulceroſum incidit adoleſcentem, qui propter ulcerum odorem, ac fœditatem, tecto excluſus, gelidas in foro noctes, aperto cœlo tranſigere cogebatur: nam diuturna gangræna extremos pedum digitos exederat, crura invaſerat, & ad poplites ſerpere properabat, tam mordaci veneno, ut ſi pedes, & tibiæ aſſiduo igne torrerentur. Clamantis de nocte, & ſi qua eſſet inter chriſtianos, hominum miſericordia, opem petentis, ut Aloyſius vocem accepit, advolavit, & ulcera de genu lambere cœpit. Cœleſtis ejus linguæ officium tam ſalutare expertus eſt adoleſcens, ut recreari ſe, & dolorem levari animadverteret: quare obſecrare auſus eſt, ut jucundam illam adminiſtrationem longiùs duceret. Non recuſavit Aloyſius, modò ille ſilentium polliceretur. Acceptâ ſilendi fide, bis in die ad of-

Paterarū purgamentis corruptam aquam ſorbet, & decūbentis faciem olidam exoſculatur.

Linteolum purulentis vomicæ excreationibus madidum reluctante naturâ lambit.

Porriginoſum puelli caput lingit: corruptum glutinum non ſine ſtomaco vorat.

Admirabile Lanuzæ facinus in ſtomachandi habitudine extinguenda, miraculo confirmatum.

Adoleſcentis ulcerum ſaniem ferè per méſem, bis quotidie lingua expurgat, & aſſidue ſugit.

Digitized by Google

ficium redibat, lingebat ulcera omnia, osculabatur, saniem linguâ expurgabat, & assiduè sugendo, ostendebat, capere se ex summa nausea incredibilem delectationem. Ita dies unde viginti in eodem constantissimè perseveravit. Tum demum insignem de se victoriam, sub jejunii exitum prodigio clausit. Nam crucem dexterà manu significans, inquit: *Bene sit tibi, adolescens, Deus te incolumem, atque servatum, salvumque velit.* Ad ea verba dilapsæ sunt tibiarum, pedumque squamæ, cutis obducta, nè vestigia quidem ulcerum reliqua extitere. Aloysius tamen, nè prodigium efferretur, adjecit. *Jubeo, te hac ipsà nocte hinc abscedere, & quàm longissimè poteris, a Leontinis abesse. Sed ubicunque fueris cave rem cuiquam enuncies: nisi parueris, periculo tuo feceris.* Obtemperavit ille. Extinctum credidere Leontini, quòd nusquam ampliùs visus fuerit. Sed post diuturnam absentiam, negotii causà reversus, & agnitus, coactus est rem omnem, ut gesta erat, exponere: dubitantibus autem nonnullis, an idem ille ipse esset, quem mendicum, ulcerosum, & consumtis pedum articulis cognoverant, pedes ostendit absque digitis mancos, & mutilos. Tantùm ex eo aucta est Aloysii virtutis, & meritorum opinio, ut eo postmodum vità functo, non alia de causa Nobilis Leontinus Panormum venerit, quàm ut tam illustre facinus coram judicibus testaretur.

Crucis signo dextera manu significato tandem bene valere jubet, eumque incolumem reddit.

Prodigii hujus coram Judicibus nobilis Leontini testimonium.

XXVII. Sed quantum animus præstat corpori, tantò propiùs ad virtutem accedit frangendi motum animi, quàm corporis, studium. Aloysius sive in ferenda contumelia, sive in donanda injuria, sive in subigendis ingenii conatibus disciplinam exprompsit adeo sublimem, & emendatam, ut iracundam, difficilem, austeram indolem pacaverit, & ad summam mansuetudinem, ac lenitatem adduxerit. Anno ferè ante obitum, totà jam Sicilià sanctitatis, & prodigiorum gloriâ clarissimus, apud Flumen Dionysii, quod est finitimum ad orientem Solem Tauromenio oppidum, saluberrimam, & in paucis laboriosam, ac frugis plenam, Februario mense, obierat expeditionem, contractisque sarcinulis, id agebat, ut a confertissima multitudine se expediret; quum Mamertini Pontificis Vicarius, medius inter Presbyterorum Antistitem, & Oppidi Præfectum, (qui omnes Aloysio succensuerant, quòd sacras conciones non in eo habuisset templo, quo ipsis collibuisset) per turbam irrumpit, & eum flagitat violatæ jurisdictionis, rogatque: *Quinam potestatem illi fecisset, pervulgandarum Romani Pontificis litterarum, quibus pœnarum remissiones indulgerentur?*

Aloysii in frangendis animi motibus studiũ singulare.

Patientiæ ejus apud flumen Dionysii egregium facinus.

A Mamertini Pontificis Vicario, & duobus aliis violatæ jurisdictionis publicè postulatur.

Digitized by Google

tur? Tremente populo, & iniquæ expostulationis injuriam detestante, Aloysius mirà oris, & animi tranquillitate, respondit: *Memineris, amabo te, eas me tibi litteras initio cum mandatis Mamertini Pontificis obtuliſſe; te verò neque eas explicare, neque intueri voluiſſe.* Ille autem, *Satis memini*, ait, *nunc verò eas oſtendi placet.* Ad ea Aloysius: *Rectiſſimè jubes: officii tui partes optimè exequeris.* Simul manticam explicat, litteras, & mandata conquirit; reperta tradit. Ille furens, & mussitans perlegit, reddit, & nihil addens terga vertit, atque insalutatum relinquit. Aloysio nil grave fuit, nisi quòd tres illi irati discesserint. Eos propterea disquirit, & foro in medio reperit, ad eorum pedes procumbit, in se culpam vertit, incogitantiam accusat, errati veniam petit, orat, ut sibi ignoscant, commeatum poscit, singulos arctè complectitur, & nullam amoris, atque observantiæ significationem non impertitur. Quæ quum populus gravatè ferret, eorum causam suscepit; laudavit solertiam, excusavit muneris officium; modis omnibus ab illis contra se stetit. Sed irrogatam amico suo ignominiam ultus est cœlestis Judex, cujus numine evenisse censetur, ut Vicarius tertio mense, gravissimis excruciatus doloribus, vitam finiret; duo reliqui ante anni exitam interirent, alius morbo, alius ferro. Panormi impudens muliercula, cui Aloysius crebris, & ferè quotidianis largitionibus subvenire consueverat, quum semel pecuniâ exhaustum reperisset, neque ab eo quicquam extorquere potuisset; nullum fuit conviciorum, & contumeliarum genus, quod secus viam, audiente, & ad clamorem accurrente populo, in eum non jaceret, in quibus illud etiam fuit; mirum non esse, si pudicas negligeret feminas, qui scortis delectaretur. Aloysius vultu ad verecundam hilaritatem composito, ut si summis laudibus publicè ornaretur, silens præteriit; deinceps verò, ut de se optimè meritam largiùs juvit, & beneficiis cumulavit. Causidicum turpissimis jam pridem involutum amoribus, qui ad se venientem, & de salutis periculo identidem admonentem Aloysium; domo jam ejecerat, jam excluserat, & parum abfuit, quin redeunti manus afferret, officiis, beneficiis, honoribus denique expugnavit, ex irato amicum fecit, & a vitio redemptum Christo, ac sibi demeruit. Sacrum præconium Tauromenii inchoaturus, oppidum omne pedibus concursavit, convocavitque populum, & in templum præmisit, ut se expectaret leniter subsequentem. Ut verò in templum venit, *Cœnobitam* quemdam pro suggesto dicentem reperit, qui con-

Erga suos calumniatores Lanuzæ amoris, atque observātiæ significationes.

Impudentem feminam in eũ debacchantem juvat, & beneficiis cumulat.

Flagitiosissimum causidicũ patientiâ, ad bonam frugem adducit.

Aloysius a se ad concionem contractæ multitudini perorantem Cœnobitam placidissimè audit.

tractam nactus multitudinem, occasionem non prætermisit, indultam a Romano Pontifice ad sui Ordinis templum accedentibus pœnarum liberationem promulgavit, & reliquam ejus diei partem concionando consumsit. Aloysius nè verbo quidem questus concionanti cupidissimè adfuit, concionem, & hominem laudavit, magnamque omnibus temperantiæ admirationem injecit; ac ejus audiendi desiderium vehementiùs concitavit: quare postridie custodiis cautum est, nè fortè alius locum ejus invaderet. Ceterum nativum ingenii ardorem nunquam ita sedavit, ut adversis in rebus, animi tumultum, atque repulsam non pateretur. Sed surgentem cupiditatem tanto conatu compescuit, ut quotidianum esset, sese in secessu objurgantem, & secum colluctantem audire, his ferè verbis: *Quò tendis bellua, quid petis? Non vinces, non vinces. Rumparis licet, & moriaris, non auferes, quod placet. Aut patere, aut morere.*

Sibi insultat, & animi tumultus scitè compescit.

Admirabilis ejus, & mirum in modum insignis temperantia.

XXVIII. Christianam temperantiam, latinis Scriptoribus incognitam ante Christum virtutem, quam juniores sequiori sæculo *humilitatem* dixere, primam habuit, & gradus ejus omnes ita percurrit, ut summos fines attigerit, quò pauciſſimos evasisse arbitror. Hujus disciplinæ doctore usus est in Collegio Panormitano adolescens præclarissimo viro P. Bernardino Piccino Lupiensi, qui in ea tradenda, atque præstanda, aut paucos, aut neminem parem habuit, ut ad annum 1612. Universa autem Piccini doctrina, quam Aloysius in omni vita suis inscripsit moribus, summis hisce digesta capitibus continetur.

A P. Bernardino Piccino eam virtutem Aloysius arripit.

De acquirenda, ac conservãda temperantia Piccini documẽta, ab Aloysio in suis moribus inscripta.

I. *Peccata omnia, & motus impotentes, quotidiani saltem lapsus utcumque leviſſimi, magnam tamen ad odium sui præbent materiam, si consideremus quantum numen, & a quantulis, & quantâ beneficiorum mole obligatis, offendatur.*

II. *Opinio de se tanquam de pessimo, & nequissimo omnium hominum, quo Deus nihil detestabilius videat in regno suo.*

III. *Horror & nausea sui, tanquam de bestiola, qua domino suo spreto, præcipitavit se in lacum, errorum, & ignorantiæ tenebris horridum; plenum scorpionum, & viperarum, odii, invidiæ, iracundiæ, impatientiæ, rancoris, & malignitatis in alios; involutum fumo intolerabili, ac denso superbiæ, arrogantiæ, præsumptionis; computrescentem omnibus sordibus, & immunditiis concupiscentiæ.* IV. *Erubescentia, contemptus, confusio, qua operiant semper faciem, ut si Deus revelâsset ejus immunditias omnibus gentibus. Erubescendum est enim magis a Deo illas sciri, quàm a toto mundo. Ita sis semper,*

quan-

quando cogitas, pudibundus, ac tristis, ac si momentis singulis expectares vel sententiam, qua citaris ad judicium, vel apparitores, qui te de carcere rapiant ad patibulum. V. *Odium, & abominatio, veluti contra rebellem furciferum, vel contra profanatorem Universi: omnibus enim creaturis abusus es, vel fuisses abusus, quod in te erat, nisi Deus obstitisset.* VI. *Indignatio, & ira, in perpetuam ultionem rabidi canis, ac lupi, qui laceravit filium domini sui. Nostra enim peccata filium Dei crucifixerunt. Etsi alia ultio sumi non potest; at crebris impetatur contumeliis, ac exprobrationibus; & sicut quilibet inimico suo servit invitus, & ultro nocet; ita quum tibi necessaria subministras; amarus sis, & tristis; quum flagellas; lætus, & alacer.* VII. *Ingratitudo erga te; ut tuorum tibi laborum nullum reddas præmium, aut quæras. Te itaque onera; onerandum trade laboribus omnibus. Sed pro quibus laboras ab his nihil expectes gratitudinis, sed malum pro bono: assuesce omnibus benefacere, & ab omnibus mala pati. Quare expecta vilissima quæque in vestitu, cibo, & cubiculo: & interdum te ipsum expende, & invenies non pauca quæ circumcidas ex commodis.* VIII. *Admiratio summa, quòd te adhuc creatura tolerent, & Creator. Tua te protegit hypocrisis, & extrema Dei misericordia. Non te præpares ad delicias. Quidquid patiaris nunc mali, quod sit minus gehennâ, beneficium existima.* IX. *Severitas in subigendis tuis cupiditatibus: memor esto ex his quanta mala patiaris, & expertus sis. Quare omne tuum dictamen, & motus suspecta tibi sint; ideo tui carnifex esto.* X. *Diffidentia tui: Primò in via virtutis: nam si quid boni motûs experiris, Dei manus est, extrahentis e lacu miseriarum, in quem tu paulò post te iterum, & iterum dabis in præceps. Virtus tibi agglutinatur sputo, quod citò arescit. Secundò in talentis, habilitatibus tuis, & consiliis prudentia tua. Quoties scoria tibi splendescit pro auro, adhibe amulos, & docebunt te de te. Tertiò in ingerendo te ad magna opera pro gloria Dei, minora potes, quàm præsumis, te quæris vendere, non Deum glorificare: nam si Deum quæreres, non doleres, magnas res ab aliis assumi, non a te: quod si qua in re Deus utitur tuo ministerio, memento, eum frequenter uti mandibulâ asini; fractis etiam lagenis; mox ea projicere, nec desinere esse mandibulam, & lagenas.*

XXIX. Ex his Piccini tam arduis excelsisque temperantiæ præceptis nihil excidit, quod non uberiùs, & cumulatiùs ab

Aloy-

Aloysio gestum fateantur qui res ejus accuratè exceperunt, & litteris commendârunt. Parum fuit de se, suisque rebus modicè, viliterque sentire. De se ita existimavit, ut omnium esset hominum flagitiosissimus, neque ulla esset Reipublicæ deterior, ac pernicioſior fæx, pestis, sentina. Criminum, ac pœnarum omnium se reum, causam, & auctorem dictitabat. Rebus suis tantopere diffidebat, ut se quotidie defleret tanquam nefarium, sceleſtumque caput, æternis flammis, & cruciatibus jam designatum, quod Deus beneficiis oneraret, ut altiùs mergeretur, & acerbiores lueret pœnas. Si quis eum fortè laudaret, non modò putabat sibi infensum, & inimicum, sed nullius numeri hominem, & cæcum existimabat, qui tantam ejus indignitatem, ac fæditatem ob oculos positam non videret. Fuit inter ejus amicos, & intimè necessarios P. Thomas Clavellus Dominicanus, cui gratulanti, quòd tanti ille fieret, & tanta esset nominis ejus pervulgata existimatio, tantusque conciones ejus fructus consequeretur; Aloysius horrore perculsus, *Numquid*, ait, *non me nôsti? Quid hoc est de me ineptiarum? Quaso te, bone Pater, si me amas, neque mea tibi familiaritas est injucunda, noli deinceps hisce de rebus sermonem instituere, & aures meas ejusmodi nugis onerare.* Quum sceleſtissimi homines expiationis causâ ad eum accederent, accidebat in genua, & eorum pedes iterum, atque iterum osculabatur, maximè gratulans, quòd non tam criminosi, aut ingrati fuissent, quàm ipse esset. Extant ejus ad amicum socium codicilli in hanc sententiam: *Infelix Aloysius Lanuza enixè rogat, ne te pigeat, eum Deo commendatum habere. O quàm indiget deprecatoribus! Heu miserrimam ejus vanitatem, & cæcitatem! Superbia fascino excantatus, magnificè de se judicat, & nonnihil se esse arbitratur. Numquid nescit, quibus natalibus sit ortus, neque meminit, quàm agrè Societas eum sibi aggregari passa sit, quàm seriò de eo eliminando olim cogitaverit, egeritque, quàm libenter inepto, gravique onere se modò eximeret? Quid est, quod tantopere sibi placeat? Quid ageret in Societate, nisi vulgares quasdam, & inconditas, atque inconcinnas nugas e suggesto effutiret vir sine litteris, quas tradat, sine prudentia, qua magistratum gerat, sine doctrina, qua confitentibus aures commodet? Quod si horum omnium cæcus sui amor memoriam delevisset; nunquid oblivisci poterat culpas penè infinitas, easque graves, turpes, & fœdas, quibus vitam omnem inquinavit?* Hæ sunt præstigiæ Sanctorum, quas Christiana efficit

Quàm de se, suisq; rebus modicè, viliterque sentiret, pluribus ostendit.

Suos laudatores non modò sibi infensos, sed & cæcos existimat.

Cum P. Thoma Clavello eum collaudâte graviter conqueritur.

Lanuzæ ad Amicum codicilli temperantiæ pleni.

Digitized by Google

ficit temperantia. Et sanè qui in cœlestis hujus philosophiæ infantia versantur, non assequuntur, qua ratione de se ita sentiret Aloysius, qui candidos, & culpâ vacuos egit, a pueritia ad canos, inculpatæ vitæ annos, qui doctrinâ, & ingenio plurimùm valuit, qui Siciliam universam ut nemo alius emendaverat, & ad virtutum, ac prodigiorum suorum admirationem converterat. Sed non aliter evenit, quum animus divinâ luce perfusus hinc Deum, inde se ipsum intimè noscit, utriusque vires, motus, & proclivitates expendit: quæ Dei sunt, Deo tribuit, quæ sua sunt, sibi assignat. Deo bona omnia adscribit, sibi autem mala omnia imputat, non tam quæ fecit, quàm quæ fecisset, quorum quantum in se est, reus sibi videtur. Sed qui in se ipso naturæ inquinamenta, & quæ futura fuissent, ut si essent, intuebatur, reprehendebat, detestabatur; non nisi Dei beneficia in aliis contemplabatur, & quæ collata essent, & quæ negata; atque ex his erratorum excusationem, ex illis rectè factorum commendationem aucupabatur. Quare præclarè de omnibus sentiebat, ut laude dignis; verebatur singulos, ut majores, & meliores; propugnabat absentium famam, præsentium existimationem tuebatur. Quum hiemandi, aut æstivandi gratiâ in Provinciæ Collegiis diversabatur, non hospitis modò verecundiam, & continentiam exhibebat; sed ut novissimus omnium agebat, & planè famulus. Vilia, abjecta, sordida, laboriosa sibi arrogabat. Coquo, promo, pistori præsto esse; ministrare accumbentibus, sordes verrere, expurgare lances, asportare onera, decumbentibus fercula, & remedia deferre, apponere, ori admovere, quæ sordida essent subducere, diu noctuque adesse: omnibus omnia charitatis officia impendere. In familiaribus a prandio, & cœna collocutionibus, si quando in Sacerdotes confabulantes incideret, nè hiscere quidem audebat, aut oculos attollere, audiebat ut discipulus, sedebat postremus, se continebat ut filius coram parentibus. Libentiùs id tempus traducebat cum fratribus, quasi inter æquales versaretur. Jussus interdum ad suos, domesticâ oratione dicere, tam circumspectè loquebatur, ut si laudationem magis, quàm adhortationem expromeret; rogatusque cur homo acer, & vehemens, ac disciplinæ studiosissimus, nihil unquam reprehenderet; respondit: *I, & tali virtute, ac doctrinâ homines reprehende, in quibus nihil est, quod non sit laude dignissimum.*

Qua ratione tam viliter de se sentire Aloysius potuisset?

Quàm præclarè de aliis sentiret, & singulos vereretur.

Ad humillima quæq; fratrum obsequia se demittit.

Ejus erga alios eximia continentia.

XXX. Libellum de manibus non ponebat, in quem contumelias, vituperationes, probrosos, infamesque titulos conjece-

Libellum in quem plurimas in se contumelias conjecerat, nigras Lanuzæ litanias vocabat.

jecerat, quotquot summum erga se odium excogitare potuisset, eosque nigras Lanuza *Litanias* vocabat, quæ virtutes, & dotes ejus continerent. In sacrarum quoque precationum codice, schedulas disseminaverat, in quibus fœda in se convicia grandioribus litteris adnotavisset. Grandævus quoque accusandi se super mensam consuetudinem retinuit; & supremis vitæ annis, sexagenario major, quum in Æde summa Panormitana, per jejunii ferias, post acerrimas illas actiones in Collegium rediret, lassitudine exinanitus, & sudore manans, prandentibus aliis, spinis redimitus, & reste circumligatus, sese quotidie in conspectum dabat; & de genu novam semper culparum iliadem exponebat. Ut generis sui claritatem apud inscios homines occultaret, pannosum, & sordidum aratorem, nutricis suæ filium, fratrem suum dictitabat, secum circumferebat, ostentabat omnibus, mensæ adhibebat, modis omnibus studebat, ut iisdem parentibus natus haberetur. Expeditionum comites, quibus semper præfuit, magno in honore habuit. Nobiliores homines ad se consilii causà accurrentes, ad eos rejiciebat. Quod si ægrè ferrent; addebat, eos se esse longè doctiores, quibus ipse uteretur animi ducibus, & consultoribus. Inopes verò, mendicos, rusticos, & infimæ plebis homines, hos suæ curæ esse statuebat, & sinu suo complectebatur. Sociorum valetudinem, commoda, existimationem, alimenta, potissima ducebat. In itineribus, ac diversoriis, stabulo, jumentis, culinæ, lectis, ipse sedulam dabat operam. Nihil contra illorum voluntatem, aut illis insciis, & inconsultis moliebatur. Nulla erat gravior sociorum culpa, & in quam ipse animadverteret, quàm si eum laudarent, aut sanctitatis ejus opinionem ostenderent. Societatis Sacerdotem expeditionum, eo adnitente, comitem designatum, & graviter decumbentem, quòd ab eo flagitaverit, ut frontem cruce signaret, & repentinà curatione morbum depelleret, horrore correptus, nè verbo quidem dignatus est, sed ab ejus se conspectu statim proripuit; atque a majoribus impetravit, nè de illo ampliùs sibi adjungendo cogitarent. Messanæ chirurgus, ut aperiret Aloysii venam accersitus, linteolum a Fratre acceperat, quod sanguine imbutum cum eo partiretur. Venà exsectà, aversus cruorem alveolo exceptum, linteolo injecto, hausit, & sinu occultat. Tum Aloysius intus de cœlo admonitus, repentè excanduit, & exclamavit: *Sunt ne hæc honesto viro digna facinora?* Et in his verbis maximè iratus sese inde proripuit. Properavit tamen Frater, & Chirurgum seduxit,

Alia ejus eximiæ temperantiæ præclara monumenta.

Ejus in instituendis pauperibus studium, ac comitas.

In suarum expeditionum comites cura, sedulitas, & existimatio.

Ægrotum comitem, qui ab eo petiit, ut frontem cruce signaret, & morbum pelleret, respuit, & ne verbo quidem amplius dignatur.

ut

ut in remoto conclavi furtum divideret. Secedunt ambo; Chirurgus linteolum sinu extulit, & explicavit: obriguit tamen, ut vidit siccum, candidum, purum, & sanguinis vestigium reperit nullum, mirificè ludificatus. Magnum sanè inauditæ temperantiæ prodigium! Parem habet miraculi speciem quod Syracusis contigisse fertur. Nemo adhuc Aloysii vultum tabulà excipere potuerat. Ejus rei desiderio flagrabat dives Matrona, Aloysii studiosissima. Valebat eà tempestate pingendi gloriâ, & humanos vultus mirificè coloribus assimilandi facultate, Altavilla quidam, in cujus imaginibus nedum similitudinem, & mores; sed nè vitam quidem desiderares. Hunc illa in Societatis templi suggesto, post velum quasi in insidiis collocat; & per colloquii occasionem Aloysium accersitum e regione suggesti expectat, ibique assidentem detinet, ac ut Pictori condixerat, sermonem quàm longissimè ducit. Altavilla interim coram Fratre, qui conscius velum tantisper diductum manu attollebat, per rimam oculos identidem in Aloysium conjiciens simillimam ejus faciem coloribus adumbravit; mox tabulam accuratè contectam, ad Matronam ab Aloysio digressam domum detulit, lætus admodum, sibique gratulans, quòd primus omnium Aloysii effigiem coloribus ex vero effictam complexus esset. Accurrit Matrona cum domesticis omnibus, tabulam aperit, sed stupentibus cunctis, purissima se ostendit tela, nullis variata coloribus, aut distincta lineamentis. Matrona ludificatam se queritur, & Pictori succenset. Pictor Deum, & Fratrem ædituum testem appellat. Redeunt postridie ad opus. Pictor iterum suggesto se abdit: Matrona Aloysium acciri jubet: Aloysius venientem nuncium his verbis occupat. *Renuncia, quæso te, Matrona isti, nunquam illi cum Aloysio Lanuza fore deinceps copiam colloquii. Quod si oris mei imaginem apud se esse cupit, jubeat, Altavillam penicillo Asinum exprimere. Non alia est effigies, quæ ad genas ejus propius accedat.* Ita vir temperantissimus honorem miraculo intercepit, & in sui contumeliam vaticinio vertit.

Chirurgus, qui linteolum in ejus sectæ venæ sanguine involverat, siccum, & candidum reperit.

Matrona quædã Lanuzæ vultum tabulà exceptum apud se habere desiderat.

Pictori mandat, ut Aloysiũ cum ea colloquẽtem, abdito ex loco tabulà excipiat.

Telam, in quæ Pictor ejus effigiem fuerat cõplexus, nullis distinctã lineamentis reperit.

XXXI. Præcipua fuit Aloysii industria honorificentissimas publicæ observantiæ significationes ad summam sui contemptionem, & ignominiam adducere. Digredientem ex oppidis tanti populorum sanctitatem ejus deprædicantium deducebant comitatus, & ad multa passuum millia sequebantur, ut oppidis ipsis, effusà portis omnium ordinum multitudine, solitudo fieret. Aloysius quid non excogitavit, ut ejusmodi ho-

Publicos oppidanorum erga se honores, vel vitare, vel ad sui ignominiam adducere contendit.

norem, si vitare non posset, in sui abjectionem detorqueret? Secedebat interdum, si per socios, & anni tempus liceret, inopinantibus omnibus, primâ vigiliâ; plerunque fulgentibus adhuc sideribus, rarò clarâ jam luce. Quod si esset interdiu exeundum, præmissis sociis, sequebatur asello insidens claudo, malè palliatus, & aversus, quasi per summam stultitiam præposterè conscendisset, pectore ad clunes, & caudam conversо. Post Acensem expeditionem, qua nulla fuit celebrior, aut salutarior, profectionem, matutinum ante crepusculum silentio adornaverat. Sed populus consilium ejus occupavit, & de quarta vigilia diversorii atrium, & vias proximas magnis agminibus circumsedit, nè clanculum dilaberetur. Quod quum Aloysius animadvertisset, neque multitudini persuasisset, ut se reciperet, ad socios conversus, *non miror*, ait, *tantos fieri concursus hominum, ut monstri prætereuntis delectationem capiant*: sumit deinde undique contractas ædium sordes, & per atrium ad cloacam defert, vas ibi diligenter abluit, & expurgat, ac domum refert: mox asellum conscendit, & irrumpens turbam invitat, ut secum clamet: *Vivat, Vivat Lanuza asinus*: atque ita ridens, & fatuitatem simulans, ludicrum de se spectaculum populo præbere conatus est. Sed longè alia fuerunt oppidanorum studia: nam silentium, & lacrimæ sunt consecutæ, excipiebatque de genu populus prætereuntem. Maximo in jejunio, quibus diebus concione vacabat, quiescendi tempus in valetudinario ponebat, ubi sordidioribus ægris aderat, idque sibi sumebat, ut immunditias omnes, occultatione nullâ, amoveret, & ad latrinas deferret: quod quum Messanæ socius Frater vidisset, & manum afferre voluisset: Oportere negavit Aloysius, addiditque, *eas sui muneris esse partes: ipse operam suam in administrationibus aliis collocaret*. Exactis Alicatæ jejunii concionibus, populares suos in foro convocavit, & in hanc ferè sententiam commeatum petiit. *Ultimùm vos salvere jubeo Alicatenses, populares mei, quibus sum maximè cognitus. Supremam hanc audite stultissimi senis concionem, quem nunquam deinceps apud vos visuri estis: Expecto vos ad Vallem Josophat. Animarum vestrarum interea satagite, quæ pluris sunt, quàm humana omnia; & popularis vestri apud Deum mementote, scelestorum omnium, quos terra sustinet, scelestissimi. Alios, qui me non nôrunt, fallere potui: vobis, quibus mea omnia perspecta sunt, & explorata, quid me, measque sordes occultaverim? Sum equidem Aloysius Lanuza apud vos ortus, neque*

Acensis populus, nè clanculum dilaberetur, de quarta vigilia diversorium occupat.

Aloysius, spectante populo, ædium sordes contrahit, & ad cloacam defert.

Aci digrediens, populum in sui irrisionem excitat.

Messanæ in valetudinario ad infima, ac sordidiora officia descendit.

Aloysii ad populares suos ultima oratio plena virtutis, ac temperantiæ.

Digitized by Google

neque vereor eorum, quæ plerique omnes non ignoratis, memoriam refricare; & sententiæ inhærens, contexere perrexit duarum in se horarum accusationem, & vituperationem: quumque suum omne erga se odium expleviſſet, in uberrimas effusus lacrimas, quasi pudor plura, & deteriora proferre prohiberet, adductis manibus faciem protexit, & e suggesto abiit, neque se ampliùs in conspectum dedit. Verùm paucis ante vitæ exitum mensibus, summos temperantiæ numeros tantùm non egressus est in Domo Panormitana. Aloysii aures, & oculos jampridem offenderat incredibilis civium concursus, qui sacrificium ejus præstolabantur, & ad immolandum prodeuntem sequebantur, seque invicem admonebant, & absentibus magno murmure significabant, Sanctum hominem jam ad aram procedere: quare a Joanne Onuphrio, qui Domui præerat, impetraverat, ut in Sacello domestico, Deo privatim litaret. Designatus est, qui sacrificanti ministraret domesticus famulus, & Societatis candidatus. Hunc nactus rudem, & consiliis suis opportunum, peracto sacrificio aggreditur; docet quanti fiat in Societate obedientia; obtemperandum, quæcunque injungantur, ut ardua sint, & difficillima, neque quare jubeatur, investigandum: ac ex eo quærit, num ita sit animatus, qui flagitet Societatem. Ille ad omnia se paratum, respondet. Tum Aloysius; *Experiamur si congruunt facta dictis*. Claudit januam, in terram supinus se porrigit, aitque: *Jubeo te, pedibus os, & genas meas conculcare*. Eo se facturum negante, excepit Aloysius: *Non es igitur ad Societatis disciplinam idoneus*. Qua ille voce perterritus, pedem exporrigit, & vultum leniter calcat. Aloysius verò: *Proculca quaso te, atque os impurum contunde, & toto corpore insiste: quid vereris? obtempera viriliter, & sine metu*: ille parendi cupidus, pedibus in faciem insiluit, eamque calceis tamdiu protrivit, donec genas liventes, atque contusas vidit; neque tamen Aloysii in se iram sedavit; jussus est enim faciem consputare, & contumelias adjicere, ac flagitiosum, sceleratum, infamem, sacrilegum appellare. Quod quum ille feciſſet, tum demum mirificè lætus, & hilaris, quasi opprobriis exsaturatus, surrexit Aloysius; edixitque, nè cuiquam enunciaret: quod si fidem falleret, nullam fore moram, quin pœnas daret. Siluit ille, vivo Aloysio; verùm eo die, quo fato concessit, non potuit, quin rem narraret; & statim stupor pedes invasit, qui Aloysii genas conculcaverant, ut stare nullo modo posset. Quare utriusque errati Aloysio pœnas

Ineredibilis multitudo Aloysio sacrificanti adest.

Ad eum honorem declinandum, ut in privato Domùs Sacello litare possit, flagitat, & impetrat.

Qui Aloysio sacrificanti ministrabat, ejus jussu, os, & genas pedibus conculcat, ac sputis fœdat.

Nè rem alicui narret seriò inculcat, eumque minis terret.

dedit, & quòd feciſſet, & quòd factum enunciaſſet. Ad feretrum tamen delatus multo cum fletu veniam petiit, & repentè convaluit. Is fuit Frater Onuphrius Puccius Panormitanus, qui undecimo ferè poſt menſe, Societati aggregatus, quum annos in ea meruiſſet quatuor, & ſexaginta, ducendarum aquarum peritiſſimus, maximè laborioſus, & utilis, religionis, & temperantiæ cultor egregius, atque Aloyſii virtutum eximius prædicator, annum ætatis percurrens ſeptimum, & octogeſimum, in Domo Panormitana deſideratus eſt, anno 1721.

Aloyſio extincto, rem aperit, & quo ſtatim fuerat correptus morbo, ejus beneficio liber evadit.

XXXII. Sed ea de ſe tam ſordidè, inimicéque ſentiendi diſciplina in animo reſidebat non modico, humili, & abjecto, ſed alacri, erecto, & ſupra quàm credi poteſt, excelſo. Nam cum pro Dei gloria, & animarum ſalute pugnandum eſſet, nemo fuit eo fortior, atque pugnacior. Principum virorum gratiam, & iracundiam perinde habuit. Curiæ, Aulæque vitia coram ſummis Regni Prætoribus, & magiſtratibus publicè incuſare, objurgare, caſtigare nunquam deſtitit. Miſit Prætor Provincialis, qui Aloyſio nunciaret, fore ut eſuggeſto præceps ageretur, niſi parciùs, & circumſpectiùs eloqueretur. Subriſit Aloyſius, renunciarique juſſit: *Polliceri ſe linguæ parcere, ſi ille moribus peperciſſet: aliam non eſſe ſilendi conditionem.* Pridie Calendas Sextiles, quo die in Templo Domùs Panormitanæ B. P. Ignatius ſolemni ceremoniâ colebatur, ſolemni ſacrificio aderat cum Senatu, & Judicum Collegiis, Petrus Faxardus Prætor Provincialis, qui Aloyſium ad B. Ignatii laudationem jam prodeuntem, admoneri juſſit, nè ultra quadrantem orationem produceret. Prodiit Aloyſius, & italicè excuſavit, quod quadrantis ſpatio, quam paravetat laudationem, non poſſet, ut jubebatur, exprómere. Mox divino quaſi æſtu abreptus, hiſpanicè ad Hiſpanum Principem dicere adortus eſt. *Satius eſt igitur datum quadrantem in deplorando abuſu temporis collocare. Non finitur comœdis, & hiſtrionibus tempus, non aleæ, non ludis, non choreis, non conviviis. Somno, & curis publicis demitur tempus, ut leviſſimis ſuppetat voluptatibus. Divino præconio, Sacris, religionibus, Deo, finitur tempus: & finibus quàm anguſtis! Nè ultra quadrantem: ſed caveant tam iniqui æſtimatores temporis, & ſaluti proſpiciant. Negatum Deo tempus, Deus æquus remunerator vitæ negabit. Contrahet, mihi credite, contrahet vivendi ſpatium. Comœdias in tragadiam vertet. Ea ipſa materia, quæ modò ſcenicis, & theatralibus ſervit pulpitis, funeribus ſerviet, & cenotaphiis.* Quæ quum liberaliter obnuntianti ſimilis

Mirâ animi alacritate adverſa omnia pro Dei gloria patitur, & patienter ſuſtinet.

Principum, & optimatum minas pro Deo forti animo ſpernit.

Petrus Faxardus Zuniga Marchio de los Velez Siciliæ Prorex.

Ad Siciliæ Proregem, jubentem, nè ultra quadrantem actionem produceret, Lanuzæ gravis oratio.

Petro Faxardo Siciliæ Prætori proximâ mortem non obſcurè prænunciat.

pro-

Digitized by Google

pronunciâsset, neque quadrantem attigisset, e suggesto descendit. Magnam tam libera vox admirationem potiùs curiæ, aulæque effecit, quàm terrorem. Vaticinationem excepit eventus. Quo tempore Octobri mense dabat Faxardus in arce Panormitana ludos, atque comædias, gravissimè decubuit. Tum memor Aloysii dictorum, eum ad se venire jussit. Negavit ille, se cum viris principibus agere consuêsse, qui rusticis, custodiis, classiariis assuevisset. Iterum atque iterum requisitus in sententia perstitit, donec a Majoribus juberetur. Adfuit itaque Faxardo, & mortem deprecari parantem occupavit admonens, *latam esse sententiam: non procul abesse fatalem horam, quam ipse sibi repræsentâsset.* Itaque tertio mense Faxardus extinctus est tertio nonas Novembres, anno 1647. & funeris redemptores, disjectis comædiarum pulpitis, materiam omnem ad exequiarum honores transtulerunt. Post biennium, quo tempore intestinis seditionibus Sicilia fervebat, adfuit Aloysio Messanæ concionanti Joannes Austriacus junior Philippi Quarti filius, audivitque in Æde Principe Mamertina, frequentissimâ nobilitate, confertissimo populo, adstante aulicâ familiâ, Curiâ, Senatu, terrificâ voce debacchantem, & apertissimis verbis exprobrantem aulicorum licentiam, avaritiam magistratuum, Curiæ rapacitatem, Principis indulgentiam, tributorum gravitatem, populorum clamores, & conquestiones, Reipublicæ demum & intima ulcera, & irrogata vulnera, quæ Provinciæ Rectores, tanquam crudeles medici alerent potiùs, & privatis studiis exasperarent, quàm mederentur. Quum hæc Aloysius, candente vultu, rubentibus genis, ardentibus oculis, & divino numine plenus pronunciaret, visus est a nonnullis gravissimis etiam viris, jam anhelare flammas, jam vibrare toto corpore radios, jam facie cœleste jubar emittere. Ea nihilominus actio tam vehemens, tam libera, tam aperta, maximè sollicitos habuit nostros homines, qui usu edocti, probè nôrant, quàm delicatas aures, quàm insolentes reprehensionis, quàm patentes assentatoribus Aloysius perstrinxisset. Metus proinde gravis, atque communis incesserat, nè procella aliqua aut concionatori, aut Societati impenderet. Quibus ad eum delatis, *O me beatum!* inquit, *si contingeret in Christi jubentis obsequio vitam ponere, ut cum Joanne Baptista, & Angelo Carmelitano factum scimus. Quod attinet ad Societatem, metuat illa sibi quidem a me adversa omnia, quòd malus, & contumax, Christo multoperè non obtemperaverim:*

quod

Eventus vaticinio fidem facit.

Aloysius a Faxardo accitus, ægrè, & non nisi jussus ei morienti adest.

Cœlesti numine correptus, Joannis Austriaci aulicorum licentiam gravibus verbis pro suggesto objurgat.

Ex ea tam libera reprehendendi licentia, nostrorum metus, & sollicitudo.

Ea de re memorabile Lanuzæ dictum.

Digitized by Google

quod morem gesserim, nihil est, quod vereatur; remunerationem potiùs sibi promittat. Utinam domestici omnes eadem sentirent! Non defuere tamen aulicorum potentissimi, qui vacuas Austriaci adolescentis nacti aures, in eas insusurrarent: *Reum majestatis Lanuzam, quòd publicè Philippicam magis, quàm piam, & salutarem instituisset orationem; regno ejiciendum, vel saltem ad proximas insulas deportandum. Melchiorem verò Bellium, Domùs Antistitem, qui furentem hominem, & publica tranquillitatis perturbatorem submiserit, abdicandum, & ut mitissimè cum eo ageretur, Messanà eliminandum, & perpetuò excludendum.* Contra ea Joannes Austriacus Aloysii concionem honorificis verbis probatam sibi affirmavit, aitque: *Pater iste est verè sanctus. Liceat illi dicere, quod nobis facere non licet.* Societati verò deinceps æquiorem, atque commodiorem se præbuit.

Aulicorum ex ea in Aloysium invidia.

Joannes Austriacus eorum dictis aures negat, & Aloysium laudat.

XXXIII. Atque ea quidem Aloysii præclara facinora, admiranda potiùs, & laudanda, quàm vulgaribus hominibus ad æmulandum proposita, virtutes maximæ tuebantur. Divinarum pollicitationum oraculis fidem suam adeo obstrinxit, ut longè certiùs futura statueret, quæ Christus promisisset, quàm quæ oculis cerneret. Ex Adriani Palatio Panormum cum comitibus proficiscentem Agaso admonet, nè cunctetur eódem pedem referre, quando fœdissima immineret tempestas, & flumina essent transmittenda alta, & vorticosa, quæ aquis confluentibus vadum haberent nullum, quà transiretur; cui Aloysius: *Numquid Deo diffidis, quo utimur duce itineris? Ei si te, tuaque omnia commiseris, & in divino præsidio fiduciam collocaveris, ostendent se tibi hodie nunquam ante visa prodigia.* Nubes interea, inter fulgura, ac prælia ventorum, tanto impetu imbrem effundunt, ut si aquarum immensi fontes, & rivi cœlo descenderent. Perterrefacto comitatu, Aloysius habenas equo remittit, brachia hinc inde protendit, oculos, & caput attollit, comites se sequi jubet. Nimbus a fronte, a tergo, ab utroque latere, magno ruentium aquarum fragore comitatur, perstrepit omni ex parte furentium ventorum sibilus, evulsæ, excisæque procumbunt proximæ arbores; ipsos non gutta, non aura lædit. Sicci, & incolumes, torrentes, aquarum mole tumentes, nullo negotio transmittunt, seque demum, ejus diei confecto itinere, tecto tuentur. Tum Aloysius ad agasonem conversus. *Vidistine*, ait, *quid tua valuerit fiducia? Disce jam qua sit agendum ratione, quum divino eges auxilio.* Postridie proximus Marineo amnis, qui

Ejus in divinis promissionibus fiduciæ abundantia.

Aloysii Comitatum, irruente procellâ, ut ipse portëderat, nec gutta, nec aura lædit.

Torrentes aqua tumentes siccus, & incolumis transmittit.

ab

ab oppido nomen capit, receptis undique aquis, ripas vicerat, & adjacentes agros merserat. Hic erat superandus Panormum venientibus. Agaso ab Aloysio præmissus renunciat, vadum, diffusis aquis, non reperiri: nulla existere recentia jumentorum vestigia, neminem eo die ausum esse transire. Aloysius diffidentem objurgat: *Modica fidei quare dubitasti?* Omnes antecedit, in flumen equum immittit, Socios, ut singuli subsequantur, monet, agasonem comitatum claudere, & vestigia legere jubet. Altum, latumque flumen ita transmittitur, ut si paulò infra summam aquam pons lateret egregiè munitus, atque constratus, qui jumentorum pedes exciperet, & infra poplites vadum præberet. Cœlestem hanc Aloysii fiduciam certissima divini præsidii spes cumulavit. Nam qui se Deo totum tradiderat, non dubitabat, sibi neque petenti, neque cogitanti ultro adfutura divina subsidia. Ejus rei plurima sunt documenta; nonnulla adnotabimus, quorum illustrior est fides. Procurabat rusticum Societatis prædium, prope Parthenici pagum, Frater Josephus Cannella, Bisbonensis. Hunc paulò ante sidera adit liberali specie juvenis, piscatorio habitu, & electorum piscium sportam venalem offert. Negat Frater sibi opus esse, aut se tam lautè, & delicatè cœnare, quum præsertim eo die jejunium servaretur. Reponit adolescens: *Emisse non pigebit, quoniam adultà jam nocte, hospites es habiturus magni nominis Socios, eosque fessos, atque jejunos; quibus quid in jejunio appones, nisi cœnam his piscibus adornaveris? neque te expensa deterreat: non enim aliud requiro pretium, prater panem, & vini lagunculam.* Accipit Frater conditionem, jubet panem, & vinum attribui, ipse in conclave secedit, ut pecuniam quoque addat. Eodem tempore famulus annonam affert, Frater nummos; sed piscatorem nusquam vident. Disquirunt totà vicinià, & nullibi reperiunt; testantur omnes a nemine visum fuisse. Tum frater ostento perterritus meminit, oblatam sibi humanà candidiorem ejus ephæbi faciem, cujus formà, & elegantià captus, & de hospitum adventu nihil dubitâsset, & de piscibus emendis non recusâsset. Paulò post nunciatur, adesse cum Sociis P. Aloysium Lanuzam, qui eo die nihil gustâsset: quare apertiùs cognovit cœlestis providentiæ consilium, & hospitibus enunciavit, qui statim in genua se devolvunt, & Deo tot beneficiorum auctori, non sine lacrimis gratias agunt. Appositi autem accumbentibus pisces tamquam cœleste munus, humanarum rerum suavitatem omnem superare visi sunt. Flagitavit ex itinere

Aliud non absimile prodigium.

Summa Dei de Aloysio cura, & providentia.

Cœlestis Ephebus, pisces Fratri Cannellæ emendos offert, quòd hospites nocte esset habiturus.

Primâ vigiliâ P. Aloysius cũ Sociis adest: & de accepto beneficio Deo gratias agit.

in

Recenti pane cœlesti prodigio subvenitur.

in diversorio panes ferè septem, quot in comitatu capita numerabantur, pro quibus præsenti pecunià confestim solveret. Testatus est caupo, panem a Viatoribus consumptum omnem: nè micam quidem esse reliquam. Cui Aloysius: *Arcam consule, amabo te, & procul dubio reperies.* Paruit ille invitus, & morosam ejurans flagitationem. Sed ut tot invenit panes, quot Aloysius poposcerat, eosque calidos, atque recentes; prodigio attonitus, pretium cœlestis beneficii capere noluit. Qui quotidianas ejus largitiones investigarunt, quibus inopes familias, & pauperum greges sublevabat, dotabat virgines, corruptas collocabat, instituebat locis omnibus feminarum Collegia; reperiebant, uno vix anno, ab eo erogata plurima aureorum millia; quamvis nullam unquam pecuniam ab hominibus peteret, nullam ultro delatam admitteret. Divini ærarii potestatem Aloysio cælitus factam, auctor est P. Stephanus Turturetus, qui quum magistratum gereret Collegii Mamertini, & crumenam cum mediocri pecunia apud eum Aloysius deposuisset, & quotidie jam bis, jam ter nummos aureos demeret plurimos, nunquam adderet; testatus est, abs se redditam post tres mensem alutam digredienti Aloysio æquè plenam, & integram, ac ab eo primùm acceperat, quum jam pridem exhaustam credidisset. Luculentius ejus rei documentum reliquit Antoninus Leonardus, qui quum Aloysius quereretur, deesse sibi denarios admodum centum, quos Artifici pro cruce solveret, quam in Acensi Calvario constituerat; vidit repentè in manibus ejus eam ipsam pecuniam, planè recentem, & argenteam, & eo anno percussam, quam, & ab eo accepit cum mandatis, ut æs alienum illico dissolveret.

Aloysii inopia semel, & iterum cœlesti pecunia sublevatur.

Ejus rei P. Stephani Turturetti, & Antonini Leonardi testimonia.

Intima ejus, & assidua cum Deo familiaritas.

XXXIV. Porrò tanta spei, fiduciæque abundantia non coalescit, nisi inter eos, quos mutua intimi amoris necessitudo conjungit. Et sanè Aloysius tanto divinæ caritatis æstu flagravit, quantum humanus animus vix ferrè posset. Cœlestem hunc teneris a pueritia medullis inditum ignem, in perpetuis litterarum, actuosæque vitæ laboribus non modò aluit, sed ita in dies auxit, & ex magno maximum fecit, ut nihil saperet, nihil cogitaret, nihil vellet, nisi Deum; & supremis vitæ temporibus in ejus unius contemplatione totus liqueſceret, & conflagaret. Quare sive Deum audiret, sive nominaret, sive legeret, sive quicquam oculis cerneret, quod ejus memoriam incitaret, prodibant illico testes amoris lacrimæ, & assiduo fluxu manabant in via, in templo, in concione, in conclavi, super mensam, in familiari colloquio. Quid si sacris operare-

tur?

Digitized by Google

tur? Tum verò nullus erat flendi modus; madebantque sacra indumenta perennibus lacrimis, sine cordis tumultu, sine singultu corporis, ut si liquescens animus suavissimè ex oculis illaberetur. Ardebant interim genæ, scintillabant oculi, excandescebat facies, seque ex vultu effundebat intimæ flammæ splendor, quæ fibras depascebatur. Quod quum ille animadverteret, neque ullâ vi dulcissimum impetum contineret, quàm brevissimè immolabat, & peracto sacrificio, tantâ celeritate sacras vestes exuebat, ut eas agglomeraret, & inconditè abjiceret; non alia certè de causa, nisi ut ab hominum se conspectu proriperet, & in secessu laxaret habenas animo, atque horas, ut minimùm, duas in divinæ caritatis incendio conquiesceret. Nonnunquam tamen inter litandum a sensibus avocatus, & summo numine victus, festinatione nullâ efficere potuit, quin cœlestis flammæ intus urentis, & sursum tendentis impulsum sequeretur. In Plana Græcorum, quod est nuperum ab Epirotarum Colonia conditum Oppidum, adstitere sacrificanti duo Sacerdotes, Vitus Carnesius, & Paulus Matranga, videruntque Aloysium, dum sacram hostiam utràque manu attollebat, attolli pariter toto corpore, & duos ferè cubitos sublimem ferri, ut pedes summam aræ frontem superarent; atque in eo statu, & sublimitate quartam horæ partem permansisse; idque jurati testes affirmârunt. Catanæ Didacus Paternus nobilis adolescentulus conspicatus est supra caput immolantis candidissimam columbam, radios circùm vibrantem: enunciavit quoque Aloysius Didaci vitæ seriem, & beatum exitum, cui Deipara adfuit, ut ad annum 1647. Quibus autem amoribus cœlestem panem, & Christum in eo latentem prosequeretur, ex eo intelligi potest, quod ab eo non discederet, nisi humanis curis avocaretur; & quum per occupationes liceret, in ejus cultu, atque obsequio, dies, noctesque collocaret; si quid temporis vacuum negotia permitterent, ad eum accurreret, neque unquam cubiculo, aut domo egrederetur, & eódem rediret, quin priùs *Eucharistiam* de genu coleret; persuasumque erat omnibus, qui eo tempore supplicantem intuebantur, & præsertim immolantem, non esse absconditam oculis ejus Christi præsentis, & colloquentis speciem non obscuram. Divinæ quoque caritatis vulnere intimè saucium Aloysium ostendebat dolor penè incredibilis, quem ex hominum sceleribus capiebat, quibus excelsa Summi Dei Majestas, & gloria læderetur. Cavebant proinde Socii, ne qui insignium criminum infamiâ la-

Quantam vim lacrimarum inter immolandũ effunderet.

Dum Deo sacram hostiam litat, divina patitur.

Eodem tempore, mente avocatus duos ferè cubitus in sublime fertur.

Super ejus immolantis caput cãdidissima columba conspicitur.

Aloysii erga divinã Eucharistiam summa religio.

borabant, apud eum expiarentur. Usu enim edocti deprehenderant, auditis magnis, multisque flagitiis, illum ex animi molestia languere consuêsse, & diuturnis teneri valetudinibus implicitum. Nihil propterea tam optabat, quàm oculos, auresque fato claudere, nè Dei offensas videret, audiretve. Scribit Frazetta, eos, qui expeditionum ejus comites fuissent, juratos affirmâsse, Aloysium quotidie sexdecim plerunque horas cum Deo traduxisse; in itineribus verò, præmisso comitatu, solum, atque silentem, distentis brachiis, sublato capite, & oculis suspicientibus, dies totos divinæ naturæ dotes contemplando transegisse; si verò navigaret, obvolutum pallio caput, quasi quiesceret, occultabat, nè quis intelligeret, se vigilare, & in perpetua divini amoris palæstra, dies, noctesque versari. Sed fallere diu non potuit: nam cœlesti incendio inflammatus, cogebatur interdum frigidam capere auram, & inusta præcordia refrigerare, prodebantque quid ille ageret tumentes oculi, madentes genæ, rutilans vultus, ardentia denique verba, quibus identidem, non secus ac si ex divino quodam somno evigilaret, nautas, atque vectores adhortabatur.

Singularis ejus erga Deum caritas, ac intima consuetudo.

Frazetta Vit. Aloys. Lan uza lib. 2. cap. 3.

XXXV. Familiare autem erat Aloysio, sive cœlestia meditaretur, sive paulò ante Deo supplicâsset, divinum quoddam jubar emittere, quod intuentium oculos perstringeret, & obtutum prohiberet. Visa sunt Alicatæ fulgura, & radii ex facie, & cubiculo ejus erumpere, dum ille noctes prorsus insomnes cœlestibus dabat colloquiis, & cum superis transigebat. P. Datius Agliata Panormitanus, quum Collegii Lilybætani magistratum gereret, ad se venientem post sacras preces Aloysium, rorantibus oculis, coruscantibus genis, adspicere non potuit, quin oculi caligarent. Paulus item Scavonius Causidicus Mamertinus, in Messanensi Domo Aloysium summo mane adjit, & in cœlestium rerum cogitatione defixum quum reperisset, novi generis lucem ex ejus facie manantem conspicatus, hæsit attonitus, ut si non hominem, sed excelsam quamdam divinitatis imaginem oculis cerneret. Franciscus quoque Petrosus nobilis Panormitanus, Principem Ædem ingressus, parumper processerat, quum a tergo summâ quadam luce afflari sensit: respexit, & Aloysium de genu supplicantem vidit, ac fulgore maximo candentem, ut si totus arderet, & radiorum nimbo involveretur. Quæ quum ad Aloysium delata essent, quærebat deinceps latebras, & remotiores recessus, quò nemo penetraret, nocturnis præsertim horis, ibique divina patiebatur. Repertus fortè est aliquando in infimis

Vultum ejus aut meditantis, aut supplicâtis cœlestibus radiis coruscantem plurimi cõspiciunt.

Ejus rei plura, & inconcussa testimonia.

ob-

Digitized by Google

obscurisque Collegiorum caveis, inter congestos viminum, & sarmentorum manipulos, interdum in templi suggesto, non semel in tenibricoso latibulo, ex quo divinam prospiceret *Eucharistiam*: plerunque in Bibliotheca, ad quam nocte intempestà nemo accederet cum lucerna. Deus tamen supernæ lucis indicio, identidem enunciabat, ubi esset, & quanto divini amoris incendio ureretur. Duo afferam testimonia, reliquis prætermissis. Veterem Panormitanæ Domùs Bibliothecam, devexà jam nocte, adire coactus P. Petrus Spucces, probitatis, & sacrarum litterarum gloriâ clarissimus, animadvertit ex januæ rimis erumpentes radios, qui proximum conclave illustrarent, putavitque aliquem ibi esse, qui daret operam libris. Ingressus tamen neminem reperit, nisi Aloysium in angulo delitescentem, & pronum, quasi in fornace versantem, ex qua lux illa se effunderet. Quare silens, & tremens suspenso gradu se recepit, nè Dei amicum, nihil adhuc sentientem, interpellaret. Id autem contigisse comperio, ante annum 1636, quo Petrus Spucces e vita migravit, & eo anno, quo Aloysius per summi jejunii ferias, in Domùs Panormitanæ templo, prima sacræ eloquentiæ stipendia fecit, anno nimirum ante ejus fatum ferè trigesimo. Eodem ibidem ostento perterrefactus est alio tempore Frater Bernardinus Bovardus Melitensis, qui quum post cœnam ingentem ex Bibliothecæ janua prodeuntem flammam vidisset, incendium suspicatus accurrit; & Bibliothecam accuratissimè lustrat, miratusque quid rei esset; Aloysium denique deprehendit ibi abditum, & in genua provolutum, qui digito adducto, & labris apposito, ut sileret, gestu, & minacibus oculis imperabat. Postridie Aloysius Bovardum obvium habuit, agnovitque occultam percunctandi, & rem enunciandi voluntatem, eumque eodem gestu occupavit; conjecitque in eum oculos tam acri intuitu, ut præcordia transverberaret, & ad silendum compelleret. Venientis enim a divinis colloquiis Aloysii erat adeo acutus, & loquax oculorum conjectus, ut intimas animi medullas penetraret, flecteret, expugnaret. Spatiabatur in littore Panormitani portùs prætoriæ remigum custos, qui uxorem domo ejecerat, & plures jam annos, pellicem pro ea invectam domi alebat. Prodiit Aloysius ex diuturna supplicatione, & ad eum rectà contendit: deambulantem conspicatus consistit, & cum alio confabulatur. Sed oculos interdum in hominem defigit; quod quum tertiùm fecisset; ille repentè quasi victus, & expugnatus exclamavit:

P. Petrus Spucces Aloysiũ in Domùs Panormitanæ Bibliotheca inter supplicandum radios undique emittẽtẽ reperit.

F. Bernardinus Bovardus alio tempore idem de Aloysio testatur.

Solo oculorũ conjectu perditum hominẽ corripit, ac Deo conciliat.

Desine jam Pater, me configere, atque confodere obtutibus: aciem oculorum tuorum ferre non possum. Satis est. Habeo te: quid fieri velis, intelligo. En me paratum imperata facere. Totum tibi me trado. Cui Aloysius subridens, *Quis te requirit, Vir bone? Atque utinam bonus esses! Itane a Christianis inter Christianos vivitur?* Flentem deinde complexus, in proximum templum deduxit, ibique conjunctis lacrimis, expiationem inchoavit, & magno utriusque solatio, pellice amandatâ, reductâ uxore, octavo die peregit.

Occulta, & futura cognoscit, & interdũ prænunciat.

XXXVI. Ex eadem divinæ caritatis officina, in qua cœlestis flamma animum ejus, nullâ intermissione exercebat, hausit Aloysius abditissimam illam divinorum consiliorum scientiam, quam Deus ab omni hominum sensu remotam voluit, & intimis amicis suis reservavit. Leandram matrem, Didacum fratrem, Lucium Pisanum Syracusis interfectum, P. Franciscum Rajatum, de quo ad annum 1636, sexcentosque alios in cœlestem Patriam receptos, non modò cognovit, sed suis etiam oculis est conspicatus. Eos quoque, & longè plures vidit, quos orcus hausit. Erat Panormi Aloysii æqualis in Sancti Nicolai Tolentinatium Cœnobio P. Marcellus Dominicus, austerioris disciplinæ Augustinianæ alumnus, divinæ familiaritatis gloriâ clarissimus, qui quum communiter Deo supplicaret; abstractus sensibus, & cœlesti numine exercitus, audientibus, qui aderant, domesticis, horrens, & flens, terrificis clamoribus per intervalla vociferari cœpit, dicens: *O qui numerus! Quàm ingens turba! Ut conferti ruunt! Ut ad interitum properant! Succedunt alii, qui priores urgent. Ut certant aliis præcedere, quasi non ad æternum cruciatum, sed ad præmium festinarent! O mi Jesu! O scelus! O cæcitas! O dementia!* Quibus auditis, loci Antistes, remotis arbitris, Marcellum sibi redditum, quæ per visum oblata essent, enunciare jussit; ille cujus oculi ex largo fletu nondum resederant, vidisse se, ait, immanem hominum multitudinem, viâ latissimâ, cursu incitatam, in immensam voraginem, igne, ac sulphure redundantem, agi præcipitem; sibique esse monstratum, animarum millia duo fere supra viginti, eo tempore a corporibus discessisse, & certatim in orcum se conjecisse: addiditque, adfuisse spectaculo P. Aloysium Lanuzam Jesuitam, qui pariter exclamasset, *Quò ruitis scelesti?* Placuit Antistiti, rem adeo insignem explorare, ac contestatam habere. Misit proinde P. Seraphinum Brunonem, qui ad Aloysium quæ gesta essent deferret, ab eoque intelligeret,

Plurimorum manes vel in cœlũ receptos, vel in orcum detrusos divinitùs intuetur.

P. Marcellus Dominicus secum Lanuza ingentem hominum multudinem in orcum dejectam, vidisse affirmat.

Digitized by Google

geret, veráne essent, quæ Marcellus narraverat. Nuntiatur Aloysio per Janitorem adesse ad januam P. Seraphinum Brunonem, qui colloquium ejus flagitaret. Aloysius nihil cunctatus respondit: *Renunciabis Cœnobitæ isti; nè gravetur meis verbis Antistitem suum certiorem facere, vera esse, quæ P. Marcellus Dominicus asseruit. Utinam falsa essent!* Cognitum est igitur, de cœlo didicisse Aloysium, & quæ Marcellus pridie viderat, & quæ Seraphinus postridie afferret. Æquè memorabile, sed longè testatuis est, quod Catanæ contigisse traditur. Gravi, ac supremà afflictus valetudine nobilis Causidicus, qui divitias ingentes paraverat malis artibus, & pupillorum, atque clientium exuviis, rem familiarem amplificaverat, Aloysium ea spe acciri jussit, ut illico convalesceret. Ut tamen ab eo audivit, nullam esse reliquam spem salutis, ad expianda superioris vitæ crimina se convertit: sed admonitus, in eo esse expiationis initium, ut iis omnibus, quæ essent iniquè parta, se abdicaret, & ad dominos redire mallet, quàm ad hæredem pervenire: facere se posse negavit, qui nollet filium absque ejus merito exhæredare, & ad emendicandum adigere. Quid non movit Aloysius, ut hominem ad sanitatem adduceret? Pervicacem tamen, & obfirmatè reluctantem neque vicit, neque ut vinceret, a Deo impetravit. Postero die incidit extra mœnia in quatuor horribili formà mauros, qui jumentum agebant, quo vehebatur transversus, pronus, circumligatus, nudis pedibus, aperto capite, passo, & incompto capillo, infelix veluti reus, quasi ex oppido ad munitiores custodias importaretur. Aloysius a mauris requirit, quonam miserum hominem asportarent, & quinam esset: illi silentio proximum Ætnæ montem digito indicant, & capillitio arrepto, pronum viri caput attollunt. Agnovit Aloysius pertinacem Causidicum, suspicatusque id quod erat, in oppidum redire properat, auditque ad portas feralem æris sonitum; quærit, quinam Catanæ supremum diem obiisset, reperitque, paulò ante extinctum esse nobilem illum Causidicum, cujus casum quàm diutissimè flevit. Pleraque ejusmodi alia festinanti non nefas sit præterire.

Ostentum Aloysius Vaticinio cõfirmat.

Flagitiosũ Causidicum Catanæ morti proximum ad sanitatem adducere sedulò tentat.

Clientium malè partas exuvias se abdicare recusat, & miserrimè extinguitur.

Manes ejus extra mœnia a quatuor mauris in Orcum asportari, cernit.

XXXVII. Nullum tamen est certius divinæ caritatis argumentum, quàm sedula misericordiæ administratio, & iis, quibuscum versamur, gratificandi studium, perpetuum sanè, gratuitum, atque promiscuum, rudibus præsertim, ac miseris, a quibus nihil speres, nihil metuas. Quàm accuratè, atque constanter, humanæ pietatis officium Aloysius omnibus ultro im-

Ejus eximiæ virtutes, in Provincia reliqui labores, & res naviter gestæ.

per-

pertiverit, plurima oſtendunt, quin eadem recinamus, quæ ſuperiùs ſunt demonſtrata. Præter impenſam cuſtodiis, valetudinariis, triremibus, morientibus, quotidianam, ſtrenuamque diu, noctuque operam, nullum fuit hominum genus, cui non modis omnibus opitularetur. Vagos, palanteſque Ægyptios, incertæ religionis homines, feros atque furaces, quorum magna erat Panormi multitudo, occultis dedita ſuperſtitionibus, beneficiis ſibi demeruit, paulatim contraxit, & ex ſuburbani ſpecubus convocavit: eorum Sodalitatem inſtituit, locum, templumque attribuit, quò octavo quoque die convenirent, & accuratè erudirentur. Itaque agreſtem, probroſamque gentem, quæ nullo cultu, ſed ſuis potiùs moribus, quàm ullis legibus viveret, & nullo delectu, promiſcuâ venere, cum cognatis, & conſanguineis connubiâ miſceret, ita mitigavit, & condocefecit, ut qui infames habebantur, neque a civibus, aut menſæ, aut colloquii, aut tecti communione dignabantur, ferrariam edocti, & honeſtis moribus informati, cum plebe coaluerint, & ad ejus conjugia, ac jura pervenerint, neque hodie a civibus quicquam diſtent. Proſpexit etiam plebejorum pauperrimis, qui cæcitate, valetudine, aut ſenectute, ad ſummam egeſtatem redacti, chriſtianorum immemores officiorum, perpetuò vagabantur, templorum valvas obſidebant, & vitam omnem mendicando ponebant, ut ſi communibus vacarent inſtitutis, neque ullâ lege tenerentur, aut ipſorum nihil intereſſet, ſacrificio, aut concioni adeſſe, divinum panem ſumere, religionem aliquam frequentare. Hos Aloyſius coëgit, Marianæ Sodalitati aggregavit, octavo quoque die convenire juſſit, locum, & Sacellum deſignavit, ubi accuratè erudirentur, & nè confluere gravarentur, ſportulam deſtinavit, qua ſinguli in conventu donarentur. Ubicunque eſſet, puellas integras, & pubertati proximas, quæ patre amiſſo, ſuſpectâ matre, vel parentibus deſtitutæ, divitum inſidiis patebant, accuratione ſummâ conquiſitas, honeſtiſſimis adjungebat matronis, donec viris collocarentur. Occultè verò corruptas dotabat ipſe, & vel corruptoribus, vel honeſtis civibus ducendas dabat. Proſtitutas, & quæ jam genuiſſent, a turpi quæſtu revocatas, domiciliis ad id ubique conſtitutis recipiebat, alebatque: & ſi clauſtris contineri non poterant, pecunia juvabat, & fide acceptâ, cavebat, nè inopiâ obſcenum veneris pretium captare cogerentur. Nullis unquam parcebat laboribus, ut animis, corporibuſque prodeſſet. Quòd ſi caſu aliquo prohiberetur, quominus publicæ utilitati ſerviret, intimus ardor omnium ſalutis

Ægyptiorum Sodalitatē Panormi inſtituit, eiſque chriſtianæ religionis documenta tradit.

Agreſtes, probroſoſq; homines mirâ dexteritate mitigat, & docet.

Eximia ejus erga pauperes miſericordia; & adjuvandi aſſiduitas.

Alia erga alios Lanuzæ pietatis monumēta.

me-

medullas adeo excoquebat, & penitus depascebatur, ut in febrem evaderet, ex qua tamdiu erat decumbendum, quoad prodeundi potestas fieret, & ad consueta actuosæ vitæ officia recurrendi. Quod quum esset compertum omnibus, & pervulgatum, etiam in annuo illo octo dierum secessu, qui nostris hominibus communis est, & admodum religiosus; jubebatur quotidie Aloysius ad concionandum exire, nè diuturnam contraheret valetudinem. Quum Solentinam oram præternavigaret, in qua est sinus, & statio capiendis thynnis in paucis idonea, nautas, præter consuetudinem imperio adegit, ut ratem ad littus appellerent, & se exponerent. Ut terram attigit, & piscatorum conquestiones accepit, qui maximè dolebant, adventante jam Junio, vacua prorsus retia, thynnum omnino nullum, otiosam, & tamdiu famelicam tot conductorum hominum multitudinem, maximas expensas, minimum emolumentum, conturbandi necessitudinem; Aloysius nautas, & operas omnes ad concionem convocat: docet adnantes thynnos pulsos esse eorum flagitiis, & sacrilegis execrationibus: hortatur ut veniam, & misericordiam a Deo flagitent, & cum Christo in gratiam redeant, reliqua ex ejus clementia sperent: commotos, & ad pœnitentiam adductos audit, & lustrat omnes, nè spatio quidem sibi ad quietem relicto. Postridie piscatoriam cymbam conscendit, & piscatoribus in littore de genu adstantibus, mare, retia, naves, homines, cruce, aquà, precibus, religionibus expiat; tum thynnos ad retia adnare jubet: nuntiant magnis clamoribus exploratores, pisces adesse quamplurimos, & eximiæ magnitudinis: contractis retibus, tot tantique extrahuntur thynni, quot, & quantos nulla unquam thynnaria captura, quamvis uberrima, memoriâ hominum contulisset.

Nè valetudinem contraheret, in annuo octo dierum secessu, ad concionādum exire jubebatur.

Nautas, qui capiēdis thynnis dabāt operam, in litore ad concionem convocat.

Illi ritè expiati beneficio, uberrimam thynnorum prædam consequuntur.

XXXVIII. In conciliandis dissidentium Civium, & furentium inimicorum animis, sedandisque simultatibus, tantùm gratiâ, auctoritate, precibus, prodigiis valuit, ut tanquam cœlestis caduceator in oppidis reciperetur, a quibus nunquam ante digressus est, quàm oppidanos omnes pacaverit, & ad pacificationem adduxerit. Quo tempore Syracusis concionabatur admonuit Lucium Pisanum, non procul abesse fatalem diem, festinaret proinde sibi, suisque rebus consulere. Eo nuncio excitatum audivit, & crimina omnia superioris vitæ confessum expiavit. Octavo die, Lucius Pisanus ab inimico sicâ percussus est, & interfectus. Vidit postridie Aloysius manes ejus piaculari flammâ purgatos ad superos evolare; Flaviamque Pisani uxórem certiorem fecit, ut luctum ejus sublevaret, si-

Ejus in conciliandis dissidētium animis, & in sedandis simultatibus, dexteritas, singularis.

Syracusis Lucio Pisano proximam necem prænunciat.

Lucii manes sica percussi postridie ad superos Aloysius evolare videt.

Digitized by Google

simulque hortaretur, ut beneficii loco poneret illatam marito necem, qui summam ex ea felicitatem nactus esset, & interfectori ignosceret, acceptamque injuriam Christo donaret. Flavia recentissimum vulnus quomodocunque tentari, molliter tulit. Muliebri ejulatu vicem suam doluit, quòd Aloysius præposterà misericordià, pro crudelissimæ cædis auctore tantopere laboraret, partes ejus susciperet, & impunitatem flagitaret. Nihil tamen eum interea solicitaret honestissimæ familiæ orbitas, & solitudo; vidua junior, & prægnans; filiæ quatuor, quarum quæ natu maxima, septennium non attingeret; Sororis filius æger, & orphanus, & omnium minimus. Quis matrem, & filias, & cognatos aleret, quis parituram sublevaret, parienti adesset, partùs expensas suppeditaret, & proli præsto esset? Cui Aloysius fiduciæ plenus; *Numquid*, ait, *Deum non habemus, aut casu regimur? Amisistis Patrem familias, numquid Deum amisistis, & Patrem, qui est in cœlo? Equidem cœlestis providentiæ vadem me præbeo.* Tum indicari sibi postulat, quo loco, quæ usui essent, reconderet. Ostendit Flavia prægrandem Arcam. Aloysius dextram manum attollit, & Crucem simulat, arcam eà ceremoniâ consecrat, additque. *A Deo bene sit vobis, ut fuit Abraham, Isaac, & Jacob. Quidquid hac arca continet, nunquam deinceps desiderari contingat. Quidquid denuò intuleritis, auspicatissimum sit, saluberrimum, & inexhaustum. Rem familiarem amplificabitis. Filiabus neque pudor deerit, neque dos, neque vir: Omnia vobis prosperè cedent. Numquid plura desideras, & his majora, quæ si vixisset Lucius Pisanus, non fuisses habitura?* His victa pollicitationibus Flavia, veniam inimico impertivit, & conjugis necem Deo concessit. Magna autem erat Aloysii promissorum expectatio; quam tamen eventus superavit. Arca enim illa a divini ærarii copia, & fœcunditate parum abesse visa est: nam, & quæ in ea tum servabantur, & quæ deinde inferebantur, admirabili incremento soboleſcere, & exhauriri non posse, est ab omnibus animadversum. Quod quum esset pervulgatum, non modò cognati, atque propinqui, sed vicinia tota confluebat, ut pecuniam, vestes, & quæ carissima essent, in ea tantisper conderent, & communi beneficio fruerentur: Nam quæcunque inferrentur vel fœcunditatem, vel diuturnitatem, vel felicitatem induere videbantur. Documento sit, quod ager, cui frumentum ex ea petitum, satione parum lætà mandatum fuerat, cum quadragesimo extulerit, ut ex duobus medim-

Flaviæ, Pisani uxoris luctus, & in sicarium odia; & querelæ.

Quibus pollicitationibus uxoris odia extinguit.

Rei familiaris arcâ signo Crucis consecrat, & futuram felicitatem ex ea pollicetur.

Uxor illis victa pollicitationibus, tandem inimico parcit.

Illa arca ab Aloysio ceremoniâ consecrata familiam locupletat.

nis

nis octoginta redirent. Itaque Flavia familiam commodè aluit, pecuniam coëgit, domum sibi pretio paravit, filias lautè dotatas nuptum dedit, quarum quæ natu prima post annum quintum, & vigesimum, non aliam sibi popoſcit dotem, quàm admirabilem illam arcam, quæ ab Aloysio inaugurata familiam locupletaverat.

XXXIX. Quàm verò in eos Aloysii fuerit gratus animus, a quibus beneficium accepisset, plura sunt testimonia. Tradiderat Aloysio sacras litteras in Collegio Panormitano P. Cæsar Boschus, eumque singulari accuratione excoluerat. Hic anno 1655, gravissimà tentatus valetudine, quam medici fatalem pronunciaverant, præjudicio ætatis, quæ annum attigerat octogesimum, ad supremas religiones animum converterat, & vitæ exctium, summis lustratus expiationibus, præstolabatur; quum Aloysius qui diu, noctuque morienti aderat, paululum secessit, & mox regressus, *Rogavi*, inquit, *Pater, pro tua salute; indulget tibi Deus quatuor insuper vitæ annos; redditque tibi quadriennium, quod in me erudiendo posuisti*. Tum confestim ab eo discessit, neque deinceps ad eum remeavit. Cæsar eo nuncio recreatus, ac restitutus convaluit, & anno quarto, postridie Idus Sextiles, quo die Aloysius, Provinciæ moribus, discipulus ejus esse desierat, febri correptus, septimo die extinctus est, anno 1659; tres ferè annos Aloysio superstes. Sponsorem se Aloysio recens nato Agrigenti præbuerat, quum sacro fonte lustraretur, signifer Antonius Gonzalez de Tapia, qui infantem Alicatà deduxerat, & reduxerat. Hunc Aloysius beneficii memor, ut Patrem semper coluit, & quàm maximè potuit, rebus omnibus juvit: postremò Lylibæum Panormo discessurus, quum commeatum ab eo peteret, apertè denunciavit, nè differret summam anteactæ vitæ expiationem parare, quando mortalitatis exitus appropinquaret. Indidem ex Lilybæo ad eum copiosas dedit litteras, quarum ea erat clausula, ut proximo Christi Natali die, item pridie Nonas Januarias, denique postridie Calendas Februarias ad cœlestem panem accederet, ac sedulò cogitaret, fieri posse, ut vitæ spatium clauderet Februarius; quod quum ille accuratè præstitisset, eo mense vivere desiit. Leandram Matrem, quæ alteris nuptiis Didacum procreaverat, iterum viduam, & humanis rebus implicitam, crebris litteris, magnisque adhortationibus, præsertim verò summis ad Deum precibus, Christo addixit, & a licentia, atque periculis deterritam, ad seçedendum adduxit; eique auctor fuit, ut distractis bonis omnibus, quæ domi habe-

Aloysii in eos, a quibus beneficia acceperat gratus animus.

P. Cæsari Boscho Prçceptori suo a Deo vitæ spatiũ obtinet; & ejus mortem ad annos quatuor prædicit.

Antonino Gonzalez de Tapia proximã mortem semel, & iterum prænũciat.

ret, ſuique juris eſſent, ea dumtaxat ſibi relinqueret, quibus ad ſeceſſionem maturandam opus haberet; reliqua pauperibus elargiretur; ſeque ex Sicilia ſubduceret, ac Neapoli, ubi parum cognita eſſet, Deo ſe maniciparet. Itaque Leandra rebus omnibus ſe abdicat, Neapolim concedit, Hiſpanarum Virginum *Conceptionis* Collegio ſe agregat, ibique ut omnium famula, quæ ad lugenda prioris vitæ errata, & corpus excruciandum venerat, perpetuis lacrimis, jejuniis, vigiliis, atque laboribus, emendatiſſimum, auſteriſſimumque vivendi genus inſtituit, & ad mortem uſque perduxit. Elatam, & ignotam populus Neapolitanus, incredibili concurſu, & prædicatione virtutis celebravit. Adfuit Leandræ funeri Petrus Calius Medicus Alicatenſis, popularis ejus, qui tum adoleſcens hypocraticis diſciplinis Neapoli dabat operam, & ſenex teſtabatur; vidiſſe ſe confluentem ad Leandræ corpus omnium ordinum multitudinem, & percunctationibus cognoviſſe, renovatam fuiſſe confertiſſimi populi frequentiam poſtridie mortis ejus, quòd proximà nocte, in templo relicta, cum luce, eodem ſtatu jacentis, & ſupinæ, ſublimis reperta fuerit, ut nulla ex parte feretrum contingeret; & beatarum inſtar animarum, cœleſti lumine circumfuſa. Eo ipſo temporis articulo, quo e vivis abiit, obtulerunt ſe manes ejus Aloyſio filio, eique maximas egerunt gratias, quòd ejus beneficio, ad ſuperos rectà tenderent. Magnà Aloyſii familiaritate utebatur Franciſcus Figueroa, patruelis, & hoſpes ejus, qui eum a pueritia, ut Patrem veritus fuerat, & conſiliorum participem fecerat, ac familiæ ducem eſſe voluerat. Hic Alicatæ ſedem fixerat, ſed negotiorum causà Panormum ventitabat. Itaque Panormi quum eſſet, & Aloyſium conveniſſet, *O quàm vellem*, ait, *mihi morienti adeſſes! Latus profectò vitam finirem, & vetuſtiſſimæ neceſſitudinis optatiſſimum fructum caperem*. Hæſit tantiſper Aloyſius; & ſtatim, *adero*, inquit. Cui Figueroa, *Utinam ita contingeret! ſed fieri non poſſe video. Quis nos caſus conjunget, quum ego Alicatæ conſederim; tu perpetuis expeditionibus peragrare nunquam deſinas?* Aloyſius autem, *ita fiet, adero equidem, adero*. Poſt ſexennium Figueroa, per conſueta negotia Panormum venit, ubi Aloyſium offendit, qui per jejunii ferias in Æde principe concionabatur, cognovitque integer, & incolumis, eam conjunctionem fore ſibi fatalem, & a vaticinationis fide non alienam, neque caſu aliquo, ſed cœleſti conſilio adminiſtratam. Suſpicionem eventus ratam fecit. Nam paulò poſt jejunii exitum, extremà valetudine affectus, &

Leandram Matrem ſuam a licētia deterret, & ad ſecedendum adducit.

Neapolim ea concedit, & hiſpanarū Virginum Cōceptionis Collegio ſe aggregat.

Ejus in eo Collegio beata mors, & populorū acclamatio.

Manes ejus, Aloyſi filii beneficio, ad ſuperos rectà tendunt.

Franciſcus Figueroa Lanuzæ patruelis, & hoſpes optat, ut ille ſibi morienti adſit.

Ut prædixerat, Figueroa, Lanuzà adſtante, moritur.

aſſi-

assiduis Aloysii colloquiis confirmatus, eo adstante mortuus est, & oculos claudente, compositus, ut maximè optaverat. Parem amicis, consanguineis, hospitibus, comitibus, laborum sociis, expeditionum adjutoribus gratiam retulit, sed præcipuè doctoribus, in quibus fuit P. Franciscus Rajatus, a quo Panormi, & Mænis ante, & post initam societatem, litteras didicerat humaniores. Hujus fatum eà ipsà horà, qua Panormi accidit, Catanæ quum enunciâsset, postridie oblato sacrificio, lustralibus flammis exemit manes ejus, & impertitæ doctrinæ præmium attulit.

P. Francisci Rajati Præceptoris sui manes sacrificio, lustralibus flammis eximit.

XL. Sed nondum clausimus tam effusæ misericordiæ rivos: Afros enim, & Mauros non attigimus, qui Aloysii caritatis administrationes non effugerunt, & in summis ejus erant amoribus, ut vilissimorum mancipiorum multò pluris amicitiam faceret, quàm dominorum. His ille se advocatum, medicum, familiarem, deprecatorem præbuit; irrepebatque in illorum intimam necessitudinem munusculis, officiis, blanditiis, ac beneficiis. His artibus feroces animos, & christiani nominis hostes pacavit, & Christo adjecit. Quod si in pervicacem aliquem incidisset, quem vulgaris industria non expugnaret, confugiebat ad armatas, flagris, jejuniis, vigiliis, preces, quibus sibi a Deo truces animas donari postulabat. Quare nemo fuit tam durus, ac ferreus, quem non denique flecteret, & ad salutis consilia evocaret. Infinitum esset singula persequi. Exemplo sint pauca, quæ subnecto. Erat inter africana mancipia Salmius quidam, nobilis hispani servus, eximiæ proceritatis, facie niger, fœdus, & horridus, atque, quod caput est, tam Christo infensus, & inimicus, ut eos ferro appetere non dubitaret, qui eum ad Christianam Religionem adhortarentur. Aloysium propterea, qui popularium ejus insignem numerum Christo conciliaverat, maximè oderat, & colloquium, atque conspectum vitabat, nè caperetur. Aloysius e contrariò prædam hanc adamaverat, quærebatque colloquii ansam, & ad familiaritatem ejus aditum aliquem. Solum denique nactus in atrio Domùs Panormitanæ, iterum, atque iterum Salmium appellat, & astutè dissimulantem adit propius; tum ille congressionem veritus, torvos, obliquosque oculos ab eo avertit, aitque: *Quid me vis? Christianus fieri nolo.* Ad ea Aloysius: *Nonnisi ad jentandum te volo. Veni amabo te.* Tum appetit manum ejus, & invitum, ac submussantem in suum conclave deducit. Reperta est ibi ornata mensa, in qua erat panis recens, & candidus, & vini trulla cum piscículis. Salmius, qui lautum sum-

Alia misericordiæ ejus præclarissima monumenta.

Quibus potissimùm artibus Mauros, & Afros Christo adjecerit.

Salmius quidã Maurus, ejus operâ Mahumedanam superstitionem ejurat.

Uteum Aloysius familiariter alloquatur, ad jentandum invitat.

ptuosumque jentaculum sibi desponderat, tenuem illum apparatum aspernatus: *Non te pudet*, inquit, *ad has me vocare quisquilias, quarum copia domi suppetit; non tam viliter esuriebam, ut esset operæ pretium, tot scalarum adscensu, ad panem, vinum, & piscículos pervenire*. Cui Aloysius, qui hoc ipsum cupiebat, ut barbarum animum ostento subigeret, hilaritate mirà: *Placetne*, ait, *majorem, delicatioremque tibi piscem apponi? Quid si placeat?* Reponit Salmius: *Numquid si haberes, initio non apponeres?* Aloysius autem: *O bone Salmi, putasne nobis cum Mahumede rem esse? Christus, Christus piscem dabit prægrandem, & pretiosum, quo neque tuus dominus, neque Principum, aut Regum ullus meliorem, aut parem unquam gustavit*. Quod quum dixisset, se acclinat, & quasi sub mensa latentem, sublevat trilibrem mullum, magna in patera porrectum, fumantem, egregiè coctum, atque conditum, & a craticula, & pruna planè recentem, & Salmio apponit. Agnovit Maurus cœleste prodigium, obstupuit, & cupidissimè omnia consumpsit, testatusque est, nunquam jucundiores epulas delibâsse, & quæ tantam haberent suavitatem. Aloysius denique: *Cur te ergo Christo non dedis?* Ille verò; *quid me dedam, quum apud nos sit pervulgatum, atque compertum, Christianos dominos iniquiores esse servis jam Christianis, quàm antea fuissent, eosque canes appellare consuêsse? Bonum Christiani habetis Christum, sed mali estis. Accipio conditionem*, ait Aloysius: *Equidem te Christo servire volo, non Christianis. Pretium, quo venundatus es, Domino tuo reddam, teque eximam servitute, & tui juris effecero, si usus fuerit. Satis est in præsentia te mihi esse amicissimum, & intimè necessarium*. Tum arctè complexum, & oscúlo dignatum, dimisit lætum, atque commotum. Ex eo tempore, Aloysii colloquium captabat barbarus; quem quum Aloysius accuratè erudiret, & Christianis præceptis assiduè informaret, morte interceptus de Cœlo juvit. Salmius enim sacrà lymphà paulò post initiatus, dignam Christiano homine vitam instituit, Maurorum deinde omnium hortator, atque magister. Illudque identidem inculcabat, satiùs esse in superstitionis tenebris permanere, quàm in Christiana luce turpiter vivere.

Ille jentaculum ut minimè lautum aspernatur.

Lanuza prægrandem mullum mirabili prodigio Salmio apponit.

Salmius ut Christo se dederet per Aloysium hortatus, de Christianorum moribus conqueritur.

Tandem sacrâ lympha initiatus totum se Christo tradidit.

XLI. Quod si in Afros contumaciores incideret, B. Antonium Patavinum adhibebat deprecatorem. Ad oppidum Claramontanum Mutycensis jurisdictionis versabatur cum Aloysio afrum mancipium, Alì nomine, vir superstitionis adeo retinens, ut veræ religionis nè auditionem quidem sustineret, ne-

Per Beatum Antonium Patavinum contumaciores Afros Christo cóciliat.

Digitized by Google

neque ullis blanditiis adduci potuerat, ut ea de re sermonem instituereret. Aloysius ab eo digressus, secessit, & flagro arrepto, ad Patavinum se convertit, aitque *Non desinam terga cædere, dum Afrum ad me miseris expiari flagitantem.* Horam cruento flagello dederat, quum Afer de tertia vigilia admitti postulat, narratque adstitisse sibi per quietem elegantissimâ specie *Cœnobitam*, qui lilium manu gerens jussisset, nè cunctaretur ejurare superstitionem, & in Christiana inauguratione Antonii nomen sumere: se quidem paratum imperata facere ostendit. Itaque probè eruditus, & solemni ceremonia expiatus, nuncupari cœpit Antonius. Maurus fuit alter Panormi, cujus colloquium captare nunquam potuerat; nam incredibili calliditate ejus occursum declinabat. Aloysius cum Domino egit, ut servum cum codicillis ad se mitteret, missum benignè complexus est, & facetè jocatus, quasi ex itinere fessum recreare studeret nonnulla dedit bellaria, & suâ ipse manu ori intulit, atque dimisit. Mox ad Patavinum contendit, ab eoque petit, ut prædam, quasi jam inescatam ad se remittat. Postridie servus, ut illuxit, ad Aloysium recurrit, Christianum se esse velle profitetur, & Antonium appellari, quemadmodum Patavino placuisset, qui animum ejus submutaverat, & ad Aloysium reverti jusserat. Alium in valetudinario morientem quotidie adibat, & quum scalas conscenderet uncinatam substringebat catenam, quâ præcincta gerebat ilia, neque tamen Christiana sacra obfirmatè recusantem vincere potuit, nisi paulò ante fatalem horam, quum præproperè accersitus, & de ejus salute a Patavino certior factus, prædam in tuto esse affirmavit, quam paucis verbis deditiam habuit, & actutum lustrari jussit, atque expiatione peractâ, cœlo transmisit. Barbaram tamen gentem, & patriæ veneno pollutam, ac vitiis omnibus inquinatam, non temere, nec sine magno delectu, accuratâque institutione Religionis compotes efficiebat. Quantùm enim laborabat, ut eorum voluntates expugnaret, tantùm quoque oportere statuebat, eos quàm diutissimè flagitare, admovere deprecatores, sponsores dare, qui eorum mores præstarent, & futuræ vitæ probitatem in se reciperent. Fuere, quos in candidatorum numero duos, aut tres etiam annos detineret. Quo factum est, ut non tirones, sed veterani Christi milites ex sacro fonte prodirent, & in ipsa Religionis infantia seniores Christianos virtute, ac pietate antecederent, peccantes coarguerent, & apud populares suos Religionem efferrent, ac magnificarent, & amplificare studerent. Vix ex tam insigni numero inventus est, qui

Ejus operâ contumacissimus Afer superstitionē ejurat; & sacro fonte lustratur.

Alius Panormi per Beatum Antoniū, Christianum se esse velle profitetur.

Alium morti proximum expiat, & Cœlo transmittit.

Aloysii in Mauris instituendis solertia, atque dexteritas.

a Chri-

a Christo deficeret. Quamplurimi numerabantur vixdum initiati, atque etiam candidati, qui persoluto pretio domum revocati, redemptionis conditionem rejecerint, & in captivitate permanere mallent, quàm ad superstitionem, atque licentiam remigrare.

Aloysii maximæ virtutes, & domesticæ disciplinæ non intermissa custodia.

XLII. Religiosæ disciplinæ servantissimus, Tirocinii pudorem, & verecundiam ad emeritos etiam annos derivavit, & constantissimè retinuit. Leges proinde singulas Societatis, quæ minutissima quæque præscribunt, ita curabat, & sibi custodiendas proposuerat, ut nihil esset tam parvum, quod non ille magnum putaret, & maximum habere momentum sibi persuaderet. Quo tempore sacris litteris quadriennium dedit operam in Collegio Panormitano, censuram Minister exercebat P. Antonius Blandus, vir insigniter probus, & emendatus, qui quum mores ejus accuratissimè perscrutaretur, si fortè aliqua in re offenderet, vel minimum quid peccaret, quod privatà, vel publicà reprehensione dignum esset, nihil unquam deprehendit, quod non esset magnoperè laudandum. Plecti autem, & publicè objurgari flagitantem denique super mensam inertiæ postulavit, quòd calceos in cubiculo habuisset non ad amussim compositos, ut alter alterum tantisper præcederet. Senex jam, & quàm longissimè domo progressus, si fortè meminisset, janitorem a se quò tenderet, non admonitum, contra quàm domesticâ lege jubemur, domum remeabat, ut oblivionem emendaret, & legi obsequeretur. Si quis cubiculum ejus adiret, nunquam passus est occludi januam, quam si ventus impulisset, illico aperiebat; rogabatque adeuntes, essétne sui conveniendi facta potestas. Quum in Panormitana Domo habitaret, in Collegium per Templi januam a Socio deductus, quum scalas conscenderet, animadvertit, se adversùs legem feciſſe, quòd non consuetà januà usus esset, eaque de re cum Socio questus remigrandum censebat. Admonitus autem, eà lege non teneri, qui alibi habitarent, non acquievit, sed Provinciæ Rectorem consuluit, & eo interpretari non audente, veniam petiit, si fortè deinceps in eodem casu versaretur. Diem habebat apud se diligenter adnotatum, & ob oculos positum, quo esset ad culinæ obsequium designatus, neque ullà unquam occupatione domi, forisque distineri potuit, quin ad horam occurreret, interdum palliatus, & sudore diffluens, interdum e suggesto ad culinam rectà contendens. Expurgandi tertio quoque die cubiculi morem domesticum, nè oblivione violaret, alternis diebus verrendi consuetudinem tenuit, vel quum extra Societatis domi-

P. Antonius Blandus ejus mores scrutatur, & nil, nisi laudandum deprehendit.

Ejus minimarũ legum exquisita custodia.

Viribus concione delassatis, e suggesto ad infima culinæ officia descendit.

Digitized by Google

micilia apud externos diversaretur, eoque onere Socios levabat, quorum cubicula in expeditionibus uni sibi verrenda, singulis ter hebdomadis, reservabat. Quod si interdiu non licuisset, cum lucernis impositum sibi pensum persolvebat. Silendi rationem institutis nostris accommodatam ita servavit, ut patentibus in locis nonnisi necessariò, vel provocatus, & paucissimis verbis loqueretur, aut nutibus, quod usus poscceret, significaret. At eam ipsam orationis parcitatem tantà humanitate, & mansuetudine condiebat, ut nemini molestus esset, & injucundus, aut inofficiosus videretur. Hanc morum innocentiam vigilantià summà tuebatur. Excubabat ad motus animi omnes, & singulis horis in se descendebat, excutiebatque animi latebras accuratissimè, & non modò obtutus, & verba, sed cogitationes etiam, & surgentes animi, corporisque appetitus vocabat ad trutinam, innocuos quoque, & strenuè debellatos. Familiare proinde erat Aloysio ter, & quater in die ad expiandum accusatione animum accurrere, & mentis labeculas multis lacrimis delere, & quotidie ferè post concionem, discumbentibus Sociis, prodibat vepribus redimitus, & funem collo pendentem gerens, accusabatque de genu arrogantiam, & temeritatem suam, quòd de se gloriosè judicâsset, quòd sibi populi frequentiam, & ejulatum tribuisset, quòd cogitâsset, quæ de se populus prædicaret; neque asininæ maxillæ meminisset; & quod gloriationem sentina hominum secutus esset. Quotidianà hac ignominià excolebat animi continentiam, & alebat integritatem; sibique ut publicus, & oculatus testis, & accusator indixerat nihil eorum, quæ mente agitaret, fore occultum, ut contumeliam inde caperet, ex quo laudem sperâsset, aut sibi placuisset, & pudoris, atque exprobrationis metu rectè ageret, & a culpa vacaret.

Ejus in loquendo parcitas, jucũditas, ac mãsuetudo.

In reprimendis animi sui, corporisque motibus, cura, ac vigilantia.

Quibus de rebus super mensam se accusat, temperãtiâ singulari.

XLIII. Religiosam inopiam ad infimam usque mendicitatem coluit; neque ulla fuit vitæ pars, in qua ea maximè non eluceret. Quidquid esset indumentorum, nedum novum nunquam adhibuit, sed eo potissimùm gaudebat, quod esset valde detritum, ac vetustate consumptum, & quod tirones, aut fratres, ut inutile posuissent. Pallium omni ex parte rimosum, atque discissum, quod neque frigus, neque imbrem arceret, ipse sarciebat, nè si cui committeret, aliud subrogaretur. Algebat propterea summà hieme, in alpestribus præsertim itineribus, malè petasatus, & palliatus, ideoque ad vivum madidus: neque unquam fuit tam facundus, quàm quum commodioribus indumentis uti jussus, inter alia excusabat calentem corporis ha-

Religiosam inopiam maximè colit, atque in omni vita tuetur.

Aloysii paupertatis usus admirabilis.

Digitized by Google

habitudinem, & multo sanguine redundantem, quæ gravia vestimenta ferre non posset, neque pileo caput contegi pateretur. Vulgaria fercula, & nullis temperata condimentis; herbas præcipuè, sed puras, & nè sale quidem respersas in deliciis habuit. Mendicabat interdum in communi mensa, & testulam circumferens reliquias de genu corrogabat, quas nè sæpe accumbentibus molestus esset, plerunque supplex, & pudibundus a coquo in culina flagitabat, quasi invalidus, & inutilis, ex Fratrum misericordia viveret. Eam mendicandi consuetudinem retinuit etiam in hospitiis, & diversoriis. Verùm non pecuniam, non poma, non obsonium recipiebat, sed sordida, & prædura vetusti, rusticique panis frustula, quibus paulatim corrodendis, maximè se delectari jactitabat. In expeditionibus, etsi sociis semper præfuit, rei tamen familiaris administrationem sociis ipsis permisit omnem. Quotidianam, & in communes usus erogandam pecuniam neque unquam attigit, neque vidit. Nihil sui juris habuit, præter codicem sacrarum precum. Ceterum neque scalprum scriptorium, neque forficem, neque religiosa ipsa munuscula penes se esse voluit; quibus rebus si quando uti oporteret, ab sociis verecundè postulabat, & si quid esset erogandum, veniam petebat. Junior itinera peregit pedibus. Grandis natu jumentum admisit, sed vile, ac sarcinarium, plerunque verò asellum, & malè ephippiatum, qui annonam quoque veheret, nempe panem, & caseum, & vini trullam. Appositam ab agasone gallinam, quam in demestico prædio Frater clanculum dederat, ut vidit, subridens, ait, *O me beatum, & divitem, cui cum gallina res est! Affer, quæso te, cœnam liberis tuis, quos magis decet hic cibus, quàm inopem Lanuzam*. In domiciliis societatis summa cum egestate habitavit. Amotis enim libris quoque omnibus, nihil sibi reliquum fecit, præter mensam, scamnum, lectulum, & lucernam; nam prægrande volumen, in quod conciones suas omnes conjecerat, supremis vitæ annis a se removit, & in Bibliotheca propositum publici juris fecit. Quare si vigilias suas consulere oporteret, ut oportere necesse erat, ad Bibliothecam noctu adrepebat. Erat autem pretiosus ille codex religiosæ paupertatis admirabile monumentum. Nihil enim erat pura in charta descriptum; sed vel in tergo epistolarum, vel in bibula papyro, vel in chartaceis ejectamentis, quæ ille accuratè legebat, & ad scribendi usum recondebat, ut nihil esset, in quo non extremos egestatis fines attingeret. Reliquus tamen erat ex fossili gypso lapis,

Ejus in capiendo cibo parcitas, & in mendicando temperantia.

Pecuniæ, & rerum omnium cõtemptor eximius.

In assiduis expeditionibus Lanuzæ paupertas mirum in modum enituit.

Quàm incommodè, viliter, inornatéq; habitaret.

Suarum concionum volumen a se removet, & in Bibliotheca reponit.

Digitized by Google

lapis, quo mediterranei Siciliæ montes abundant. Ejus ope, quasi tenuissimo vitro obducto, papyraceas imagines illuminabat, & ad splendorem adducebat, quo essent optatiores. Hic nullius pretii lapis, Aloysii curas omnes, dies, noctesque solicitabat: nam cur eà re non careret, quæ esset minimè necessaria, & quam intelligeret sibi esse carissimam? Consuluit primùm Messanæ quum esset, Mamertinæ Domùs Antistitem; ab eoque edoctus, nihil esse quod vereretur, penes se lapidem retinere, cujus usus, etsi necessitate carebat, haberet tamen utilitatem, & honestatem, quæ religioni, & muneri suo serviret; neque privatum: sed commune commodum præseferret, quod sacris imaginibus pretium faceret, easque redderet cariores, non nihil acquievit: sed ut Panormum venit, ad easdem rediit dubitationum ambages; adiitque, qui Domui præerat, Cæsarem Boschum, doctorem suum, virum æquè doctum, ac sapientem, rerum suarum ab adolescentia cognitorem. Boschus tanti viri ambiguitati nonnihil concedendum ratus, lapidem ad se ferri jussit, eumque recepit. Tum, *lapide hoc*, inquit, *te jam abdicâsti. Nunc eo me tibi commodare volo, atque ita utendum dare, ut alienum esse memineris, & ad nutum repetentibus reddere*. Visa est Aloysio optima conditio. At quum nemo repeteret, suspicari cœpit, Boschum amicitiæ magis, quàm disciplinæ indulsisse: quare quum is magistratu abiisset, lapidem apud se esse noluit, & Fratri, qui proximè habitabat, servandum præbuit, ut omnibus usui esset.

Religione angitur, quòd apud se ex fossili gypso lapidem retinet.

Tandem eo se abdicat, & alteri servandum præbet.

XLIV. Quod ad pudicitiam attinet, nihil eo fuit, aut in ea tuenda religiosius, aut in asserenda constantius. Corporis, & animi integritatem neque unquam violavit, neque in periculum aliquando adduxit, neque ausæ sunt malæ furiæ fœdis imaginibus, aut aculeis impetere. Vitam propterea duxit adeo candidam, atque sinceram, ut nullum senserit titillantis naturæ desiderium, & venerem appetentis. Ea in re consensisse constat quotquot ei accuratissimè confitenti dederunt aures, & res ejus omnes intimè nôrunt. Summo enim concentu testati sunt, deprehendisse se in Aloysii & pueri, & senis moribus ætherearum mentium munditiam, & elegantiam ab omni corporis fæce remotam. Tanta ejus erat adolescentis, & venustate præstantis oris honestas, & verecundia, ut exhalaret mira quædam fragrantia castitatis, quæ intuentium oculos, menteque componeret, & pulcherrimæ virtutis amores excitaret. Neque tamen se unquam ab hoste, atque insidiis tutum putavit. Pauciſſimos comperio il-

Virginalis Aloysii innocētia pluribus commendatur.

Quibus potissimùm artibus pudicitiam asserverit.

BIBLIOTECA

Digitized by Google

lustres sanctitate viros, qui tot ab immundo olim, fœdoque corpore pœnas exegerint, quot Aloysius ab innoxio, puroque flagitavit. Adolescentis pupillas nemo vidit. Senex asserere non dubitavit, in ullius feminæ faciem se nunquam oculos conjecisse. Nobilium Matronarum colloquia obfirmatè refugiebat, & si expiationis gratiâ aures ejus flagitare se dicerent, eas ad Socios rejiciebat & doctiores, & meliores. Audiebat nihilominus interdum mulierculas, quæ questu corporis meruissent, eatenus tamen, quoad eruditas, & ad expiationem idoneas, ad Socios ablegaret, nè sinceræ, puræque aures turpissimarum obscenitatum narratione laborarent. Quæ quum Messanæ Matrona princeps comperisset, quæ nullis precibus colloquium ejus impetrare potuerat, vilem, obsoletamque induit pallam, & Aloysio nunciari mandavit, adesse infimæ sortis mulierem, tristem, & pudibundam, quæ a licentia ad honestatem redire cupiens, aures ejus flagitabat. Advolavit Aloysius, & in cathedra ad expiationem designata, se ad auscultandum composuit. Sed ut primam Matronæ vocem accepit, fraude, Dei admonitu, perspectâ, repentè surrexit, seque inde proripuit, & attonitam reliquit. Ad eas decumbentes accersitus, negabat, se velle accedere, quòd non deessent Sacerdotes quamplurimi apprimè sapientes, & probi, qui eis præsto esse certarent; sibique vacuas, & sine ingentium defatigatione scalarum, humiles casas relinquerent. Jussus autem a majoribus, magnas earum subire domos, acuminatas arctiùs adducebat catenas, quæ doloris sensu admonerent, ut quantociùs se reciperet. Quod si majores eum deducerent, tum verò quasi pudoris tutorem nactus, posita metu, properationi parcebat, & diutiùs detineri patiebatur. Prostitutas autem nunquam sine arbitris est allocutus, nec nisi stans, & ita aversus, ut neque adspicere, neque adspici posset. Admirabilem hanc, & planè singularem pudicitiæ tutelam ostento Deus ratam habuit. Prætereuntem honesta mulier ad januam expectabat, quum infans ex superiore contabulatione ad matrem prorepens, ex scalis ad imum, præcipiti casu decidit. Recipit mater exanimem, contuso capite, atque diffracto, & magnis clamoribus ad Aloysium defert, rogatque, ut dolori suo medeatur. Ille utriusque ærumnam commiseratus, manum cruento capiti admovit, quòd marem infantem crederet: hic tamen supremos edere anhelitus, & in ipso attactu extinguendus videbatur. Aloysius interea id, quod erat suspicatus, matrem requirit, numquid ea sit femella? Affirmat mater. Tunc

Aloy-

Mulierum consuetudinem, & præsertim Matronarũ, quàm obfirmatè refugerit.

Ea de re memorabile exemplũ.

Numquàm eas, nisi a majoribus jussus, vel ab iisdem deductus adit.

Ejus pudicitiã ostẽto Deus ratam habet.

Femellæ diffracto capiti, chartâ interpositâ, manum adhibet, & vulnus evanescit.

Digitized by Google

Aloysius errore perculsus, ac pudore suffusus, manum illico subducit; epistolam sinu effert, explicatam capiti imponit; deinde manum adhibet. Eo contactu puella repentè convaluit, & ridens, atque exultans e sinu matris exiluit: capite autem abluto, nè vestigia quidem contusionum, & vulnerum reperta sunt. Memorandum sanè cautionis exemplum!

Antoninus Antenorus, manùs ejus contactu, assiduis luxuriæ stimulis liberatur.

XLV. Plurima quoque extant eximiæ Aloysii castitatis de cœlo testimonia. Pauca expromam. Urebatur perpetuis furentis naturæ igniculis Antoninus Antenorus nobilis Agrigentinus, qui adolescens sacris litteris animum appulerat in Collegio Panormitano, neque assiduis religionibus, neque ullo corporis cruciatu molestiam, & periculum redimebat. Itaque quum intestino conflictu vehementius premeretur, Aloysium quærit, & sacris indumentis ornatum reperit, ac paratum ad immolandum. Aloysius accedentem occupat, sacrificii tempus excusat, quominus aures præbeat: *Sed teneo*, inquit, *jam, quare ad me venias*. Tum manu caput appetit, & verticem cruce signat. Ex eo tempore Antenorus nullam veneris urticam expertus est. Atque hic est ille Antoninus Antenorus, qui Sacerdotio initiatus, Aloysio plurimùm adnitente, Sancti Philippi Nerii Domum in Patria condidit, & in ea magistratum gerens decessit. Catanæ quum Aloysius in Collegium rediret, addidit ei se comitem officii causà, Sacerdos multos jam annos obscœnis impeditus amoribus, & voluptatibus inquinatus. Sensit Aloysius intolerabilem veneris fœtorem, & quum scalas unà conscenderent, exclamavit: *O teterrimum putridæ carnis odorem! O sentinam! O pestem!* Deinde Sacerdotem arctè complexus sinui admovit, & e vestigio dimisit. Ille autem amplexus Sacerdotem ita finxit interiùs, atque conflavit, ut quamdiu vixit, nullum ampliùs concupiscentis naturæ desiderium pati consueverit, seque miraretur, a veneris irritamentis adeo alienum, ut si careret corpore animus, vel corpus gereret cœlesti prorsùs argillà compactum. Triennio ferè ante fatum, quum in Salemitani Collegii Templo per Christiani jejunii ferias concionaretur, exiit a prandio, ut magnum misericordiæ negotium administraret, sibique viæ comitem adjunxit pium Sacerdotem, sed veneris uredini obnoxium: cum verò diem, ut B. Francisco Xaverio contigisse legimus, Deus uni sibi impensum voluit. Nam Aloysius, divino ardore incitatus, & a sensu abstractus, ut si a corpore animus secessisset, per oppidum temere vagari cœpit, & jam suspiciens, jam suspirans, jam nonnulla secum murmurans, modò consistens,

Antenori merita obiter recensentur.

Sacerdos obscœnis impeditus amoribus, ejus complexu a veneris irritamentis eximitur.

Divinæ caritatis æstu incitatus, insanienti similis errat, agitur, vagatur.

& expassis brachiis, oculos in cœlum dirigens, modò vestem ante pectus revellens, denique extra portas raptus tumulum conscendit, ibique toto se jactans corpore, & planè colliquescens, quasi eam cœli regionem diductam, & reseratam oculis cerneret, & eò tendere conniteretur, exclamabat: *Paradisus, Paradisus, o pulcherrimam, o beatissimam Patriam!* Itaque collucentibus jam astris, re infectâ, domum se recepit, & ad januam Sacerdoti gratias egit, quòd inanem laborem suscepisset; tum ejus collo brachia injiciens, caput pectori admovit, aitque: *En habes in hoc amplexu, optatissimum laboris præmium*; & cum his verbis commeatum dedit. Sacerdos autem post dies aliquot animadvertit, alium se esse, quàm antea fuisset, atque ex eo complexu nedum extinctas luxuriæ faces, & deletas imagines; sed naturæ appetitum, in nauseam, & horrorem migrâsse.

Sacerdotem, quem sibi viæ comitem adjûxerat, impuris obnoxium cogitationibus liberat.

XLVI. Sed inter maximas Aloysii virtutes principatum tenuit obedientia, quam a primo tirocinio ad extrema veteranorum stipendia ita coluit, ut nihil vellet, nihil nollet, nisi quod majoribus placuisset, quorum non modò verebatur jussa, tamquam ex ipso Christi ore missa, sed etiam nutus intuebatur, cæco quodam obtemperandi studio, quæcunque, & quandocunque præciperent, aut aliquâ ratione fieri velle ostenderent. Duos sibi constituit obedientiæ veluti cardines, quibus universa incumberet parendi disciplina. Primus erat, ut animus utroque careret oculo: judicio scilicet, & voluntate. Alter, ut cœlestium more animarum, quæ Deus per homines juberet, ea sine mentis recusatione, & cum voluptate præstaret. Majoribus itaque suis, se fingendum, & quocunque vellent, ducendum tradidit, & jumenti instar agendum. Quum primùm anno 1637, Messanam in summo jejunio concionum gratiâ venit, nunquam antea auditus, & nonnisi famâ, vel rumore potiùs aliquo cognitus, P. Livius Trigona, qui Domui præerat, inter colloquendum illud obiter jecit, non placere Mamertinis lymphatos propemodum concionatores, qui plus nimio debaccharentur, & Christi e cruce pendentis signum, histrionum more, in suggesto jactarent. Id satis fuit Aloysio, ut novum institueret dicendi genus, placidum, atque pacatum; quare populus dilabi cœpit, & paucos post dies, mira facta est solitudo, quòd tanti nominis concionator, expectationem civitatis fefellisset. Ille nihilominus lætus, & silens in officio præstabat, quamvis ad eam audientium paucitatem perveniisset, ut nè conciones intermitteret, Collegii Mamertini gymnasia quoti-

Obtemperandi consuetudine in paucis eminet.

Obedientiæ ejus illustria monumenta.

Messanæ concionaturũ, majores, ut placidas adhibeat actiones hortantur.

Digitized by Google

tidie, ad supplendam subselliorum inanitatem solverentur. Querentibus autem domesticis, & cum eo expostulantibus, quòd levissimis orationibus fugaret populum, & commune fraudaret desiderium actionum suarum, quas totà fermè Siciliâ, vehementes, & divino quodam furore concitatas habuisset, ut quid rei esset, cur eas Messanæ non expromeret, nemo satis miraretur; Aloysius denique amicum acriùs urgentem sine arbitris nactus: *Deus*, inquit, *qui concionum mearum non eget, non alium a me poscit laboris mei fructum, præterquam Concionantis obedientiam; quandoquidem per eum, qui præest, mihi est de cœlo significatum, non aliam Deo placere concionandi rationem.* Quod quum ad Trigonam perlatum esset, verborum, quæ ex ore ejus temere exciderant planè immemorem, succurrit illico, ea se dixisse, & Aloysio dedisse causam, cur sibi vim inferret, & eloquentiæ impetum contineret; quare ad eum advolavit, monuitque: *Velle se quæ dixisset ita accipi, ut integrum ei esset, atque solutum, ut videretur, facundiam exerere, & sacrum præconium administrare.* Aloysius itaque sibi redditus, torrentis instar, qui diu retentus, fractis arginibus vehementiùs irrumpit, populum Mamertinum usque eò concitavit, ut alterà concione cives redundarent; deinceps verò, sideribus nondum extinctis, valvæ obsiderentur, & certatim subsellia caperentur. Quod Pellizzerius exponens ad annum 1637 tradit, tantam fuisse hominum frequentiam, quanta post seniorum memoriam, nunquam antea fuisset.

Obedit Aloysius, & ad maximam pervenit audientium paucitatem.

Ut ejus rei causas majoribus exponat, domesticis adhortãtibus, ejus dictũ obedientiæ plenum.

Factâ copiâ, ad suum pristinum dicendi modum redit, & exinde ad conciones ejus cõcursus incredibilis.

Pellizzer. Chronol. Dom. Prof. Messan. ad ann. 1637. pag. 245.

XLVII. Quum apud Leontinos in jejunio concionaretur, redditæ sunt Provinciæ Antistitis litteræ, in quibus erat, velle se, ut exactis concionibus, Panormum redire festinaret: atque *utinam* addebatur, *alas haberes, ut ad nos evolares, potiùs, quàm venires!* Aloysius ad hæc mandata nihil sibi reliqui ad properationem fecit: Nam post supremam Concionem, ut ex suggesto descendit, ita ut erat defatigatus, & sudore manans, nullis sociorum, & confertissimi populi precibus, lacrimis, obtestationibus cohiberi potuit, quin statim equum conscenderet, & quinque dierum iter aggrederetur, tantà celeritate, ut præter consuetudinem calcaria acerrimè adhiberet, & jumentum quasi ad volandum adigeret. Illustrius habet exemplum quod sequitur. Sub exitum Bacchanalium feriarum saluberrimam Calatavulturii agitabat expeditionem, quum Provinciæ Rectoris afferuntur litteræ; quibus jubebatur Panormum venire, ut in proximo jejunio, hispa-

Unum, & alterum memorabile obedientiæ ejus exemplum.

Digitized by Google

ſpanica oratione, apud palatinum Sacellum, ad Proregis uxorem verba faceret. Impetrârunt ab Aloyſio ſocii, ut reſcriberet, quanto religionis, & animarum ſalutis detrimento inſtitutam abrumperet expeditionem, eaque de re graves ad Proregem ipſum daret litteras; ſed nullis rationibus ei perſuaſerunt, ut expectaret, dum reſponſa afferrentur: nam furente etiam tempeſtate, ſub graviſſimo nimbo, ſtatim viæ ſe commiſit, nequicquam exclamantibus, magno cum fletu, oppidanis: *Quò ruis ad mortem Pater, difficillimis itineribus, ſæviente procellâ, fluminibus redundantibus?* Emenſo per imbres, nives, torrentes, & gelidiſſimos aquilones, itinere plerunque alpeſtri, ad Thermas Himerenſes, multâ jam nocte pervenit, eò uſque algens, & madidus, ut nè vox quidem, præter animam, eſſet reliqua. Itaque per manus ex equo receptus, & quum pedibus non conſiſteret, ad cubandum delatus, ægrè tertio demum die, domeſticorum curâ eſt recreatus in Collegio Thermitano, ubi poſtridie redditæ ſunt Panormo per nuncium litteræ, quibus commutato conſilio monebatur, nè ſuſceptam expeditionem intermitteret: quare Catalavulturium quinto die regreſſus eſt, maximè lætus, quòd non mediocrem obedientiæ fructum cepiſſet. Eximium quoque eſt illud, quod in æde principe Panormitana contigiſſe conſtat. Quum enim ibi frequentiſſimo populo verba faceret, in ipſo æſtu concionis, temere admonitus eſt a Fratre, qui concionanti miniſtrabat, adeſſe nuncium, quo a majoribus juberetur, ægrotanti, ac flagitanti Proregi ſtatim adeſſe. Aloyſius, ut audivit jubentis vocem, capite confeſtim demiſſo, nullum prætera verbum addidit, quo ſaltem ſilendi neceſſitudinem excuſaret, & è ſuggeſto ad Proregem rectà contendit: objurgatuſque, quòd vir provectæ jam ætatis, & domeſticarum rerum non ignarus, non cogitâſſet, fratrem in afferendo nuncio titubâſſe, & majoribus in mentem non veniſſe, ut concionem ad exitum non perduceret, reſpondit: *Sui conſilii non eſſe, majorum voluntates perſcrutatione interpretari; malle ſe ad nudam, & ſimplicem obedientiam obſequium afferre, quàm judicium; ita ſe habere diviſam cum majoribus ſuis obedientiæ adminiſtrationem; ut illi quòd juberent, cogitarent, ipſe nihil cogitans obſequeretur. Hanc eſſe tutam, & facilem obedientiæ partem, illam arduam, & ancipitem. Cur ergo alienum ſibi onus, & periculi plenum arrogaret?* His, aliiſque hujuſmodi exemplis cognitum eſt, quàm accuratè Aloyſio præcipere oporteret, qui nullum ſibi arbitrium, aut conſilium reliquiſſet.

A Majoribus Panormum vocatus, ſalubrrimam Calatavulturii expeditionem abrumpit, & furente tempeſtate, viæ ſe committit.

Ejus in eo itinere labores, & incommoda.

Dum adhuc Thermis vires reficit, iterum Calatavulturiũ remittitur.

Inter concionandum a Majoribus aliò accerſitus, ſtatim concionem abrumpit.

Memorabile ejus dictum exẽpli plenum.

In

Digitized by Google

XLVIII. In dubiis etiam rebus, quæ vel ad suos, vel ad aliorum mores pertinerent, ad eos, qui cum potestate præerant, confugiebat, eorumque opinionem, ut ab oraculo pronunciatam, sequebatur. Quod si quis ab Aloysio requisitus, momenta rationum expenderet, & quæ utrinque disceptarentur, versaret, exponeretque Doctorum placita, Aloysius suavissimè reponebat: *Nolo scientiam, volo obedientiam.* In expeditionibus, quas quum potestate gerebat, socios, quibus præerat, ut majores verebatur, nihilque tam studebat, quàm omnibus in rebus eis morem gerere, quos adjutores, & officii sui monitores tanti faciebat, ut ipse potestatem nomine gereret, illi exercere cogerentur. Quare sive de itineribus, sive de concionibus, sive de alia ex aliis expeditione statuendum esset, nihil unquam ipsis, aut invitis, aut insciis, aut inconsultis per se decrevit, gaudebatque peritissimus senex ab inexpertis, & junioribus duci, atque ab eorum nutu pendere, quamvis res imperitorum consilio administratæ, secus plerunque caderent, quàm rei bene gerendæ ratio postularet. Ut eis morem gereret, contra quàm sibi videretur, pernoctavit aliquando, vel sub divo, vel sub arbore, vel jejunus, interdum coactus est impeditissimas tranare paludes, non semel ingentia flumina sine vado transmittere: neque tamen obtemperandi cupidum, sive pericula, sive incommoda deterruerunt, quominus in aliorum arbitrio deinceps libentissimè conquiesceret. Hospites quoque, apud quos diversabatur, ita colebat, ut filius Patremfamilias. Quod quum Sociis perspectum esset, neque auderent ipsi, quæ ad commoda ejus attinerent, ei præscribere; hospites admonebant, ut ex obedientia mandarent, nè humi cubaret, nè incœnatus secederet, nè se tamdiu flagris cæderet. Mirum autem erat, quàm ille nudum, & vacuum obedientiæ nomen vereretur. Verùm supremis quatuor vitæ mensibus magnum Aloysius aperuit in Domo Panormitana obedientiæ theatrum. Gerebat ibi inferiorem sub P. Joanne Onuphrio magistratum Minister, junior nescio quis, exactis qui paulò ante in Collegio Romano studiis, in Provinciam, ex qua adolescentulus abierat, regressus, quum de Aloysii sibi parum cogniti virtutibus magnopere prædicaretur, juvenili arrogantiâ, probatissimi senis patientiam modis omnibus cœpit lacessere, eo potissimum nomine, ut periclitaretur, si quid ei inesset veræ, intimæque probitatis. Publicis, privatisque reprehensionibus innoxium coarguebat; ad se assiduè, ut consueverat accedentem, nè quid nisi ex obedientia faceret re-

Alia obedientiæ ejus illustria facinora.

Suarum excursionum Sociis, quibus præerat, mirificè obedit, & in eorum arbitrio conquiescis.

Erga suos hospites ejus obedientia singularis.

Quales in Domo Panormitana sustinuerit insectationes.

Quas ob causas a Censore Domùs Panormitanæ contumeliosè habeatur.

repellebat mirà acerbitate verborum. *Quid vellet? cur singulis horis occupatum, & curis distentum interpellaret, neque ullam requiem concederet? Sibi non vacare otiosi senis perpetuas audire ineptias. Rediret post horam. Novum planè sanctitatis genus! arbitratu suo vivere; & quidquid collibuisset, veniam petere, ut impunè liceret, & probitatis famam aucuparetur.* Domo exeundi potestatem perraro faciebat; Socium aliquando designabat, qui Domi non esset, ut miserum senem, disquirendo delassaret; & actuosum hominem, horis ferè singulis ad caritatis officia accersitum ludificaret, & domi contineret. Aloysius verò nihil unquam questus ad eum patienter redire nunquam destitit; objurganti gratias agere, laudare disciplinæ tuendæ studium; iratum, aut alienatum animum nunquam ostendere; repulsas hilari vultu excipere; nullam honoris, benevolentiæ, existimationis significationem prætermittere; neque tamen hominem unquam pacavit, aut delinivit, quin inimico propemodum animo secum ageret. Quod quum domestici omnes, sed præcipuè seniores indignè ferrent, non defuit ex horum numero, qui commiseratione commotus Aloysium requireret: *Quid esset, quòd talem, ac tantam emeritæ senectutis ignominiam ab juniore perferret? Cur communem seniorum causam non susciperet? Cur non Domus, aut Provinciæ Antistitem adiret?* Aloysius ad ea quasi monstrum audiret, exhorruit, dicentem interpellavit, utramque manum ad aures obserandas adduxit, seque ab ejus conspectu proripuit exclamans: *Posuerunt in cœlum os suum*, & silendi, sustinendique constantiam ad mortem usque retinuit; cui quum esset jam proximus, ab expeditionum Sociis plurimùm requisitus, ut commilitones, & laborum hæredes supremis verbis alloqueretur; denique ait: *Sit obedientia ductrix, comes, atque consultrix expeditionum vestrarum. Hanc qui ex animo sequitur, majora efficiet, quàm qua humanis viribus fieri possunt. Qui verò arbitratu suo agere velit, evertet divina consilia; & salutem neque propriam, neque alienam administraverit.* His obedientiæ elementis vitam instituit, & clausit.

Ejus, in ferendis æquo animo adversis, patientia, & admirabilis temperantia.

Ea de causa, ut superiores adeat adhortātea, voce, & exēplo redarguit.

Psalm. 72.

Ejus de obedientia ad expeditionum socios ultima oratio.

IL. Gratuitam propterea, & planè divinam futurorum scientiam, quam nemo mortalium promereri unquam potuit, non indignus tamen fuit Aloysius, qui familiarem haberet, & ferè quotidianam assequeretur. Ex infinitis exemplis, præter ea, quæ sunt hactenus demonstrata, pauca subjiciam, & ea in primis, quæ feralis exitus excepit, & comprobavit. Sacrum

Lanuzæ futurorum scientia, ac vaticinia.

apud

apud Leontinos exercebat præconium, quum imbres maximi tamdiu, tantàque vi incesserunt, ut non modò ager, sed oppidum quoque humilioribus in locis mergeretur. Postridie Aloysius sic pro suggesto orsus est. *Numquid Leontini Deum iratum negligitis? Risistis aquarum suplicium, neque vos ad salutis studia convertit mersum cum agris oppidum. Non deerunt in cœlesti armamentario graviora supplicia. Applicat jam magni finis jejunii. Terrebit certè vos dies suprema Christi Cœna consecratus. Videbitis jam, videbitis, quid afferet ea lux; imò potiùs ea nox.* Obnuntianti Aloysio fidem fecit eventus insigniter memorabilis; nam eo ipso die, quem ille indicaverat, prope quartam noctis horam, terra movit, & tanto impetu ædificia concussit, atque oppidanos perterruit, ut eo temporis momento evertendum a fundamentis oppidum, atque omnino delendum videretur. Adventum Aloysii ferre non poterat improbus quidam Sacerdos, olenti veneris pice inquinatus; & antè digressus, quàm ille adesset. Sed graves fugientem Aloysii litteræ sunt consecutæ, quibus monebatur: *Nè cunctaretur eòdem remigrare: nam quæ eum fuga ab irati Dei potestate, ac pœnâ subduceret, quam non procul abesse denuntiabat?* Litteras ille, quasi obtrecta torum operà extortas, & manibus concerpere, ausus est, & pedibus conculcare: sed mense nondum exacto, eo ipso in loco, quo litteras conculcaverat, ab inimico ad necem petitus, & semel, atque iterum gravissimè sicà confossus, vaticinationem agnovit, & temeritatis suæ pœnas dedit. Panormi obvium juvenem acerrimè conspicatus, jussit actutum expiare animi maculas, quòd in magno vitæ discrimine versaretur. Expiatum, & ad se, reversum, de gravissimo qui impenderet casu, insignitè edocet; monet, nè imparatus fato occurrat; denique fore edicit, ut & cœlesti Pane recreatus, & religiosè inunctus decedat. Ea omnia altero ab inde mense contigere: Juvenis enim nocturnis insidiis ab inimico appetitus, & læthali vulnere saucius, atque accersito Aloysio, religionibus summis lustratus, postridie diem obiit. Ad insignem formà, atque impudentià lupam, quæ Panormitanam juventutem ad insaniam adegerat, misit Aloysius, qui significaret, paratam se habere dotem, aut alimenta, seu vellet nuptum ire, sive secedere, modò a turpi questu desisteret; ac dum nuntius ea perferret, ipse in via quid ea responderet, præstolabatur. At obsceniissima mulier, ut nuncium audivit, cognovitque in via esse Aloysium *quid opus est*, ait, *internunciis*, atque incredibili audacià, ex

Die, quẽ Aloysius prænunciaverat, terra movet, & Leontinos terret.

Impendentem Dei iram improbo Sacerdoti litteris denũtiat.

De gravissimo casu obvium juvenem Panormi edocet.

Impudenti fœminæ, in Aloysium debacchãti proximum, ac funestũ exitium portendit.

feneſtra Aloyſio conviciari cœpit: & *quàm rectiùs*, inquit, *tibi conſuleres, neque alienarum rerum ſatageres. Equidem non ut tibi placet, ſed ut mihi maximè ſedet, vivere malo.* Ad ea Aloyſius: *O miſeram! paucos intra dies intelliges, quàm ſtultè agas, atque loquaris.* Illa autem octavo die intellexit, quum apoplexiâ icta eſt, & repentino fato perempta. Ad morientem Sacerdotem accerſitus, offendit prope fores fabrum tignarium, planè incolumem, & ante officinam ad opus incumbentem, cui præteriens in aurem inſuſurravit: *Propera quaſo te, explicare rationes animi, quoniam tridui ſpatio es periturus.* Faber tanquam cœleſti voce admonitus, extemplo culpas omnes expiavit, concubinam duxit, liberos ex ea ſuſceptos, matrimonio ſuos eſſe declaravit, & poſtridie febriculâ correptus, tertio die extinctus eſt. P. Franciſcum Balſamum Meſſanenſem, ex Syracuſano ad Mamertinæ Domùs magiſtratum properantem, & ex itinere Catanæ leviter decumbentem, licèt robuſtum, & quinquagenario minorem, ſtatim ac vidit Aloyſius, proximæ mortis nuncium attulit, inquiens: *Requiem æternam dona ei Domine.* Inopinatum oraculum paucos poſt dies, anno 1634, Balſami mors excepit, qui cum fatalis dies appropinquaret æternarum rerum curâ jactatus: *Video*, ait, *ut res humanas longè aliter ſe habere, quàm hactenus exiſtimavi.*

Illa apoplexiâ icta, repentino fato perimitur.

Faber ad incolumis eſſe de proximo fato admonetur, & reſipiſcit.

P. Franciſco Balſamo proximæ mortis nuncium affert.

L. Septennio ante mortem, anno nimirum 1649, ad P. Franciſcum Sparacinum intimè amicum, & morum ſimilitudine maximè neceſſarium, officioſas, præter conſuetudinem dedit litteras, quibus ab eo commeatum petebat, quòd quum Panormo abeſſet, eum non eſſet ampliùs ante mortem viſurus. Putavit Sparacinus, imminere Aloyſio fatum, & magno animi ſenſu, litteras ejus familiaribus oſtendebat. Sed vaticinationem ipſe implevit, qui ante menſem deceſſit, ut ad annum 1649. Inferiores in Provincia tradebat litteras domeſticus adoleſcens Antonius Politius. Mater ejus ab Aloyſio requiſivit, ut valeret filius Antonius; cui ille: *Antonius tres item annos docendis impendet adoleſcentibus, deinde ſacris litteris dabit operam, & Sacerdotio initiatus evolabit, evolabit.* Quod quum illa non intelligeret; Aloyſius ſuſpiciens, digito cœlum indicavit. Ea omnia cum eventu congruiſſe conſtat: mater enim poſt ſexennium, filium Sacerdotio recens inauguratum luxit anno 1637. Quum in atrio Domùs Panormitanæ aulæ ad januam interiorem concameratio urgeretur, Aloyſius ſtructores nactus unà accumbentes, *fore*

P. Franciſco Sparacino imminẽtem exitũ litteris obſcurè ſignificat.

Antonium Politiũ poſt ſexennium moriturum Matri prænunciat.

pra-

Digitized by Google

prænunciavit, ut ex prandentibus unus eo die præceps ex alto rueret; atque ut oraculo fidem adstrueret, & omnes ad expiationem excitaret, appositum acetum, digito immisso, delibavit, & in optimum vinum convertit. Eodem die paulò ante noctem, structor fallente vestigio, ex ponte decidit exanimatus, & post alteram horam ex casu peremptus est. Messanæ duos ad se delatos adolescentulos, alterum cæcitate, alterum macie laborantem, ut vidit: *Paradisus, Paradisus*, exclamavit; & mox uterque fato est interceptus. In area templi Paulani extra mœnia Panormitana incurrit Aloysius in Petrum Sanchez de Prado, classiariorum Præfectum, cui commeatum petenti, quòd esset postridie Messanam navigaturus, ut ibi classem conscenderet, inculcavit, nè prætermitteret Deo se conciliare, quoniam triremis, quæ a Proregis titulo *Infantada* dicebatur, ipsum esset vectura, eaque cœlestibus odiis erat obnoxia, propter nefanda flagitia, quæ in ea patrabantur. Petrus expiationem facilè pollicitus, negavit tamen sibi cum *Infantada* rem esse, qui jussus fuisset a Sancto Alberto dictam triremem, cum cohorte conscendere. Aloysius verò in dicto perstat, & ter ingeminat, *Infantada te vehet, quam fluctus haurient, tu pessimè tibi consuleris, nisi ante naufragium, & tantum vitæ discrimen cum Deo in gratiam redieris*. Petrus culpis omnibus apud eum accuratè expiatis, ut Messanam appulit, *Infantadam* sibi novo consilio designatam comperit, eamque conscendere coactus Messanà solvit, malis avibus: Nam ea triremis undecimo Calendas Martias, anno 1653, de prima vigilia, sub Ligurini portùs aditum in cæcum incidit saxum, cujus percussu fatiscente prorà, eatenus aquam bibit, quoad paulatim depressa est. Panormum initio incertis rumoribus allatum est, periisse triremem cum remigibus, & classiariis. Magnus propterea ad Aloysium factus est conjugum, & consanguineorum concursus, postulantium, ut naufragorum manes sacrificiis, & precibus sublevaret. Ille non oportere respondit, quòd eo naufragio remiges omnino decem, catenis ad proram illigati interierint: reliquos omnes esse incolumes, & propediem Panormum fore reduces non dubitarent. Inter hæc Franciscus Alexander de genero valde sollicitus, qui in naufragorum numero erat, prætereuntem Aloysium sequens, & ponè appellans, rogabat ut paulisper consisteret; Aloysius nihilo secius procedens, respexit tamen, aitque: *Numquid de triremè? salvus est, salvus est*. Post dies aliquot Panormum

Gravem structoris ex alto casum prædicit, & Vaticiniū ostento cō firmat.

Petrum Sanchez ad culparum expiationem hortatur, & futurum naufragium prædicit.

Eventus vaticinio congruit.

Naufragorum numerum Panormi pronunciat, eosque propediem Panormū reduces fore pollicetur.

remigrârunt, præter decem, naufragi omnes, quorum plerique teſtabantur, ſibi quoque ab Aloyſio prænunciata, quæ poſtmodum contigere, depreſſæ triremis infortunia, ut ſupplices religionibus ea caverent.

Alia Lanuzæ triſtiora vaticinia referûtur.

LI. Quoniam verò infinitum eſſet, ſingula perſequi, quæ apud ſcriptores rerum ejus geſtarum ſunt adnotata, triſtiora tantùm quædam, notabili exitu illuſtrata non prætermittam. Eo ipſo anno, & propemodum menſe, quo Aloyſius vitam clauſit, obambulantem in area Domùs Panormitanæ Cæſarem Caccamiſium, totâ ferè Italiâ notiſſimum eà ætate ludionem convenit, dixitque: *Cur te non reſpicis aliquando, Fili? Deſine hiſtrioniam facere, flagitii, atque impudentiæ plenam artem. Quod ſi mihi non auſcultas; mors te manet eò uſque terrifica, & memorabilis, ut tam æqualibus ſpectaculo, quàm poſteris exemplo, ſis futurus. Ampliat tibi Deus vitæ ſpatium ad annum uſque duodecimum, ut tibi proſpicias, atque iræ cæleſti ſatisfacias. Vide, amabo te, nè tantam negligas divinæ clementiæ abundantiam: quoniam repentino fato e vita migrabis.* Menſe vixdum elapſo, Cæſarem conſpicatus, cum Nobilibus confabulantem ſevocavit, atque eadem recinens, per Deum rogavit, ut theatro, ac ſcænâ abſtineret, nè & ipſe triſtis, ac digna pulpito fabula fieret. Ad amicos regreſſum, & jocis, atque facetiis quæ audierat ridentem, Aloyſius tertiùm aggreditur, & minacibus oculis, irato vultu, elatâ voce, coram, & palam, ut omnes exaudirent, eadem inculcat, ac deriſorem exterret: neque tamen contumaciam frangit. Excurrebat jam anni duodecimi ſupremus menſis; quum Cæſar Hyacintho Floriſio de Aloyſii vaticinatione narravit, adjecitque: *Mirum quantum mihi placeo, quod conſuetas Jeſuitarum nugas, & nanias ſim aſpernatus! Appetit jam exitus annorum duodecim, neque umquam tamen tam integrâ uſus ſum valetudine. Quid ſi diram obnuntiationem non neglexiſſem? fatua credulitas longè ante annum duodecimum, me dirarum metu necâſſet. Nunc vivo, & valeo; & nugaciſſimi hominis minas nihil moror.* Die abinde ſexto, XIII. Calendas Decembres, anno 1668, novam Cæſar, & magno ſtudio elaboratam dedit fabulam, ac maximo univerſæ nobilitatis concurſu celebratam, cujus is erat exitus, ut ipſe ad ſingulare certamen inimicum laceſſeret, & in conflictu necatus, a furiis in orcum raperetur. Itaque pro mimo, & ludicro, verum dedit tragædiæ argumentum. Nam quum ſtricto enſe prodiret, apoplexiâ re-

Cæſarem Caccamiſiũ ludionem hortatur, ut reſipiſcat, & ſcenâ abſtineat.

Tertiùm aggreditur, eumque de repentino fato admonet, & exterret.

Aloyſii vaticinationes Cæſar Hyacintho Floriſio narrat, & ridet.

Quum fabulam populo daret, apoplexiâ correptus, repentè extinguitur.

Digitized by Google

repentè percussus cecidit, & a duobus adolescentibus, qui furias simulabant sublevatus, in eorum complexu, *Hei mihi!* exclamans, expiravit; ac perterritis tam insigni casu, fugatisque spectatoribus, proterviæ, ac temeritatis insaniam ostendit, & vaticinationis fidem supplicio suo illustravit.

LII. Puellam insigni venustate notissimam, quæ magnis amatoribus sui copiam fecerat, & potentium rivalium cruentas alebat inimicitias, adeoque muliebri arrogantiâ audacem, atque superbam, Aloysius Messanæ in Sancti Galli ædiculam ad se venire jussam, coram Sacerdote Dominico Lanza, blandis verbis est adhortatus, *nè diutiùs cœlestem delassaret clementiam, & iram lacesseret. Commendavit oris elegantiam: admonuit tamen, nè tam illustre Dei beneficium in sui, & aliorum perniciem verteret; severis denique obtestationibus tergiversantem, & alia omnia animo volventem obsecravit, ut vitæ brevitatem cogitaret. Adesse finem mortalitatis intelligeret; neque annos, menses, aut dies, sed horas numeraret.* Illa obnuntiantem magno cum cachinno excepit, ac se rectissimè valere dixit, & ut triste augurium in caput ejus recideret, flagitare; neque tamen adhortantis patientiam fregit, neque consumpsit: Nam Aloysius sacerdote, ut nonnihil secederet, admonito, solam allocutus, superioris vitæ seriem omnem exposuit, occultissima quæque significavit, animi recessus, latebrasque aperuit, atque insignitè edixit, proximam noctem fore vitæ supremam, neque totam, & integram; pollicitus est dotem, commoda, senectutem, & fausta omnia, si resipisceret, & vel secessum, vel honestas nuptias optaret. Verùm quum nihil auferret præter repulsam, divino æstu incitatus excanduit, & repentè consurgens, clamavit. *Facesse hinc furia, & furiarum fœdissima. Facesse putridum, ac fœtidum caput, & mortuo cane olentius. Putes tota mephiti. Oles stygiam paludem.* Eà autem abeunte, addidit, *Apage te ab oculis meis devota jam orco victima, actutum te pœnitebit; conclamatum est.* Domum regressa viciniam ex fenestra convocavit, & magnis clamoribus, cùm eos, qui ad Aloysium evocaverant, atque deduxerant, tum Aloysium ipsum incusare non destitit, eumque temulentum senem, & multo mero calentem appellare, donec in ipso æstu clamandi, & conviciandi, stupore, atque furore correpta, & furiis omnibus exagitata, caninum edere cœpit ululatum, qui tota vicinia exaudiretur. Accersitus est è proximo Sancti Galli Sacello idem Sacerdos Dominicus Lanza, ut lymphatam, ac morientem supremis expiaret religionibus.

Prostitutam puellam ad bonam frugẽ adducere conatur.

Aloysii ad eam efficax oratio.

Ut resipisceret, superioris ejus vitæ seriẽ exponit, & proximã mortem significat.

Contumacem gravissimis verbis objurgat, & terret.

In Aloysium debacchantem, & furore correptã mors opprimit.

Digitized by Google

bus. Sed qui testis fuerat proterviæ, & vaticinationis, spectavit etiam utriusque exitum. Vidit enim non feminam sed furiam, extantibus oculis, exertâ linguâ, liventibus genis, ore distorto, duas ferme horas debacchantem, atque latrantem, quoad nigram animam exhalavit. Postridie Aloysio, quæ spectavisset monstra, cum luce nuntiatum venit. Ille accedentem occupavit, aitque: *periit, periit. O miseram! O miseram!* & suspiciens, ac manus ad cœlum tendens, multo cum fletu se recepit.

Eo ipso tempore, quo Aloysius propè Lilybœum versabatur, P. Rascono, Saponariæ se videndum præbet.

LIII. Quo tempore Aloysius Drepanitanam lustrabat jurisdictionem, Lilybœo proximam, & trecentis fere millibus passuum Messanâ diffitam, diluculo repentè se ostendit, anno propemodum 1654, P. Paulino Rasconо Messanensi, prope Saponariam rusticanti, quod est oppidum Messanæ finitimum. Plurimùm gavisus ejus adventu Rasconus, rogavit, unde, & ad quid venisset, aut quò tenderet? Cui Aloysius: *Noli quærere, Pater, quæ ad rem non pertinent. Equidem huc me contuli non alia de causa, nisi te ut facerem certiorem, iratum esse Deum Mamertinis, quibus proinde magna impenderet calamitas, quam Deus communibus lacessitus flagitiis, repræsentare constituerat. Sed intercessit Deipara, sub cujus clientela sunt Mamertini, impetravitque annorum viginti spatium, quo se illi respicerent, & læsi numinis iram sedarent. Quare quantociùs Senatum adire, eumque requirere, nè graveris; ut Civitatem ad publicas interea, privataque religiones excitet, quibus divinam animadversionem avertere, & indignationem lenire studeant Mamertini.* In his verbis Rasconum ea de re disserere cupientem, & percontari instituentem, properationem excusans reliquit, neque usquam ampliùs visus est. Rasconus autem accuratis percunctationibus, quibus domesticos, & universam viciniam fatigavit, reperire non potuit, qui aut venientem Aloysium, aut digredientem vidisset. Postea tamen cognovit, eum Saponariæ se videndum præbuisse, eo ipso tempore, quo prope Lilybœum versabatur. Ardebat eà tempestate plebs Mamertina civilibus odiis, & intestinis fluctibus agebatur, qui deinde in apertam, & publicam erupere seditionem, gravissimo reipublicæ detrimento, anno ferè 1674, qui fuit ab Aloysii ostento vigesimus, quum bellum exarsit Mamertinum, universæ Siciliæ calamitosum, sed præcipuè Messanensibus. Accepit eo ipso anno, ingruentis Mamertini tumultùs, Aloysii vaticinationem ex ipso Rasconi ore

Deum Mamertinis iratum esse, illi prædicit.

Ea de re, ut Senatum admoneat, hortatur.

Eo tempore Mamertinorum tumultus, & exinde publicæ calamitates.

P. An-

Digitized by Google

P. Antoninus Piciotius Messanensis, quum Collegii Mænenini magistratum gereret, extantque primævæ ejus litteræ ad P. Antonium Natalem Catanæ datæ VII Calendas Februarias, anno 1691, ex quibus hausisse me testor, quæ hactenus memoriæ prodenda censui. Quum Politienſibus expiandis saluberrimam daret operam, a sacris Virginibus, crebris nunciis flagitatus, ad eas per meridiem adiit, discumbentes reperit, & ad concionem convocari jussit, atque omnes adesse. Ipse in templi angulo, dum convenirent, de genu supplicabat. Nunciatur, coactum esse conventum, & ad concionem evocatur. Negavit ille initium se dicendi facturum, quoniam abessent aliquæ; quibus conquisitis, & adductis, negavit iterum, prodire se velle, nisi omnes, nullà demptà, confluerent. Recensentur Virgines; deprehenditur, unam desiderari, vetulam, & ægram pedibus, quæ ad ignem in culina sedebat: qua per manus delatà, Aloysius sponte suà surrexit, aitque: *Jam nulla deest.* Sumpsit orationis argumentum ex decem Virginibus, quarum quinque inventæ sunt fatuæ, quinque prudentes; & is fuit exitus: *Vos quinquaginta estis numero Virgines. Ex vobis igitur peribunt quinque, & viginti: totidem sunt ad salutem designatæ.* Tantam obnunciationem, quam vaticinatio præcesserat, summus consecutus est Virginum luctus, & ejulatus, quasi Dei admonitu, de numero salvandarum, & perdendarum edocerentur.

Ejus vaticini, P. Antonini Piciotii testimonium.

Politii Sacras Virgines ad cõcionem convocat; ac semel, & iterum non omnes adesse, prænunciat.

De numero salvandarum, & perdendarum ab Aloysio edocentur.

LIV. Lætiora quoque identidem prædixit. Primum sit, quod sibi contigisse scribit P. Michaël Frazetta, cui anno 1649, peremptoriâ febri laboranti, & ad vitæ exitum properanti in Domo Panormitana, in qua eodem tempore P. Antonium Blandum febricula detinebat; ad fuit Aloysius, & enucleatè significavit, fore, ut ipse convalesceret, Blandus verò propediem e vita migraret; neque aliter cecidit. Ad Thermas Himerenses recens constructum navigium Mercator deducere jam parabat, quum prætereuntem Aloysium rogavit, nè gravaretur, navigio bene precari, eique ad octavum usque annum indemnitatem impetrare. Cui Aloysius morem gerens, adjecit. *Cur non ad usque decimùm? Liceat mihi duos annos de meo addere.* Commissum mari navigium, semper faustissimum tenuit cursum, & a periculo abfuit, donec anno undecimo, tritico onustum prope Oppidum Terrænovæ, lybico furente, fluctibus victum, haustumque est. Tum mercator, subductà annorum ratione, vaticinationis meminit, doluitque beneficii oblivionem in causa fuisse, cur ultra annum decimum, quum Aloysius fidem suam li-

Alia lætiora Lanuzæ vaticinia.

Michaëli Frazettæ sanitatẽ, P. Antonio Blãdo proximam mortem prænũciat.

Mercatori ad Thermas Himerenses, navigii indemnitatem ad decennium pollicetur

liberâſſet, onerariam diſcrimini objecerit, & cum frumento depreſſam amiſerit. Anno 1645, magnis, crebriſque rumoribus jactabatur, adfore propediem Turcarum claſſem, quæ maritima oppida invaderet, agros popularetur, & ſegetes ad maturitatem incumbentes incenderet. Quare totâ Inſulâ trepidabatur, & Panormi potiſſimùm, quam præter murum nullæ munitiones tuentur. Aloyſius interea e ſuggeſto Domûs Panormitanæ: *Nihil eſſe* prænunciavit, *quod ſibi Cives a barbarorum claſſe metuerent: rectiùs timerent ſcelerum agmina, quæ in ampliſſima Civitate graſſarentur, & ex ea tamquam ex capite, in univerſum Regni corpus diffunderentur. Formidarent proinde armatam, omnipotentem, ultricem Dei manum; formidarent quoque ſe ipſos. Non ſolos barbaros habere Deum injuriarum vindices, & ultionis adminiſtros. Flagitia ipſa auctorum ſuorum pœnam eſſe conſuêſſe. Vitia ergo refugerent, & publica pravi moris exempla, ex quibus, ut ex corruptis radicibus inteſtina ſeditiones, civileſque diſcordia pullularent, externo quovis bello deteriores.* Ea omnia idem, & ſequens annus ad veritatis fidem adduxit. Nam Othomanorum arma in Cretam Inſulam evaſere, & bello cretico repentè conflato, exarſere Panormitanæ plebis tumultus, qui ſine multo civium ſanguine reſtingui non potuerunt, & quibus nondùm ſedatis, Aloyſius pro concione populum admonuit, ut meminiſſet, quæ ipſe, anno ſuperiore, de futuris calamitatibus prænunciâſſet, ut caverentur. Vitus Alcamenſis tonſoriæ artis peritus, Aloyſium nactus, qui tondendam barbam præberet, linteolum a tergo occultaverat, quo detonſos pilos exciperet, & ſervaret; quibus congeſtis, Aloyſius ſubridens: *Quid facis*, inquit, *Vite, quid facis? projice illos, ſi ſapis in ſterquilinium, nullius enim pretii ſunt.* Obriguit ad ea Vitus, & ſanctitatem ejus demiratus, obortis lacrimis, in genua procubuit, veniam petiit, eumque impensè rogavit, ut ſibi a Deo impetraret, devexâ jam ætate, nè oculorum acies, neu vires minuerentur, quibus artis officia exerceret, & plenam, inopemque familiam aleret. Hæſit ille aliquamdiu, & clauſis oculis, Deum mente conſuluit: mox cœleſti quadam hilaritate, *Bono ſis*, inquit, *animo. Purum, & inoffenſum oculorum lumen, ac vires integras ſumma retinebit ſenectus.* Agnovit hunc Tornamira octogenario majorem, & adhuc Collegii tonſorem Alcamenſis, apprimè laudatum, acutis adeo, clariſque luminibus, & viribus adeo firmis, ut & tonderet, & venam incideret celeriùs, & elegantiùs, quàm adoleſcens faceret.

Turcarum claſſem innoxiam Siciliæ fore Lanuza vaticinatur.

Panormitanæ plebis tumultus non obſcurè prædicit.

Eventus vaticinii fidem liberat.

Tonſori, ut optabat, inoffenſũ oculorum lumen, ac vires integras in ſenectute retinẽdas promittit.

Digitized by Google

cere posset, quod quum maximè admiraretur ab eo didicit Aloysii pollicitationem, & vaticinium, eaque omnia, quæ superiùs sunt demonstrata.

LV. Quum uterum gereret Rosalia Tomasia Traina Palmæ Ducis uxor, anno 1645, Aloysium obsecravit, ut quòd maximè optabat, virilem sibi a Deo prolem impetraret, ipse silens, nutu, ac gestu innuit, aliter Deo placere. Ut verò eam prolem fore auspicatissimam declararet, præter quàm consuêsset, brachium protendens uterum versùs, ingentem manu crucem significavit. Edidit postmodum Tomasia maturo partu infantem, cælo carissimam, Isabellam, quæ adscititio deinde nomine, quum inter sacras Virgines Christo nupsit, Maria Crucifixa nuncupari voluit. Hujus qui acta legerit, non plurimùm desideraverit Catharinæ Senensis, aut Pazzensis Magdalenæ res insigniter, ac mirabiliter gestas. Extat ea de re ejusdem Tomasiæ legitimum testimonium X Calendas Novembres, anno 1678, Palmæ æditum, quum jam Deo mancipata *Maria Sepulta* vocaretur. Cosyræ quum esset, & Insulanos ad Christianam frugem excitaret, Vincentia Fernandez honestissima mulier, quæ plures jam annos nuptui tradita, liberos non susceperat, ab eo petiit, ut familiæ solitudini prospiceret, & prolem a Deo impetraret. Ille paulisper hæsit. Mox quasi de cœlo admonitus: *Tibi*, inquit, *Deus quatuor prius filios, deinde filiam dabit. Ex hac sex nascentur liberi, quorum duo postremi Societatis disciplinam amplectentur*. Vincentia quinquies peperit: sexies Joanna novissima ejus filia, quæ quum Josepho Garziæ nupsisset, edidit quinto loco Marianum, sexto Vincentium, qui Societati se addixerunt, & me scribente, vivunt. Horum primus est Frater Marianus Garzia, qui in Collegio Panormitano, secundus P. Vincentius Garzia, qui in Mazarensi versatur; dignus uterque, quem Aloysius, & aviæ maternæ, & Societati, ac Provinciæ polliceretur. Inter navigandum applicare coactus phaselum ad Stationem Agathyrni, quod ad Septentriones obversum Siciliæ promontorium juniores Orlandum, seu Rolandum dixere, incidit in Parasium Petrasanctum ejus loci cauponem, qui sanctitatis famà notissimum hominem, ut apud se diversaretur coegit, & ut secum cœnaret modis omnibus compulit. Cœnà solutà Aloysius in Parasium fletu tumentes conjecit oculos, atque defixit. Quærenti, cur ita intueretur demum, respondit: *Doleo amice casum tuum; quòd vita exitus te manet cruentus, & repentinus*. Parasius eà voce perculsus, quam frustra non emissam intellexit, stu-

Hieronym. Turanus in Vit. Vener. Mariæ Crucifixæ lib. 1. cap. 4.

Rosaliæ Thomasiæ Trainæ prolem etsi non virilē, auspicatissimā tamen fore pollicetur.

Magnā unius diei series Vaticiniorum exponitur.

Parasio Petrasancto cruētam, ac repentinam necem prænunciat.

pens, ac tremens, atque ab eo opem petens: *Numquid*, ait, *tam insigni arumnæ nullâ ratione mederi poteris?* Tum Aloysius æreum Christi e cruce pendentis signum, quod suspensum collo gerebat, Parasio dono dedit; addiditque: *Habes salutis vadem, & vitæ clypeum, atque tutorem. Memento, hunc a te nunquam amovere, quem quamdiu tecum gesseris, incolumem te fore, recipio.* Parasius pretiosum Christi simulacrum studiosissimè coluit, & diu noctuque, terrâ marique abs se nunquam dimisit, nisi post annum vigesimum, quum in oppido Nasitano, quod est Agathyrno proximum, apud amicam, cujus in domo pernoctaverat, memoriâ lapsus, Christi signum reliquit, & ad Agathyrni cauponam regressus, a latronibus est interfectus, postridie Idus Novembres, anno 1673; quum excurreret ab Aloysii morte annus duodevigesimus. Adfuit Aloysio post cœnam vaticinanti Paulus Collura Parasii popularis, & consanguineus, ac necis ejus spectator, qui octogenarius coram legitimis testibus, quæ audisset, atque vidisset asseruit, & jurejurando confirmavit. In Comisi Oppido pudendis jampridem inquinatus flagitiis Josephus Livornus, magnisque conscientiæ aculeis exagitatus, bis Aloysii domum adierat, bis pudore prohibitus, neque januam pulsare ausus, re infectâ redierat. Aloysius propediem abiturus, in eum e suggesto, utpote contumacem, oculorum aciem vibravit, vocemque intendens, ait: *Quid cunctaris, aut quid vereris? Expectavi satis: proficisci necesse habeo.* His vocibus excitatus tertiùm se confert ad Aloysium, & januam pulsat. Ille introrsum clamat: *Nè grave tibi sit, Josephe Livorne tantisper præstolari, dum divinarum precationum pensum persolvo.* Mox januam aperuit, & subridens: *Tertiùm*, inquit, *ad me redis, neque per te stetit, quominus iterum recederes. Huc ades Josephe; equidem tui causâ nondum Comiso sum digressus. Te unum expectabam.* Ille vehementer commotus in genua sed evolvit, & tanta cum vi lacrimarum superioris temporis errata omnia commemoravit, ut Aloysius fletum conjunxerit, & mutuis lacrimis expiatum dimiserit.

Ei Christi simulacrum dono dedit, quo a se non amoto, incolumitatem portendit.

Memoriâ lapsus Christi signû relinquit, & a latronibus interficitur.

Josephum Livornum prodigio excitat, & expiatû dimittit.

LVI. Antonium Pedemontium, advenam, & nunquam antea visum hominem, anno ferè 1653, Panormi in quadrivio Civitatis fortè obvium interrogavit Aloysius, cujas esset. Respondentem verò se esse Calabrum; ita excepit: *Quid Calabrum te mentiris, quum sis Antonius Pedemontius, Januensis, qui Calendis Maji, sublatis anchoris, Januâ solvisti, & Cajetà prætervectus, quum triremis, qua vehebaris, furentem na-*

Antonino Pedemontio præteriti periculi seriem exponit.

nacta zephyrum repentè gemeret, & labem ab imo faceret, ac per ingentem rimam salum admitteret, septimo die Panormitanum portum ægrè attigisti. Quid si in tam præsenti periculo, triremi depressà, mediis in fluctibus periisses? Quid actum de te fuisset, qui scelere pollutus, neque expiatus Januà discesseras? atque in eam pergens sententiam, superioris vitæ latebras, tricasque omnes exposuit, & attonitum ad Panormitanam Domum deduxit, ac P. Mario Dominico expiandum commisit. Eundem postea Pedemontium bis diversis temporibus gravissimè decumbentem, Aloysius neque accersitus, neque sciens, adiit, & convaliturum recepit. Tristem denique, quòd Jacobus frater esset postridie discessurus, Aloysius in via conspicatus, & ad se venire jussum admonuit, nullam esse causam, cur de fratris absentia doleret, qui non esset discessurus: neque discessit: nam ad conscendendum quum iret, a consobrino prohibitus est, & Panormi retentus. Excepta sunt hæc omnia ex autographo litterarum, quas Antonius Pedemontius ad Vitum Luparellum, ex Serra Falconia Panormum dedit XI Calendas Sextiles, anno 1687. In Pago Montis Majoris, anno ferè 1646, in æde summa, confertissimò populo, concionabatur, quum repentè clamare cœpit: *Occludite valvas omnes*. Quibus obseratis, paulò post clanculum invecta est per posticum profana mulier, & in ipso temporis vestigio Aloysius magnis clamoribus, iterum debacchari cœpit, ingeminans: *Venit furia, ingressa est bestia, adest diabolus*. Quibus verbis exterrita, templo illa se ejecit. Aloysius autem eodem æstu incitatus exclamavit: *Utinam rueret ex alto fulmen, quod vos omnes Monmajorenses incenderet, & concremaret!* Ad ea verba repentino fragore tonitruum est exauditum, quod crebra fulgura, jactusque fulminum sunt consecuta: tum qui aderant trepidantibus, & magno tumultu diffugientibus, Aloysius ad misericordiam conversus, Deum rogare cœpit; *Ut pœnitendi spatium concederet, nè fortè quis imparatus fulmine iceretur, ejusque jactura sibi imputaretur*. In his verbis finem dicendi fecit, neque ampliùs de cœlo tonuit, aut fulguravit. Legitimum edidit ejus rei testimonium Antoninus Albertus, quam se adolescente, gestam octogenario major publicis tabulis consignavit, anno 1715. In expeditione Isnelliana habitabat Aloysius in vacua Dynastæ domo, tenebatque infimam ædium partem. Post dies aliquot eódem ex itinere est diversatus Dux militiæ quidam cum comitatu, occupavitque superiorem contignationem. Aloysius ut illuxit, a sacris

Ejus vitæ latebras exponit, & Christo conciliat.

Semel, & iterum decumbẽtẽ Aloysius sanitati restituit.

Profana mulier concionantis Aloysii vocibus exterrita, templo se ejecit.

Monmajorenses repẽtino tonitrui fragore terret, & trepidantes confirmat.

Alia Lanuzæ in expeditione Isnellina memorabilis vaticinatio.

cris precationibus surgens, divino quodam furore correptus, ut si in præsenti periculo, esset magnopere properandum, scalas incredibili celeritate conscendit, superius conclave currens ingreditur, proceditque ad interioris cubiculi januam, quam magnis clamoribus aperiri sibi postulat, strenuè vociferans: *Hìc hìc est stygia furia, hìc latet tartareum monstrum, huc se recepit humanà specie diabolus. Equidem non possum cum tali furia sub eodem tecto conquiescere; aut ea faceſſat, aut ipse exeam.* Accurrit ipse Dux cum universa familia, januam perfringunt, neque quemquam reperiunt. Aloysius autem vehementiùs exclamans: *Erumpe*, ait, *furia, quæ sub lecto delitescis; numquid Dei oculos fugere te posse sperabas?* Vocis hujus imperium non tulit impura mulier, quam Ducis necessarius de nocte invexerat, & occultaverat: nam deprehensa e latebris statim emersit, & gemebunda, stupentibus omnibus, ad pedes ejus se abjecit, & quæcunque jussisset, se facturam pollicetur. Aloysius ad templum præmissam subsequitur, & accuratè expiatam jubet secedere. Tam illustrem vaticinationem incredibilis est consecuta Aloysii prædicatio sanctitatis.

Malam furiam sub cujusdam ducis lecto delitescentem deprehendit, & facessere jubet.

Illa ad Aloysii pedes gemebunda se abjicit, & expiata secedit.

LVII. Prodiit XV. Calendas Majas, anno 1650, ex Collegio Naritano prope meridiem, unà cum sacerdote Simone Lombardo, & pedibus Camastram contendit, non longè dissitum Naro pagum, quo die Christi redivivi memoria colebatur. Paganos ibi ad concionem convocat, quorum tanta e vestigio ad eum audiendum multitudo properavit, ut conferto jam templo, pars major excluderetur. Quare in area templo proxima dicere instituit. Eo concionante una vox populi exorta est pluviam petentis, quoniam imbrium inopià languerent segetes, & sitientes agri rei frumentariæ spem deminuerant. Aloysius puro cœlo, fulgente sole, nullis omnino nubibus, iterum, atque iterum flagitantibus, respondit ingeminans: *Dabit Deus, dabit, mihi credite, nimbum, & ante noctem, & sidera.* Deus verò amici sui promissa repræsentavit; nam momento temporis nubes extitere toto cœlo quamplurimæ; signum dedere proximi nimbi læta tonitrua, & antequam peroraret, maximus imber concionem diremit. Populus in templum se recepit, & magnis gratulationibus, Lombardo præeunte, lauretanas Mariæ laudes concinuit. Post sesquihoram agris abundè recreatis, nimbus conquievit, & quum diei multum supereſſet, sol iterum sereno cœlo se ostendit: tum Aloysius pago discurrens remoto in vico substitit, & ob-

Camastræ diu sitientibus agris, P. Lanuzæ beneficio, pluviæ consequuntur.

obseratam januam Lombardo indicans jussit, ad eam accederet, atque pulsaret. Paret Lombardus. Ridet vicinia inanem operam, monetque, id esse palearium, in quo nemo habitaret. Urget Aloysius, nè pulsare desinat. Lombardus silicem arripit, & magnis ictibus januam quatit, & ipse ridens, quòd nemo responderet, & illudentem viciniam cerneret. Aloysius denique appropinquavit, pessulum facilè adductum ademit, januam reseravit, paleas congestas reperit, clamavit nihilominus, ut vicinia tota exaudiret: *Quid frustra delitescis? Exi, quaeso te, Anima a Deo creata, & a Christo redempta; exi jam; nonne vides, ut te stygius hostis illigatam tenet? Assere te in libertatem. Evocat te Deus ad salutem.* Interim vicinia tota convenerat, & cupientibus, ac eludentibus omnibus, rei eventum expectabat; quum media ex palea prodit eleganti formâ puella, quam adulter corruptam, proximâ nocte ibi abdiderat, & ut furti suspicionem averteret, januam forinsecus pessulo obseraverat. Itaque risus in silentium, & admirationem evasit. Puella flens, & ejulans ei se tradit. Ipse in templum deductam audivit, & expiavit, atque cum litteris ad Pontificem Agrigentinum misit, ut eam vel in secessu, vel honesto viro collocaret, non defuturos qui eam ducere vellent, quoniam non mediocrem in vultu ipso dotem gereret. Insigne hoc facinus legitimis litteris, XIV Calendas Majas, anno 1692, testatus est idem, qui adfuit Simon Lombardus. In Palatio Adriani apud Petrum Parrinum honestissimum oppidanum diversatus, qui officiis omnibus, lautum atque jucundum hospitium administravit, die decimoquinto digrediens, *Petre*, ait, *hoc tibi relictum volo amoris mei, gratique animi monumentum, quod non ignores, hospiti carissimo praestiti mihi officii, relatumiri a Deo gratiam non mediocrem, & diuturnam: nam tuis omnibus superstes eris, & ad decrepita aetatis extremos canos pervenies, in quibus tamen non nihil te egestas premet, & solitudo. At non propterea cœlestis te deseret providentia: neque enim commoda deerunt alimenta, aut honesta vita praesidia.* Ea omnia Petrus Parrinus expertus est: nam cum propinquis omnibus rem quoque familiarem amisit, & nonagenarius extinctus est: neque tamen aut vivo crebra subsidia, aut mortuo honores funeris defuerunt.

Ab adultero corruptâ puellam, & in paleario abditam, cœlitùs admonitus extrahit, & Christo conciliat.

In Palatio Adriani, Petro Parrino ejus hospiti longam ætatem, & futura incommoda prædicit.

Eventus vaticinio cõgruit.

LVIII. Maurus superstitioni maximè addictus, quem Aloysius, irrito conatu, ad religionem, quum Alicatæ esset, adducere nitebatur, a vinculis denique, suorum pecuniâ exemptus,

ptus, ut commeatum peteret, ad eum venit, postridie Melitam navigaturus. Aloysius subridens: *O te beatum*, inquit, *quem Deus cœlo designavit! Hinc, hinc abjectâ superstitione lustratus ibis ad superos.* Neglexit Barbarus oraculum, sed implere coactus est. Ter enim navem conscendit, & solvit Melitam versùs, ter quoque austris furentibus eódem rejectus, postremò adversâ extenuatus valetudine, Aloysii memor dictorum, sacrâ Lymphâ expiatus, postridie mortalitatem exuit. Excitaverat ibidem Aloysius mulierum domicilium, quas a turpi questu ad honestam vitam traduxerat; eo tamen digresso, paulatim dilapsæ mulieres vacuas ædes relinquerant. Ea de re per litteras certior factus rescripsit. *Abjisse corvos, ut cederent nidum columbis, quæ ibi congererent, & perpetuam haberent sobolem.* Atque non aliter factum comperimus. Nam labentibus annis, eò illatæ sunt teneræ Virgines, quæ parentibus amissis in tuto sunt, donec adultæ collocentur, quibus perpetuâ successione aliis aliæ subrogantur. Adhibebat Aloysius P. Vitalem a Vitali carissimum sibi socium, ad divinas preces alternis recitandas; accidit ut Vitalis in officio persolvendo alia diceret, alia omnia cogitaret. Cognovit Aloysius avocatæ mentis vitium, aitque: *Numquid Pater in ea es opinatione, ut existimes, nefas non esse, in sacris hisce precationibus, a verbis mentem sejungere?* Ad ea verba Vitalis se respexit, deprehenditque, perspecta fuisse Aloysio, quæ ipse animo volveret. Ibat cum eodem Vitali ad cohortandum gravissimè decumbentem Maurum, qui in superstitione vitam ponere obfirmatè constituerat. Aloysius antequam scalas conscenderet in genua provolutus, divinam opem implorans, intimam substringebat acuminatam catenam, qua succingi consueverat; quum Vitalis sibi occultissimâ cogitatione placere cœpit, tacitè glorians, quòd socius esset viri eximiâ sanctitate conspicui. Tum Aloysius a precibus ad Vitalem conversus, irato vultu inquit: *Quinam est, qui me divino obsequio studentem interpellat, & Dei gloriam mihi prohibet?* Quæ verba tamdiu ingeminavit, quoad Vitalis in se descendens, mentis culpam deprehensam, & objurgatam agnovit, & confestim expiavit. Aloysius propterea exhilaratus surrexit, addiditque: *Eja eamus: Deus Maurum nobis donavit.* Qui post acceptam religionem, illico conquievit. Ex Acensi expeditione Messanam reversus, ut ex equo descendit, posthabitis rebus omnibus, ad S. Galli regionem rectà contendit, in qua stationem habent pro-

Maurus quidam, ut Aloysius prædixerat, Mahumedanâ superstitionem ejurat.

Mulierum, quas a turpi questu avocaverat Aloysius, domicilium excitat.

Iis dilapsis, illud a Virginibus fore incolendum, prænunciat.

P. Vitalis a Vitali occultas animi cogitationes semel, & iterum cognoscit, & aperit.

Digitized by Google

prostitutæ mulieres, & Sacerdotem nactus Franciscum Sotilium, eum sibi comitem adscivit, nihilque sibi ad properationem reliquum fecit. Denique per varios vicorum mæandros evasit in atrium omni ex parte clausum, in quo rivales quamplurimi in duas veluti acies ex adverso locati, districtis gladiis, se invicem contumeliis ad pugnam, & cædem lacessebant. Ille irruit medius, & jam hos, jam illos coarguit, *quòd paucis ante diebus, Christo redivivo, expiati, eum denique fructum retulerint, ut tam turpi de causa arma caperent, seque mutuo Christiani Christianos ad necem peterent.* Ita furentes compescuit; qui hominem veriti, tamquam deprehensi, sibique metuentes, positis armis, diffugiunt. Condixerant sibi invicem Panormi occultissimis pactionibus locum, & tempus digladiandi, sena nobilium paria, & quo tempore, ac loco constituerant, extra mœnia sine arbitris convenerant, eà conditione, ut singulari certamine, bini usque ad sanguinem, & necem dimicarent; & jam collatis armis, positisque vestibus, sinum discingebant, ut invicem ostenderent, se aperto pectore, in arenam loricà nullà, descendere; quum Aloysium quasi cœlestem caduceatorem ad se festinantem conspicantur, & magnis vocibus clamantem, nè digladiari properarent, afferre se ad utrosque, quod communis salutis interesset. Sed ipse volatu quodam magis, quàm cursu, celeriùs ferè ad eos pervenit, quàm vox ejus exaudiretur. Itaque Christi signum manu tenens, jam minis, jam precibus, jam imperio inter armatos versatur, & modò hos, modò illos manu prensans enses eripit, & inermes dextras jungit, atque ita attonitos, & mutuo complexu reconciliatos dimittit. Pridie ejus diei, quo sacrum dabatur epulum in Domo Panormitana, ex ea prodiit Aloysius cum Fratre Antonino Rizzuto, anno 1643, ut populum invitaret. Substitit in quadrivio civitatis, & turmatim accurrentibus omni ex parte civibus, atque certantibus, ut manum ejus exoscularentur, dedit singulis nullo delectu schedulas menstruas ex pileo petitas, in quibus essent ejus mensis Sanctorum descripta nomina, & adjectæ piæ Patrum sententiæ cum variis precibus. Concionem deinde exorsus omnes admonuit, fore, ut cœlestes illæ animæ, quorum nomina singulis obtigissent, quo die genus humanum ad causam in Valle Josophat dicendam raperetur, eos apud supremum Judicem perfidiæ postularent, qui crastinæ expiationis promissa fefellissent. Sed eo concionante, Rizzutus animadvertit, circumfusam multitudinem, præter

Cælo edoctus, nonnullos ad pugnam, & cædem se invicem lacessêtes adit, eosque compescit.

Aliud Lanuzæ non absimile facinus narratur.

Singulis ad eum accurrentibus menstruas schedulas distribuit.

ter morem, coorto murmure circulari, & universos sibi invicem commonstrare schedulas, & maximam admirationem verbis, ac nutibus significare; quæsivitque a proximis quid rei esset; ac mirans, & stupens accepit, legisse singulos in schedulis Sanctorum nomina, quæ ipsi gererent, & inusitatum ostentum cum aliis communicare, eos verò qui legere non nossent, schedulas aliis legendas tradere, & reperire omnes Sanctorum nomina, propriis nominibus congruentia. Habeo ejus rei Antonini Rizzuti testimonium, coram P. Josepho Cajola editum, quo tempore hic Collegii Thermitani ad aquas Selinuntias magistratum gerebat, anno fere 1695. Reliqua ejus generis alia rectiùs cogitabimus, quàm exequemur.

In iis, Sanctorum nomina propriis eorum nominibus congruunt, mirabili ostento.

LIX. His accedit infinitum prodigiorum agmen, quorum quæ certiora, & illustriora sunt memoriæ prodiderimus. Quum Petrà iter faceret, quam juniores *Petraliam Superiorem* nuncupavere; incidit in amicum ex venatione redeuntem, qui aviculas ferè duodecim ei detulit, quibus cœnam institueret. Aloysius munusculum valde probavit, & gratias egit maximas. Tum aviculas contemplans, & sine culpa necatas dolens: *Reddamus*, ait, *innocuis hisce bestiolis vitam, & libertatem.* Singulas deinde manu capit, & cruce signat, atque in ipso vestigio singulæ reviviscunt, & è manu ejus evolant, ac quasi gratiam referrent, circumvolitant, & cantum edunt. Admirabilius est, quod P. Petrus Rizza Syracusanus æqualis, & Socius ejus, octavo die, quàm Aloysius extinctus est, suis ad Tornamiram litteris, sibi compertum tradit. Cœnanti Aloysio appositum est in diversorio Nicosiano ferculum, ab amico dono missum, in quo inassatæ erant quamplurimæ varii generis aves; quas ut ille vidit: *Quid admiserunt*, inquit, *innoxiæ volucres, quare necarentur, & igne torrerentur.* Deum proinde precatus, ut reviviscerent, manu significavit, ut avolarent; illæ momento temporis plumas, & pennas induunt, alas quatiunt, & per conclave volitant, donec reseratà fenestrà fugæ aditus præberetur. Querentem Catanæ amicum, quòd mutum eximiæ pulchritudinis carduelem nactus esset, qui nunquam vocem edidisset, consolari cupiens ad aviculam conversus: *Quin tu*, ait, *Creatorem tuum cantu prædicas, & ut volucres tui generis faciunt, laudes ejus enuncias? Eja age rumpe silentium.* Tum ipse sibilo præire cœpit, & carduelis dicto audiens suavissimè modulatus est. Apud Acenses, anno 1656 sacri præconii causâ, in jejunio diversabatur, quum Petronilla Contarina, ex filia nepotem atrà, & purulentà vomitione

Præcipua Lanuzæ prodigia recensentur.

Necatas aviculas ab amico dono acceptas cruce signavit, eisque vitam reddidit.

Inassatæ aves cœnanti Aloysio appositæ, ejus jussu reviviscunt.

Mutus carduelis ejus imperio suavissimè modulatur.

ne

Digitized by Google

ne morientem, sinu, & brachiis ad eum detulit, gemensque rogavit, nè pateretur, unicum familiæ lumen extingui, quum paucis ante diebus, natu major fraterculus, eodem morbo peremptus esset. Aloysius Aviæ lacrimarum misertus, pueruli caput utráque manu complectitur, & eo contactu recreat; animum bono animo esse jubet, & infantis vitam, ac valetudinem pollicetur. Petronilla domum regressa, puerum incolumem e brachiis ponit, suis pedibus ingredientem videt, & omni morbo, ac molestiâ liberatum. Didacum Midorum Hyblensem Sacerdotem, jampridem ardentissimâ febre laborantem, sibique maximè metuentem, complexu restituit, & e vestigio surgere jussit. Eádem ratione, Fratrem Julianum Stephanum, acutissimis renum doloribus, in rustico Bagariæ prædio diu languentem, & de amplexu recusantem, quòd sine acerbissimo cruciatu, neque moveri, neque tangi posset, invitum complexus est, quòd domesticâ lege juberetur, peregrè venienti id caritatis officium impertiri, & in ipso complexu gementem, & ejulantem, lecto integrum, atque incolumem deduxit. Parcensi in Pago multos jam annos mendicabat rusticus, vetustà ægritudine ab adolescentia pronus, & ita curvus, ut nè suspicere quidem posset, & cœlum intueri. Accedentem, & opem petentem Aloysius primùm rejecit. Admonitus a Socio, ut expiatus rediret, Aloysius reversum, & orantem humanissimè accepit, & supra caput ejus vasculum, aquâ lustrali plenum vertit, jussitque ad agriculturæ laborem statim discedere. Agricola quasi immani quodam pondere exoneratus, stupentibus qui aderant, repentè caput attollit, humeros erigit, & rectus consistit; seque ad ruris officia idoneum miratur. Apud Brutios in Oppido Montisleonis, adolescentulus Leo Lucas, gravissimâ capitis ægritudine, comitiali lue, & cruentâ narium fluxione vexabatur; prætereuntis Aloysii, ut a matre fuerat edoctus, genua complectitur, morbos exponit, curari flagitat. Ille manum capiti admovit, & morbis omnibus exemptum dimisit. Quinto jam anno, Josephus Serius Sodalis Marianus offensam gerebat purulentis tumoribus virilitatem, neque ullis remediis stagnantis lymphæ abundantiam exsiccare potuerat; quare ingressu prohibitus, continuò jacere cogebatur. Adfuit decumbenti Aloysius, jussitque, lecto tandem emergeret; sed non in ipso vestigio, nocte jam appetente. Serius eâ spe lætus, nocturnæ quietis spatio suavissimè exacto, cum luce evigilavit sudore perfusus, apertis suâ sponte tumoribus, & sanie ejectâ ad cicatricem pronis. Surrexit proinde, & domo statim egres-

Morientis pueruli, Aviæ vitâ, & valetudinem pollicetur.

Ægrotos suo amplexu curat, & lecto incolumes deducit.

Rusticus ab adolescétia pronus, & curvus ejus beneficio rectus repentè consistit.

Leo Lucas graviter ægrotans, ejus manuum contactu, malis omnibus eximitur.

Josephum Serium purulentis tumoribus liberat.

sus in Domum Panormitanam ad Aloysium properavit, qui gratulationis causà venientem conspicatus, digito silentium indixit, & conspectum ejus vitavit.

LX. Mascali Tauromenium profecturus, equum, quo senex veheretur alieno tempore non reperiebat. Requisitus est Laurentius Gana, qui nihil se tam cupere, ait, quàm jumentum suum Aloysio commodare; sciret tamen, vetustum dorso ulcus inesse, altum, & putridum, atque olidâ sanie redundans. Aloysius equo admisso, post biduum ad Laurentium misit, qui equum referret, & gratias ageret. Hic cupidè ephippium demit, ut exacerbato ulceri quàm celerrimè medeatur; & cutem obductam reperit, neque ullum plagæ vestigium; Eodem beneficio usus est Alphonsus Panalbus, qui ulcerosam tergo equam, & ferendo oneri jamdudum parum idoneam, cui Aloysius insederat, integram, atque valentem recepit. Summo Aloysii vitæ anno, quo per jejunii ferias, supremis concionibus Acenses excoluit, Marius Foresta, magno familiæ luctu, bimulum filium Franciscum, comitiali morbo, fatentibus medicis, peremptum amiserat, & feretro sub noctem composuerat, postridie efferendum, quum de secunda vigilia Aloysius, qui proximè habitabat, foribus obseratis, sese in conspectum dat, mærentes consolatur, infantulum blanditiis excusitat, vocat, excutit, ut si arctè dormientem ad evigilandum compelleret. Excitavit ille conatus maternum desiderium, atque dolorem; Mater enim, quæ aderat, exasperato amoris vulnere, addidit lacrimis ejulatum. Aloysius verò: *Noli*, ait, *quæso te vivum lugere filium, sed consopitum. Non longa est mora. Videbitis actutum Franciscum sibi redditum, & exultantem.* Illâ autem negante, id fieri posse, quoniam infans certissimè esset extinctus, Aloysius in dicto perseverat; & identidem repetit: *Redibit Franciscus, proculdubio redibit.* Sacram denique imaginem ex sinu effert, oculisque sublatis, illam Francisco admovet. Eo contactu infans, quasi repentè evigilans, stridulum edit vagitum. Accurrunt omnes, & vivum, atque exultantem sublevant. Aloysius in eo lætitiæ tumultu dilabitur, & quemadmodum inopinatò se ostenderat, ita e vestigio videri desinit. Memorabile hoc factum tantâ fide, ac celebritate apud Acenses est pervulgatum, ut infans non aliter deinceps appellaretur, quàm *Mortuus redivivus*. Non absimile est, quod per hiemem Corilione gestum scribit Frazetta, VI Calendas Apriles, anno 1628. Sexto jam mense prægnans Maria Caciopia, ut audivit maritum ad capitis quæstio-

Ulceroſos equos Aloysius ſibi commodatos conſcendit, eoſque integros ad Dominos remittit.

Extinctum Infantem, vivum mærenti matri reſtituit.

Frazetta Vit. Aloyſ. Lanuzæ lib. 3. cap. 4.

Aliud non abſimile Corilione patratum prodigium.

consuevit. Lipari eà unctione mulierem, diuturnà hemorrhagià extenuatam actutum liberavit. Mascali pariter, siccis uberibus, lactis inopià premebatur Antonia Bella, quæ filium semestrem ea de causa languentem lugens, & Aloysio ostentans, obsecrabat, ut misero infanti institutum a natura alimentum a Deo impetraret. Ipse & Matris dolorem, & infantis inediam commiseratus, *abi*, inquit, *ad lampadem Divinæ Dapis, & ubera inunge, neque repulsam verearis*; Antonia, nonà unctione, ut Aloysius præscripserat, exuberantis lactis copiam ferre non potuit, quin manantes papillæ sinum inquinarent. Quare domum præproperè regressa, non modò filiolum recreavit, sed profluentibus adhuc mamillis, infantes alios, totà vicinià disquirebat, qui distentum pectus exonerarent.

Lanuzæ quamplurimæ curationes, de cœlo, aliorum beneficio impetratæ, enumerantur.

LXII. Sexto jam anno Josepha Cotta pedibus, & cruribus capta, genibusque, ac manibus innixa publicè repens Bisbonæ mendicabat. Eo statu, corpus miserrimè trahens, incidit in Aloysium, & ab eo stipem flagitavit, qui Principis *Apostolorum* verbis, *Argentum*, ait, *& aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do. Ito ad Mariam Roccafortiam, quæ tibi opitulabitur*. Erat laudatissimæ ejus Virginis sepulcrum in templo Collegii Bisbonensis. Eò, ut poterat, Josepha properavit, & propè lapidem, in quo erat Roccafortiæ titulus, exclamavit: *Ad te mittit Lanuza, cujus nuntia venio, ut pedes, & crura mihi reddas; quæ mihi jampridem arida, atque stupida, oneri sunt, non usui*. Ea quum verba pronuntiaret, spiritus meare cœpit, & pedes, ac crura, vitali quodam calore, intimè pervadere. Agnovit cœleste beneficium, surrexit, & stans, magnis gratulationibus, & lætitiæ significationibus, ad tam insignis prodigii testimonium cives convocavit. Accurrit & Aloysius, qui futuri eventùs præscius, nè crura stantis mulieris nuda paterent oculis, ad ea contegenda, detulit ad id paratam talarem tunicam, & nè prodigium sibi quis assignaret, eximias Roccafortiæ virtutes, & maxima in Deum merita pluribus laudavit. Sed prodigiorum facultatem, meridianà luce clariorem, occultare non potuit. Digito Panormi monstrabatur, Mendicus nescio quis, qui leprosus, & ulcerosus, ut indusium adhibuit ab Aloysio acceptum, e vestigio positis veluti squamis, morbo est liberatus. Quæcunque ejus fuissent, vel quæ ipse tetigisset, panis, aqua, cera, mariani globi, imagines, utensilia cupidissimè conquirebantur, & tanquam res cœlesti afflatæ virtute, magno in pretio habebantur. Quadrimestrem infantulum, aridis mamillis alere diutiùs non potejosepham Cottam pedibus, & cruribus captam, ad Roccafortiam mittit, & restituit.

Act. Apost. c. 3.

Mendicus leprosus, & ulcerosus, indusiū ab Aloysio acceptum adhibet, & morbo liberatur.

rat

rat Vincentia Trapana, Petraliæ inferioris accola, ut tamen panem gustavit, qui ex ejus cœna sublatus fuerat, lactis ubertatem recuperavit. Quum Catanæ annonæ caritas infimam plebem ad communem famem adegisset, & inopiæ gravitas, rei frumentariæ pretia incenderet, Aloysius frumentum a divitibus, & opulentis corrogare instituit, pollicitus, velle se suis manibus farinam subigere, quam contulissent; ut si non rem, at saltem operam de suo afferret ad publicam Christianæ misericordiæ administrationem. Congesta est farinæ vis magna, qua quotidie, Aloysio cum pistoribus allaborante, subacta, panis, qui exinde rediret, non minùs inediæ, quàm morbis omnibus medebatur. Itaque curationes quamplurimæ sunt consecutæ, quas non est operæ pretium enumerare. Mariana etiam, quæ dicunt *Rosaria*, ex ejus manu profecta, in pretiosissimis rebus habebantur, quare qui eorum aliquo potitus esset, singulos globulos propinquis, & amicis dispertiebat, numerabantque ferè omnes relata ex eis beneficia. Sed nihil erat aquà illà salutarius, qua inter immolandum digitos abluisset. Ea, ut præsentissimum remedium, morbis omnibus curandis adhibebatur, & repentinæ laudabantur curationes, expulsæ febres, dolores, cæcitates, anginæ, ejecti calculi, laxæ, ac defluentes palpebræ restitutæ. Quare aqua illa, quæ ex ejus sacrificantis manibus in lavatione stillaret, accuratissimè recepta servabatur, & quàm fieri poterat, occultissimè stillatim inter eos dispensabatur, qui quotidie turmatim ea potissimùm de causa ad sacrificium ejus confluebant.

Vincentia Trapana panem ab Aloysio acceptum gustat, & lactis ubertatē recuperat.

Catanæ in summa annonæ caritate, farinam ipse subigit, & ex ea quamplurimæ curationes.

Aqua, qua Lanuza inter immolandum, digitos abluerat, omnia malorū genera curat.

LXIII. Quoniam verò Aloysii prodigiorum series inexhaustum habet numerum, eam claudere liceat, iis dumtaxat commemoratis, quæ nobiliora, ac testatiora numerantur. Alicatà digressus, ubi erat maximè cognitus, quum honoris vitandi causà, fugæ similem de nocte profectionem instituisset, & Falconariam perveniſſet; cognità ejus discessione, Alicatenses triginta numero, citatis equis, eum ex itinere sunt assecuti, ut honorificè ad oppidum Terrænovæ deducerent. Aloysius fessos, & fervente sole æstuantes humanissimè complexus, *Numquid habetis*, ait, *quo sitim depellamus?* Oblatam lagunculam cruce signat, vinum degustat, atque per manus tradit, ut singuli potu recreentur. Hortatur, *Nè vereantur, quantum sitis poscceret, bibere: parvam esse lagenam, sed magnam Dei beneficentiam.* Potant affatim omnes iterum, atque iterum; fideliam vertere certant, & exhaurire; ea verò ad Dominum redit plenissima, ut si nemo bibisset. Narum proficiscens calidis-

Modico vino plurium æstuātium hominum sitim sedat.

Digitized by Google

stionem a judicibus damnatum, ægritudine animi obriguit, & extremis comprehensa doloribus, gelidum, atque extinctum sensit in utero partum, quem defecta viribus, neque conari, neque abigere poterat, neque sine magno cruciatu retinere. Quare supremis lustrata religionibus, intercluso interdum anhelitu, agebat animam, & fatale momentum opperiebatur. Ab ejus socero admonitus Aloysius, rogatusque, ut accurreret, & matri, ac infanti subveniret. *Quid opus est*, inquit, *me præsente. Rectiùs & utiliùs proximam noctem supplicando transigam, ut utriusque salutis ratio habeatur. Ut illuxerit, de rei eventu me certiorem facias velim.* Maria in ipso summo dolorum æstu, pronà jam nocte, femellam, soluto repentè utero, ejecit, sed frigidam, nigram, olentem, & planè mortuam, quam obstetrix ferè nudam, & frigidissimà nocte, humi jacentem relinquit, & matrem recreat. Post horas aliquot, Mater vagitum audit, & familiam convocat. Itur ad infantem, & neque ullum existit vitæ signum, neque odorem domestici ferre poterant. Vagitum denuo audit. Reditur ad infantem, neque quicquam deprehenditur, nisi cadaver. Rogant somniantem mulierem, nè delassatam familiam, & somni cupidam vexet, nullam esse spem vitæ docent: nam etsi vivam edidisset; frigore necari necesse erat, gelidissimo tempore nudam, & humi abjectam. Illa verò, quiescentibus omnibus, tertium se vagitum accepisse clamat. Objurgant morosam, & delirantem, statuuntque cadaver inde amovere: quod quum lucernà admotà, sublevarent, vivam reperiunt puellam, & apertis oculis lætam atque ridentem. Prodigium conclamant omnes. Infans statim sacrà lymphà expiatur; dubià adhuc luce, reliqua ceremonia in templo suppletur. Puella domum refertur, & vultum præferens sanè cœlestem, illico extinguitur. Festinat socer ad Aloysium, qui lætitià gestiens, magno cum fletu rem gestam accipit; Beatis Ignatio, & Francisco Xaverio prodigium assignat; eorum effigiem ad Mariam deferendam præbet, mox è suggesto, perpetuis lacrimis mirabile factum exponit, & disertè pronunciat, puellam planè extinctam, Beatis Ignatio, & Xaverio deprecatoribus, vitæ redditam; quæ quum narraret, magnus coortus est populi fletus. Ea autem effigies, quam Aloysius Mariæ dono misit, tantam apud Corilionenses invenit religionem, ut ad eas, quæ puerperio laborarent, continuò deferretur, quòd usu compertum esset, statim ac illa adesset, matres incolumes edere partus, & confestim sine periculo exonerari.

Mulier, quæ extinctum in utero partum abigere non poterat, ejus beneficio ejicit.

Partus a Lanuza in vitam revocatur, & lustrali lymphà expiatus, extinguitur.

Beatis Ignatio, & Xaverio prodigium assignat.

LXI. Solemne igitur fuit Aloysio, nè quid laudis ex cœlestibus beneficiis ad se rediret, ea Superis, jam his, jam illis imputare. Antonium in primis Patavinum prodigiorum suorum effectorem jactavit. Petri Vechii Acensis pistoris digitos gangræna exederat, quare medicus manum amputari oportere pronunciaverat. Recusantem Antonia mater plurimùm hortabatur, ut manum mallet, quàm vitam amittere. In ea deliberatione pulsantur fores, & ea vox exauditur: *Quin tu Antonia, filium ad Lanuzam deducis?* Accurritur ad fores, & neminem adesse deprehenditur. Agnoscit Antonia cœlestem monitorem, fausta nunciantem, & postridie filium Aloysio sistit, qui misericordiâ commotus: *Ite*, inquit, *ad Patavinum, & ter, petito ex ejus lampade oleo, manum linite, quo facto, lati redibitis.* Confestim obtemperant. Aeger primùm dolore eximitur, & somnum capit: manus deinde intumescit, & tota livet: denique virulenta sanies erumpit, & morbus evanescit. Ibidem lumine captum nepotem, Agatha Leonarda ad Aloysium detulit. Ille ex fenestra supplicem audivit, & ad Patavinum rejecit, novendialibus precibus: Adolescentulus quinto die oculum recepit. Placidus Rosus generum suum, emotâ mente, phreneticum, & furiosum ad Aloysium deduxit, & opem ejus imploravit. Ille utrumquè ad Patavinum ablegavit, pollicitus fore propitium, atque beneficum. Ex eo die ægri mens per majora semper intervalla paulatim resedit, & septimum post diem, ferocem insaniam omnino abjecit, recepitque pristinam sapientiam, quam ad mortem usque retinuit. Prætendebat interdum S. P. Ignatii nomen, & religionem. Anno 1654, sub exitum jejunii, quo tempore Gallorum classis, acie instructâ, Drepano imminebat, Jacobus Fardella nobilis Drepanitanus, qui munitissimam Oppidi partem cum cohorte tuebatur, ex nocturnis, assiduisque sub divo vigiliis, anginam contraxit. Vitus pater ejus Aloysium requisivit Drepani commorantem, nè gravaretur filio laboranti præsto esse. Negavit ille, se tanti esse, addiditque, *mirari se, cur non ex lampade B. Ignatii remedium peteret, cujus oleum si adhiberet, filium postridie incolumem procul dubio reperiret.* Cognovit Vitus, velle Aloysium, prodigio alienum nomen prætexere; & unctionem neglexit. Filius nihilominus dolore statim exemptus, proximâ nocte, suavissimum nactus soporem, integer evigilavit, & ubi illuxit ad militarem stationem remigravit. Ad lampadem quoque, quæ ante Divinam *Eucharistiam* ardere solet, ad se confluentes ægr os remittere

Nonnulla Lanuzæ per B. Antonium Patavinum impertita cœlestia beneficia.

Gangrænâ fœdissimè laborãtem Patavini beneficio, extemplo curat.

Cæcum adolescentulum ad eundem rejectum a cæcitate liberat.

Phreneticum, & furiosum ejusdem beneficio ad sanitatẽ adducit.

B. Ignatii obtentu, Jacobum Fardellam anginâ eximit.

con-

lidissimo anni tempore, obvios habuit quadraginta ferè Narenses cives, & agasonem admonuit, nè cunctaretur modicam trullam expromere. Ille, qui ad imum verterat, & siccaverat, tergiversabatur; Aloysio tamen urgente, cogitans quid causaretur, vasculum expromsit, & plenum repevit. Explent omnes cupidissimè sitim, pretiosissimum collaudant merum, & trullam vacuam reddunt. Agaso ut Narum pervenit, de replenda trulla sollicitus, gravem, & optimo vino redundantem invenit. Anno 1648, quo tempore Ætneæ fornaces, igneis ejectamentis, Catanensem agrum delere coeperant, & ad metallici torrentis cursum magni fiebant finitimorum concursus, quos B. Agathæ religio ad coërcendum ignem instituta, omni ex parte convocaverat; prodiit ex Collegio Catanensi Aloysius, ut multitudinem ad sacra officia cohortaretur, deduxitque Sacerdotes Socios admodum septem, qui ad expiationem accedentes audirent. In ea rustica commoratione, ad eum adeunt officii causà viginti ferè Catanenses Patritii, quos ille comiter acceptos rogavit, nè dedignarentur, ut tempus, & locus ferret, rusticantium more, de modica laguncula potare, quam ipse sibi ad privatum usum sepositerat. Ridebant Socii hominis incogitantiam, qui non dubitaret, minimam trullam, quam duorum, vel trium non magna sitis exhauriret, tanto nobilium comitatui objicere, & se invicem intuentes, rei exitum præstolabantur. Risus tamen paulatim in admirationem concessit. Nam qui salubrium aquarum inopià, siti æstuabant, exquisitâ etiam delicatioris meri bonitate invitati, cupidissimè potaverunt omnes, & quantum naturæ desiderium postulâsset; neque tamen lagunculam exonerare potuerunt. Exactis Messanæ jejunii concionibus, ad domesticum Saponariæ prædium, quietis causà secessit, & in ipso adventu viciniam, & oppidanos ad concionem convocavit, qui ut de eo auditum est, magnà frequentiâ convenerunt, & milleni ferè numerabantur. Statim ac peroravit, vini cadum, quem secum detulerat, produci jussit; viriisque sepositis edixit, ut largè biberent. Nè verò mulieres, ac pueros vacuos dimitteret, e proximo ædibus pomario mala aurea legit quamplurima, & bina singulis dilargitur. Quod quidem gravatè tulit Frater, qui prædium procurabat, apertè questus, quòd tam pernicioſum hospitem nactus esset, qui primo adventu, & cadum exhausisset, & pomarium diripuisset. Quid deinde futurum esset, si diu permaneret? Quid intactum relinqueret? Quum verò cadum, non aquæ, ut initio putaverat,

Vacua trulla, vini plena Lanuzæ beneficio, reperitur.

De modica lagûcula ferè viginti potant, sitim explent, & illam non exonerant.

Aliud non absimile ostentum Saponariæ edidit.

Ibidem ex pomario mala aurea legit quãplurima; & arbores illis novo ostento onustas relinquit.

rat, sed vini plenum recepisset, quo non suavius unquam gustâsset, vidisletque pomarii arbores, malis aureis eò usque onustas, ut ramos fulcris, & furcillis sublevare oporteret; agnovit errorem, & Aloysio de genu veniam petiit.

Quingentis ferè Panormi panem ex sinu petitum, mirabili ostentò, distribuit.

LXIV. Octavo saltem quoque die, ad custodias publicas, quum Panormi esset, adibat, ubi post concionem, singulis, qui ferè quingenti numerabantur, panem ex sinu petitum clanculum impertiebat. Id primus omnium animadvertit Raphaël Rossus, qui reliquas admonuit custodias, ut explorarent, undenam tanta vis panis existeret. Decies omnes testati sunt, panem non aliundè, quàm ex pallio, & sinu ejus eductum. Syracusis honesta mulier, quemadmodum Aloysius præceperat, farinâ subactâ, unum designavit panem, quem pauperibus largiretur; & cum reliquis, molis ejusdem furno intulit; sed efferre non potuit, nisi furno disjecto: crevit enim in immensum, admirabili sanè ostento. Sed nunquam satis admirabimur, quod in Adriani Palatio, Epirotarum oppido, domi suæ contigisse, juris jurandi religione interpositâ, semel, & iterum tradidit Petrus Parrinus, oppidanorum opulentissimus. Apud hunc diversatus Aloysius, & lautissimâ cœnâ exceptus: *Peto a te*, inquit, *Petre, si me amas, nè quæ hìc sunt apposita fercula, & ferculorum reliquiæ, amoveantur, néve alia, dum penes te hospitabor, apponantur. Hæ autem reliquiæ pateant omnibus; neminem excludum velim. Sint juris publici, atque communis.* Petrus morem gerit, fores pandit, pauperes convocari jubet, edicitque domesticis, nè quisquam aditu, & epulis prohibeatur. Confluunt horis omnibus pauperum greges, dies omnino quindecim, & mensam semper iisdem ferculis instructam reperiunt, fercula calida, atque recentia, ut si nova, & integra horis singulis apponerentur, neque aliter fieri opinantur. Epulantur, auferunt, diripiunt primi: omnia, qui sequuntur, intacta vident. Utitur eodem jure familia. Petrus, & Aloysius quotidie prandent, ac cœnant; quin denuo epulæ ullæ afferantur: neque fercula exinanire quisquam potuit, nisi quum, consumtis diebus quindecim, Aloysius digressus est. Sed ea ipsa digressio prodigio non caruit. Prono jam die, sæviente procellâ, ventis furentibus, Aloysius profectionem indixit. Deprecantibus amicis, nè se, & Socios tam alieno tempore viæ committeret. Ut nimbus non prohiberet; imminere jam noctem, Thermas Selinuntias, quò erat profecturus, triginta ferè millia passuum abesse, neque adiri posse, nisi consumtâ jam nocte; prærupta esse itinera, limosa, lubrica, &

Panis pauperibus ab Aloysio designatus, in immensum crescit.

Admirabile, & singulare ostentum a Lanuza in Adriani Palatio patratum, enarratur.

Fercula semel apposita, ad quindecim dies confluentes pauperes nunquam exhauriunt.

cre-

crebris fluminibus intercepta. Qua ratione in tenebris, sub nimbo, aut vadorum vestigia, aut vada ipsa reperiret, aut reperta transmitteret? Aloysius tamen in eodem perseverat. *Pollicitum se Thermitanis, qui adventum ejus præstolarentur; ad diem, & horam adesse velle*; Socios, & comitatum differt in crastinum, ipse equum conscendit, & Agasonem obnuntiantem, & tristia quæque metuentem, & augurantem hortatur, animum nè despondeat, ac divinæ clementiæ se permittat. Is autem fuit itineris exitus; ut qui per imbrem maximum, horâ diei ferè decimâ, ex Adriani Palatio exierant, sicci, & incolumes, superatis magnis fluminibus, atque torrentibus, ante undecimam Thermas pervenerint, & Aloysius, oppido, ut consueverat, lustrato, populum convocaverit, & ad concionem deduxerit. Itaque horâ unâ, milliaria ferè triginta confecit. Postridie Agasonem flumina metuentem, datâ incolumitatis fide, dimisit; admonitum tamen nè ab viatico vacuus discederet; illud fortè significans, nè sibi persuaderet; æquè brevem fore reditum, atque adventus fuisset: neque secus factum comperio. Agaso enim, qui diluculo Thermis abierat, trajectis absque periculo amnibus, ægrè paulò post vespertinum crepusculum, domum regressus est. Quotidianum fuit a sacrificio redeunti, relictam in sacrario zonulam, qua defluentem exteriorem togam, per hiemem præcingimus, ita decurtatam religionis ergo, reperire, ut propter brevitatem, esset ad nexum parum idonea. Animadversum est autem a plerisque, & potissimùm a Simone Lombardo, quem paulò ante laudavimus Narensem Sacerdotem, mutilum cinguli fragmentum, in ejus manibus ad justam mensuram, quotidiano prodigio, rediisse.

Sæviente procellâ, ex Adriani Palatio discedens, Thermas Selinuntias siccus pervenit.

Horâ vix unâ, milliaria conficit ferè triginta.

Zonula, qua cingebatur, religionis causâ, decurtata, in Aloysii manibus quotidie ad justam mensuram redit.

LXV. His adnectere fas sit, quæ P. Joannes Franciscus Musarra Bidinus ab Aloysii æqualibus, acceptâ Sacramenti fide, litteris paulò ante fatum consignavit; quoniam non mediocrem habent admirationem, & novitatem. Quum is navigaret in Lusitaniam, erat inter vectores, Siculus Captivorum Redemptionis *Cœnobita*, qui Aloysium uno tempore se vidisse testabatur, & in area Domûs Panormitanæ otiosæ multitudini obnuntiantem; & in templo pro suggestu dicentem. Audivit quoque Franciscum Bargionium Scribam Mazarensem disertè narrantem, se adolescente, Aloysium Mazaram veniisse, & quo die essent Cruces in Calvario constituendæ, judicâsse oppidanos, Solem stetisse, nè tenebræ religiones interciperent: quibus peractis, admonitum ex Calvario populum ab Aloysio fuisse, ut in oppidum ad concionem properaret; se verò quantum

Uno tempore, duplici in loco semel, & iterum conspicitur.

Aloysii jussu, Solem stetisse, Franciscus Bargionius disertè narrat.

effuso cursu contenderet, præcessisse, ut locum in templo caperet, & ibi Aloysium è suggesto concionantem reperisse; & quum vix oculis, & auribus crederet, quòd Aloysium absentem; & lento gradu subsequentem arbitrabatur; animadvertisse, eos, qui post se accessissent, sublato murmure, se invicem compellare, atque mirari, qua ratione Aloysius uno, eodemque tempore, & in via esset, & in suggesto concionaretur. Alcami demum in Franciscum Ajutum Musarra incidit, quo adolescente, itinerum, atque expeditionum comite Aloysius utebatur; ab eoque jam sene didicit memorabile facinus, quod in Alcamensi expeditione gestum meminerat. Erat Alcami flagitiosissimus juvenis, & vitiorum omnium fæce inquinatus, qui salutis, ac religionis curam abjecerat, & nihil tam refugiebat, quàm culparum expiationem. Hunc Aloysius ad se venire jussum vehementer incusavit: *Quod tamdiu in profligata vita sordibus permaneret. Quod si Deum non diligeret, neque timeret; metueret saltem æternorum suppliciorum magnitudinem, quibus esset jam apud inferos designatus; formidaret horribiles orci furias, quorum unguibus esset, ac dentibus dilaniandus.* Ille, auditis furiis, *Nolim putes*, ait, *eum me esse, quem ejusmodi puerorum terriculamenta commoveant.* Aloysius autem, *O te insanum*, inquit, *& planè stultum, ac cæcum! O si vel unum unius tartarei monstri, non dico rictum, sed unguem videres! Numquid viveres, aut non repentè exanimatus, præcipiti casu rueres, & terram quateres?* Cui ille temeritate incredibili: *Quàm rectiùs Pater non viris, sed mulierculis monstra narrares! Cæterùm si vera dixeris, fac videam, nedum ungues, & caudam, sed & rictum, & cornua furentium bestiarum.* Tum Aloysius, *Quando*, ait, *tam arroganter, atque dementer delirare audes, postridie fac ad me redeas*; & tempus, atque locum condicit. Adfuit juvenis; eoque admisso, Aloysius cubiculi januam obseravit. At Franciscus Ajutus rem odoratus, per rimas eventum scrutabatur. Colloquium exaudire non potuit. Vidit tamen Aloysium hortantem, & diù, multúmque dissuadere conantem; ac denique juvenem, repentino casu terræ afflictum, & magnopere exanimatum; conjecitque, oblatam furiarum speciem, quare sine voce, ac sensu concidisset, causam fuisse. Jussit Aloysius admoneri propinquos, qui consternatum per manus domum referrent. Perstitit horas ferè quindecim animo defectus, & spirantis mortui similis; nisi quod interdum cor palpitaret. Denique restitutus, & sibi redditus, di-

Ejus in Alcamensi expeditione memorabile facinus.

Aloysii cum perdito quodã juvene mutua colloquia.

Stygiæ furiæ species, ut petierat, ei se Lanuzæ jussu, videndam præbet.

Digitized by Google

dictitabat, ei se Aloysii jussu ostendisse stygiæ furiæ, nonnisi manum, acuminatis, curvis, atque candentibus unguibus ita fœdam, & horridam, ut nemo esset tam ferreus, qui eam posset vivus, & incolumis intueri. Itaque eo obtutu perterritus, humanis rebus se abdicavit, ad barbatos Seraficos e vestigio secessit, & eorum disciplinam constantissimè amplexus est.

Animo linquitur; tandem sibi redditus, humanis rebus se abdicat.

LXVI. Sed prodigiis omnibus longè præclariorem arbitror sanctitatis opinionem, quà publico, communique Ordinum omnium concentu plurimùm valuit Aloysius cùm apud externos, tum quod est multò majus, apud domesticos. Quod quanti sit, ii denique æstimaverint, qui in quo versemur sæculo satis norunt; & quanta sit obtrectandi licentia, quanta virtutis insectatio, quanta proborum hominum contemtio, perspectum habent. Et sanè mirum fuit, Aloysium, qui vitam omnem publicè, privatimque reprehendendo, atque objurgando transegit, quin viris principibus, ac summis magistratibus parceret, ut ad hanc usque ætatem in proverbio sit, severiùs admonentes sic excipere: *Numquid Lanuzam agis?* Non reperisse tamen, cui virtus ejus suspecta esset, & qui probitatem, integritatem, religionem non prædicaret. Inter ipsos quoque Societatis obtrectatores, quorum ab ea condita, quælibet ætas tulit quamplurimos, nemo inventus est, qui quum disciplinam, & homines improbaret, non Aloysium excipere. In perpetuis expeditionibus, quotidianum erat, in grassatores incurrere, qui saltus, & angustias obsiderent: neque unquam accidit, ut genus hominum agreste, impium, atrox, & non modò religionis, sed etiam expers humanitatis, hominem læderet, aut maximè non vereretur: nam & ex equo concionantem audiebant, & manum exosculabantur, seque ei commendabant, & incolumem deducebant. Prætereuntem digito monstrabant obvii; sanctum vocitabant, circumfundebat se multitudo, manus, & pedes ejus de genu osculabatur, fugientis, & honorem aversantis lambebat vestigia, & quem calcâsset pulverem, aut limum accuratè legebat, pallio figebat oscula, ejusque laciniam dentibus corradebat, in via exponebat ægros, cæcos, claudos, ut eos saltem adspiceret, & bene precaretur. Quacunque iter faceret, accurrebant, agricolæ, pastores, nautæ, piscatores, & in genua provoluti magnis clamoribus deprecabantur, ut cruce, & religionibus, agros, segetes, greges, naves, mare lustraret. Conquirebantur omnia ejus, & in pretiosissimis rebus servabantur, ungues, capilli, æsculentorum reliquiæ, indumentorum particulæ, &

Quæ fuerit cùm apud externos, tum apud domesticos Aloysii probitatis existimatio.

Quæ, & quantæ fuerint omnium ordinum, sanctitatis ejus acclamationes.

Quanto studio, quæ ejus fuissent, populi conquirerent, & asservarent.

præsertim sudaria, quibus inter concionandum sudorem, & lacrimas abstergebat. Hæc Matronæ Principes summo studio a Sociis requirebant, & margaritis omnibus potiora arbitrabantur. Aleatores, Mimi, Circulatores, Comœdi, turpium actores fabularum, aliique hujusmodi otiosæ multitudinis oblectatores, qui pietatem, & religionem nihil pensi habent, Aloysii nutum, atque conspectum metuebant, & venientem conspicati, projectis aleis, desertis pulpitis, & jocolari instrumento, fugæ se mandabant, nunquam ausi, aut conqueri, aut vultum, & vocem ejus perferre. Quanto in honore apud Insulæ Principes, & Civitatum Optimates fuerit, Panormitanos præsertim, & Mamertinos, supra fidem videri potest. In forensibus negotiis, in itineribus, & navigationibus, in morbis, in ærumnis, in nuptiis conciliandis, nihil eo inconsulto movebant, & nutum ejus intuebantur, verba pensitabant, adnotabant apices omnes, ut si oraculi significationes audirent; eliciebant litteras si abesset, & sacratissimarum rerum loco ducebant. Quoties haberent obvium non dubitabant e curru desilire, ut salutationis officium persolverent, & manum, aut pallium ejus osculărentur. Magno etiam numero apud Siciliæ Prætores fuit; in quibus Trivultius Purpuratus, quo tempore anno 1647, plebs Panormitana intestinis fervebat seditionibus, non aliud præsentius excogitare potuit remedium, quàm si Aloysius ex ultimis Siciliæ finibus Panormum evocaretur. Rodericus Mendoza admonentem patiebatur, suadenti morem gerebat, deprecanti nulla de re unquam recusavit. Doria Purpuratus, qui Siciliam quartùm in interregno administravit, & Petrus Faxardus, extremo tentati morbo nihil tam cupidè, atque constanter flagitârunt, quàm ut Aloysius, diu noctuque lecto adesset, & in summis vitæ finibus Christianæ religionis officia deferret.

Quo numero apud Siciliæ Principes, & Optimates Lauuza fuerit.

Quanti eum fecerint Siciliæ Prætores, Purpurati, & Pontifices quamplurimi.

LXVII. Martinus Pontius Pontifex Panormitanus, inter summos ævi sui viros, rei sacræ, politicæ, ac militaris scientiâ facilè annumerandus, Aloysium verebatur ut Patrem, diligebat ut fratrem, observabat ut amicum, & æqualem. Quandocumque in eum incideret, vel in medio foro, recusantem complectebatur, & osculo excipiebat. Ubicunque dicenti aderat, sive in quadrivio, sive in macello, sive in plateis, & areis Civitatis, ibique jubebat currum quo vehebatur, consistere, usque ad exitum orationis. Querebatur, si ad se non ventitaret. Nulla erat mora admissionum. Eo ad colloquium adhibito, nemini patebat aditus, nè iis quidem, qui nuntiarent, quem-

Martini Pontii Pōtificis Panormitani erga Aloysium inusitata benevolētiæ argumenta.

Digitized by Google

quemquam ex optimatibus secretum postulare. Montaltus Purpuratus captabat avidissimè conciones ejus, & nunquam cum satietate, aut sine lacrimis concionantem audivit. Eadem erat Siculorum Pontificum Aloysii probitatis existimatio, quamvis interdum non deessent ex eorum numero aliqui, qui Societatis hominibus parum æquos, & commodos se præberent. In expeditionibus enim, quas per eorum jurisdictiones obire consuevit, litteras præmittebant voluntarias, atque gratuitas, ut ei non aliter obsecundaretur, quàm si ipsi adessent, & iis de rebus statuerent, quas Aloysius censuisset. Neque illis grave fuit, hottanti auscultare, Sacerdotii officia inculcanti satisfacere, & quæ castiganda essent religionis incommoda exponenti, dicto esse audientes. Quanti eum fecerint amplissimæ Civitates, nullus esset finis commemorandi, si percensere singulas, nostræ esset festinationi consentaneum. Unum & alterum expromere liceat testimonium. Aloysio, pronà jam ætate, & ad senectutem incumbente, atque assiduis valetudinibus obnoxio, seriò egere Primores Civitatis cum Senatu Panormitano, ut omni ope caveret, nè senex, & æger in laboriosas deinceps exiret expeditiones, quæ & fatum ejus accelerarent, & peregrè decedendi periculum afferrent, atque exuviarum ejus jacturà publicum desiderium, ac luctum cumularent. Quum Augustæ Megarensium, quod est maritimum, & proximum Syracusis oppidum, Aloysius periculosè decumberet, velletque Socius ejus in Collegium Syracusanum, gravissimè laborantem traducere: nunquam se passuros edixere Megarenses: quòd si salutis ejus satageret, paratos se esse fortunis omnibus, atque etiam sanguine vitam, & incolumitatem ejus redimere: sed asportandi corporis, aut ægri, aut mortui nullam esse conditionem. Medicis autem tristissimè de vita ejus pronunciantibus, Capiblancus Pontifex Syracusanus, in cujus jurisdictione sunt Megarenses, ad eos misit cum litteris, quibus jubebantur, si fortè Aloysius vità fungeretur, demortui corpus Collegio Syracusano concedere. Ni facerent; sacrorum illis, & hominum communione interdicebat. Sed Megarenses in sententia perstiterunt, & *se tantà pœnà non esse dignos*, responderunt, *quòd sua jura tuerentur. Non esse humanam divinà majorem potestatem. Iniquum videri cœleste beneficium Megarensibus præripere, quod Deus ipsis contulisset, si explorata virum sanctitatis apud eos vitam ponere maluisset, ut eorum susciperet inter Superos clientelam.* Pontifex negligi se arbitratus, tres naves longas eo cum militibus ire jussit, qui Aloysio extincto, cor-

Siculorum Pontificum, & Civitatum ejus probitatis existimatio.

Panormitanæ Civitatis curæ de conservanda Aloysii vita, & incolumitate.

Erga Aloysium Augustæ graviter decumbêtem, Megarensium singularis benevolentiæ significationes.

Cadaver ejus, si fortè moreretur, apud se retinere statuunt.

Inter Megarenses, & Pontificē Syracusanū ea de causa graves exortę controversiæ.

corpus vi auferrent, & Syracusas importarent. Megarenses cognito earum adventu, arma capiunt, littus complent, neque patiuntur exponi militem. Itaque bellum utrinque pium, & æquum impendebat, quod tamen commodior Aloysii valetudo diremit, qui paucis diebus restitutus, clanculum se a Megarensibus, intempestà nocte subduxit.

LXVIII. Sed nullum fuit illustrius, atque præclarius certissimæ probitatis testimonium, quàm quod a domesticis omnibus, ab adolescentia ad summam ætatem, admirabili concentu, Aloysii sanctitati impertitum comperio, quam nemo unquam cum exceptione laudavit, neque ulla aliquando perstrinxit Sociorum obtrectatio. Quod quàm magnum, ac singulare sit, in tanta ingeniorum, studiorum, ac judiciorum varietate, ii sibi demum persuaserint, vel qui in hac religiosæ vitæ communione, tanquam in eadem navi versantur; vel qui in sanctorum virorum rebus gestis peregrini non sunt. Quis enim in diuturna humanæ vitæ consuetudine, quæ tot, ac tantos recipit casus, aut tot oculorum censuram, aut tot mentium suspicionem, aut tot linguarum reprehensionem effugerit? Et tamen nulla domi, foriſque audita est de Aloysii moribus Sociorum querela, nulla accusatio, nulla suspicio. Testabantur omnes, & ii potissimùm, qui cum eo frequentiùs, & familiariùs agitabant, nunquam in ejus verbis, aut factis se quicquam deprehendisse, quod vel ad domesticas leges non congrueret, vel a summæ virtutis perfectione aberraret. Quæ verò fuerint de Aloysii sanctitate, Societatis, ac Provinciæ Optimatum judicia, paucis ostendam. Cæsar Boscus, cui Aloysius doctori dedit operam, eo discipulo gloriabatur, & in Provinciæ magistratu, si quæ ardua, & impedita negotia incidissent, ejus potissimùm consilio utebatur, & assiduas ad Deum preces requirebat. Josephus Castelnovus, qui plures rexit Provincias, & Domui præerat Panormitanæ, quo tempore Aloysius fato concessit, & vivi sanctitatem, & mortui jacturam, ac desiderium, neque ferre, neque cogitare se posse prædicabat, quin genæ maderent lacrimis, & in maximis Provinciæ calamitatibus damnum in eo factum numeraret. Ignatius Garganus, Ludovicus Bompianus, Marcellus Spinellus, Provinciæ Antistites, sapientià, & religione conspicui, ita de Aloysii moribus, & vivendi, agendique ratione sentiebant, ut sanctissimum virum, verum Christi præconem, puram, cœlestemque animam appellarent; eum quotidianà consuetudine adirent, atque consulerent, & gravioribus de rebus cum eo communicarent. Mutius Vitelleschus

Maxima apud domesticos opinio sanctitatis ejus, & illustria testimonia.

Quæ fuerint de ejus sanctitate, Societatis, & Provinciæ optimatum judicia.

ne-

Digitized by Google

neminem in Provinciam cum potestate dimisit; quin ei Aloysium, & se per eum Aloysio commendaret. Ejus videndi, ac complectendi flagrabat desiderio incredibili Vincentius Caraffa, eumque crebris litteris excitavit, ut ad se Romam veniret; neque tamen ausus est ei præscribere; sed ei demum recusanti, & Deo id minimè placere rescribenti, acquievit. Bipartità Provinciâ, & in duas disclusâ, Franciscus Piccolomineus, eâ potissimùm ratione coagmentationem, & conjunctionem Vitelleschо probavit, quòd Aloysio Lanuzæ ad communionem revocanda videretur. Frater Simon Buccerius, vir cœlestium rerum notitiâ spectatissimus, quum Aloysius in tirocinio Panormitano cum Tertianis versaretur, per visum didicit, nullam esse in Provincia, eâ tempestate animam superis eo gratiorem, & chariorem. P. Stephanus Turturetus divinarum rerum scientiâ præstantissimus, admirabili ostento, quanta esset Aloysii sanctitatis magnitudo de cœlo accepit. Quum enim Panormum navigaret, haberetque procul obviam navim, quæ contrarium cursum tenebat; conspicatus est interdiu jubar immensum, quod ex ea manaret, & Solis radios candore, ac claritate vinceret. Hæsit mirabundus, & rei novitate commotus, verebatur ludibrium oculorum. Sed propius accedens, increbrescente luminis splendore, animadvertit, vectorem esse, ex cujus facie tanta vis lucis erumperet: quare navigium navigio applicat, & Aloysium agnoscit, coruscantibus adhuc, atque fulgentibus genis. Quare ex eo tempore, magno hominem in pretio habuit. Denique anno 1653, cujus partem Aloysius non exiguam in Brutiis ultra fretum Mamertinum transegit, Julius Sorius, Monteleone Sacerdos, cujus magna erat in oppido summæ virtutis, ac religionis opinio, & cœlestium secretorum scientiæ fama, tamdiu dicenti adfuit, quamdiu morbo prohibitus lecto decubuit. Hic Aloysii Socium nactus, & multa de Aloysio percunctatus, ut audivit mediocria narrari; *Nescis*, inquit, *Pater, & planè ignoras, qua & qnanta sint sanctissimi hujus viri in Deum merita. Equidem de cœlo edoctus affirmare non dubito, neminem in universa Societate, toto orbe terrarum, hodie vivere, vestro hoc Aloysio sanctiorem.*

Extra Provinciâ incredibilis virtutum ejus acclamatio.

Singularis sanctitatis ejus F. Simonis Buccerii testimoniũ.

P. Stephani Turtureti oltento confirmatur.

Turturetus Aloysii vultum mirificè coruscantem vidit.

Julii Sorii sanctissimi viri de Lanuzæ sanctitate perohonorifica testificatio.

LXIX. Redeo jam ad incœptum, & intermissam repeto Aloysii vitæ seriem. Tantà jam cumulatus virtutum, & meritorum abundantià, a laborum, & premiorum maturitate parum se abesse, anno ferè, antequam mortalitatem exueret, intellexit; & properantis fati diem, & horam prænunciavit. Testatus est Vincentius Vianisius, probatæ vitæ Sacerdos, & summæ

Anno ferè antequam moreretur fati diem, & horam prænunciavit.

Digitized by Google

mæ Ædis Panormitanæ *Canonicus*, anno se 1655, XII Calendas Novembres, quo die B. Ursulæ necis commemoratio colitur, in Aloysium incidisse, ad ejus Virginis aram de genu prolixè supplicantem, & ab eo petiisse: *An B. Ursula religione magnopere afficeretur*. Aloysium verò respondisse: *jampridem in ejus sum clientela. Novit ipsa, qua mihi coram receperit. Ea mihi se præsto futuram edixit in profectione, quam unà instituemus hoc ipso die*. Decessit autem eodem die, sequenti anno. Apertiùs Magdalenam quamdam cæcam, piamque mulierem admonuit, altero ante obitum mense: fore enim prædixit, *ut proximus B. Ursula dies summopere celebraretur, tum in Cœnobio Montis Sancti, cum in Templo Domùs Panormitanæ*. Hìc enim ipse Aloysius, ibi P. Joannes Maria Pretalianus austerioris disciplinæ Carmelita, uterque confertissimo populo, magnà sanctitatis acclamatione, B. Ursulæ die, elatus est. Ad conciones in Templo Domùs Panormitanæ quintùm in jejunio anni 1657 expromendas, a Marcello Spinello, qui Provinciæ præerat, designatus, & a domesticis vehementer flagitantibus, maximis obtestationibus requisitus, nè laborem refugeret; constanter silens, & subridens, ore, & nutu significavit, fieri non posse. Pridie Calendas Octobres, populo Panormitano, qui frequentissimus aderat, pro suggesto, commeatum quasi petens, denunciavit: *Eam supremam esse, quam audiret Aloysii Lanuzæ concionem, oravitque, ut se Deo commendatum maximè vellet*. Sed nullum fuit certius, & illustrius mortis ejus præsagium, quàm admirabilis ille conatus, quo languentibus, & exhaustis viribus corporis, solito majorem, & ardentiorem exeruit animum, ac agendi, concionandi, concursandi alacritatem duplicavit. Deus verò prodigiorum facultatem liberaliùs, atque uberiùs impertivit. Quadragenarias conciones, quas apud Acenses, per jejunii ferias, nunquam aliàs, aut alibi, tam concitatas habuit, & salutares, inauditâ, & inusitatâ miraculorum assiduitate peregit, atque clarissimo ostento clausit, & inchoavit. Nam Catharinam Pataneam septuagenariam, & quarto jam anno paraliticam, apud quam hospitium nactus est, in ipso adventu, nè rogatus quidem, morbo repentè liberavit; & ita restituit, ut concionanti adfuerit, & Christiani jejunii conditionem ultro servaverit. Digrediens autem, veluti cœleste grati animi pignus reliquit. Conclave enim, in quo de nocte conquieverat, repertum est suavissimo odore fragrans, cujus sensum, & voluptatem nulli Arabum suffitus efficerent. Catharina,

Ejus vaticinii unum, & alterum luculentum testimonium.

Alia mortis ejus non obscura præsagia.

Ante fatum plurima ab eo patrata miracula.

Catharinam Pataneam paraliticam morbo repentè liberat.

Conclave, in quo apud Acenses de nocte conquieverat, suavissimum odorem exhalat.

Digitized by Google

na, ut cœlestem fragrantiam accepit, admiratione defixa, & intimâ quadam suavitate delibuta. divinum agnovit, ex Aloysii commoratione beneficium, & viciniam convocavit; ac nemo fuit, qui non jucundissimi odoris abundantiâ frueretur. Perstitit ea olfactûs delectatio, quamdiu cubiculum habitatore vacavit. Sed quadragesimo die, quum nurus puerperio proxima illiata esset, admirabilis ille suffitus statim evanuit.

LXX. Panormum inde regressus, gravi, ac diuturnâ correptus est valetudine, ex qua vixdum recreatus, ad consueta caritatis, & misericordiæ officia, acriore studio etiam recurrit, & non diebus modo, sed horis ferè singulis exinanitum morbo, inediâ, vigiliâ, flagellis, cilicio corpus concionando delassabat, in custodiis, in triremibus, in valetudinariis, in Templo, in quadrivio, in macello, in platea, in area jam hac, jam illa Civitatis. Ut omnes intelligerent, non longè abesse Aloysii vitæ finem, qui tantâ festinatione supra humanarum virium facultatem properaret, quamvis interdum linqueretur animo, & quotidiana se ostenderent naturæ deficientis indicia. Ipse verò agendi, juvandique studium non explebat: nam quasi nihil ageret, & continuò cessaret, inertiam, atque desidiam sibi exprobrabat. Quare Hyccarensem cogitavit expeditionem, eamque a majoribus ægrè impetratam, septimo Idus Octobres aggressus est. Est Hyccarum, hodie *Carinum*, nobile oppidum, clarissimo Lagruarum generi jam pridem attributum, decimoquarto lapide Panormo dissitum. Eò pervenit prono jam die, atque ut ex equo terram attigit, lustravit pedibus oppidum, & populum ad concionem convenire jussit, quam incredibili vocis, & animi contentione ad noctem usque protraxit. Apud Andream Vechium diversatus, in ipso aditu hospitis sui ancillam, vetulam, & intestinis doloribus excruciatam, ac decumbentem, surgere jussit, & domestica obsequia actutum obire. Ea e vestigio convaluit, atque surrexit. Postridie tonsoris filiola, quæ jamdiu pustularum acrimoniâ, lumina amiserat, pupillas exesas, & obducto albumine arentes, recreavit, & oculorum aciem restituit. Tertio die, quum adolescentulos ad templum eruditionis causâ deduceret, refractarius equus æstro incitatus, obvium puerulum, calcibus pectori, ac fronti impactis, afflixit, & proculcatum, atque contritum ad necem dedit. Exanimatum, ac planè morientem, Aloysius sublevat, & quasi dormientem excutiens: *Quin tu*, ait, *surgis, & cum aliis ad sacram doctrinam cursu properas?* Ille confestim oculos aperit, pedibus consistit, & exultans, neque ullum præ-

Extremis vitæ suæ annis, ejus graves & assidui labores.

Hyccarensem expeditionem a majoribus impetrat, & aggreditur; ac ex ea relati fructus.

Hospitis sui ancillam intestinis doloribus excruciatam in ipso aditu curat.

Puella, ejus beneficio visum, & puer planè enectus repentè vitam recipit.

ferens contusionis vestigium, luctum in lætitiam vertit. Quinto die post diurnam defatigationem, domum sub noctem redeuntes agricolas, in templum coëgit, & concioni flagrum adjecit prolixum, atque cruentum. Rusticos postmodum expiari flagitantes in posterum non distulit, sed calens, & sudore diffluens, in atrio proximo, ad mediam ferè noctem aperto cœlo, singulos audivit. Eo in labore, præcordia transverberari sensit, non secus, ac si acutissimi teli acies cor pupugisset. Paulò post lethali tentatus frigore, noctem egit, miseriarum plenam, atque dolorum. Postridie tamen suggestum conscendit. Sed in ipso dicendi æstu, vires, & animus concionantem reliquere. Debilitatum, atque dilapsum Socii jubent decumbere. Medicus venam solvi, & sanguinem mitti præcipit. Andreas Vechius hospes ejus, sanguinem alveolo recipit, & accuratissimè servat. Cruoris reliquiæ gossipio exceptæ, eodem die Antoninum Marinum, diuturnâ stranguriâ tumentem, & propè enectum confestim exonerârunt, & ad incolumitatem adduxerunt. Sanguinem verò, vitreâ clausum phialâ, sexto post anno, vidisse se tradit Frazetta, adeo vivum, atque recentem, ut si in ipso vestigio venas reliquisset. Valetudine in horas ingravescente, ad apertam vim Hyccarenses descendere parabant, nè Aloysius Panormum, ut Sociis placebat, reduceretur. Sed oppidi Princeps, pro sua æquitate, illud spectans, ut Panormi accuratiùs illustrium Medicorum scientiâ æ gro prospiceretur, populum compescuit, & suâmet lecticâ deferendum curavit.

E suggesto descendens, ac sudore diffluens, dum rusticos expiat, læthali frigore corripitur.

Postridie in ipso concionandi conatu animo linquitur.

Sanguis ejus e soluta vena missus, Antonino Marino valetudinem reddit.

LXXI. Itaque quinto die, ex quo decubuerat, Panormum vehitur, deducentibus magno cum fletu Oppidanis, qui vias oppleverant, ut prætereunti bene precarentur, & summum salutationis officium impertirent, atque ab eo vicissim, manùs, & oculorum significatione, cœlestis beneficentiæ auspicium caperent. Eo digresso, hospitii sui cubiculum, in quo dies ferè decem permanserat, non obscura retinuit sanctitatis ejus indicia. Nam quum cœlestis quidam odor conclave illud impleret, deprehensum est, non aliunde manare, quàm ex linteolis, quæ sudorem ejus excepissent; efflabant enim inusitatæ suavitatis fragrantiam, quæ non olfactum modò, sed & animum recrearet, ac intimum religionis sensum afferret. Quod quum esset pervulgatum, tanta fuit confluentium oppidanorum frequentia, ut Andreas Vechius, nè utensilia omnia, quæ Aloysii fuissent, diriperentur, satiùs duxerit, linteam supellectilem, & sudaria præsertim, nondum sicca, ex quibus tanta vis odoris prodibat, concerpere, & particulam singulis attribuere. Lectum

Panormum inter Hyccarensium fletus, & officia, lecticâ asportatur.

Utensilia, quæ Aloysii fuerant, suavissimum odorem spirantia, ab Oppidanis conquiruntur.

Digitized by Google

cum verò, in quo jacuerat, sacræ sibi Virgines integrum vindicârunt, & ad hanc ætatem, pretiosissimis in rebus habent. Ex itinere, quod in maximis doloribus, & anxietatibus, mirà oris, & animi jucunditate confecit, quum ad turrim Motianam, quam *Sferracavallum* hodie nuncupamus, tantisper constitisset, cauponem undecimo jam mense, acerbissimo cruris dolore gementem, ut neque in pedes consisteret, neque ullam sui muneris partem attingeret, repentè morbo, ac molestiâ liberavit, & ad cauponæ officia redire jussit. Hic post biduum, ut de fato ejus audivit, Panormum integer, & pedibus venit, ut de prodigio testaretur; sed ad crastinum rejectus, morarum impatiens, ad cauponam regressus, & iisdem doloribus exagitatus, non conquievit, nisi Panormum delatus, coram judicibus indicium profiteretur, & de cœlesti beneficio juratus fateretur. Invectus est Aloysius ante noctem in Domum Panormitanam, extenuatus, & ad languorem incumbens. Marcus Antonius Alaimus beneficiarius ejus, medendi facultate, ævi sui omnium præstantissimus, statim ac venas tentavit, fletu magis quàm verbis, de proxima ejus morte pronunciavit. Postridie, ut illuxit, indumenta flagitavit, quibus de genu cœleste viaticum caperet. Prohibitus, culparum accusatione præmissâ, adjectisque verbis quamplurimis, pietatem, & religionem testantibus, quibus adstantium lacrimas concitavit, divinum panem cupidissimè sumpsit, & paulò post meridiem, sacro Oleo inunctus est. Mox repentinis animi angoribus vehementer conturbatus, memorabile edidit cœlestem judicem metuentis exemplum: nè mali audeant tam confidenter de divina clementia sibi polliceri, quum optimi severitatem interdum pertimuerint. Nam flens, & ejulans identidem ingeminabat. *Valde timeo*: addebatque, *me miserum! Morior ut bellua; quum nihil unquam boni in vita egerim, neque Summum Bonum aliquando dilexerim*. Rogatus autem ab amico, ut cœlo receptus, sui apud Deum, & Superos meminisset; *Hei mihi!* inquit, *equidem æternum supplicium, & furias, & ignem metuo: tu verò mihi, & Cœlum, & Superos, & Deum narras?* Tanta denique fuit laborantis animi ægritudo, & summæ salutis anxietas, ut qui acutissimis urgebatur præcordiorum cruciatibus, in quibus corpus nullo modo moveri potest; mirificè se contorquens, & toto lecto jactitans, magno cum fletu, atque singultu exclamabat: *Justus es Domine: Equidem mereor. Pejora debentur flagitiis meis. Rectissimè mecum agitur; digna factis recipio, o bone, o juste Jesu!*

Ex itinere, cauponem quêdã acerbissimo cruris dolore gementem liberat.

Hujus rei post Aloysii fatum perhonorifica testificatio.

Aloysium in Domo Panormitana jam morti proximũ, repentini animi angores vehementer exagitant.

Summæ salutis anxius, Christi Judicis severitatem graviter pertimescit.

LXXII. Maximis itaque consternatus corporis, animique doloribus, aditum flagitantibus Civitatis Principibus, nemini sui potestatem fecit, excluſit omnes. Sed ubi est nunciatum adesse Afros servos, quos ipse religione lustravérat, admitti jussit. Eorum conspectu nonnihil exhilaratus, inter mutuas lacrimas, atque complexus, commeatum petens, & singulos appellans, & adhortans, horam consumsit, ut in extremis miseriis, atque molestiis, satis jucundam. In his erat maurum honesto natum loco mancipium, quod plures jam annos cognitum, & amicum, flectere nunquam potuerat, & a superstitione avocare. Servum hunc sinui admotum, paucis hisce verbis expugnavit. *Vides, fili, veterem amicum in humanarum rerum exitu constitutum, & in vita confinio laborantem. Numquid suspicari potes, morientem mentiri velle, & amico carissimo imponere? Audi ergo suprema amici tui verba. Non alia est via salutis, extra Christianam religionem.* Dimissis mancipiis, irruit magno agmine nobilitas, quæ diutiùs arceri non potuit. Sed quem rudium mancipiorum concursus exhilaraverat, Principum, & Optimatum adventus contristavit; quibus jussus, & ægrè, manum exosculandam præbuit, ac solitudinem illico postulavit. Inter hæc nox ita processerat, ut jam verteret, & a cursu medio tertiam vigiliam attingeret, ac B. Ursulæ diem inchoaret. Tum Aloysio horas requirenti, quum prima post mediam noctem esset nuntiata; ille inopinatâ lætitiâ exhilaratus: *Jam res*, inquit, *in tuto est. Salva sunt omnia.* Et quasi cœlestis aliquis legatus certissimæ salutis nuncium attulisset, exultabundus adjecit: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus.* Mox suavissimis verbis Mariam quasi præsentem alloquens, & in eam oculos conjiciens, candentibus, ac rutilantibus genis, leni risu labia diduxit, & horâ noctis, apud Italos octavâ, placidissimè conquievit, XII Calendas Novembres, anno ætatis quinto, & sexagesimo, Societatis septimo supra quadragesimum; uno post B. Ignatium sæculo natus, & mortuus. Staturâ usus est mediâ inter proceritatem, & brevitatem, capite obstipo, capillo raro, & in senectute etiam flavo, facie candidâ, atque prolixâ, oculis glaucis, & scintillantibus, naso oblongo, & incurvo, genis, labrisque rubentibus, honestâ calvitie, barbâ modicâ, & sæpè detonsâ, corpore exili, & ad maciem propenso. Pridie quàm e vivis abiret, domestici æquè, ac externi omnia, quæ ejus fuissent, certatim diripuerunt. Eo autem extincto; universa lecti supellex, lectumque ipsum, flagitantibus amicis, & Optimatibus,

Afrorum conspectu, ad lectum ejus adstantium, mirificè exhilaratur.

Quibus verbis tenacissimum suæ superstitionis maurum expugnaverit.

Certissimæ salutis nuncio exhilaratus, ad Deiparæ adstantis invocationem sanctissimè moritur.

Psalm. 121.

Corporis habitus, statura, & reliqua ejus adnotantur.

Ea, quæ Aloysii fuerunt cùm vivi, tum mortui, nostri, ac externi certatim auferunt.

Digitized by Google

bus, ac Matronarum præcipuis, est dispersita; magnoque in pretio habita est etiam aqua, abluendo corpori adhibita. Statim ac de fato ejus auditum est, populum neque janitores, neque januæ continuerunt, quin irrumperet in conclave superius, quo jam universa nobilitas penetraverat: quare tumultu incredibili ruebant omnes, ut manus, & pedes ejus oscularentur. Mirabantur cupidissimi non secus, ac si viveret, cœlestem vultum, flexibile corpus, artus, articulosque versatiles, oris habitum, colorem, hilaritatem; ut si non mortuum, sed avocatum sensibus, & divinâ caritate ebrium, ac consopitum intuerentur. Tantâ vi certabatur, ad feretrum appropinquare, ut nullo discrimine conferti nobiles, atque plebeii impetum facerent, & ad contentionem, & pugnam res spectare videretur. Curatum proinde est; immitti armatas magistratuum familias, quæ turbam arcerent, & domum strepitu, ac tumultu liberarent. Eodem ferè momento, quo mortales exuvias destituerunt, ab illo eodem Societatis Sacerdote, qui morienti adstiterat, visi sunt manes ejus, magno cœlitum comitatu in cœlum recipi, & a Beatis Ignatio, ac Francisco Xaverio ad Christum deduci, apparentibus, infinito propemodum agmine, cœlestibus eorum animis, quos ipse salvos præmiserat.

Incredibilis ad feretrum ejus populi, ac optimatum concursus.

Sacerdos, qui morienti Aloysio adstiterat, manes ejus in Cœlũ inter Superos recipi videt.

LXXIII. Ad vitandas Civium turbas, designatum est funeri tempus, quo omnes prandio, ac meridiatione distinerentur. Elatus est itaque sub meridiem. Sed prope exitum emortualis concentûs, incessit iterum magno impetu populus, & sacris immolantium Sacerdotum indumentis ornatum corpus invadit; quod quum fratres ad custodiam adhibiti tueri non possent, neque repellere multitudinem, planè direptum, sublatumque humeris, nè ad intimam nuditatem perveniretur, subducunt: Cives vacuum feretrum expilant, pulvinar, & funebre stragulum in frusta concerpunt, ipsos feretri asseres comminuunt, & subjecta feretro scamna, scalpris exscindunt. Quum itaque jam nihil esset reliquum, quod raperent, & invicem dispertirent; maximæque toto templo exaudirentur prodigiorum prædicationes, quæ rebus ejus admotis, essent consecuta, infinitis clamoribus flagitare cœpit populus, ut corpus produceretur. Fuitque mos gerendus, nè religio in furorem verteretur. Quare iterum, atque iterum productum, & prope denudatum, ac ter ademtum, atque indutum, adnitente Joanne Antonio Geloso, Pactensi Pontifice, qui in interregno Panormitanum Sacerdotium administrabat, jussit Marcellus Spinellus, qui extraordinariâ potestate, Provinciæ ma-

Prope exequiarum exitum, incessit iterum populus, & feretrum diripit.

Sandapila populo distrahitur, & ejus cadaver repositio in loco collocatur.

gi-

Quamplurima per extincti reliquias collata de cœlo beneficia.

gistratum gerebat, ligneo loculo claudi, & terræ mandari, appetente jam nocte; sandapilam verò, populo distrahendam, ac partiendam permittere. Prodigiorum autem genera, & conditiones, quæ per Aloysii reliquias a Deo sunt impetrata, copiosè persequuntur, Michaël Frazetta, & Andreas Puteus. Nobis satis est indicâsse, quamplurimos numerari cœcos, claudos, debiles, mutos, surdos, calculosos, paralyticos, & reliquo insanabilium morborum genere laborantes, ac nonnullos etiam morientes, quibus Aloysii rerum attactus saluti fuit. Redivivos etiam, & a mortis postliminio revocatos tradunt nonnullos, & publicæ fidei testimonio confirmant Tornamira, & Dominicus Stanislaus Albertus, ad quos Lectorem rejicio. Quo loco, ac numero apud Superos fuerit post mortem Aloysius, non obscurè declaravit Maria illa Crucifixa, de cujus sexu, ac sanctitate, quum Mater ejus gestaret uterum, vaticinatus est Aloysius. Candidissima hæc Virgo, IX Calendas Martias, anno 1671, quum nocturnæ daret operam cœlestium rerum contemplationi, humanis avocata sensibus, vidit per mentis speciem, sublimem animam excelso solio insidentem, aliasque minores propemodum infinitas circumfusas animas, quæ solii gradus omnes acervatim stipabant. Sed altiùs eminebat divinitatis sedes, ex qua tres fulgentissimi manabant radii, ita diffusi, ut sublimiorem illam animam omni ex parte invaderent, ac penetrarent, & ex ea redundantes singulas inferiores animas, admirabili luce perfunderent, easque cœlesti voluptate bearent. Audivit postmodum cœleste canticum, divinumque melos, quo circumstans multitudo, in choros distributa, principis animæ laudes, & res gestas, suavissimo concentu, tripartitò ingeminabat. Ardebat Crucifixa cupiditate discendi, quænam esset felix illa, & cæteris excelsior anima, cui reliquæ famularentur. Sed quærere non audenti est demonstratum, eum esse Aloysii Lanuzæ spiritum; circumfusas verò animas eorum esse, quos ipse in vita, ex orci faucibus ereptos, & in cœlum præmisisset, & post fatum recepisset. Declaratum est etiam, ejus rei notitiam ad annum decimumquintum ab Aloysii fato fuisse ampliatam; quòd ea de Aloysio cognoscendi desiderio, jampridem, & plus æquo laborâsset. Existunt ea de re ejusdem Virginis autographæ litteræ, quibus fusè, latéque exequitur, quæ nos strictim conglobavimus. Quod ad sacros Aloysii honores attinet, de virtutibus, ac prodigiis ejus, & vivi, & mortui, legitimas jure suo confecit tabulas Pontifex Panormitanus, quæ post annos quamplurimos, Romam delatæ, & inde Panormum remis-

Michaël Frazet. in vitlib. 1. cap. 14. & lib. 3. cap. 7.
Andr. Puteus in vit. cap. 2. & 3.
Tornam. in Centuriis, & Decuriis inedi-tis.
Albertus in Breviario vit. Aloys. Lanuz.

Quo loco, ac numero apud Superos fuerit post mortem Aloysius, Mariæ Crucifixæ amplissima testificatio.

Virtutum, & sanctitatis ejus acta a Panormitano Pontifice conscribuntur.

missæ cum Clementis XI litteris ad Panormitanum, & Cœphalæditanum Pontifices, ut Romani Antistitis auctoritate summâ renovarentur: ad hanc ætatem, & diem obsignatæ siluerunt, quòd sive temporum injuriâ, sive hominum indiligentiâ, aliæ ex aliis exortæ causæ prohibuerunt, quominus resignarentur: neque unquam deinceps resignandas arbitror, extinctis jam totâ Siciliâ, Aloysii æqualibus, qui de rebus ejus gestis testarentur, de quibus tamen, præter laudatos vitæ Scriptores, honorificentissimè meminerunt Antoninus Mongitore, Nathanaël Sotuellus, Franciscus Maria Magius, Placidus Reina, Joannes Nadasi, Silvius Tornamira, & Antonius Natalis. Edidit hispanicè libellum, quem Carolus Latius italicè conversum renovavit hoc titulo: *Antidotum pretiosum adversùs pestem culpæ lethalis*: item alium ejusdem ferè molis italicè, qui inscribitur: *Duæ machinæ potentissimæ, quibus Animæ ad Deum deducantur*: utrumque quotannis ferè recenti prælo renovatum.

Mongit. Bibliot. Sic. pag. 20.
Magius Soc. Jesu Mariana pag. 179.
Reina not. Hist. Messan. par. 2. pag. 95.
Sotuell. Bibliot. Soc. Jesu.
Nadasi Ann. dier. Mem. par. 2. pag. 236.
Tornam. Prod. Euchar. cap. 15. pag. 353.
Anton. Natal. de cœlest. cõvers. part. 3. n. 910.

LXXIV. Altero post mense Lanuza ad se evocavit P. Franciscum Scorsum Panormitanum, æqualem suum, & sibi morum similitùdine conjunctissimum, qui ut veterum linguarum, & sacrarum litterarum glorià, Provinciam, Societatem, ætatemque suam illustravit; ita religionis, & pietatis præstantià, paucos admodum pares habuit. Ortus est honestis parentibus, nec opulentis, anno 1594. Candidissimam egit pueritiam; emendatam, & ab omni labe remotam adolescentiam, quam in tirocinio Panormitano Societati addixit sub Hieronymo Tagliavia, anno 1610; qui auream adolescentis indolem accuratissimè excoluit, & innocentiam usque adeo adamavit, ut biennio jam exeunte, gravissimâ valetudine affectum, quum omnes invitum dimitti oportere existimarent, interceserit, & solus retinendum censuerit, ac reliquos in suam sententiam adduxerit, eà potissimùm ratione, quòd probatissimum juvenem, & in disciplina permanendi, ac decedendi cupidum, atque ad vitæ confinia properantem, sive mors occupâsset, sive distulisset, nullum, aut brevissimum futurum esset mortis incommodum; magnum, ac diuturnum vitæ emolumentum, atque solatium. Nam si eum mori contingeret, integerrimi adolescentis reliquias, Societati ornamento futuras. Sin viveret; quid non sibi Societas ex tali indole, virtute, atque ingenio polliceretur? Itaque quum pulmonibus sauciis, atque vitio tumentibus, Medici jam non haberent quid præscriberent; Jordanus Cascinus, qui Provinciam cum potestate regebat, Messanam navigaturus, Scorsum extenuatum, atque languentem, ut neque stare, ne-

P. Franciſci Scorſi Patria, ingenium virtutes, & eximiæ res gestæ.

Valetudinis causâ in summo amittendæ Societatis periculo versatur.

P. Hieronymus Tagliavia ejus causam suscipit

Pulmonis vitio tentatus, ut cœlũ vertat, Messanam mittitur.

neque jacere posset, jussit secum navim conscendere, si fortè purioris, ac liberioris auræ haustus, anhelationem, quam nativi gravitas cœli effecerat, temperaret. Scorsus, ut in navigium pedem intulit, recreari sensit præcordia; ut si idem fuisset marinum capere, ac ducere anhelitum, quàm reviviscere. Quare Messanæ sibi redditus, & planè restitutus, litteris strenuam navavit operam, easque percurrit, arripuitque ferè omnes, humanas, sacras, interiores, præsertim quæ ad historiam pertinent, & omnigenam eruditionem, ex fontibus ipsis, & originibus diligentissimè haustam. Adjuvabat conatus ejus, & infinitam legendi cupiditatem, vis memoriæ incredibilis, cujus beneficio quidquid semel didicisset, aut obiter vêrsâsset, sibique tradidisset, nulla oblivio unquam delevit, aut aliorum studiorum contentio interpellavit; quin omnia ita succurrerent, ut si ea, præsenti lectione recitaret. Requisitus proinde de eventibus omnium temporum, & locorum, de Principibus, de Regibus, de Pontificibus, de bellis, atque fœderibus, de præliis, atque victoriis, de hæresibus, eorumque auctoribus, de publicis calamitatibus, de re qualibet, de qua quisquam scripsisset, non secus satisfaciebat, ac si rebus ipsis interfuisset, & nomina, loca, ac tempora adnotâsset. Vetustarum quoque linguarum, quæ ex ore hominum jam abierunt, græcæ præsertim, hebraicæ, ac latinæ scientiâ plurimùm valuit, & eò usque excelluit, ut & legere, & scribere, & interpretari, quidquid ex antiquissimis sive codicibus, sive nummis, sive lapidibus expromtum esset. De latina egregiè fatetur *Latium Christianum*, opus nunquam satis probatum, & prælo restitutum, quod non ediderit, nisi qui latinitatem omnem penitus consumsisset. De græca optimè testatur Theophanes Cerameus, Pontifex Tauromenitanus, undecimi rectiùs, quàm noni sæculi Scriptor, cujus orationes, Scorsus a græca origine ad latinitatem primus transtulit, & evulgavit; in eoque labore eximiam utriusque linguæ peritiam, & facultatem mirificè ostendit. Hebraicam unà cum græca non modò annos ipsos quatuordecim in Collegio Panormitano publicè tradidit; sed egregiè profestus est in *Prophetia Davidis illustrata*, quam duobus prægrandibus voluminibus comprehensam, a Romanis censoribus probatam, atque laudatam, & prælo designatam, fato interceptus ineditam reliquit; & Collegii Panormitani Bibliotheca, in pretiosis illustrium ingeniorum monumentis servatam habet.

Messanæ sibi redditus, studiis strenuam navat operam.

Historiarum ejus summa peritia, & memoriæ vis incredibilis.

Ejus linguarum summa scientia.

Quæ ab eo fuerint edita, atque inedita monumenta.

LXXV. Scorso adhuc vivo, tanta ad transalpinos etiam, & trans-

Digitized by Google

& transmarinos litterarum cultores doctrinæ ejus fama manaverat, ut in summis Societatis comitiis, ad quæ, anno 1650 externæ omnes nationes Romam convenerunt, laudabiliter sit de eo commemoratum, & communi consensu editum, Provinciam Siculam, tam litterato viro gloriari meritò posse, cui utinam Societas plures haberet eruditione pares! Quo tempore Joannes Austriacus junior cum classe Panormum venit, transmarini Sacerdotes, qui classiariis excolendis præpositi unà conscenderant, ut terram attigerunt, nihil tam cupidè flagitârunt, quàm Franciscum Scorsum agnoscere, cujus maxima erat ubique terrarum, litterarum existimatio: nam obviumquemque rogabant: *Ubi est Franciscus Scorsus, Europæ nostræ lumen?* Doctissimus Andrada, Pontifex Panormitanus, statim ac ad Sacerdotium capessendum ex Hispania appulit, Franciscum Scorsum conquiri jussit, & ad se deductum, atque complexu, & osculo exceptum, rogavit, nè gravaretur ad assidua, & familiaria colloquia redire; quibus tantopere est delectatus, ut interdum asseveraret, merito ejus esse longè minora, quæ de tanti viri eruditione fama prædicaret. Extant Theophili Raynaudi ad Franciscum Scorsum litterarum exempla, quibus vigilias ejus mirum in modum commendat, & litterarum omnium bono natum hominem dictitat. Unius Epistolæ datæ Calendis Junii, anno 1647, hoc est initium. *Reverentia Vestra labores exosculor, & non effluxerat hora, quando litteræ sunt mihi redditæ, quum aliquot capita Præludiorum ad Theophanem, magnà meà voluptate perlegeram.* In altera pridie Calendas Octobres, hæc sunt. *Probatas versiones, bonis adnotationibus locupletatas, nemo prater Reverentiam Vestram, ac similes, potest edere in lucem. Quodcunque tamen erit, quod ex ista incude prodibit, erit mihi semper acceptissimum, quia ex ungue Theophanis perspexi leonem.* In tertia, nonis Maji sequentis anni sic legitur. *Ceterùm quo ad doctos, labor Psalmorum non poterit non esse acceptus, idque ipse laudator testatus sum Patri nostro.* Quascunque emisit studiorum vigilias, humaniorum litterarum munditiis omnibus respersit, quas adolescentulus supra ætatem in deliciis, & amoribus habuit: nam ante annum decimum sextum, & initam Societatem, pastoritiam Christi nascentis concinnavit fabulam latino carmine, scenæque commisit in Collegio Panormitano, ac spectatoribus flagitantibus, quater reposuit. In Societate studiis emensis, domesticos Rhetores annos omnino quindecim instituit, atque optimis artibus tam sapienter informavit,

Singularis ejus doctrinæ opinio, atque præstantia.

Quanti ejus doctrinæ abundantiam exteri fecerint, exponitur.

Theophili Raynaudi ad P. Scorsum perhonorificæ litteræ.

In amœnis, severisque disciplinis ejus non vulgaris peritia.

ut ex ea palæstra eximii scriptores, Poëtæ non vulgares, summi Oratores prodierunt. Interpretatus est etiam Aristotelis Ethicorum libros; & sacros demum Codices, annos ferè decem, in eodem Panormitano Collegio, tam insigni auditorum frequentiâ illustravit, ut nullum esset tam amplum conclave, quod numerum reciperet. Itaque paucos in Provinciæ fastis reperio, cui tanta obvenerit laus, & opinio doctrinæ. Nam & nihil nescire, & amœnas, severasque disciplinas tenere omnes, ferebatur; neque obtrectatorem invenit, qui diffiteretur, Franciscum Scorsum universæ thesaurum esse eruditionis, & vivam, vocalemque Bibliothecam.

Ejus in Societate munera summa cũ laude obita.

LXXVI. At longè major, & singularior censenda est virtutum supellex, quam litteris conjunxit locupletissimam. A prima ad supremam ætatem, candidam, puramque animam, labe nullâ fœdavit, & corpus veneris expers omnis, feretro obtulit. Mentem, & animum ita Deo, divinisque rebus perpetuò addixit, ut litteris horas quotidie aliquot, se non præbere, sed commodare diceret, vocaretque commodata Minervæ tempora, interpositiones quasdam, atque parentheses cœlestium cogitationum. Adnotabat diebus singulis, quæ inter supplicandum menti affulsissent, atque inhæsissent divinæ lucis vestigia, reliquitque ea de re, latinâ oratione, descriptos commentarios, quos quum evolverem, vehementer sum admiratus, in tanta studiorum, & litterarum abundantia, tam exquisitam, & assiduam cœlestium curarum administrationem coalescere, & tamdiu permanere potuisse. Universam autem vitæ, morumque suorum rationem, hisce verbis, sic de se scribens complexus est: *Attestor, hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum, ut quod in divinæ laudis, & obsequii proventum cedit, id sequar, id velim, id eligam; omniaque ad Deum laudandum, & quàm possim maximè glorificandum, omnia, inquam, mea studia, cogitationes, actionesque referam.* Quare præter invariatam, atque constantem domesticarum legum custodiam, nihil unquam agere, loqui, scribere, aut cogitare consuevit, quod non accuratâ deliberatione, rectissimum videretur. Familiarem exprompsit consuetudinem, qualem emendatissimi viri in communi, socialique contubernio solent instituere, non austeram, tristem, atque difficilem, sed hilarem, jucundam, & ut innoxio, eruditoque sale conditam, ita a censura, & morositate alienam. Parum commodà, & plerunque adversâ usus valetudine, corporis imbecillitatem, mirâ somni, ac cibi parcitate su-

Ejus præclara merita, ac eximiæ virtutes commemorantur.

Quænam fuerit vitæ, morumque suorũ ratio, ipse de se testatur.

Domesticarum legum ejus exquisita custodia, comitas, & hilaritas.

Digitized by Google

sustentabat. Lætioribus propterea diebus, ac lautioribus, quibus naturæ desiderio nonnihil indulgere non est nefas, nè apponi quidem passus est, quod vulgare non esset, & planè quotidianum. Reliquam frangendi, subigendique corporis austeritatem, & morum integritas, & lucubrandi assiduitas, & perpetuæ valetudines facilè excusârunt. Marianam a *Purificatæ Deiparæ* titulo Sodalitatem, annos sexdecim vitæ supremos, in Collegio Panormitano administravit, intermortuam, & paucitate, atque inopiâ languentem exuscitavit, numerum magno cum delectu auxit, Sacellum ornavit, & ampliavit, pretiosam cumulavit supellectilem, disciplinam, & religiones invexit, & Sodales ad eam vitæ conditionem adduxit, quam religiosorum hominum claustra minimè aspernarentur. In hoc laborum, doctrinæ, atque virtutum cursu merentem mors occupavit, nec tamen inopinata: præsenserat enim integer, intimo quodam admonitu, ut in commentariis ejus adnotatum reperio, non multùm abesse fatale tempus, seque ad vitæ exitum, secessu, & studiorum vacatione comparavit. Moriens testatus est, se quum superioris ætatis annos respiceret, nihil in omni vita spectâsse, præter divinæ gloriæ incrementum. E vivis excessit in Collegio Panormitano, XIV Calendas Januarias, annum agens secundum supra sexagesimum. Defunctum splendido funere, ac communibus lacrimis extulerunt Mariani Sodales, qui memores ejus erga se meritorum, ut extincti desiderium lenirent, depictam ejus imaginem proponendam curaverunt cum hoc elogio. *P. Franciscus Scorsus Panormitanus Societatis Jesu, spectatæ virtutis vir; humanarum divinarumque litterarum scientissimus, & de nostra Purificatæ Virginis Sodalitate, singulari ejus operâ, ex integro penè instituta, & perpetuo per annos XVI studio in dies aucta, & illustrata optimè meritus, obiit XIX Decembris, anno Sal. MDCLVI. Ætatis suæ LXII. Religiosæ vitæ XLVI.* Præter ea quæ adnotavimus summi hujus ingenii monumenta, laudantur etiam *Vita S. Agathonis Papæ, & Odarum liber* dissimulato auctoris nomine. Item *Carminum duo volumina* inedita. De Francisco Scorso cum laude commemorant, Sotuellus, Mongitore, Rocchus Pirrus, Hippolytus Maraccius, & Philippus Labbè.

Ejus in sumendo cibo parcitas, ac temperantia.

Purificatæ Deiparæ Sodalitatem Panormi languentè exsuscitat.

In Collegio Panormitano vitam sanctissimè claudit.

Mariani Sodales funus ejus lacrimis, ac depictâ imagine cohonestant.

Sotuell. Bibliot. Soc. Jesu.
Mongit. Bibliot. Sic. pag. 239.
Rocch. Pirr. lib. 2. Sic. Sacr. pag. 443.
Hippolyt. Maracc. Biblioth. Marian. part. 1. pag. 436.
Philipp. Labbè Chronol. Pinacoth. script. Soc. Jesu pag. 412.

LXXVII. Ad hunc annum consultò rejicere visum est initia Collegii Alcamensis, quo gymnasiis publicatis, & censu constituto, primum ejus magistratum iniit P. Silvius Tornamira, hujus historiæ dux, atque fax, cujus tam egregia sunt erga

Collegii Alcamensis initia, & progressus.

id domicilium merita, ut ejus auctor, & conditor, re, operâ, consilio, habeatur. Est Alcamum mediterranea Siciliæ Civitas, nobilis, & opulenta, cui Alchamachus Africani exercitùs imperator, qui nono sæculo Siciliam invasit, atque devicit; Selinunte deletâ, in Bonifati montis fastigio conditæ nomen fecit; Fridericus verò Secundus Rex Siciliæ, nil præter nomen reliquit; eversam enim, deductis popularibus, ad radices montis traduxit, eisque incolendam dedit; mœnibus, turribusque egregiè munitam. Hanc P. Gaspar Paraninfus, Societatis studiosam, & inferendæ cupidam unicè dilexit, concionibus excoluit, ad eam ventitavit, suique amoris testimonium reliquit, ab eo institutam, & legibus ornatam Trinitatis Sodalitatem, quæ mirificè coaluit, & perpetuis incrementis eò usque adolevit, ut quum grande Sacellum Sodalium numerum non reciperet, coloniam aliò deduxerit, & ex una in duas abierit, atque futuri Collegii spem civibus fecerit, cujus imaginem præferebat. Adjuvit Paraninfi conatus V. P. Aloysius Lanuza, qui magnis laboribus, atque prodigiis, Societatis desiderium cumulavit, & se vivo, invehendam prædixit: Dedit interea Societati præclarissima Civitas voluntatis suæ quasi obsides illustres homines, qui Provinciam, & Patriam, virtutibus, ac litteris ornaverunt, P. Augustinum Spinonem, ingenio clarum, qui in Collegio Panormitano Philosophiam insigniter tradidit, & vitam posuit; P. Franciscum Marinum, qui generis claritatem religione illustravit, & aviti patrimonii censum Collegio Panormitano addixit; P. Petrum Fratachiam, generosum Jurisprudentiæ doctorem, & magni nominis causidicum, qui probitatis, & pietatis gloriâ inclytus, Societati se adjecit quadragenarius; & Tirocinio Panormitano, cujus rem familiarem, summâ fide, atque industriâ procuravit, rusticum, pretiosumque prædium, usucapiendum attribuit, donec Alcamense Collegium conderetur, ac in Provinciæ monumentis vir summus, & sanctus appellatur; P. Silvium Tornamiram ex Jaconiæ Dynastis genitum, domesticarum rerum laboriosissimum, accuratissimumque Scriptorem, & Provincialium monumentorum lumen, qui familiarium virtutum eruditionem in suos mores transtulit, & elegantiùs vitâ, quàm atramento descripsit.

Alcami dignitas, situs, & origo.

PP. Paraninfi, & Lanuzæ Alcami labores, & erga eam merita.

Quos Alcamũ dederit Societati illustres homines.

LXXVIII. Præmissa hæc Collegii Alcamensis pignora, atque præjecta semina, ad maturitatem adduxit Jacobus Abbas Alcamensium præclarissimus, qui fortuito, sed memorabili casu, ex juvenili intemperantia, ac levitate, tanti operis instituendi occasionem nactus, ejus aggrediendi, perficiendique

Jacobus, & Vincentius Abbas., fortuito casu, Alcamensi Collegio cẽsum instituunt.

Digitized by Google

que consilium cœpit, cum Vincentio Fratre, honestissimo Sacerdote communicavit, & B. Ignatio adnitente, collatis voluntatibus, atque fortunis, explevit. Erat Jacobus natu major, naturâ iracundus, & vehemens, sed propter miram ingenii jucunditatem, facetiarum, jocorum, acuminum facilè princeps. Sortitus est adolescens uxorem, incautis amoribus prælibatam; etsi gibbo, & insigni naso conspicuam, atque obnoxiam suspicionibus: sterilem præterea, nugacem, emacem, atque difficilem. Quare morum ejus acerbitatem, & linguæ intemperantiam pertæsus, perpetuas cum ea gessit simultates; quarum odio, inauditum divortii genus excogitavit. Nam, quum iratam, & maximè conviciantem diutiùs ferre non posset, per speciem pacificationis, quasi in amplexum, & oscula rueret, blandis verbis reconciliatam corripuit, dentibus nasum perstrinxit, & amputavit. Quumque ille uxoris nasum, & gibbum proram, & puppim dictitare consuêsset; ut eam naso carentem vidit; *I, nunc*, ait, *furia, & alium quære, qui gibbum adimat, ut amatoribus tuis, salutationis causâ verissimè mittas, navem prorâ, puppique carentem*. Ea de re graviter postulatus, fugitans, & quàm diutissimè extorris, exilio denique multatus Siclum venit; ubi quum jactaret inter æquales Alcami decora, diceretque præter presbyteros, & iis minores templorum administros, ac sacras Virgines, octo ibi religiosas ali, atque florere familias, Dominicanam, Augustinianam, Carmelitanam, Paulanam, & quatuor Franciscanas; reposuit nescio quis; *Caretis ergo Collegio Societatis, sine quo jacere litteras, languere bonas artes, abesse pietatem, & religionem, juventutis institutionem nullam esse, necesse est*. Pupugerunt ea verba Jacobi animum, & altè menti insederunt. Quare extinctâ jam pridem uxore, in patriam revocatus, statim ac Alcamum attigit, nihil tam cordi fuit, quàm cum Vincentio Fratre sedulò agere, ut paternam, maternamque hæreditatem vivi addicerent Societati, & Collegium inchoarent. Ardebat eádem cupiditate Vincentius, sed judiciis, exilio, peregrinationibus, æs alienum grande contractum, & exhaustum, ac ferè dilapidatum ostendit patrimonium; domum, & agros vix esse reliquos, oppignoratam, distractam, divenditam pretiosam supellectilem, cætera dilapsa omnia. *Atque utinam*, inquit, *Deus, vitam, & fortunas dederit, quando hærede caremus! Nihil esset optabilius, quàm æternum Patriæ, ac civibus impertiri beneficium*. Accepit Jacobus conditionem, & *quoniam*, ait, *isto es animo, fidem nostram Deo, ac B. Ignatio,*

Jacobi Abbatis cum uxore perpetuæ simultates.

Uxoris nasum dentibus perstringit, & amputat, eamque tandem repudiat.

Ea de re exilio multatus Siclũ petit.

Qua occasione Jacobus Sicli animum conceperit, instituendi Alcami Societatis Collegium.

Extincta ejus Uxore, Alcamum redit, & cum fratre agit de censu condendo, & ea in re difficultates.

Digitized by Google

tio, sacramento obligemus; quacunque fortunarum copia, explicato ære alieno, deinceps suppetet, eam fore Societatis. Annuit Vincentius. Tangit uterque Evangeliorum codicem, & pollicitationem jurejurando confirmat. Deus fratrum propositum de cœlo ratum habet. Lætissimæ quotannis sationes, uberrimæ messes, lautissimæ frumentationes, atque vindemiæ, pecudum, pecorumque mira fœcunditas, emptorum multitudo, exardescentia in immensum annonæ pretia: intra annum vigesimum, deletis nominibus, restitutâ re familiari, redemptis pignoribus, insignem cumulavere pecuniam, quam Vincentius Abbas, Jacobo e vivis erepto, Panormi apud urbanum ærarium ita collocavit, ut seni pro centenis ex eâ annui redirent, censumque constituit quingentorum supra mille aureorum. Tum voti memor, & reus, officiosissimis litteris, Ludovicum Bompianum admonuit, per se non stare, quominus Alcami splendido censu, Collegium conderetur. Itaque anno 1650 eò missus est P. Cosmas Scamaca Leontinus, qui Vincentio Abbati, Societatis, ac Provinciæ nomine gratias ageret, & rebus omnibus obsecundaret. Vincentius postridie Calendas Junias, legitimâ stipulatione, publicas signavit tabulas, quibus duo, & quadraginta aureorum millia Collegio Alcamensi, gratuitâ liberalitate dono dedit, quorum tria, & triginta millia essent cum usuris collocata, millia novem, & quod excurrit, præsenti pecuniâ, quibus ædificatio institueretur, eâ dumtaxat præscriptione, ut doctores quinque alerentur, quorum tres latinæ linguæ elementa gradatim traderent, unus Philosophiam, alter sacram morum disciplinam. Quibus ritè peractis, anno 1653, accesserunt publicæ Goswini litteræ, quibus stipulationem ratam habuit, jussitque, P. Silvium Tornamiram designari, qui ædificationem procuraret. Nihil fuit Abbati, & Alcamensibus, Tornamiræ adventu optatius, nihil ad conficiendum negotium conducentius. Ædificium enim instituit sumtuosum, atque magnificum, & supra communem Collegiorum conditionem, excelsum, & amplum, gratulante eximiis lætitiæ significationibus civitate, quòd jam ea moles oculis cerneretur, quam tamdiu flagitâssent. Post decennium ferè, Tornamira cum doctoribus coloniam intulit, & primus omnium ipse præfuit, ædificatione eatenus provectâ, quoad commodè habitaretur. Sed humanarum rerum vicissitudines ita tulerunt, ut paucos post annos, continuò census dilaberetur; & Tornamira opus intermittere, familiam doctoribus exonerare coactus sit. Quum enim temporum, atque homi-

Omnia eorum bona, explicato ære alieno, Societati attribuere, sacramento se obligant.

Deus fratrum propositum de cœlo ratum habet.

Vincentius Abbas cum Bompiano agit, de censu constituendo.

Duo, & quadraginta aureorum millia Collegio Alcamensi attribuit: & ejus censûs conditiones.

P. Silvius Tornamira a Goswino designatur, qui ædificationem curet

Post decennium coloniam infert, & Collegio præest.

Digitized by Google

minum injuriâ, Panormitanæ Civitatis ærarium conturbasset, & annuæ pensiones interiissent, collocatæ fructus pecuniæ nullus deinde extitit, nisi post annos quamplurimos. Non tamen defuere piorum largitiones, & ex testamentis legatorum subsidia, quibus repentina inopia sublevaretur, & ædificium quadantenus attolleretur.

Collegii census dilabitur, & qua de causa.

CAPUT XII.

Illustrium Virorum pleraque funera, atque virtutes. Quinque Provinciales Conventus, totidem Provinciæ Antistites, P. Josephus Castelnovus, P. Ignatius Moncada, P. Joannes Jacobus Vicecomes, P. Marcellus Spinellus, & P. Andreas Poteus, aliique, qui inciduñt eventus, usque ad annum 1672.

APerit annum 1657 P. Datius Agliata, qui uno tempore Collegii Melitensis magistratum inchoavit, & vitam clausit. Ortus est Panormi nobilissimo genere, ex oriunda ab Pisis familia, Calendis Februariis, anno 1608; eodemque die, annum ætatis numerans sextum decimum, Societatis disciplinæ Panormi se mancipavit, sub egregio illo vitæ magistro Jordano Cascino, a quo præter virtutes reliquas, insignem hausit Societatis amorem, quem totâ vitâ diffusum, in eo præsertim volumine declaravit, quod virilis ætatis curas ejus omnes implevit. Quum enim, exactis bonarum artium, non absque ingenii gloria, studiis, amœniores, politioresque litteras adamaret, & in Collegio Panormitano latinas Musas, Rhetorum doctor excoleret, eò potissimùm ingenii vires ex illo tempore contulit, ut universæ Societatis res laudabiliter gestas, latinis litteris illustraret, & in immensum ferè volumen per virtutum genera ordinatim cogeret: quem deinde laborem, quoad vixit, urgere non destitit, & paulò ante fatum, numeris omnibus absolutum, & prælo idoneum, Panormi ad censuræ limam, & incudem reliquit. Præfixit Codici titulum: *Virtutum Heroicarum Societatis Jesu Speculum Historicum*; litteraque præmisit ad universam Societatem, caritatis, officii, & observantiæ plenissimas, quarum initium est hujusmodi. *Universæ Jesu Societati Datius Agliata Salutem. Æquissimo ad te jure redit, Parens supra votum amantissima, quod a te felicissimè profectum est. Sua nimirum incuna-*

1657

P. Datii Agliatæ ortus, genus, & in Societatem ingressus.

Ejus erga Societatem studium, & ingenii monumenta.

Ejus ad universum ordinē litteræ plenæ amoris, atque virtutis.

nabula repetunt virtutum fœtus, atque gestarum honestissimè rerum, veluti flumina ad vastissima amplitudinis tuæ oceanum refluunt, & meritò relabuntur. Congruit initio finis cum hac clausula: *Hoc itaque fuit consilium, domesticos domesticis urere stimulis, juvare exemplis. Quod si optimæ Parentis filii approbent, opera nostra pretium fecerint. Sin minus, erit hoc qualecunque observantiæ meæ, gratique animi monumentum; erit erga carissimam Matrem amoris mei testimonium, cui ut atramento, ita sanguine litare paratus sum; erit denique exaggerandæ virtutis vestræ religiosum utique votum, cujus quidem, si me Deus optimus maximus reum fecerit, tum verò operam, laboremque meum, benè beatéque collocàsse judicabo. Vale. Ex Collegio Thermitano ad Selinuntios, Calendis Sextilibus, anno MDCLV.*

Majorum exēpla sibi tradit, eaque in suos mores accuratissimè transfert,

II. Ex hoc domesticarum virtutum ærario, & ut ipse scribit, veluti speculo, quod dies, noctesque ob oculos positum tamdiu intueri necesse habuit, salutaria sumsit religiosæ vitæ elementa, & in suos mores accuratissimè transtulit. Nam *sive* magistratum gereret, sive in quotidiana consuetudine privatus versaretur, lectissima quæque majorum exempla sibi tradidit, & in suis factis, ac dictis priùs legenda præbuit, quàm litteris ea mandaret. Utrumque autem præstitit elegantissimè: neque facilè judicaveris, scripseritne laudabiliùs, an vixerit. Quo tempore Collegium Lilybœtanum administravit, propter insignem animi candorem, & innocentiam, meruit Aloysii Lanuzæ faciem radiantem, & scintillantem quotidie ferè intueri. Præfuit etiam Calatahieronensi Collegio: atque in utroque magistratu disciplinam primam habuit, neque tamen cuiquam gravis fuit, quod severitatem exemplis, & eximiâ quadam caritate, ac modestiâ temperaret. In domum exinde Panormitanam, ad Marianam regendam Nobilium Sodalitatem, id temporis florentissimam, evocatus, eo in munere tantam sibi probitatis, ac sapientiæ opinionem conciliavit, ut universam nobilitatem sibi devinxerit, & digito monstrarentur Optimates, & Principes Civitatis, qui non ab ejus ore, ac nutu penderent. Ea res nonnullorum obtrectationes post quadriennium concitavit; quare Marcellus Spinellus hominem invidiæ subducendum absens censuit, & Collegio Melitensi præficiendum curavit. Quod quum nobilitas gravatè ferret, & in eo retinendo conspiraret, Agliata obtemperandi studiosus, conatus ejus occupavit, neque spatium reliquit officiosis conquestionibus, sed antequam Spinellus rescriberet, se subtraxit, &

V. P. Lanuzæ faciem radiantem quotidiè ferè intuetur.

Ejus in Societate munera, ac magistratus.

sum-

Digitized by Google

summâ hieme, maximis itineribus, Syracusas contendit, & ad fatum properavit, incitavitque moriendi necessitudinem. Veritus enim nè Spinelli litteris opprimeretur, quibus invitum invitus revocaret, profectionem maturavit, & nondum ex quinque dierum itinere, ac lassitudine recreatus, navem conscendit onerariam, qua parum commodâ valetudine, & implacidâ usus tempestate, quarto die, Melitam vectus est; sed exhaustis viribus exinanitus, ac propemodum inediâ, & nauseâ exanimatus statim decubuit, neque lectum, nisi extinctus reliquit: nam peremptoria febris illico erupit, quam admotæ tibiis cantharides exacerbârunt, putrescentibus, quæ exinde contraxerat, ulceribus; neque interea singulare quicquam sibi apponi sustinuit, quod nauseam sedaret, & vires reficeret. Quare acutissimis excruciatus doloribus, exustisque cantharidum veneno cruribus, quadragesimo die, inediâ consumtus est, XII Calendas Februarias, immaturo planè fato; quum ætatis annum undequinquagesimum vix attigisset. Mirum autem fuit, quod Melitæ parum notus, quum efferretur, & domestico, privatoque funere tumularetur, tantam de se sanctitatis famam excitaverit, ut ad feretrum ejus, incredibili frequentiâ, populus turmatim convolaverit, & Joannitæ etiam equites, ac magnæ crucis Proceres, popularibus permixti, ægrè ad manus exosculandas pervenerint.

Melitæ, itineris causâ, decumbens, extinguitur.

III. Inter summa Provinciæ ingenia, qui doctrinâ inclaruerunt, præcipuum habet locum P. Joannes Petrus Mustica, Thermitanus Himerensis, qui hoc etiam anno, in Collegio Panormitano, annum ætatis numerans tertium, & septuagesimum, vitam amisit. Rusticis ortus parentibus, pueritiam rure egit, adolescentiam dedit litteris, & propter ingenii excellentiam, anno ætatis tertio supra vigesimum, nostris tironibus Panormi adjectus est, supplevitque natalium conditionem virtutis abundantia. Studiorum cursu propere exacto, humanas, divinasque artes in Collegio Panormitano domesticis, externisque semel, & iterum tradidit, tantâ commendatione doctrinæ, quantam eâ ætate, non alius est consecutus. Nam frequentissimo Gymnasio dictata ejus excipiebantur, cupidissimè transcribebantur, totâ Provinciâ dissipabantur, & eò magis, atque a pluribus flagitabantur. In publica verò disputationum palæstra, sive sua scita tueretur, sive aliena oppugnaret, nemo ejus disceptantis vocem, acumen, impetus, & dicendi ubertatem ferre poterat, quin suâ sponte conticesceret. Eo autem differente, silebant omnes, detinebatque audientium

P. Joannes Petrus Mustica Societati Panormi adjicitur.

Ejus ingenii acumen, & in disputando impetus, & ubertas.

aures vehemens quædam, & facunda elegantia, quæ certissimè efficeret, quidquid ille propugnaret. In hac doctrinæ celebritate, & sacrarum litterarum scientiæ gloriâ, omnibus maximè cognitus, & magno numero habitus, quum e suggesto descendens, Patrem suum ad januam præstolantem vidisset, pannosum, hirtum, incultumque senem, ad eum advolavit, & manum, aperto capite exosculatus, in gymnasium intulit, atque *hic est*, ait, *Pater meus*. Quem deinde manu apprehensum, & per porticus, & atrium circumductum, in interius conclave invexit, ac obvium quemque, sive externum, sive domesticum, quasi glorians, & generis humilitatem ostentans, iisdem verbis admonebat, nè ignoraret, quo patre Joannes Petrus Mustica natus esset. Dignam heroicis sæculis tanti viri temperantiam, quæ præsentium oculos, menteſque admiratione defixit, utpote insigne excelsæ, consummatæque virtutis documentum, apud omnes domesticarum rerum Scriptores, commemoratam, atque inculcatam reperio, & *posteris nostris* communicandam censeo, nè oblivione hauriatur, aut consenescat. Clamosis disciplinis perfunctus, emeritos annos ad sacram morum doctrinam tradendam contulit. Qua in re tam singularem explicandi impeditissimos nodos assecutus est facultatem, ut in ipso vestigio quæstiones illustraret, quas alii diuturno studio non extricâssent. Magni proinde ad eum fiebant consulentium concursus, neque quisquam fuit, qui quidquid ipse censuisset, non acquiescceret. Decimo ante fatum anno, P. Hieronymi Tagliaviæ, paulò ante extincti manes ei se obtulerunt, & de divini judicii severitate admonuerunt. Quo ostento perterritus, supremum vitæ decennium emendatissimè traduxit, ut ad annum 1647 demonstravimus. Nam qui hilari quadam naturæ alacritate nonnihil sibi indulgebat, austeram deinde vivendi rationem aggressus est, seque totum religionibus tradidit; quasi Tagliaviam obnuntiantem, & officii sui monitorem dies, nocteſque animo cerneret, & ob oculos positum vereretur. Itaque secedendi, silendi, ac supplicandi cupidus, domesticorum juniorum institutioni, non vulgari disciplinæ incremento, præfectus est; & in eo munere desideratus est in Collegio Panormitano, tertio Idus Septembres, quum annos quinquaginta in Societate, doctrinâ, & pietate clarus meruisset.

Eximiæ temperantiæ ejus singulare documentum.

Occasione oblatâ, sui generis humilitatem ostentat, & gloriatur.

Sacram morum doctrinam Panormi, omnium plausu, atque concursu tradit.

P. Tagliaviæ Manes ei se ostendunt, eumque de Christi Judicis severitate admonent.

Quænam exinde fuerit ejus vitæ ratio, & domesticarum legum observantia.

1658 IV. Jam ab anno superiore P. Marcellus Spinellus Provinciâ decedens, Junio ineunte, magistratum transmiserat, in interregno extra ordinem P. Josepho Castelnovo, qui Septembri exeun-

Digitized by Google

exeunte, ordinarium adiit honorem, & hoc anno 1658, ad tertio Nonas Majas, Provincialem Conventum Messanam convocavit; diem deinde gravibus de causis ampliavit, neque præstituit; denique quum pestilentia ex Italia abiisset, apertis jam itineribus, publicis litteris, VIII Calendas Sextiles Messanà datis, dictus est dies ad V Nonas Octobres, quo die convenere in Domum Mamertinam quadraginta numero Patres cum Castelnovo, qui eos commodè, ac sapienter gravissimis verbis est in commune allocutus, hortatusque, ut in suffragiis ferendis, publico potiùs consilio, ac studio, quàm privato ducerentur. Postridie ad Acta litteris consignanda, designatus est P. Aloysius Fardella Drepanitanus, qui Collegii Societatis in Patria magistratum gerebat; adjectusque operæ socius P. Franciscus Raymundus Panormitanus, Rector Collegii Calatanixetensis; dictique sunt Provinciæ controversiarum arbitri, & qui postulata, de quibus ad Conventum referretur, seligerent, P. Joannes Parisius Rheginus, Domui Mamertinæ Præpositus, & P. Melchior Balduccius Syracusanus. Triduo interjecto, postridie Nonas, primâ suffragatione, creatus est magno consensu, Provinciæ Procurator, qui Romam Acta proferret, P. Stephanus Turturetus Messanensis; cui si fortè prohiberetur, subrogatus est, latis quintùm suffragiis, P. Melchior Balduccius. Septimo Idus deliberatum est de cogendis summis universæ Societatis Comitiis, & dissentiente nemine, censuerunt Patres, ea non esse cogenda, quòd neque necessaria viderentur, neque multùm abesset nonus annus, quo essent novo Clementis jure convocanda. Sed Castelnovus antequam Conventum dimitteret, apud eum gravissimè questus est: *Incertis rumoribus inaudiri, non deesse, qui clandestinis consiliis, partienda iterum Provinciæ semina jacerent, & veterum simultatum causas exsuscitarent. Nihil se ea de re habere comperti. Orare tamen Patres, ut si quid esset exploratum, rem, & auctores enunciarent, neque committerent, ut tam insignis culpa rei, si qui invenirentur, inulti, atque indemnes abirent.* Laudavit Conventus Castelnovi studium, rei gravissimæ impensum. Placuit tamen, incompertum conatum, & nullis indicibus manifestum moveri non oportere. Actum est denique de Postulatis, quæ Turturetus Romam deferret. Duo, ex tribus, de quibus relatum est, sunt rejecta. Primum erat. Designari aliquos, qui accepti, & expensi Provinciæ rationes, non satis adhuc accuratè pensitatas, & temperatas, cognoscerent; & a Goswino contendere, ut Provinciæ procuratio duobus mandaretur, divisis Collegiis,

Provincialis Cõventus gravibus de causis ampliatur, tandem Messanæ cõvocatur.

P. Stephanus Turturetus, primâ suffragatione, Procurator eligitur.

P. Josephi Castelnovi ad cõvocatos Patres gravis oratio, & qua de causa.

Postulata Romam a Turtureto deferenda

atque negotiis; quoniam unus ægrè omnia complecteretur, & rectè administraret. Alterum erat, Chium Domicilium, a Provincia maximè dissitum, rectiùs alicui ex Galliarum Provinciis attribui, quæ nonnulla haberent in proximis Ægei maris insulis, constituta domicilia, ex quibus facilè Chium mitteretur, qui rem familiarem, & disciplinam, & homines intueretur. Nesciri in Provincia quid apud Chios agerent Socii, & pauci, & Chii, nisi ex ipsorum litteris, quarum, pleræque invicem dissentirent, & contraria nunciarent. Itaque una dumtaxat valuit postulatio, qua petebatur: *Ut quandoquidem multi, qui veri sunt accusatores, delatoris sæpè personam induunt, juberet Goswinus custodiri decretum XII Congregationis VII, contra falsos delatores, & statutas in eo pœnas infligi.* Visa est Goswino non satis æqua postulatio, quæ accusationis, & delationis speciem ostenderet, quum multi calumniæ insimularentur, neque quinam essent, enunciaretur, neque qua ratione peccâssent, demonstraretur. Videri proinde adversùs legem, quam appellaret, & custodiendam flagitaret, feciſſe Conventum, qui plures accusâsset, quos neque nominaret, neque flagitii manifestos teneret.

P. Goswini ad Provinciam rescriptum.

V. Naturæ concessit hoc anno, septuagenarius P. Paulus Bellius Justinianus, paterno, atque materno genere nobilissimus Mamertinus, qui litterarum cupidus, & earum gloriâ conspicuus, propter singularem tamen gubernationis scientiam, virtute, atque prudentiâ summâ administratam, perpetuis ferè in magistratibus versatus est: ita tamen aliis præfuit, ut qui rectionis fructum sibi proposuerat non ambitiosam, jucundamque dominationem; sed ærumnosam, atque sollicitam servitutem. Collegia administravit, Plateense, Syracusanum, Catanense, Drepanitanum, & extra Provinciam Romanum Seminarium: denique propter compertam viri probitatem, & religionem, præfectus est tironibus Mamertinis, quo in magistratu summo Provinciæ consensu jussus est, Romanis adesse universæ Societatis comitiis, quibus duo supremi creati sunt Antistites, Alexander Gotifredus, & eo postmodum extincto, Goswinus Nichel. Regnabat tum Romæ Innocentius X, qui propter cognationem Pamphiliæ gentis cum Justinianorum genere, Paulum Bellium Justinianum sibi affinitate conjunctum, magno numero habuit; consanguineos ad eum ventitare jussit, rhedam, & famulum quotidie misit, assiduis colloquiis cum eo familiarissimè egit, fecit magnarum rerum participem, laudavit consiliorum prudentiam, & interdum questus est, quod neque suâ, ne-

P. Pauli Bellii Justiniani, Patria, generis nobilitas, & virtutes.

Perpetui ejus Magistratus, & in iis solertia, ac temperâtia.

Ad summa Societatis comitia mittitur; ubi quæ ab Innoc. X acceperit affinitatis, & benevolentiæ signa.

Digitized by Google

neque suorum causâ quicquam peteret. Bellius tamen admirabili temperantiâ id unum postulavit, ut sibi liceret, ætate jam gravi, ad tirones suos in Provinciam remigrare, ibique æterna potiùs, quàm humana cogitare. Ad suos regressus, & tironum præfecturâ perfunctus, in Domum Mamertinam se recepit; & reliquum vitæ spatium secedens & hominum vitans consuetudinem, Marianis studiis, vigiliis, ac religionibus totum præbuit; donec acerrimâ tentatus valetudine, ad mortalitatis exitum pervenit. Erat tum hospes in Domo Mamertina Balthasar Loyola, Societatis candidatus, postea alumnus, & maximum in ea nomen, regio genere ortus, & proximus Regni hæres, de quo ad annum 1667. Hic Bellio carissimus, & propter morum similitudinem, mutuâ familiaritate conjunctus, decumbenti perpetuò aderat. Sed Idibus Januariis, ut sensibus destitutum, & supremos anhelitus edentem vidit, magno cum fletu in Templum descendit, ut morientem Deo commendaret. Itaque quum Sacerdos ad aram maximam immolaret, & ipse de genu adesset, ac supplicaret, conspicatus est Paulum Bellium ad infimum altaris gradum sinistrorsum, stantem, tristem, gementem, trepidantem, tremebundum, dentes ex metu, & angore animi collidentem, ut qui ante Christi tribunal causam diceret, neque haberet, quo se expurgaret, & imminentem sententiam magnopere formidaret. Balthasar, qui paulò ante, lecto jacentem, & moribundum reliquerat, ostento perterritus, neque qua ratione amico laboranti subveniret, reperiens, parum abfuit, quin animo linqueretur. Sed uterque paulò post singulari *Deiparæ* beneficio est recreatus. Nam Bellius repentinâ lætitiâ, luctuosissimas lacrimas in festivissimas vertens, in genua procubuit, & pronus terram fronte contingens, ter exclamavit: *Gratiam habeo maximam, clementissime Deus*. Tum surgens, ad Loyolam conversus adhuc paventem, & propemodum exanimatum: *Balthasar*, inquit, *parum abfuit, quin æterno supplicio addictus, stygiis tortoribus traderer. Deipara intercessit. Ejus clementiâ, atque gratiâ salvus sum*. In his verbis, & Bellius videri desiit, & Loyola ferale signum audivit, quo extincti exitus nuntiabatur. Magnum sanè Societatis hominibus monimentum, nè sibi quicquam de salute confidentiùs polliceantur; utque *Deiparæ* religionem, pro disciplinæ institutis studiosissimè colant, & pro viribus amplificent.

Summâ ejus temperantiâ in Provinciam remigrare petit, & obtinet.

In Domo Mamertina gravi tentatus valetudine vivere desinit.

Balthasar Loyola, eâ ipsâ horâ, qua Bellius obiit, ante Christi Tribunal eum trepidantem vidit.

Deiparæ beneficio, æterno supplicio liberatur.

P. Dominicus Bruuaccius in vita inedita P. Balthasaris Loyolæ, lib. 1. c. 13.

VI. Quanto autem studio pro *Deiparæ* gloria Paulus Bellius laboraverit, ex eo licet existimare, quod in Domo Mamer-

Deiparam summa religione colit, & ejus cultum amplificat.

mertina Marianum sive ærarium, sive armamentarium instituit, ex quo posteri, sive arma, sive copiam peterent, quibus *Deiparæ* religionem jam ornarent, & augerent; jam tuerentur. Nam libris undique conquisitis, quorum scriptores *Deiparæ* res gestas, & virtutes, & laudes illustrârunt; Bibliothecam condidit, atque congessit Marianam, quæ magnis deindè incrementis, & accessionibus aucta, pretiosissimum est hodie Domûs Mamertinæ ornamentum. Plurimum quoque curæ, atque laboris impendit, in illustranda Virginis Matris Epistolâ ad Mamertinos, ut ejus cultum, celebritatem, ac publicos honores ad eum splendorem, & magnificentiam adduceret, quam nostrâ hac ætate miratur orbis terrarum, & nullibi esse ampliorem, aut parem confitetur. Edidit enim latinè Dissertationem, quam inscripsit *Gloria Messanensium*, sive *De Epistola Deiparæ Virginis scripta ad Messanenses*; & summa ingenia princeps excitavit, ut ejus Epistolæ veritatem, eruditis vigiliis propugnarent, atque ad historiæ fidem componerent. Eo igitur auctore, tam insigni apparatu, ac finitimorum concursu, is dies celebrari cœpit quotannis, quo III Nonas Junias *Deiparæ* ad Mamertinos litteræ datæ perhibentur, ut Joannes Nadasi, a P. Stephano Turtureto, Romæ se accepisse tradiderit, relata Messanæ, anno superiore, octoginta capitum millia, quæ eo die divinum Epulum frequentaverint. Neque tamen Bellii erga *Deiparam* pietatem, & caritatem omnem exprompsimus. Nam duobus insuper magnis voluminibus complexus est: *Millelogium Encomiasticon Marianum, mille titulis, totidemque elogiis in laudem B. Mariæ Virginis, ex variis scriptoribus concinnatum, & in Centurias distributum*; Quod in Bibliotheca Mariana Domûs Mamertinæ silet inditum, & in pretiosis monumentis numeratur. Scripsit etiam, & edidit, simulato nomine Lelii Palumbi, *Capellanum, seu Eleemosinarium Christi pro SS. Animabus Purgatorii*. Item *Historiam Dominicæ Passionis, ex SS. quatuor Evangelistis contextam. Horologium Animæ contemplantis; & Memoriale Christi patientis*. Necnon *Coronam Ss. Trinitatis, in honorem B. Virginis Dominæ nostræ, cum modo eam recitandi, & commemoratione Sacræ Epistolæ ad Messanenses*. Denique *Theatri Mamertini poëticam descriptionem*; & italicè *Sacrificium Abrahami*, tragicis numeris scenæ accommodatum, quod Seminarii Romani Rector emisit, & confluentibus spectatoribus quater dedit. De Paulo Bellio honorificè commemorant, tamquam de viro doctrinâ illustri, Sotuellus, Mongi-

Ejus de Epistola Deiparæ Virginis scriptâ ad Messanenses editæ vigiliæ.

Nadasi Ann. dier. Memorab. ad tertio Non. Junias.

Alia ingenii ejus edita, & inedita monumenta.

Sotuel. Biblioth. Soc. pag. 646.
Maracc. Bibliot. Marian. par. 2. pag. 206.
Mongitor. Bibl. Sic. part. 2. pag. 220.
Placid. Rein. Not. Hist. Mess. part. 2. pag. 312. & 531.
Joseph Maur. Messan. pag. 195
Anton. Messin. Strav. Sir. p. 3. pag. 281.
Vincent. Coronell. Bibl. tom. 5. num. 2685. pag. 870.

Digitized by Google

gitore, Maraccius, Reina, Maurus, Messina, & Coronellus.

VII. Non habet annus 1659, nisi præclara quædam nostrorum hominum funera, & prodigia quamplurima, quæ per B. P. Ignatium, Deo auctore, uno ferè Quintili mense patrata sunt. Occurrit in primis P. Ignatius Balsamus clarissimo genere Mamertinus, qui anno ætatis decimoquinto, sæculi decimiseptimi duodevicesimo, humanis rebus se abdicavit, & Societati Messanæ nomen dedit. Nullum desideravit naturæ ornamentum, quo summus orator haberetur. Accessit doctrina non vulgaris, quæ ingenii virtutes, & nativam facundiæ præstantiam cumulavit. Primum sacræ eloquentiæ specimen apud populares suos propemodum adolescens per Christiani jejunii ferias Messanæ præbuit; auditusque est tantà civium voluptate, atque fructu, & uno demto Aloysio Lanuzà, nemo alius, aut tales excitaverit animi motus, aut similem auditorum frequentiam promeruerit. Flagitatus proinde, & officiis omnibus expetitus, præcipuas Provinciæ Civitates concionando lustravit, & singularis facundiæ glorià plurimùm valuit. Sed severiores sacri præconii curas, nonnihil amœnioribus litteris temperavit; quarum duo superant egregia, & eo vivo, pervulgata monumenta; nempe unum, & alterum carmen *De Mariæ Litteris ad Mamertinos, & Martyrio Sanctorum Placidi, & Sociorum.* Extat etiam *Deiparæ* laudatio, prosà oratione, quam Messanæ, in Marianæ Epistolæ celebritate recitavit, & flagitante Senatu, edi passus est ære publico. Incidit tamen grandævus in popularium suorum invidiam, & obtrectationem, quam junior sapienter vitaverat. Quum enim dimissis concionibus, apud suos consedisset, & perturbatà tum civili motu Republicà, se partium fluctibus involvisset, dedit accusationis ansam delatoribus, & Marcello Spinello causam animadversionis, cujus severitatem & hic duriter administravit, & ille molliter tulit. Exutus enim jure suffragii, & pronà jam ætate, ad Thermitanum Selinuntiorum Collegium secedere jussus, ibique cum Tertianis tironibus vitam agere, insanabilem ex ægritudine animi contraxit valetudinem, cujus acerbitate propediem extinctus est. Sed antequam vità excederet, a Majoribus impetravit, ut & Concionum volumen, & scripta omnia, & quæcunque alia sui juris, atque usùs fuissent, ad eum ipsum pervenirent, qui delationem expromserat. Obiit in eodem Collegio Thermitano sexto Idus Majas, annos natus sex, & quinquagìnta; anno ab inita Societate primo supra quadragesimum, a quatuor Votorum sacramento quarto, & vigesimo.

1659

P. Ignatius Balsamus Messanæ nostris Tironibus adjungitur.

Facundiæ ejus virtutes, ornamenta, & plausus.

Mongitor. Bibl. Sic. part. 1. pag. 309. col. 1.

Messanæ in graviorem calamitatem incurrit.

Ad Thermas Selinùtias mittitur, ubi valetudine contracta, extinguitur.

Im-

Digitized by Google

VIII. Implevit hoc anno Aloysii Lanuzæ vaticinationem P. Cæsaris Boschi fatum, quem inter clariora Provinciæ lumina, præcipuum habere locum comperio. Tauromenitanâ origine, generosis Parentibus Panormi natus est, anno 1576. Ætatis decimo sexto, postridie Calendas Quintiles Societati se devovit, cujus adeundæ facultatem quum detulisset P. Bartholomæus Riccius, adolescentis pudore, ingenio, atque virtute tantopere captus est, ut a Provinciæ magistratu, ad Romani tirocinii præfecturam evocatus, Cæsarem secum deduxerit, & disciplinæ suæ alumnum esse voluerit; atque ibi coram se, quarto Idus Quintiles, anno 1594 primum Societatis sacramentum dicere. Hausta sub Riccio religiosæ vitæ elementa, in Provinciam regressus, magna cum laude exeruit, & ita aluit, atque excoluit, ut nihil esset eo elegantius, nihil suavius, ac temperantius, sive cum æqualibus, sive cum majoribus ageret. Philosophiam Romæ acceptam, & in Collegio Romano traditam, in Collegio iterum Panormitano, inusitato auditorum concursu docuit. Erat enim in disceptando vehemens, acutus, perspicuus, resonans, & ingenio, ac linguâ promtus. Post Philosophica stipendia, Theologica ibidem doctor fecit, & annos ipsos sexdecim meruit, nunquam satis commendatus propter divinarum litterarum scientiam, & morum suavitatem, atque elegantiam. Prodiere ex ejus institutione summi doctrinâ, ac sanctitate viri, Aloysius Lanuza, Franciscus Sparacinus, Antoninus Blandus, aliique quamplurimi. Sed in ipsa docendi palæstra, elucebat excelsa quædam sapientia, qua Majores nostri admonebantur, quantus futurus esset in gerendis magistratibus. Itaque anno 1623, dictus est Rector Collegii Drepanitani, eoque in munere expectationem superavit. Rem enim auxit familiarem, ædificationem instituit, disciplinæ studium primum habuit, & civium animos officiis, moribus, beneficiis, familiaritate, sibi ac Societati conciliavit. Sed quos non recipit casus humanæ vitæ conditio? Nam in magno, ac repentino necis periculo, versatus est. Diversabatur per eos dies in Collegio Drepanitano Marcus Grua Pontifex Mazaritanus, qui intimam contraxit cum Cæsare Boscho familiaritatem, & consuetudine ejus ingenuâ, piâ, atque eruditâ eò usque delectabatur, ut horas negotio vacuas cum eo omnes traduceret, eique rebus omnibus gratificari studeret. Quare domesticum templum solemni ceremoniâ dedicavit, Pontificalia munera in eo exhibuit, & nè Cæsaris colloquiorum suavitate privaretur, semestris ferè hospitii spatium cum eo consumsit. Ea animorum con-

P. Cæsaris Boschi fatum, virtutes, & egregia facinora.

P. Bartholomæus Riccius Romæ Tironibus præficitur, & Provinciâ discedens Cæsarem secum deducit.

Eximia ejus ingenii vis, & in tradendis superioribus disciplinis peritia singularis.

Quos, & quantos habuerit in ea palæstra auditores.

Ejus in gerendis magistratibus eximia solertia, atque dexteritas.

Marci Gruæ, Pontificis Mazaritani cum Boscho familiaritas, & consuetudo.

Digitized by Google

conjunctio opinionem injecit Drepanitanis, omnium Gruæ consiliorum Boschum esse participem, & nihil apud Pontificem geri, quod non ex ejus voluntate proficisceretur. Ea res magnam homini conflavit invidiam. Contendebat Dominicus Gallianza Sacerdos Drepanitanus lauto potiri sacerdotio, & deprecatores apud Pontificem adhibuerat Principes civitatis, & Aulicorum potentissimos, quorum pollicitationibus quod maximè optabat, spe devoraverat, præproperà tamen, & immaturà. Quare sacerdotio excluſus, quod Boscho inscio, atque inconsulto, alius abstulit candidatus, in eum tanquam repulsæ auctorem exarsit, & ad eum ferro necandum advolavit. Colloquebatur tum Boschus in suo conclavi cum Floriano Spezia Bevanienſi, qui Pontifici a manu serviebat, viro gravi, spectatæque virtutis, qui anno ætatis duodequinquagesimo, in societatem ascitus, singulari probitatis famâ extinctus est post annum octavum in Collegio Lilybœtano. Ea res innoxio homini saluti fuit; neque tamen Gallianzam, furentem, & iracundiâ æstuantem deterruit, quominus irrumperet, & gladio districto, Boschi jugulum, & faciem appeteret. Boschus brachio ictum excipit, & sicam avertit. Florianus se interponit, & magnis clamoribus familiam convocat. Gallianza in vincula conjectus, post triennium triremibus addicitur; sed Boscho ipso deprecatore, pro remo exilium nactus est. Quo insigni facto iterum admonemur, quàm periculosæ sint Societatis hominibus, qui mitem, inermem, & inuriæ perviam sequuntur disciplinam, intimæ, nimiæque virorum Principum familiaritates, quæ suspicionem habent, & invidiam.

Quænam ex eo hominum in Boschum suspiciones, & invidiæ.

In repentinæ necis periculo versatur, & quæ de causa.

Dominicus Galliāza, sacerdotio excluſus in Boschum irruit, eumque ad necem petit.

IX. Mira sunt, quæ Cæsar Boschus in Collegio Drepanitano reliquit magistratûs sui monumenta. Rusticum prædium ad rupes, Drepano proximum, muro circumsepsit, eóque ex Baroniſſæ remotissimo, singularum hebdomadum rusticationem transtulit. Latinam S. Eustachii tragœdiam per autumnales ferias, ære domestico in templo dedit, præludiis ornatam, lætis exodiis, saltationibus, concentibus, cum scenarum varietate interjectis; eamque bis reponi jussit. Quæ res spectaculi novitate, personarum elegantiâ, Actorum alacritate, civitatem mirificè recreavit, & Societati commodiorem effecit, quàm antea fuisset. Quare quum ejus industriâ res Collegii Drepanitani florentiores sese quotidie ostenderent, & confluentium numerus in dies augeretur, novum publicavit de sacra morum disciplina gymnasium, cui primus omnium doctor præfuit P. Bernardus Crescentius Agrigentinus, tantâ Presby-

P. Boschi erga Collegium Drepanitanum præclara merita.

Novum ibi de sacra morū disciplina gymnasiū publicat.

terorum frequentiâ, quantam designatum ad id conclave non exciperet. Turrim templo contiguam excitavit, in qua & vetûsta, & quæ ex integro conflari, & consecrari curaverat, magni ponderis collocaret tintinnabula, quorum maximum *Mariam*, alterum *Rosaliam* nuncupavit. Sed nihil tam excellentis hujus viri solertiam, & animi magnitudinem illustravit, quàm teterrima illa pestilentia, quæ anno 1624 peregrinis invecta mercibus, Drepani primùm grassari cæpit. In tam insigni casu amplissimæ, frequentissimæque civitatis, omnia Cæsar excogitavit, quibus publicæ, privatæque calamitati mederetur. Gymnasia, & sodalitates dimisit. Conciones in templo, & hominum coitiones haberi vetuit. Mulieribus exclusis, viros tantùm ad sacra officia admisit, & ad expiationem accedere, audirique noluit, nisi procul, & singulos, & velo, atque chartâ interiectis. Remotissimum conclave, & in horto domestico sepulcrum designavit, quo ii seponerentur, quos lues vel afflâsset, vel peremisset. Pretiosam templi supellectilem, libros, & utensilia omnia, quorum quotidianus, ac necessarius non esset usus, in unum locum congessit, quem coram testibus publicâ auctoritate obsignavit, nè quis deinceps contenderet, ea expurgari, aut concremari debere. Flagitantibus ex familia plerisque, contagiosorum obsequio destinari, quatuor designavit, quorum nullus esset quadragenario minor, duos Sacerdotes Bernardum Crescentium, & Petrum Mulcum Bisbonensem: duos fratres, qui eis ministrarent, Joannem Trigilium Milillanum, & Franciscum Rizzum Aliensem. His a reliquorum communione segregatis gymnasiorum atrium attribuit, ex quo non prodirent, nisi candidati, & præmissis fratribus, qui tintinnabulis obvios admonerent, ut secederent. Duos item per intervalla emisit Sacerdotes, P. Franciscum Spucces, & P. Placidum Carnovalium Panormitanos, qui alternis diebus, diversas unà lustrarent civitatis regiones, & egentium familias pecuniâ sublevarent: nec ipse labore abstinuit, quin aliquando exiret, & Patres, Fratresque subsequeretur, qui domos inopum bini obirent, & cibariorum ope juvarent. Pridie eorum dierum, qui majorem haberent religionem, Patres honestas domos adire jussit, qui patenti in aula mulieres audirent, & expiarent. Singulis itidem diebus festis, aram pro templi foribus excitavit, ut feminæ, quæ domi se continere jubebantur, ex proximis fenestris immolantem intuerentur. Octavo quoque die, P. Nicolaum Cardum Næætinum immisit, qui nudis pedibus, funem

In subveniendis Drepani lue tentatis, Boschi industria, atque solertia.

Nostri ad contagiosorum obsequia sapienter a Boscho designantur.

Nostrorum in eo caritatis officio munera, atque labores.

Digitized by Google

nem collo pendentem, & Christi simulacrum manu gerens, quatuor apparentibus externis Sacerdotibus, qui Lauretanas Mariæ laudes concinerent, per vias celebriores populum convocabat, & ad fori porticus deductum, aperto in loco adhortabatur, magno audientium luctu; in quibus fuit, qui quadragesimum jam annum expiationem refugerat, & concionibus ejus commotus, denique se respexit. Bis denique ad supplicationem prodiit cum universa Familia, & Marianis sodalibus, quorum insignis erat numerus. Egressi sunt ex templo bini omnes, absque calceis, & tibialibus, spinis redimiti, funibus collo, & pectori circumpositis, lugubre carmen concinentes; & semel adiere Marianum extra mœnia simulacrum: iterum Christi e cruce pendentis signum maximè religiosum, quod apud *Prædicatores Cœnobitas* insigniter colitur. Frequentavit, laudavitque civitas utrumque spectaculum, & piâ quadam contentione æmulari certavit. His administrationibus, atque præsidiis Boschus publico bono consuluit, civium animos sibi demeruit, cælestem iram pacavit, rem domesticam conservavit, & suos omnes incolumes recepit, ut in tanta civium clade, ex familia neminem desideraverit. Atque ex hoc magistratu intelligi potest, qua navitate, & celsitudine ingenii gesserit reliquos; gessit autem intra, & extra Provinciam ampliſſimos.

Aliæ per id tẽpus a Boscho prẽstitę religiones.

Socios, quos ad illud officiũ miserat, omnes incolumes recepit.

X. Sed Mutius Vitelleschus, Boschi eruditionis famâ commotus, quam hic de se Romæ excitaverat, & in Provincia mirum in modum auxerat, ad se venire jussum; Theologicæ disciplinæ in Collegio Romano tradendæ præfecit, ibique contigit quo tempore Boschus anno 1633, Provinciæ missu ad Romana Procuratorum comitia convenisset, ut quum Augustinus Oregius adversùs eum publicè disceptaret, vir summus, & divinarum litterarum scientissimus, ac in ipso æstu disputationis codicillis, & nunciis moneretur, cooptatum se Urbani Octavi decreto, Purpuratorum Collegio, a disceptatione non desiterit, & eàdem animi alacritate, institutam argumentationem ad horam usque protraxerit; testatus Cæsaris Boschi doctrinam, & propugnandi, quæ statuisset, facultatem, sibi quavis purpurâ jucundiorem fuisse. Addit Antoninus Mongitore, honoribus a Boscho gestis studiorum præfecturam in Collegio Panormitano. Sed domestica monumenta non congruunt, & negare videtur P. Franciscus Bardus ejus æqualis, & consanguineus *in Præfatione* libri *de Conscientia*. Verùm accurato Siculæ Bibliothecæ scriptori, qui nihil temere adstruit, fidem abro-

A Vitelleschi Romam vocatur, & scholasticæ disciplinæ tradendę præficitur.

Augustin. Oldoinus in Vit. Pontific. tom. 4. pag. 593.

Mongitor. Bibl. Sicul. append. 1. tom. 1. pag. 11.

Mongitor. ibid.

Digitized by Google

gare non ausim. Emeritis litterarum stipendiis, sexagenarius ferè ad honores redire jussus, anno 1633 Domum Panormitanam regendam sumsit, & summum templum immenso sumptu concameravit, ac tholum coloribus, atque imaginibus insignivit, quem magistratum, Alberto auctore, ad annum sextum produxit. Rexit deinde bis per intervalla Domum Romanam, teste Francisco Bardo; item Provinciam Siculam quadriennium, ab anno 1639, ex qua gradum fecit ad Venetam transpadanam, cujus Antistes anno 1645 adfuit Romanis summæ Societatis comitiis, quorum suffragatione, Vincentius Carafa universæ disciplinæ præfectus est. Extremum gessit magistratum in Domo iterum Panormitana, in cujus exitu, anno 1655, octogenarius jam, & deploratâ valetudine morti proximus, Aloysii Lanuzæ beneficio est recreatus, qui morienti quadriennium a Deo impetravit, memor annorum quatuor, quibus Boscho Divinarum doctori litterarum dederat operam. Secutus est Cæsar Boschus gubernandi conditionem, *cautam*, & circumspectam, sed ingenuam, atque severam; non austeram, & asperam; conditam quidem lenimentis humanitatis, & charitatis; post diuturnæ tamen deliberationis maturum, serumque consilium, inexorabilem. Accuratissimus disciplinæ custos, & vindex, suique juris maximè retinens, eorum, quibus præerat, reverentiam magis promeruit, quàm amorem. *De Fide, Spe, & Charitate* volumen sub incude, & lima versabat, quum Provinciæ magistratu prohibitus, curas a litteris ad negotia transtulit, & lucubrationes omnes prælo designatas, nondum tamen idoneas, silere maluit, quàm inornatas sine dignitate prodire. Quare servantur præterea inediti in Bibliotheca Collegii Panormitani libri *De Physica*, *De Cœlo*, & *Generatione*, *De Metaphysica*, *De Angelis*, *De Actibus humanis*, *In Primam Secundæ D. Thomæ*. Extremum vitæ triennium posuit in Domo Panormitana, robustâ, & integrâ usus senectute; atque quod majus est, minimarum quoque Societatis legum servantissimus. Desideratus est XIII. Cal. Septembres, quum annum vitæ ageret quartum, & octogesimum.

XI. Postridie peregrè obiit P. Georgius Tagliavia, in Castello Veterano, quod est ex veteris Entellæ ruinis conditum oppidum, generosis natus Parentibus. Sortitus est naturæ beneficio, ferax, amplum, & rerum omnium capax ingenium. Societati se adjecit anno 1612: ætatis decimo sexto. Severiores, minioresque litteras ita coluit, ut inter ævi sui litteratissimos viros doctrinæ gloriâ præstiterit, & sive disceret, sive do-

ce-

Ejus tum intra, tum extra Provinciâ amplissimi magistratus, & honores.

Franciscus Bardus lib. de Conscientia in Præfat. ad Lectorem.

Morti proximo P. Lanuza quadriennium a Deo impetrat.

Ejus gubernationis ratio, scientia, atque dexteritas.

Ingenii ejus inedita monumenta.

In Domo Panormitana tandem occumbit.

P. Georgii Tagliaviæ ingenium, virtutes, & in Societate munera.

Digitized by Google

ceret, doctoribus æquè, atque discipulis operam suam probaverit. Philosophicas, divinasque artes in Collegio Panormitano tradidit, a mentis acumine, & memoriæ, ac linguæ facultate singulariter commendatus. Sed prudentiâ maximè inclaruit, & ut summos, ita vulgares, & infimos magistratus, pari solertiâ, industriâ, ac disciplinæ emolumento gessit. Honores a Collegio Thermitano Himerensi aggressus est, & perpetuos ad vitæ exitum administravit. Rexit deinde Drepanitanum per intervalla sexennium, ibique accuratissimæ, elegantissimæque rectionis argumenta edidit. Nam templum, ejusque faciem exquisito marmore ornavit, Bibliothecam egregiè concinnatam expolivit, & libris auxit; intimum ædificium a sordibus, & vetustate redemit, & pictis imaginibus induit, ædibus rusticationi designatis speculam, & prospectum adjecit, Iniciani prædii vineas muro circumvallavit, ibique pomarium instituit, & armentorum, jumentorumque greges amplificavit. Ejus tamen navitas potissimùm eluxit in communi valetudine, quæ anno 1634, ex morbidi aëris gravitate Civitatem consternavit, & crebris funeribus afflixit, atque ad infrequentiam redegit. Primùm enim religionibus salutem impetrandam, & redimendam arbitratus, assiduâ cæremoniâ, crebrisque concionibus, Templo frequentiam horis omnibus maximam conciliavit, additâque interdum quadraginta horarum supplicatione, populum ad sacra officia deduxit. Sacerdotes deinde omnes prodire jussit, singulis Civitatis regiones attribuit, ut morbosis, & morientibus præsto essent; ipse oppidi partes omnes concursavit, & pauperrimum quemque corporis, animique remediis diligentissimè recreavit. Familiam verò ita continuit, & antidotis, atque alimentorum delectu, & alternâ rusticatione eò usque sublevavit; ut vitium nemo contraxerit, omnes incolumitatem integri retinuerint. Præfuit postmodum Collegio Melitensi, mox iterum Drepanitano, quod difficillimo tempore industriam, & sapientiam ejus flagitavit; item Collegio S. Francisci Xaverii Panormitano; & continenter semel, & iterum Panormitanis tironibus, ad annum 1650. Ex eo tempore, Francisci Piccolominei litteris Romam evocatus, Venetam primùm Provinciam, deinde Collegium S. Petri in Vaticano, quod Romanam *Pœnitentiariam* nuncupamus, administravit; Alexandri Septimi voluntate, qui morum ejus suavitatem, consiliorum feracitatem, & doctrinæ abundantiam admiratus est: atque eo in magistratu extinctus est annos natus tres, & sexaginta. Prodiit ex prælo Panormitano Italicum

ejus

Philosophiam, ac Theologiam Panormi tradit.

Collegio Thermitano primũ, deinde Drepanitano præficitur.

Quantum Drepanitanũ Collegium P. Tagliaviæ industriæ, & curæ debeat.

In publica Drepanensium calamitate Nostrorum, & Tagliaviæ studia, atque labores.

Alii Tagliaviæ perhonorifici magistratus, & doctrinæ monumenta.

ejus Opusculum *De Septem Angelis*, item *Funebris Oratio*, qua laudavit Lucium Dentium, Regiæ Magnæ Curiæ Præsidem. Elucubravit denique *Contemplationes in Joannem*, quæ silent ineditæ, & laudantur a P. Vincentio Tancredo Panormitano, qui hoc etiam anno, in Domo Panormitana, IV Calendas Novembres, maximè ulcerosus, admirabili fortitudine animi, extinctus est quinquagenarius. Sacram morum disciplinam insigni scientiâ complexus est universam, meruitque *Synodalium* Censorum numero adscribi a Purpurato Montalto Peretto Monregalensi Pontifice, cui erat apprimè carus, & intimâ familiaritate conjunctus. Pervulgavit superioribus annis, duo volumina *De Matrimonio*, tertium *De Religione*, quartum, & quintum *De Quæstionibus Moralibus*. Reliqua limantem, fatum oppressit planè immaturum.

Anton. Mongit. Bibl. Sic. part. 1. pag. 255. col. 1.

Vinc. Tancred. de Relig. tr. 3. lib. 2. disp. 9. pag. 402.

Mongitor. Bibl. Sic. part. 2. pag. 296. col. 1.

XII. Commemorationem pariter promeretur Frater Hieronymus Gattus Melitensis, cujus vitam laudabiliter gestam, & ad octogesimum annum productam sera mors delibavit. Perpetuam exercuit sui, rerumque suarum negligentiam, in aliorum obsequiis, & sui muneris administratione æquè laboriosus, ac diligens. Novorum indumentorum usum sibi in omni vita interdixit: vetusta in deliciis habuit, & ea nè mutare cogeretur, detrita, & collabentia ipse clanculum sarciebat. Patres, & juniores ad Sacerdotium designatos, qui moribus Societatis, habent cum Fratribus rerum omnium communionem, ut majores verebatur, dominosque suos vocitabat, quibus inserviendis, & famulandis se post Deum in Societate præbuisset; & astutè, ac diffidenter secum agi querebatur; siquis operâ ejus, officiosè magis, quàm imperiosè uteretur. Tempus omne, sive domesticis obsequiis, sive religionibus dabat. Conquisitus proinde, ut aliquid committeretur, nunquam alibi repertus est, quàm vel in Sacello, vel in sui muneris officina: quare communi proverbio erat apud domesticos pervulgatum, Hieronymus Gattus, *aut orat, aut laborat*. Vinum, cujus erat naturâ appetens, annos ipsos sexdecim vitæ supremos, & senex admodum, nunquam gustavit, quamvis cellam procuraret vinariam, & promum, ac condum interdum ageret. Viriles annos domestica in tonstrina consumsit, tonsorum omnium peritissimus, idemque solertissimus, atque in vena solvenda tam certus, & felix, ut externi etiam optimates, quibus difficillima esset sanguinis missio, ad eum sine periculo, & molestia depellendum, manum, & operam ejus flagitarent. Eo in munere unus ferè ducentis tam accuratè satisfecit, ut nullam diei partem

F. Hieronymi Gatti mors, & eximiæ virtutes.

Paupertatis ejus, ac temperantiæ præclara monumenta.

Ejus cum Deo familiaritas, & assidui laboris studium.

Ejus munera in Societate cum laude obita.

Digitized by Google

tem labore vacuam relinqueret, neminem ad aliud tempus rejecerit; apud se enim habebat descripta tempora, quibus quisque occupatione vacaret; & singulis idoneam, ac curis solutam horam condicebat, atque cunctantes admonebat. Quare obnoxiam conquestionibus administrationem, annos quamplurimos sine querela consumsit. Canos emptor transegit, medius semper inter parcitatem, & affluentiam, inter obedientiam, & caritatem: nam diligentiâ magis, & gratiâ, quàm impensâ nitebatur, & optima quæque cibaria comparabat, sed minimè pretiosa: nempe utramque virtutem ita temperavit, ut ex duabus unam fecerit, eorum, qui communiter vivunt, ingeniis, & rationibus accommodatam. Quod si in re aliqua titubâsset, aut titubâsse putaretur, nedum reprehensionem non refugiebat, aut culpam excusatione elevabat, sed objurgari se, & publicà etiam pœnà multari, gaudebat, & flagitabat. Conspicuis hisce meritis, atque virtutibus, magno semper in Collegio Panormitano habitus numero, maximam de se opinionem, amorem, ac desiderium reliquit, XV Calendas Decembres.

In Collegio Panormitano vivere desiit.

XIII. Venio jam ad cœlestiâ beneficia, quæ hoc anno a Deo per B. P. Ignatium sunt impetrata. Decem supra centum, reliquis prætermissis, præcipua enumerat, suis ad Castelnovum Provinciæ Antistitem litteris, P. Josephus Robertus Salemitanus, qui rebus ipsis interfuit, Calatanixetæ collata; quorum, quantum properanti fas est, accurato cum delectu nonnulla tradam, quæ testatiorem habent fidem, & religionem. Decumbebat gravissimè Antonius Mazziotta, deque ejus vita Medici desperaverant. Adfuit noster Sacerdos, & morientem, supremis officiis expiatum consolatus, aquam misit, in qua B. P. Ignatii Reliquiæ fuissent adjectis immersæ religionibus. Eam quum æger ex vitrea phiala potaret, animadvertit in ipsa ampulla B. Ignatii simulacrum vivum, atque pellucidum: viderunt etiam, eo admonente, & prodigium exclamante, quinque numero adstantes. Mox visi sunt ea in aqua lemures plurimi, variâ belluarum figurâ: nam qui aderant, sues, tigres, canes, aliasque bestiolas intuebantur, quas B. Ignatius reluctantes coërcebat, & pedibus conculcabat; præsertim verò lemurum principem, formâ æthiopem, quem erumpere conantem, & magnâ vi repugnantem elidebat, & ad imum detrudebat. Trepidantibus omnibus, phiala ad eximiam intumuit magnitudinem, & collum distorquere cœpit, atque in omnem partem convertere: aqua verò moveri, turbari, ni-

Quamplurima per B. Ignatium de cœlo impetrata beneficia.

Antonius Mazziotta, aqua Ignatiana morbo ex fascinatione profecto liberatur.

Lemures quãplurimi, in ea aqua commorantes, audito Ignatii nomine, evanescunt.

gre-

greſcere, ut ſi atramento inficeretur. Obriguit quoque ampullam manu tenentis brachium. His præſtigiis exterriti, qui ſpectaculo intererant, in genua procumbunt, & proni B. Ignatium conclamant. Ad eas voces aqua reſedit, & perſpicuitatem recepit, phiala ad priſtinam rediit molem, æger repentè convaluit, & eodem die gratulationis causà, in templum Societatis venit, & ad aram B. Ignatii ſupplicavit. Percunctante autem Roberto, teſtati ſunt unus, & alter medicus, qui morienti adfuerant, ac de oſtento compererant, & morbum ex faſcinatione profectum, & curationem prodigio aſſignandam.

Locuſtarum agmina Calatanixetenſē agrū invadūt, & Collegii prædium vaſtare incipiūt

XIV. Quum ſegetes a maturitate parum abeſſent, & vineæ teneros adhuc racemos alerent, denſiſſima locuſtarum agmina, quæ nubium inſtar, Solis conſpectum adimebant, Calatanixetenſem agrum invaſere, & quidquid eſſet viride depaſcebantur; ſed teneros præſertim ariſtarum thyrſos, & ſcopos racemorum, & fruticum, atque olerum caules, quibus interciſis, ariſtas, & racemos, & gignentium fœtus omnes in terram defluere neceſſe erat, atque annonæ ſpem intercipere. Magnus earum globus in Collegii prædio ſub noctem conſederat, & ſata omnia vaſtare cœperat, eà tempeſtate lætiſſima. P. Fridericus Piſa Meſſanenſis, qui Collegio præerat, ut cognovit quanto in periculo ſeges ampliſſima verſaretur, famulum eò properare juſſit, qui aquà Ignatianà prædii fines reſpergeret, & Sacerdotem ſummo mane eódem miſit, qui religionem accuratiùs renovaret. Sed locuſtæ ante lucem prædio exceſſerant, & finitimos circum agros populabantur, in quibus exigua erat viridis pabuli copia; pleniſſimos, uberrimoſque reliquerant. Quod quum eſſet pervulgatum, & quòd ea ſeges non longè aberat a Civitate, non pauci ad ſpectandum prodigium accurriſſent; nemo fuit tam indiligens, & rerum ſuarum parum ſatagens, qui non locuſtarum adventum occupare ſtuderet, & ſegetes Ignatianà lymphà ante luſtrare feſtinaret, quàm illæ advolarent. Itaque qui adhibità diligentià, delibatos nondum agros eà religione ſacraverunt, hortos, vineas, pomaria, fruges omnes incolumes ſervaverunt.

Prædium Ignatianâ aquâ reſperſum relinquunt, & finitimos agros aggrediuntur.

Eádem religione agri luſtrantur, & incolumes ſervantur.

XV. Puella nuptui tradita, difficilem, & plagoſum nactа virum, ac tortorem potiùs, quàm maritum, aſſiduis appetebatur verberibus, & contumeliis. Sed nihil tam graviter miſeram excruciabat, quàm viri in ſocrum immanitas, anum, & viduam: nam nè conſpectum quidem ferre poterat, & conviciis oneratam ſæpè domo pepulerat, atque ſub divo pernoctare coëgerat: quin & uxori edixerat, ut optaret, utrum mallet, ma-

Puella B. Ignatii beneficio, ab imminenti ex veneno mortis periculo liberatur.

Digitized by Google

maritum, an matrem retinere, cum qua sub eodem tecto unà esse, diutiùs non sustineret. Itaque quotidiano in luctu versabatur, quod alterutrum erat gravissimum, sive matre, sive marito carere. Statuit proinde ærumnosam, tristemque vitam morte finire; quod & propere efficere quum conaretur, acerrimum, & peremptorium, marito absente, matre insciâ, venenum de nocte sumsit; & illico sensit conceptum virus; cœperunt enim & conflagrare præcordia, & viscera dilacerari. Tum verò agnovit, se stultè egisse; & ærumnarum omnium mortem esse deterrimam: nam æstu, atque dolore victa, ejulatum edidit, & opem flagitavit, ac matrem quid rei esset, edocuit. Hæc inops consilii, quum in tenebris, & solitudine, medicos, & remedia conquirere necesse haberet, quod fieri non poterat, quin morientem filiam desereret, ad B. Ignatium se convertit, & magno cum fletu, atque clamore, auxilium ejus toto corpore prona imploravit, filiamque admonuit, ut idem faceret. Admovit deinde Loyolæ effigiem, & Ignatianam aquam, tanquam certissimum antidotum, potandam præbuit. Salutaris ille haustus intestinum incendium, velut immisso in ardentem fornacem flumine, statim restinguit, atque unà, & alterà vomitione, puellam veneno exonerat, & extemplo restituit. Sed B. Ignatio parum fuit, morienti salutem impertiri, nisi etiam, nè rogatus quidem, futuris molestiis prospiceret, & familiæ tranquillitati consuleret. Superveniens enim maritus, prodigio commotus, cum uxore, & socru in gratiam rediit, & ex eo tempore, hanc ut matrem vereri cœpit, illam diligere ut filiam. Quare B. Ignatius beneficium duplicavit.

Qua de causa venenum sumserit, exponitur.

Ejus mater ad Ignatium confugit, & ejus aquam filiæ potandam præbet.

Puella extemplo restituitur; & maritus eo ostento cõmotus, cum uxore, & Socru in gratiam redit.

XVI. Jam pridem invaluerat ea religio, ut toto Quintili mense, singulis diebus, B. Ignatius in templo Societatis, certis quibusdam precationibus coleretur, & laudes ejus recitarentur. Sed hoc anno propè obsoletam, prodigio, & ostento B. Ignatius exsuscitari jussit. Infinitum locustarum examen, Junio exeunte, propinquam segetem quum depavisset, & frugem omnem consumsisset, in hortum se conjecit, cujus olera adhuc tenera gratissimum præberent pabulum. Olitor, quum spem alendæ familiæ præcidi sibi omnem videret, in tantam venit rerum suarum desperationem, ut in se graviùs consulere cogitaret, ac in eo esset, ut sibi manus afferret. Sed uxor saniore consilio, B. Ignatii imaginem manu tenens, in genua procumbit, eumque gemens, & clamans obsecrat, nè clientes suos deserat, néve patiatur, devotam sibi familiam, ad famem, & stipem corrogandam compelli. Adstitit oranti B. Ignatius, bo-

Obsoleta B. Ignatii religio, Quintili mense, ostento, ac jussu exuscitatur.

Locustarum examen Olitoris campum invadunt.

Olitoris uxori B. Ignatius adstat, & horti incolumitatem pollicetur.

no animo esse jussit, & locustarum fugam in se recepit, horto incolumi, & integris oleribus. Illa abjecit se ad pedes ejus, eosque ter exosculata, rogavit, ut sibi ignosceret, quod rure agitans, aram ejus non frequentaret, & sacrificanti quotidie non adesset. At Ignatius, excusatione acceptà, præcepit, ut quibus diebus sacrificio prohiberetur, daret aliquid temporis cogitandis Christi vulneribus, ac cruciatibus; adjecitque, nè cunctaretur, statim ac locustæ abiissent, Josephum Robertum admonere, ut prodigium enunciaret, cujus narratione adventantis Quintilis religio inchoaretur: neque præterea visus est. Mox densissima nebula horto incubuit, quæ paulatim sublata, unà cum locustis aliò se ejecit, & in proximis agris necatas reliquit, nè unius beneficium in aliorum perniciem cederet; atque olitorem metu liberavit. Robertus, ut jussus erat, prodigium evulgavit ad Calendas Quintiles, & mensem B. Ignatii laudibus, magno civium concursu celebravit.

Ei religiones aliquas exercendas, præscribit.

P. Josephum Robertum deostento admonet, & B. Ignatii religio amplificatur.

XVII. Multos jam annos, pia, & honesta mulier infestum habebat procacem Genium, qui dies, noctesque pudori ejus insidiabatur, & ad venerem incitabat maximè nefariam, atque pudendam. Ei enim se quotidie ostendebat juvenem formâ præferens, pretiosis ornatum vestibus, & corpore, ac vultu mirificè speciosum, & elegantem; nisi quod ex summis manuum, pedumque digitis ungues prominebant, quales vultures gerere solent, adunci, ferruginei, & horrendum in modum acuminati, quos nullis manicis, aut calceis occultare poterat, nè quis esset, lateret. Hoc habitu, leniissimis verbis, amorem, & nuptias ejus requirebat, omnia pollicebatur, voluptates, divitias, epulas, vitæ commoda, munditias, diuturnam ætatem, canos faustissimos, & quæ humanæ cupiditates ducunt potissima: querebatur, quod fidum, constantemque amatorem aspernaretur; addebat illecebras; flens orabat, ut manum saltem contingendam traderet; vel si id multùm putaret, contentum se fore, si caput, & palpebras attolleret, neque uno dumtaxat oculorum conjectu se indignum existimaret. Levissimam ejusmodi mutui erga se animi significationem, quamvis innoxiam, si denegaret, se repulsæ dolorem non laturum, illam verò præbituram non injustam odii, iræque causam. His artibus, quas novis quotidie versutiis pertinaciter renovabat, quum mulieris pudorem non expugnaret, modis omnibus sæviebat, & misellam exagitabat, ut neque cibum, neque somnum sine molestia caperet, neque muliebria officia omnino præstare posset: nam sive in textrina, sive in culina versaretur,

Honesta mulier a malo Genio, sub juvenis specie ad venerem incitatur.

Larvatæ furiæ minæ, illecebræ, & composita ad fallendũ oratio.

ab-

Digitized by Google

abrumpebat adducta telarum fila, & quidquid coqueret, pestifero suffitu corrumpebat. Appetebat quoque repugnantem fustibus, ut verberum vestigia toto corpore existerent; & pedibus conculcabat. Injecit aliquando manum gutturi, & tantà vi gulam compressit, ut tantùm non strangulaverit, & intercluso spiritu, exanimatam reliquerit: neque semel accidit, ut quum ad maximos ejus clamores maritus, & vicinia accurreret, reperta fuerit jacens, & livens, ac nullo sensu vitam ostendens; nec nisi post horas aliquot se receperit. Ridebat pertinax larva Sacerdotum adjurationes, Sanctorum Reliquias, sacras imagines, ceras, amuleta, preces, religiones omnes. Nullum fuit religiosius simulacrum, aut templum domi, foriſque, quò nudis pedibus non peragraret infelix mulier, neque infensum amicum amovere potuit, aut coërcere, quin peregrinantem sequeretur, & alternis blanditiis, atque terroribus reluctantem divexaret. Adiit denique bona mulier Josephum Robertum, qui tot monstra narrantis iliadem suspectam habuit, neque temere fidem habendam censuit. Quum verò accuratis percunctationibus, & mariti, ac viciniæ testimonio reperisset, vera esse, quæ illa attulisset, prope Junii exitum, ad omnia quæ jussisset, paratam admonuit, ut Quintilis religionem aggrederetur, & bonæ spei plenam dimisit. Idibus B. Ignatius ei se hilari, ac scintillante vultu conspiciendum dedit, & quid vellet rogavit. Ea nihil se tam cupere, ait, quàm stygiæ molestiæ liberationem. Cui Ignatius: *Nondum superioribus arumnis satis expiatam habes primoris ætatis levitatem. Deus tamen reliquam mihi pœnam donavit. Quare non audebit hostis tartareus tibi deinceps, neque infensus esse, neque molestus.* Atque ab eo tempore, ut Ignatius edixerat, stygium spectrum se videndum non dedit, nisi semel, & procul, & fugiens, & Ignatium ejurans. Reliqua ejusmodi prodigia properanti dissimulare liceat, & cognoscendi cupidos, ad eos, quos indicavimus, fontes rejicere.

Quam fraude non poterat, vi mulieris constantiam expugnare conatur.

Ea de re B. Ignatii Quintili mense, religionē aggreditur.

B. Ignatius ei se videndum præbet, & ejus molestiæ liberationem pollicetur.

XVIII. Eripuit Provinciæ annus 1660 P. Bernardinum Bonicium Melitensem, nobili, atque opulentà ortum familià anno 1583. Societatem Messanæ optavit, sed propter insignem corporis brevitatem diu excluſus, non nisi vicenarius impetravit, & Mamertinis tironibus, sub Hieronymo Lombardo est aggregatus. Ingenium apud nos exprompsit, quod ad doctrinam attinet, docile, & amplum, sed ad sublimes Artes magis idoneum, quàm appetens politiorum; si verò mores intueamur, acre, & austerum; sed virtute subactum, &

1660

P. Bernardini Bonicii virtutes, ingenium, indoles, & in Societatem ingressus.

Digitized by Google

pietate, ac caritate temperatum. Adoleſcentiam domeſticis elementis excultam, & religione plurimùm imbutam tranſtulit ad litterarum palæſtram, maximis doctrinæ incrementis, laudatus inter æquales, quod nemo par poneretur, neque eſſet impar emeritis, & veteranis. Tradendis propterea artibus præpropere admotus, Dialecticam primùm, naturæque diſciplinam, atque Matheſim Panormi tradidit, annoſque viriles in divinarum Artium doctrina ibidem poſuit, non vulgari cùm domeſticæ, tum externæ juventutis emolumento. Quinquagenarius ordinarium geſſit magiſtratum Collegii Mamertini: deinde Panormitani menſes aliquot extra ordinem; quo tempore inuſitata ſeveritatis æquè, ac caritatis exempla edidit. Fratrum enim nonnullorum deſidiam caſtigavit, & contumaciam animadverſionibus fregit, reoſque tantùm non ad defectionem compulit: alimenta verò quæ parcè, & ſordidè adhibebantur, uberiùs, atque commodiùs, nec ſine aliquo delectu apponi juſſit. Sic enim ſtatuebat, ut ſatietatem, & cruditatem, ita famem, & inediam a communi menſa abeſſe oportere, ut diſciplina conſtare poſſit. Quare accumbenti appoſitum quum eſſet ferculum exiliter, & inconcinnè adminiſtratum, nihil attigit; epuloque exacto, eam ipſam patellam vir gravis, & ſobrius ad coquum detulit, rogavitque, numquid ita Societas filios aleret? ac eo caſum excuſante adjecit, ſe ſatis intelligere, quantò ſordidiùs, atque inhumaniùs cum aliis ageret, qui nè ejus quidem, qui præeſſet dignitatem, & reprehenſionem veritus eſſet: publicè proinde multatum loco movit, & poſtridie aliò amandavit. Poſtmodum ſeptuagenario proximus Domum Panormitanam adminiſtravit, turbulentiſſimo tempore, quo plebs Panormitana factioſorum hominum ſtudiis concitata, civili motu æſtuabat, propter ſummam annonæ difficultatem, quæ urbani magiſtratûs opus, & ſelertiam vicerat, ac poteſtatem, & auctoritatem afflixerat, & popellum fame exagitatum ad diripiendam civitatem converterat: neque a periculo abfuit Domus Panormitana, cujus argenteum templi inſtrumentum, & pretioſa ſuppellex ſeditioſorum civium rapacitatem incitabat, quamvis Bonicius nihil veritus rei familiaris anguſtias, quam in communi calamitate, nullæ amicorum quotidianæ largitiones ſublevarent, incredibili liberalitate inopum greges aleret, & ad ſe confluentes cibariis, ac pecuniâ juvaret: animadverſum eſt autem impertitos uno die aureos centum, quin tamen domeſticis alimenta ſubduceret, ſed menſam, & ſupellectilem ſplen-

Matheſim, ac ſeveriores diſciplinas Panormi ſummâ cum laude tradit.

Ejus in Provincia Magiſtratus, & gubernationis ratio.

Severitatis ejus exemplum memorabile.

Difficillimo tempore Panormitanæ Domûs Magiſtratum adit.

Ejus in egenos miſericordia, & liberalitas.

Digitized by Google

splendidiùs etiam instrueret, quàm antea consuêsset. Quod quemadmodum fieret, nemo reperiebat, nisi qui fortè non immeritò suspicabatur, patere Bonicio cœleste ærarium, ut exinde largiter caperet, & erogaret. Plebeculà igitur furente, & publicas emitti custodias, magnis clamoribus flagitante, ut a Domo Panormitana direptionis initium fieret; non defuit ex amicis, qui Bonicium certiorem faceret, & periculi sui admoneret. Bonicius, trepidantibus omnibus, mirà animi alacritate, fores, & aditus omnes obserari jussit, ac convocatà familià in templum descendit, ibique de genu ante Divinam *Eucharistiam* Deo supplicabat, seque ac suos committebat, quum globus ille seditionis, combustis custodiarum claustris, cum ea fæce Civitatis ad Domum Panormitanam rectà contendit. Sed ut parietes illos in conspectu habuit, sive Bonicii memor erga se meritorum, sive cœlesti numine prohibitus, constitit; & commutato consilio, se aliò ejecit, neque deinceps sollicitam habuit Societatem. Quod quidem prodigio simile visum est, & Bonicii meritis, piisquè precationibus assignatum.

Furente plebe, Panormitana Domus in magno direptionis periculo versatur.

Ea de re admonitus Bonicius, Patres in Templũ ad supplicãdum convocat.

Ea plebs in domum irruẽs, ut parietes vidit, se aliò ejecit.

XIX. Et sanè nulla defuit Bernardino Bonicio virtus, quin inter Principes Provinciæ viros numeraretur: nam præter illustres, quos gessit magistratus, anno 1655, communibus suffragiis designatus est ad Romana Procuratorum Comitia, ad quæ quum proficiscereturr, itinerum suorum consuetudinem septuagenarius invariatam retinuit. Panormi enim quum conscendisset, nihil secum imposuit, præter manticam, in qua panis esset, & codex sacrarum precum, & quam ipse gestaret, pendentem humero trullam. Neapoli expositus, & vix ex nausea recreatus, reliquum viæ spatium confecit pedibus. Quamdiu Romæ fuit, tantum valuit apud Goswinum summæ Societatis Antistitem opinione virtutis, ac sapientiæ, ut nihil petenti denegaverit, omnia consilio ejus Siculorum Collegiorum negotia tradiderit, de singulis non secus decreverit, quàm ille censuisset. Itaque vir ambitionis expers, & cupidus obtemperandi a Goswino impetravit, nè summos vitæ canos ullis deinceps honoribus involveret, ac delassaret, sed quieti, ac religionibus concederet, & privato sibi esse liceret. Quod quidem gravissimum Provinciæ accidit; quæ ea potissimùm de causa hominem tam insigni consensu ad Goswinum legaverat, ut reducem cum potestate reciperet, & supremo magistratu insignitum. Domui redditus Panormitanæ, quam initio instituerat emendatissimam vivendi rationem, accuratiùs etiam castigavit, &

Ad Romana Procuratorum comitia designatur, & eo in munere temperantiæ, ac paupertatis exempla.

Qũanti Goswinus virtutẽ ejus, ac sapientiam fecerit.

Ut honoribus vacuus in Provinciam rediret, a Goswino petiit, & impetravit.

ad

ad summam continentiam adduxit. Vestibus usus est obsoletis, & brevibus, ut nè ima quidem crura contegerent. Nullum erat curis, & laboribus vacuum diei tempus, quod non in religionibus poneret. Plures quotidie horas cœlestium rerum contemplationi per intervalla de genu, & uni sibi innixus impertiebat, in quarum cogitatione defixus, sublimis aliquando, ut terram nulla ex parte contingeret, est deprehensus. *Deiparæ* religionem primam habuit, & pridie eorum dierum, quibus ea præcipuè colitur, non adhibuit, nisi semel panem, & aquam, senex etiam, & cibi appetens. Sed ejus sine labe genitæ diem, singulari cultu magno in honore haberi studuit, novamque ceremoniam ex integro condidit, ac litteris promulgavit; ut magnæ Matris vitæ initium, & primævæ innocentiæ prærogativa, summis, atque communibus in Provincia honoribus celebraretur. Divina Parens vicissim Bonicii memor in se meritorum, Clientis sui studium quanti faceret ostento declaravit, de quo commemorat Tornamira, & autographis ad P. Carolum Saimbenium litteris, P. Josephus Landolina, qui rem ex ipso fonte se hausisse testatur. Florebat per ea tempora Remigia Scamacca, Catanensium Matronarum religiosissima, de cujus virtutibus, ac sanctimonia ætatis ejus fasti plurimùm prædicant. Huic se Virgo Mater videndam præbuit, lectissimos Societatis homines pallio complectens, in quibus erat Bonicius, Remigiæ parum cognitus, quem illa digito indicans, ait: *Vidésne hunc Remigia? Hic est Bernardinus Bonicius meos inter Clientes, propter eximiam virtutem, & erga me religionem, mihi carissimus. Hunc ego emeritum, atque ævi maturum, & jam ad præmia designatum, ad me quam primum evocabo, & e vita abeuntem ipsa deducam.* Eventus oraculum ratum fecit. Bonicius enim cruribus jampridem exulceratis, paulò post in Domo Panormitana, quarto Idus Majas, quum excurreret ætatis annus septimus supra septuagesimum, consumtus, elatusque est, mirà populi frequentià, misericordiam ejus, & innocentiam, magna cum laude memorantis. Bernardini Bonicii nomen magnum ponitur apud externos etiam scriptores Franciscum Abelam, & Rocchum Pirrum, tanquam viri excellentis, & litterarum, ac religionis gloriâ præclari.

Privatæ ejus vitæ ratio, & virtutũ incrementa.

Intima ejus cum Deo familiaritas, & erga Deiparam summa religio.

Tornamira de Eucha. Prodig. cap. 10.

De Bonicii virtute, ac proximo fato Deiparæ testimonium.

Abela Melit. Illustrat. lib. 4. *num.* 4. *Rocchus Pirrus Sicil. Sacra n.*7.

XX. Josepho Castelnovo ad magistratum extra Provinciam evocato, suffectus est hoc anno, VII Calendas Junias P. Ignatius Moncada Catanensis, qui litteris XIV Calendas Sextiles Messanæ datis, Provinciam convocavit, ut ad III Nonas

P. Ignatius Moncada provincialem conventum Panormum cõvocat.

No-

Digitized by Google

Novembres in Domum Panormitanam conveniret, duosque designaret, qui secum ad summa Romana comitia, Innocentii X decreto, nonum post annum indicta, proficiscerentur. Coactis itaque ad diem Patribus, Ignatius Moncada vir æquè disertus, ac probus, & disciplinæ scientissimus conventum hortatus est, nè privatis studiis, aut commodis duceretur, eosque ad publici muneris administrationem destinarent, qui in tam illustri universæ Societatis consessu, Provinciæ dignitatem, atque splendorem, litteris, ac sapientiâ tuerentur, & si fieri posset, amplificarent. Caverent proinde singuli, ne fallacibus cupiditatum præstigiis parum dispicerent, quid interesset inter communem, & propriam utilitatem. Quæ sententiis, ac exemplis exornata, Patres magnopere excitârunt, ut summo consensu, Romanæ profectionis comites duos sibi adderent lectissimos homines, doctrinâ, atque virtute spectatos. Postero die, creatus est Actorum scriptor P. Philippus Massaria Panormitanus, cui adjectus est laboris Socius P. Carolus Landolina Syracusanus. Dati sunt controversiarum arbitri, & qui accurato delectu negotia probarent, de quibus esset in conventu referendum, P. Josephus Castelnovus, & P. Placidus Giunta Messanensis. Postridie jussi sunt, qui cum Moncada Romanum adirent conventum, uterque alterâ suffragatione, P. Petrus Salernus Panormitanus, & P. Thomas Tamburinus Calatanixetensis, quibus paucos Provincia numerat doctiores, & meliores. His, si casu fortè aliquo distinerentur, sunt subrogati, quartâ rogatione, P. Laurentius Rundus Alcarensis, Rector Collegii Panormitani; secundâ, P. Joannes Onuphrius, Domui Præpositus Panormitanæ; tertiâ P. Vincentius Lavagi Panormitani. Diebus proximè consequentibus, deliberatum est de Provinciæ postulatis ad Romanum conventum deferendis, quorum nonnulla selectiora, quæ litteris prodere non fuerit supervacaneum, cum Joannis Pauli Olivæ responsis, mox exponemus; præmittenda sunt enim, quæ medio inter postulata, & responsa tempore, contigerunt.

Ad convocatos Patres Moncadæ sapiens oratio.

PP. Petrus Salernus, & Thomas Tamburinus ad Romana comitia destinantur.

XXI. Moncada igitur VI Calendas Apriles sequentis anni 1661, cum Salerno, & Tamburino Messanâ solvit, transmisitque extra ordinem Provinciæ magistratum P. Stephano Turtureto Messanensi, qui Collegio præerat Mamertino, nec Provinciæ administrationem posuit, nisi post menses octo, quum Moncada XII Calendas Decembres ad suos remeavit. Fuit Turtureti gubernatio sapiens, recta, & salutaris, atque Moncadæ probatissima, qui eum sibi successorem parabat, sed fato

1661

Provinciæ magistratus a Moncada P. Stephano Turtureto trasmittitur.

oc-

occupatum ante desideravit, quàm magistratùs sui tempus clauderet: nam Turturetus altero ab ejus reditu mense extinctus est. Inter hæc institutis Romæ comitiis, Goswinus propemodum octogenarius, & valetudine affectus, ac imâ corporis parte usqueadeo debilitatus, ut jam stare non posset, vacationem ætatis flagitavit, rogavitque conventum, ut aliquem designaret, vel qui ad diem particeps esset curarum, & rectionis administer, vel in quem perpetuo, plenoque jure, negotiorum moles incumberet. Visum est propterea Patribus, magno consensu, Goswino morem gerere, & sub laboriosissimæ gubernationis pondere gementem exonerare, summamque potestatem Joanni Paulo Olivæ transcribere, qui vivo, & mortuo succederet, nè Goswino extincto, comitia renovari oporteret, essetque, illo vivo, tantùm non nomine supremus Societatis Antistes. Delatis itaque per nostros homines Provinciæ mandatis, & in Romano conventu cum delectu recitatis, Oliva *liberaliter*, accuratéque satisfecit. Postulatum in primis fuerat, ut Provincialium numerus Comitiorum, in plenissimis præsertim Provinciis, qualis est Sicula, sit semper novo jure quinquagesimus; nè, si quadragesimus interdum fuerit, quemadmodum singulis evenire trienniis necesse est, veteranorum, ac emeritorum, quamvis usu sapientiorum, & ætate graviorum, pauciſſimi evocentur, & summa rerum, atque quæcunque vellent vincendi, ac decernendi facultas penes eos resideret, qui Domibus, & Collegiis præficiuntur. Rescripsit Oliva, in octavo summæ Societatis Conventu ea de re per biduum deliberatum fuisse; placuisse tamen Patribus, nè a pristino comitiorum jure discederetur. Altera postulatio erat, ut quum plures ad quatuor votorum sacramentum unà evocantur, certus quidam dies designetur, quo universi ad sacramentum dicendum adigantur, nè fortè contingat, ut priores posthabeantur. Postulationis æquitatem Oliva commendavit, pollicitusque est publicas ad universam Societatem litteras, quibus juberet, duos constitui certos dies, qui eam quotannis sacramentorum religionem complecterentur. Flagitatum quoque fuit, nè concionatoribus pro sacri præconii labore, præter itinerum, & cibariorum expensas, quicquam capere liceret. Rem domesticis legibus satis inculcatam, & disciplinæ consentaneam rejecit Oliva ad Rectores Provinciarum, quorum interfit, gratuitam Societatis operam pro virili parte tueri, & servilem, ac mercenariam excludere: si quæ verò irrepserint noxæ, in reos, & sordidi quæstus manifestos animadvertere. Petitum præterea fuerat, ut juniores

Gosvvinus ætate, & ægritudine affectus, summum magistratum dimittere a Conventu petit.

Conventus annuit, & potestatem P. Joāni Paulo Olivæ transcribit.

Superioris Cōventùs Provinciæ Siculæ postulata.

Congreg. Gen. VIII. decreto sexto MM. SS. Session. 84.

Ut certus dies designetur, quo dicatur sacramentum, Provincia petit, & impetrat.

Nè quicquam pro concionibus nostri capiant, conventus postulat.

do-

Digitized by Google

domestici sub exitum Philosophiæ, quotquot idonei inveni-
rentur, & a quinis judicibus probarentur, publicè discepta-
rent omnes, sine delectu, qui invidiosus, & gravis esset ado-
lescentibus, ac offensionibus, & querimoniis ansam præberet.
Rescripsit Oliva, in nuperrimo summæ Societatis conventu,
placuisse Patribus, Theologiæ candidatis quinos dare judices,
quorum tres apertè, certæque sententiæ satis palæstræ idoneos
comprobarent. Non aliam proinde Philosophorum causam
esse oportere. Delectum verò nullatenus negligendum, quem
Mutius decreto suo statuisset, & singulis annis, quinos dumta-
xat, ad palæstræ periculum evocandos. Rogatum postremò
fuerat, ut quando per domesticas leges licet Societatis homini-
bus, extra dies Christiano jejunio designatos, petere ciborum
delectum, Christiano jejunio consentaneum, jubeantur qui præ-
sunt, edultà suppeditare ejusmodi temperantiæ congruentia. Re-
spondit Oliva, non censuisse eos, quorum intererat, ea de re ad
Conventum referre, adjecit tamen utique sapienter: *Ego verò
piæ postulationi totius Provinciæ eatenus annuo, dummodo su-
periores a volentibus jejunare tempestivè admoneantur, idque
nonnisi rarò fiat, & juxta mensuram sanctæ discretionis.*

Aliæ Conventûs postulationes de publicis nostrorum disceptationibus.

Ut liceat Nostris, extraordinariis diebus cibos jejunio cõsentaneos petere, Provincia rogat.

XXII. Illustria hujus anni funera inchoavit P. Franciscus
Bardus, vir summus, & sacrarum litterarum gloriâ cum paucis,
& clarioribus conferendus. Ortus est ex Sambucæ Dynastis,
amplissimo Panormi genere, anno 1583. Emensis jam profanis,
sacrisque litteris ferè omnibus, Societati se addixit anno 1610,
annum ætatis agens septimum supra vicesimum, & religiosæ
vitæ Panormi tirocinium posuit. Ingenium, quod naturæ be-
neficio nactus est altum, acutum, vehemens, & ad severiores
artes maximè idoneum, perpetuis vigiliis, & assiduitate legen-
di adeo incitavit, ut in doctrinæ certamine cum veteranis de
victoria contenderet, & domi, forisque nemo esset, qui impe-
tus ejus sustineret. Tantà simul fuit mansuetudine, ut si quan-
do inter disceptandum vehementiùs exarsisset, & in ipso dispu-
tationis æstu adversarium consternâsset, veritus deinde offen-
sionem, doloremque animi, eum amicissimè complecteretur,
sibique officiis omnibus, & existimationis, atque amoris signi-
ficationibus conciliaret. Tradidit Philosophicarum artium
elementa annos novem, divinarum ferè duodecim, sacræ mo-
rum disciplinæ admodum quinque, confluentibus semper ma-
gno agmine ad ejus doctrinam auditoribus. Summam deni-
que majorum studiorum præfecturam in Collegio Panormita-
no annos ipsos sexdecim sapienter administravit, apud dome-

P. Franciscus Bardus Societati Panormi se aggregat.

Ingenium ejus singulare, & eximiæ virtutes.

Mansuetudinis ejus laude, dignum exemplũ.

Ejus in Societate munera.

sticos, & externos tanquam unus omnium doctor, & universæ Provinciæ magister, magno in honore semper habitus. Eo censore, ac consultore usi sunt Judices religionis, qui nihil moliendum, aut statuendum censebant, quod non Bardo placuisset. Pontifices quoque Panormitanus, & Agrigentinus, non in quotidianis modò, privatisque negotiis, sed in publicis etiam Presbyterorum Comitiis, Bardum consiliorum ducem, præceptionum artificem, & in sacrorum Parochorum delectu judicem esse voluerunt. Temperantiæ ejus non vulgare extat documentum, quod parendi studio, nullis unquam officiis, aut precibus adduci passus est, ut domesticam attingeret rempublicam: quare magistratum nullum gessit, neque parvum, neque magnum, delatosque honores constantissimè est aspernatus. Pacatos denique, privatosque canos, & perpetuis lucubrationibus, ac consulentium optimatum quæstionibus involutos, ad extremam senectutem adduxit. Itaque nemini gravis, omnibus satisfaciendi, & gratificandi cupidus, singulis utilis, gratiosus, atque jucundus, quum vitæ annum numeraret octavum ultra septuagesimum, in Collegio Panormitano VI Calendas Apriles, diuturnâ extenuatus febriculâ, fato concessit. Reliquit posteris magnam ingenii, doctrinæque hæreditatem, pluribus comprehensam voluminibus, quorum edita existunt. *Bulla Cruciata explicata, & illustrata tractatibus locupletissimis*, quam ab Andrea Mendo oppugnatam, octavo post anno vindicatam renovavit. *Quæstiones* item *selectæ ex universa Morali Theologia. In Regulas juris in sexto locupletissima commentaria. Disceptationes Morales de conscientia. Opusculum de Appositione Sancti in Calendario Siculo. Trutina Theologica de modo existendi Christi Domini sub speciebus panis, & vini*; abjudicanda Joanni Baptistæ Chiavettæ, cujus nomen præfefert. Inedita verò, & Bibliothecæ Collegii Panormitani addicta. *Consilia Moralia. In Primam Partem D. Thomæ. Judicium privatum de Controversia inter Cardinalem de Torres, & Patres Benedictinos. De Scientia Media. De Censuris. In Decalogum. In Logicam Aristotelis. In ejusdem Physicam.*

Quo in numero fuerit apud Pontifices, & summos Viros.

Temperantia ejus in repudiandis magistratibus.

Panormi meritorum plenus fato concedit.

Sothuel. Bibliot. Societ. pag. 214. Mongit. Bibliot. Sic. p. 1. pag. 205

XXIII. Auxit paulò post Provinciæ desiderium P. Vincentii Lavagii immaturus propemodum exitus, quem senectute nondum adultâ, mors intercepit, excolendæ domesticæ juventuti apprime deditum, & divinarum rerum scientiâ, atque opinione virtutis, optimè idoneum. Panormi ortus est, anno 1599 ex Augustino Lavagio clarissimo Jurisconsulto, qui foren-

P. Vincentii Lavagii ortus, & virtutes, & immaturus exitus

Digitized by Google

rensibus decursis honoribus, prima curiæ subsellia implevit, judex urbanus, & provincialis, Fisci Patronus, publicarum rationum Censor ærarius. Vincentius & patris diligentiâ, & suâ sponte ad virtutem incitatus pubertatem attigit, adeo puram, rectam, & culpæ nesciam, ut Societati postmodum adlectus de virtutibus magis augendis, quàm de vitiis extirpandis cogitaverit. Petrum Villafratem primùm, Carolum deinde Romanum, lectissimos viros, vitæ nactus, ac tirocinii magistros, eorum mores, & juventutis instituendæ prudentiam tam accuratè arripuit, & in reliqua vita transcripsit, ut illis extinctis, postea successerit, & quasi redivivos Provinciæ ostenderit. Ingenio fuit non austero, & implacido, sed miti, facili, & ad elegantiam, ac suavitatem propenso, quam in concionibus præsertim exprompsit: nam oratoriam fecit annos quamplurimos, & in eo dicendi genere maximopere valuit, quod non clamosam, atque terrificam habet eloquentiam, sed eruditam, comptam, pacatam, verecundam, & absque impetu, ac concitatione salutarem; quæ nimirum sanandis potiùs ratione mentibus, quàm vi, & impressione oppugnandis sit accommodata. Certabant proinde amplissimæ, cultissimæque Civitates, ut pervulgatæ facundiæ delectationem, fructumque caperent; dicentique aderant tantâ frequentiâ, tamque inusitato audiendi studio, ut dubiâ adhuc luce, subsellia complerentur, & nondum reseratis templorum foribus, præstolantium agmina areas obsiderent. Quod præter Aloysium Lanuzam, pauci ad hanc memoriam, neque omnibus in locis sunt consequuti. Verùm inclinatâ jam ætate, quum itinerum incommoda, & concionandi defatigationem ferre non posset, non aliâ conditione cessationem impetravit, nisi ut laborem labore commutaret, & ad domesticam rempublicam accederet. Rector itaque est designatus Collegii Drepanitani, in quo publici muneris tirocinium, tantâ gubernationis scientiâ aggressus est, ut si in gerendis aliis ex aliis magistratibus consenuisset. Familiam enim non tam potestate, quàm pudore, atque exemplo continuit, disciplinam ad elegantiam adduxit, rem familiarem amplificavit; non parcus, non tamen domesticos commodè aluit, Templum ornamentis, & pretiosâ supellectili cumulavit, suorum animos sibi devinxit; exteros sibi, suisque liberali ingenuitate conjunxit, & quod est maximè mirum, magistratu defunctus Societatis obtrectatorem Drepani nullum reliquit, sed incredibile dictu, sui desiderium. Honorem tamen non posuit, nisi ut ad majo-

Animi ejus innocentia, & morum integritas.

Ejus in dicendo eloquentia, ac ratio salutaris.

Ad concliones ejus incredibilis concursus.

Ætate gravis Collegii Drepanitani Rector eligitur.

Gubernationis ejus ratio, prudētia atque dexteritas.

rem adigeretur: evocatus est enim ad informandos tirones Panormitanos, quibus eum per intervalla ter præfuisse comperio; sed quo Provinciæ emolumento, nunquam satis domestica monumenta commemorant. Statuebat enim primum atque potissimum institutionis suæ fundamentum, intimam, cum Deo conjunctionem, ex qua reliquæ disciplinæ apparatus, suâ sponte manaret. Sed ante omnia in eo plurimùm laboravit, ut candidatorum delectus, summa cum maturitate haberetur, esset que quàm maximè fieri potest, accuratus, & diligens; magisque verebatur numerum, quàm paucitatem: quare eorum ingenium, indolem, naturæ motus, corporis animique vires, habitudines denique omnes, diuturnis, assiduisque percuntationibus, jam per se, jam per alios explorabat, nè cogeretur turpiter ejicere, quos rectiùs excluſisset; néve contingeret, ut hospites magis, & hostes, quàm filios, & alumnos Societati pararet. Quo factum est, ut nemo unus missionem ab eo petierit, commeatum ipse ultro nemini dederit, omnes retinuerit, nisi quos excludendos initio censuisset, & surgentem Provinciæ sobolem, ingenuis, ac salutaribus disciplinæ elementis imbuerit, atque ad virtutem omnem ita finxerit, ut lectissimi haberentur, qui ex ejus palæstra prodiissent. Crebris tamen, gravissimisque tentatus valetudinibus, in Collegium Panormitanum privatus se recepit, ibique supremum vitæ sexennium, perpetuis addixit religionibus, quarum ea erat præcipua, ut quotidie quasi idem esset diurnæ lucis, ac vitæ finis, se sub noctem ad moriendum componeret, & ante Christi e cruce pendentis simulacrum, quod in aula intima, sub tentorio propositum ab adolescentia coluerat, feralem illam, tristemque sententiam sibi indiceret, cujus initium est: *Proficiscere anima christiana de hoc mundo*, & magno metu, fletuque, reliquam morientium ceremoniam sibi ipse administraret. Sed quem non imparatum, neque imprudentem mors invenit, non æquè lætum, & decedendi cupidum nactus est. Nam macie exinanitus, & languore confectus, ad extrema vitæ confinia quum pervenisset, traheretque difficillimè animam, assiduis gemitibus testatus est, quàm vehementer fatalem horam formidaret. Tum qui aderat Sacerdos, innocentiæ ejus probè conscius; *cur æstuat*, inquit, *timore animus? Numquid ab eo tibi metuis, qui te servavit ab utero matris tuæ?* Cui Vincentius: *Non tam crimina reum, quàm beneficia terrent ingratum*. Elatus est in Collegio Panormitano. VIII Calendas Junias, annum agens ætatis tertium supra sexagesimum.

Panormitanis Tironibus præficitur.

Ejus in eo munere summa solertia.

Quibus artibus ad moriendum se disponeret.

Quàm vehementer fatalem horam formidaverit.

Ha-

Digitized by Google

Habet Collegium Panormitanum publico in loco propositam ejus imaginem cum hoc elogio. *P. Vincentius Lavagi Panormitanus, quatuor Votorum Professus, concionandi, regendique præsertim tirones laude conspicuus, ac innocentiâ, & sanctitate insignis: decessit 25 Maji Anno 1661, ætatis 63. Societatis 48.*

Panormi decedit, & virtutum ejus publica testimonia.

XXIV. Inter clarissimos Provinciæ homines, præcipuum habet locum P. Hieronymus Gravina, quanquam annos quamplurimos peregrè meruit, & extra Europam summa stipendia fecit: apud nos enim est altus, & eruditus, ac religiosæ militiæ rudimentis excultus. Sæculi decimi septimi anno secundo, tertio Idus Martias, contigit ortus ejus Calatanixetæ, casu potiùs, quàm gentis origine, propter Ducis Montis alti affinitatem, qui ejus oppidi principatum obtinebat, ibique commorabatur. Prognatus est ex ingenua, & legitima Gravinarum prosapia, quæ inter Italiæ, atque Europæ generosissimas, clarissima habebatur; amplissimosque jactabat census, titulos, & clientelas. In varias namque ex una stirpe diffusa propagines, plures hac ætate numerat Duces, Principes, & pagorum, oppidorumque Dynastas, Palagoniæ, Calatabiani, Francofontis, Deliæ, Pedemontis, Sanctorum Fratrum, Rammaccæ, Sancti Michaëlis, Montisvagi, Comitini, Armicii, Cugni, præter vicos pleroſque, quos longum est recensere. Secutus est Parentes Carolum, & Isabellam, Panormum remigrantes adolescentulus. Hausit in gymnasiis Societatis ex magistrorum doctrina, cum bonis artibus elementa religionis, atque virtutis, quibus intimè imbutus, de secessione cogitavit, & propter generis amplitudinem, ingeniique præstantiam, Societatis adeundæ consilium ad exitum facilè adduxit, meruitque Panormitanis tironibus adjungi, tertio nonas Novembres, mense quarto, infra annum ætatis decimum septimum. Biennio exeunte, Mænas profectus, primum ibi Societatis Sacramentum dixit pridie nonas Novembres. Ex eo tempore indicæ peregrinationis desiderio uri cœpit, quod constantissimè aluit, donec exactis summa cum laude profanis, divinisque studiis, anno 1635, ætatis tertio supra trigesimum, a Mutio Vitelleſcho commeatum impetravit. Parentibus ante extinctis, quàm ex Provincia decederet, paternæ, maternæque hæreditatis fructibus se abdicavit, eosque Collegio Panormitano addixit, eà præscriptione, ut nisi domestici Rhetores inibi alerentur, qui tum Mænis ferè exulabant, Sacerdotibus alimenta suppeditaret, qui sacris excursionibus darent operam, &

P. Hieronymi Gravinæ perhonorifica cõmemoratio.

Ejus ortus, & summa generis nobilitas.

Tirocinium Panormi ponit, & indicæ peregrinationis desiderio uritur.

Ad Indos missus, quibus cõditionibus hæreditatem Collegio Panormitano addixerit.

Pro-

Provinciæ oppida concionando lustrarent. Quoniam verò juniores diu abfuerunt, postea transactum est, ut tres ejusmodi Sacerdotes in Collegio Panormitano, singulis deinceps annis, æstivarent. Exiit inter suorum lacrimas, anno 1635, quasi non ex Patria, sed e vita migraret. Nihilque secum in navim imposuit, præter sarcinulas, in quibus modica esset supellex, & sportulam cibariorum. Reliqua omnia, quæ propinqui dono miserant, & amici, domesticique contulerant, constantissimè est aspernatus. Quum idoneam tempestatem Barcinone expectaret, & P. Franciscus Brancatus popularis ejus in gravissimam incidisset valetudinem, ut ægrotanti opitularetur, solus, digressis aliis, ibi substitit, & maximè laborantis mortem perpetuis lacrimis est a Deo deprecatus. Quum ex Europa solveret anno 1636, datus est comes navigationis P. Marcello Mastrillo, cum quo propter morum similitudinem, quàm conjunctissimè vixit. Oceanum nactus est inusitatis tempestatibus sævum, & truculentum: nec semel in eo fuit, ut furentibus aquilonibus, navigium quo vehebatur fluctibus hauriretur. Metu perculsis omnibus, & de salute desperantibus, unus Gravina, mirà animi tranquillitate, somno indulgebat. Exsuscitatus, & ut evigilaret admonitus, quærenti, qui fieri potuerit, ut in præsentissimo periculo tam placidè quiesceret, respondit; se ad Sacrificium quotidie ita comparatum prodire consuêsse, ut si esset actutum e vita migraturus. Nihil ergo esse, quod paveret, qui paulò ante immolâsset. Laboratum est etiam ultra circulum æquinoctii, corruptis esculentis, cibariorum inopiâ, & cœli novitate, atque inclementiâ, in immenso, apertoque mari, sublatà aquandi facultate, depravata sunt poculenta. Quibus rebus, & sentinæ odore, & maritimi vaporis sub Sole recto, gravitate effectum est, ut pestiferæ febres consequerentur, quæ in una, eademque navi, propter loci angustias, classiarios, nautas, rectoresque ferè omnes comprehenderunt, plurèsque necaverunt; quibus quum ille diu, noctuque adesset, nullumque prætermitteret misericordiæ, & religionis officium, utpote contagiosis, eodem morbo tentatus, extremos jam agebat anhelitus, quum cœlesti beneficio est recreatus. Accesserunt ex salo, & nausea assiduæ, cruentæque vomitiones, quibus exinanitus, & præcordiorum convulsione vehementer excruciatus, parum abfuit, quin sanguinis rejectione, atque inediâ conficeretur: neque unquam deinceps ita convaluit, ut non stomacho uteretur languido, imbecillo, & ad rejiciendum propenso.

Panormo discedens, Parentum dona repudiat; & Indos petit.

Ejus erga P. Franciscum Brancatum ægrotantem officia caritatis.

Itineris ejus ratio, & gravissima incommoda.

In maximo naufragii periculo Gravinæ summa trãquillitas.

Pestiferæ febres classiarios, ac rectores comprehendunt.

Eadem lue Gravina tentatus, cœlesti beneficio recreatur.

His

XXV. His perfuncto molestiis, atque periculis, octavum jam mensem naviganti, Asiæ terra se ostendit, primúmque occurrit Cocinum, deinde Goa, prope Idus Decembres. Sed navem portubus excludi oportere, earum periti regionum arbitrabantur; nam ea littora per autumnale æquinoctium, incumbentium æstu tempestatum, ac vi siderum, & refluentis oceani naturà, usqueadeo sabulo quotannis complentur, ut portuum fauces occludantur, arenà injectà, quæ non egeritur, neque diluitur, nisi conversis æquinoctio verno sideribus. Eo tamen anno, quod prodigii instar fuit, sabulo nondum congesto, Goanus portus paulò ante brumam navem recepit, anno exeunte 1636. Refectis ibi viribus, post menses aliquot, iterum se mari committit, Japoniam versus per Philippinas Insulas, unà cum Mastrillo, quem Gravina, ut navigationis ducem habuerat, ita laborum, atque certaminum in Japonia fore sibi testem arbitrabatur. In eo cursu secundo vento, ac mari, Malaccam prætervectus, incidit in Piratarum Batavorum classem, & a captivitate nihil abfuit; imminebant enim hostes, premebantque tormentis fugientes Lusitanos, & ad deditionem compellebant. Verùm propositâ B. Francisci Xaverii imagine, piratæ demissis antennis, velisque contractis, subsiterunt, quòd, ut postea cognitum est, cæcas syrtes subesse suspicarentur, atque ita nostris ad deditionis consilia descendentibus, evadendi facultatem obtulerunt. Manilam ut appulit, jussus est Gravina a Mastrillo digredi, atque divelli, & Macaum navigare, seque Sinensium saluti totum addicere. Nè verò mutus accederet ad eorum institutionem, cum quibus mutui sermonis consuetudinem necesse erat intercedere; Sinicæ linguæ elementis dare se operam oportere intelligebat. Sed nihil tam injucundum, ac grave accideret maturo homini, & propter memoriæ duritiem, ad peregrinæ, impeditæque linguæ doctrinam parum idoneo, quàm refugientis ingenii cohibere impetum, & ad infantiam remigrare. Improbum tamen laborem, & ætati, atque naturæ contrarium, tantà animi alacritate aggressus est, ut non communem modò, ac quotidianum vulgi sermonem arripuerit, sed reconditam quoque loquendi facultatem, sive aulicam, sive forensem, quàm Sinensium dumtaxat sapientissimi, doctissimique non ignorant, sibi ipse tradiderit, & apud Sinas cum laude expromserit: nam & loqui elegantissimè poterat, & cum litteratissimis miscere orationem, & emendatè scribere; cujus rei testimonium ex eo sumitur, quem de Christi religione edidit librum, tam scitè, ac

Goam tandem pervenit, ubi refectis viribus, iterum mari se committit.

Malaccam prætervectus, in Piratarum Batavorum classem incidit.

B. Francisci Xaverii beneficio, piratarũ periculo liberatur.

Macaum navigare jussus, Sinicæ linguæ elementis dat operam.

Quantum in ea lingua addiscẽda assiduè Gravina laboraverit, atque profecerit.

ac sapienter elucubratum, ut in illum omnes effuderit Sinicæ eruditionis, ac linguæ munditias. Quare vigiliæ ejus barbaros quoque, profanæ sapientiæ cultores, delectârunt, & etiamnum leguntur cupidissimè, atque apud Sinarum eruditissimos magno in honore prorsus habentur. Salutarem hunc codicem, adventûs sui nuncium præmisit, quo invidiosam externi hominis peregrinitatem leniret religionis novitatem, domesticarum litterarum commendatione munîret, & præjactam Christiani nominis opinionem incitaret. Macao exeunti obtigit laboris, & doctrinæ palæstra Chanxoana Provincia, opibus, frequentiâ, & Sinicæ eruditionis gloriâ florentissima. Est in ea jurisdictione Suchena Civitas, in paucis ampla, plena, & opulenta, quæ primas habet imperii, & provinciales magistratus, & illustrem Academiam, & viros Sinicæ philosophiæ scientissimos. Gravina apud Suchenos consedit, ibique reperit tandiu exoptatum a majoribus, & denique utcunque *inchoatum*, quod tamen vixdum coaluerat, Societatis Domicilium, eique constituendo, annos ferè triginta quàm laboriosissimè impendit. Itaque morum suavitate, atque innocentiâ, Sinicæ consuetudinis elegantiâ, assiduitate colloquiorum, celebritate virtutis, atque doctrinæ, quam publicis etiam vindicavit dimicationibus, præsertim verò gratificandi, ac de omnibus benemerendi studio, rem Christianam ex paucitate summa, & infimæ plebis obscuritate, ad numerum, & splendorem adduxit: Templum insigni formâ, & magnitudine ex integro condidit, quod Sinæ propter inusitatam operis legem, & molis amplitudinem, nunquam satis mirabantur; nullum enim erat toto Sinarum Regno, celsitudine magis conspicuum, aut tam scitè, magnificéque constitutum ædificium: addidit contiguas templo ædes, humiliores quidem, sed quæ atrium haberent, & porticum, ac superiorem contignationem, sibi, suisque ad commorandum concinnatam, quod Sinis, qui infimo in solo quàm laxissimè habitant, prodigii simile visum est, quod periculosum existimarent veluti suspensos in sublime super inane versari; & prorsus admirabile, majorem habere domum minore ambitu.

Librum de Christi religione, Sinico sermone edidit, summo Sinensium plausu.

Ejus in Chanxoana Provincia laboris, ac doctrinæ monumenta.

Quibus artibus Barbarorũ animos sibi conciliat, & rẽ christianam amplificat.

In Suchena Civitate Templum, & Domicilium instituit.

XXVI. Quum autem magni ad Gravinam fierent Suchenorum concursus, exquisitisque urbanitatibus hominem observarent probum, facetum, & multis litteris optimè imbutum: liberam ipse, atque perpetuam nactus colloquiorum facultatem, frequentissimam domi suæ publicavit religionis Academiam, ad quam eruditissimus quisque confluëret; & diuturnis

Ibidem religionis Academiam publicat, & ejus cum Suchenis disceptationes.

di-

Digitized by Google

discèptationibus reperit, non aliter Sinarum doctissimos, quemadmodum a majoribus accepissent, de divinitate sentire, quàm Christiani judicarent. Aspernabantur enim domesticà, vetustissimáque philosophià, Deorum multitudinem, eamque superstitionem, utpotè alienam, & peregrinitatis vitio suspectam, ad vulgi credulitatem rejiciebant. De fato quoque, de fortuna, de casu, de animorum immortalitate commodè opinabantur. Facilè propterea fuit, reliquam Christiani nominis disciplinam adstruere, quæ vacuum superstitione animum inveniret. Quamplurimos igitur primi subsellii judices, lectissimos *Mandarinos*, summos publici juris interpretes, centuriones etiam, ac militum tribunos, cœlesti doctrinà paulatim condocefactos, solemni ceremonià Christo addixit, & ad religionis jura traduxit, cujus & dignitatem, crebris illustrium candidatorum accessionibus quotannis amplificavit. Horum commotus exemplis populus Suchenorum, Gravinæ concionanti cupidissimè aderat, & ad superstitionem ejurandam, quæ infimam, illiteratam, & maximè sequacem plebem invaserat, certatim confluebat. Sed Gravinæ virtus, & maximarum rerum capax animus, unius ampliss imæ Civitatis mœnibus contineri non potuit. Præmissis itaque, quibus præerat, Sociis, & ad extremos usque Chanxoanæ Provinciæ fines, singulos, atque diversos progredi jussis, Christianorum colonias deducendas tradidit, numero quidem exiguas, sed virtute, atque religionis scientià, heroicis illis nascentis disciplinæ temporibus utique dignas, quarum consuetudine de Christo, ac Christiani nominis excellentia, magna, & mira narrantium, præcipuè verò, invariatà morum integritate capta Provincia, novæ religionis desiderio conflagravit propemodùm universa: ampliss ima enim Oppida, & opulentæ Civitates, ad quæ nonnisi fama pervenerat, doctores flagitabant. Salutaribus hisce jactis longè, latéque seminibus, exibat singulis annis, quasi ad messem, & fructum ex ea cogendum. Magnis proinde itineribus concursabat, lustrabatque Provinciam, dubitantes confirmabat, pacabat adversarios, officiis, obsequiis, mansuetudine demerebat sibi principes Civitatum, cognoscebat dissidia Christianorum, castigabat lenibus verbis a disciplina aberrantes, colloquiis, & concionibus injiciebat omnibus curam salutis, & spem, metumque rerum æternarum: morientibus, miseris, obæratis, quibuscunque rebus poterat, præsto erat; ut intelligeret universa Provincia, hominem perpetuis affectum valetudinibus, qui nè munuscula quidem caperet, &

Eorum mores; & animi superstitione vacui, facilè Christo conciliantur.

Mandarinorũ quamplurimi, Populus, & Optimates superstitionem ejurant.

Gravinæ jussu; Socii Chanxoanam Provinciã cum fructu lustrant.

Per eam Provinciam Gravinæ expeditiones, labores, virtutes, ac religionis incrementa.

paucas noctis horas sibi ad quietem relinqueret; quàm parcissimè viveret, atque nullum diei tempus labore vacuum traduceret, non alium sibi proposuisse laboriosissimæ vitæ fructum, nisi incrementum religionis, quam qui non sequerentur, ad interitum properarent, æternumque cruciatum; itaque nullà adductum cupiditate, sed caritatis studio incitatum, post Oceani incommoda, atque pericula, alienas terras peragrare, quæ neque vivo alimenta, neque benemerito vitæ præsidia suppeditarent, neque mortuo sepulcri honores pollicerentur.

Novæ in ea Provincia exortæ procellæ, & Christianæ rei maxima discrimina.

XXVII. Tam fausto, ac splendido cursu, Gravinæ solertiâ, atque industriâ Chanxoanæ Provinciæ fluebant negotia: religionis, quæ non alibi apud Sinas, sive numero, sive dignitate, sive virtute, neque florentior, neque par haberetur; quum infinita ingruentium ærumnarum series omnia in discrimen adduxit, ac propemodum delevit. Sinarum imperium jampridem Tartari adamaverant, & magnis exercitibus, eorum fines populabantur. Sinæ pluribus prælis victi, fugatique, quum in acie consistere non auderent, arces naturâ, ac manu munitas ægrè tuentur, ac denique hostibus dedunt; qui bello superiores Pechinum oppugnant, & vi capiunt, Regiam invadunt,

Tartari Sinarum imperium invadunt, & vi expugnant.

Regem, & liberos cum familia necant, immissis in omnem partem militibus, regnum universum in deditionem accipiunt; Christianos tamen, quamquam dedititios, neglecto jure gentium, religionis invidiâ, bello persequuntur. Quare Chanxoana Provincia, quæ principatum tenebat religionis, utpote omnium plenissima, graviorem experta est barbarorum crudelitatem: neque ulla erat Christianis vitæ conditio, nisi fugâ se subducerent, & in silvis, aut montibus delitescerent. Non alibi truculentiùs sævitum est a Tartaris, quàm in Suchena Civitate, quæ plura jam numerabat Christianorum millia. Formosissimum templum tantùm non incendunt. Ceterùm sacram diripiunt supellectilem, quæcumque moveri poterant, abducunt, reliqua corrumpere conantur. Diffugientibus omnibus, Gravina solus, & æger relictus magno in periculo versatus est: graviſſimè enim decumbentem miles ferro appetere aggressus, quum gladio districto jugulum confodere destinaret, ut in ejus vultum conjecit oculos, in præsenti discrimine, cœlesti quadam jucunditate respersum, oris veritus dignitatem, & constantiam demiratus, repentè manum continuit, & sine maleficio se recepit. Sed Gravinæ specie captus, quasi divini cujusdam hominis, ad eum postea amico animo ventitavit, ac e Tartarorum gente primus, ejus manu, sacro

Frga Christianos in Suchena Civitate commorantes barbarorum crudelitas.

Barbarorum unus Gravinam ferro aggrediens, ejus specie captus, sine maleficio se recipit, & Christo adjungitur.

fon-

Digitized by Google

fonte est expiatus, & Christo adjunctus. Sinis planè devictis, atque pacatis, militaris licentia quum resedisset, neque tamen omnia jure administrarentur, sed adhuc arma valerent; Gravina, qui novo in imperio vias omnes reparandæ Religionis intuebatur, Tribunos militum sibi primùm devinxit, eisque Christianæ disciplinæ causam ita probavit, ut ex infensis commodiores fecerit, & fautores denique habuerit, a quibus exitium metuebat. Adjuvit consilia ejus, studium Provinciæ de Christianorum pudore, atque innocentia optimè sentientis, ac prædicantis. Facile proinde fuit, dispersi, palantisque gregis reliquias contrahere, intermortuam religionem, & pietatem exsuscitare; sumptuosa templi utensilia restituere, rei Christianæ conditionem ad pristinum splendorem adducere, atque etiam augere. At summa Gravinæ virtus, durioribus erat casibus illustranda: dum enim procul a Sucheno Domicilio, ad Provinciam confirmandam, & excolendam profectus, industriæ suæ fructum capit uberrimum, templum, ædesque proximas, sive fortuito eventu, sive hominum perfidia, conflagrâsse nuntiatur. Eà calamitate perculsus, quum properè remigrâsset, sine lacrimis intueri non potuit pulcherrimam templi molem, cui barbarus hostis pepercerat, igne consumptam, nisi quod parietes supereſſent ad ruinam incumbentes. Reperit etiam flammis deletam cum domestica supellectili pretiosam Bibliothecam, Mathematicum instrumentum, tabulas, & globos, in quibus esset descriptus uterquè orbis terrestris, atque cœlestis; denique quidquid ex Europa importatum, invenere nostrates artes, quas Sinarum doctissimi nunquam satis laudabant, & mirabantur. Itaque amissis rebus omnibus, supremum vitæ tempus in egestate summa transegit; cui neque Machaënses negotiatores, neque aliarum Provinciarum domicilia, pro præsenti copia, suis opibus, atque subsidiis omnino mederi potuerunt. Gravina insignem hanc plagam, qua mors gravior non fuisset, quamque culparum veluti suarum pœnam, uni sibi imputabat, animo valentior, quàm corpore, fortiter quidem tulit, atque intra biennium, templum utique restituit; defectus tamen commodis, vitæque præsidiis, inclinatam ætatem, afflictamque valetudinem fato objecit, cujus attulit nuncium lenta febricula, quæ vires, & artus ejus, quotidianà quasi limà depascebatur; & spei, animique plena consilia intercepit.

Barbarorũ animos sibi conciliat, & Christianam religionẽ amplificat.

Gravinæ virtus novis casibus illustratur.

Templum, cum proximis ædibus, ab eo constructum, & ornatum miserrimè conflagrat.

Gravinæ ex eo incendio conceptus dolor, & novæ industriæ.

XXVIII. Corporis, animique virtutes sortitus est a natura P. Hieronymus Gravina, quales in viris summis desidera-

rari nefas est. Staturà fuit inter brevem, & proceram mediâ; ſpecies oris honeſta, & liberalis; vox fuſa, verſatilis, & canora, ut muſicæ artis numeros omnes attingeret. Mira orationis ut gravitas, ita ſuavitas, quarum utra major fuerit, judicari non poterat. Nativa fandi, pronunciandique facultas, jucundus ſcintillantium oculorum conjectus, frons ingenua, & vultus conformatio, intimum, ac verbis conſonum ſignificantis motum animi, plurimum momenti attulit ad eloquentiam: quare ſive formatum ſermonem expromeret, ſive ex tempore diceret; ſive in familiari colloquio, ſive pro concione diſſereret, nihil erat, quod non efficeret, & multa cum voluptate vinceret, ac ſuaderet. Verùm nobiliora contigere illuſtri huic viro indolis ornamenta. Mens excelſa, & erecta; ingenium altum, non triſte; acutum, non callidum, candidum non facile: conſilia in repentino etiam caſu certa, & explicata; quaſi futura prænoſceret, & quæ alii cogitarent, intueretur: qua in re notos prudentiæ fines uſqueadeo ſuperavit, ut invariatam hanc humanorum eventuum certitudinem, inter cœleſtia potiùs, quàm naturæ beneficia, contubernales ejus numerarent. Memoria parum docilis, ſed diligenter exculta adeo tenax, atque fidelis, ut ſi marmore exciperet, quæ mandarentur. Beneficentiam, liberalitatem, gratificandi ſtudium, non ex doctrina hauſit, aut moribus, ſed ex inſita magnitudine animi, cujus ductu beneficium libentius contulit, quàm accepit, nihil non commune putavit, neque valetudini, neque labori pepercit, quominus iis proderet, qui operam ejus non recuſarent. Motus animi expertus eſt, ſuâ ſponte faciles, atque pacatos, & quibus nihil a virtute alienum imputaretur, præter unam iracundiam, quam interdum ſibi, aliiſque gravem eatenus ſenſit, quo ad ſe reſpiceret, & affulgenti rationi pateret aditus, quam animi impetus occupâſſet. Itaque deſiderata nonnunquam pauliſper eſt manſuetudo, quam tamen ille, quum incitatio reſediſſet, præſtabat cumulatiſſimè. Quamvis enim nunquam probabili ſine cauſa excanderet, ſi tamen in domeſtica reprehenſione modum non ſervâſſet, familiare erat moderato homini, ad pedes ejus procumbere, cujus animum exaſperâſſet acerbitate verborum, nec ſine lacrimis veniam petere. His naturæ ornamentis cumulum addidit Chriſtianæ, atque domeſticæ ſtudium diſciplinæ, quam in ſuis moribus ita deſcripſit, ut imago eſſet perfectæ religionis, conſummatæque virtutis, cujus apud barbaros etiam homines palæſtram inſtituit, numero, ac dignitate con-

'Animi ejus eximiæ virtutes, & corporis honeſta habitudo.

Eloquentiæ ejus ratio, ac mira ſuavitas.

Indolis ejus nobilia ornamenta, & in explicandis conſiliis, prudentia, atque dexteritas.

Iracundiæ motus, manſuetudine, ac temperantiâ moderatur.

Chriſtianas, ac domeſticas leges in ſe diligentiſsimè trâſcribit.

Digitized by Google

conſpicuam. Divinæ caritatis abundantiam, qua perpetuò flagravit, ex ore, & oculis oſtendebat; erumpebant enim inter ſupplicandum, & immolandum perennes lacrimæ, genis ardentibus, & divinitatis amorem anhelantibus. Ut Sinicam togam ſumſit, munditias non neglexit, quibus ea gens maximè ſtudet; ſericum propterea, & nonnihil ſplendidum amictum induit, nè apud homines voluntariæ paupertatis ignaros, Chriſtianus doctor inops, atque pannoſus, ſordidæ, plebejæque religionis opinionem afferret; intima tamen indumenta, quæ ex Europa ſecum attulerat, nunquam exuit, niſi ut vetuſtate conſumta, ipſe ſarciret, & iterum, atque iterum lacera, atque detrita, aſſutis centonibus repararet. Quotidie impranſus modicam cœnam adhibuit, ſomnum minimum; neque ſemel aſſiduis itineribus inediam, vigilias, algorem, gelidaſque noctes ſub divo patienter toleravit. Reliqua hujus viri, præclara facinora, peregrè edita, fusè, accuratéque perſcripſit P. Franciſcus Rougemontius Belga, qui rebus ejus interfuit; ea tamen ſuis ad Provinciam Siculam litteris octavum poſt annum datis, interiiſſe dolet; & ſummatim pauca delibat, de quibus eſt hactenus commemoratum.

Ejus cum Deo conjunctio, & lacrimarum abundantia.

Gravinæ apud Sinas cibi, ſomni, ac indumẽtorum ratio.

XXIX. His rebus geſtis, ſummo Societatis ſacramento inſignitus, qualem, ac quantum non ſuorum modò, ſed externorum etiam hominum amorem, & ſanctitatis opinionem P. Hieronymus Gravina ſibi promeruerit, mors declaravit. Morienti enim magno agmine adfuere omnium ordinum viri nobiles, quos ad Chriſtiana caſtra ipſe tranſcripſerat, atrati, ut in publico luctu, & lacrimis, atque gemitibus doloris abundantiam, tanquam in paterno caſu teſtantes. Ille ſingulos intuens, & nominatim appellans, plurimùm cohortatus, ut in fide, qua ſe Chriſto obligaverant, permanerent, placido quaſi ſopore correptus, oculos, & vitam clauſit in Chanxoana Civitate, pridie Nonas Septembres, quo die Roſaliæ Panormitanæ Virginis colitur beatus exitus; cujus Gravina religionem ad illud uſque Orbis terrarum confinium, ſummo ſtudio amplificaverat, & aram conſtituerat. Elatus eſt, Sinico funerum more ad Chriſtianam ceremoniam traducto, ſuffitu, ceris, concentu, pompâ funebri, reliquiſque ſummis honoribus, quibus viris principibus, aut de Republica optimè meritis parentatur. Ut de morte ejus eſt nunciatum convolârunt ex univerſa Provincia honeſtiſſimæ legationes, miſſæ a Societatibus Chriſtianorum, cum elogiis, quæ Sinicà elegantià defuncti mores, atque virtutes commendarent; & qui eas gerebant aliis alii temporibus funebrem

Eo die, quo B. Roſalia ejus Patrona deceſſerat, inter Sinarum lacrimas, extinctus eſt.

Funeris ejus ceremonia, & populorũ grati animi ſignificationes.

brem ceremoniam integrârunt, qua manes ejus sublevarentur, & publicum significaretur pietatis, ac grati animi officium, ut si justa parenti persolverentur. Cogitatum est pariter de sepulcri honore liberalissimè. Nobilis enim Chanxoanus summum collem extra pomœrium attribuit, in quo erat hortus, & silva cupressis consita, quas ea tellus proceras alit, & teretes, ac eximiè acuminatas, & area ad recipiendum ædificium idonea. Ibi Christianorum ære collato, excitatum est monumentum satis amplum, atque magnificum, cum atrio, & porticu, quæ tumulum clauderent, & molis omni ex parte conspicuæ ornatum, & dignitatem augerent. Illatum est eò corpus, & renovatis exequiis tumulatum. Intueri licet in Musæo Collegii Panormitani, Sinicis in serico delineata coloribus imago ejus sedentis, & ad immolandum ornati, insignibus Sacerdotii, quasi intermisso sacrificio ad populum verba faceret: adjectumque legitur nostratibus litteris ejusmodi elogium. *Effigies Patris Hieronymi de Gravina Siculi, qui post triginta ferè annos in China exactos, obiit ætatis septuagesimo.* Verùm in vitæ spatio finiendo, mirum non est, natalis anni vitium in alienas terras, & homines irrepsisse, a quibus rectiùs doceremur quando vivere desiit, quàm quamdiu vixit: certissimis enim documentis compertum habeo, Gravinam extinctum esse, quum annus ætatis ejus excurreret undesexagesimus.

Nobilis Chanxoanus collem attribuit, & in eo splendidum monumentum Gravinæ excitatur.

In Musæo Collegii Panormitani, Gravinæ, Sinico more depicta imago.

XXX. Fatalis quoque fuit hic annus P. Josepho Mazaræ Siclensi, quem ætate, ac valetudine florentem mors occupare maturavit. Acerrimum, ac feraciſſimum ejus ingenium, & inveniendi maximè cupidum vicit memoriæ facultas, planè mira, & qua majorem, nullam tulisse ætatem tradunt æquales ejus. Quum enim dies, noctesque legendo consumeret, quidquid oculis semel percurrisset, ita menti inhærebat; omnino ut nihil excideret, & ingentium voluminum verba ipsa retineret, & quum usus posceret recitaret omnia, & titulos, & paginas, apicesque singulos indicaret. Auditam verò, sive italicam, sive latinam orationem, utcunque prolixam, & scriptorum locis, atque sententiis plurimùm illustratam, e vestigio reddebat, nullà immutatione verborum: & quod majus est, fluentibus annis, oblivione deleri non poterat, quod aliquando arripuisset. Decursis itaque, quantà fieri potest musarum omnium commendatione, atque gratià, amœnioribus litteris, severiores disciplinas ita consumsit, ut uberiùs, & cumulatiùs expromeret, quæ a doctoribus accepisset. Quare & sapientissimè propugnavit, quæ didicerat, & memoriæ beneficio plura de

P. Josephi Mazaræ fatum, ingenium, ac gravissimæ calamitates.

Memoriæ ejus singularis, & inaudita præstantia.

Summus ex ea in litteris profectus, & eruditio.

suo

Digitized by Google

suo addidit, quæ disputationis severitatem eruditione condirent. Quibus rebus junior, & litterarum tirocinio vix exacto, facilè est consecutus, quod non conceditur, nisi grandævis, & qui plura gymnasiorum stipendia meruissent. Fecit enim docendi initium in Collegio Panormitano, ubi philosophicas artes tradere jussus, tantà ingenii, ac doctrinæ famà dialecticam aggressus est, ut nemo ante illum, tam insignem auditorum numerum, ad eam memoriam sibi conciliaverit. Re tamen ipsà cognitum est, Mazaram meliorem fuisse discipulum, quàm magistrum: nam studio elatus, implendi expectationem, quam de se summam concitaverat, id se assequi non posse statuebat, nisi novum excogitaret ratiocinandi genus, copiosum, varium, & eruditum, quod historiam complecteretur, neque Rhetorum aspernaretur mundities, neque negligeret Poëtarum illecebras. Quo factum est, ut quum dialecticæ elementa exponeret, & immensam memoriæ supellectilem in sua scripta diffunderet, in miram, atque inauditam incideret prolixitatem; in exornandis enim, atque enodandis primis rerum notionibus, quibus omnino nudis, atque simplicibus, nihil asserimus, nihil negamus, nihil ratiocinando progredimur, sed nihil aliud quàm intelligimus, semestre spatium contrivit, neque apparatum omnem exhausit. Ea res tantam attulit adolescentibus satietatem, ut discipulis quotidie dilabentibus, sub anni exitum, a paucitate ad solitudinem pervenerit, & præter domesticos juniores, nemo unus præterea docenti adesset. Sed qui tristi eventu serò admoneri maluerunt, quàm consilio providere, ut detrimentum caverent potiùs, quàm emendare cogerentur, volentibus omnibus, Mazaram abdicârunt, & Collegio Mamertino addixerunt, eà præscriptione, nè disciplinas publicè attingeret. Variam ibi expertus est, dubiamque fortunam. Nimirum homo facundus, & opinione doctrinæ, cui plurimum salis inesset, maximè gratiosus, multas, & magnas invenit potentium virorum amicitias, & familiaritates, quarum præsidio fretus, contra quàm a majoribus cautum fuerat, in publicum docendi munus non irrepsit modò, sed planè irrupit, & in magnam venit violatæ obedientiæ suspicionem, quasi clandestinis officiis a Senatu impetrâsset, ut in Academia Mamertina, extra domesticos fines, sacras traderet litteras, & doctoris ad id laureà donaretur. Quod quum Senatus summo studio flagitaret, tergiversatione nullà vitari potuit, quod turbulentissimo tempore armatis precibus petebatur. Incitabat stultas ejus cogitationes impunitas erratorum, quam im-

Studiis vix emensis, Panormi præter morem dialecticã aggreditur.

In ea tradenda nimia prolixitas, & exinde calamitatũ initia.

Nostri ab eo munere Mazaram abdicant, & Messanã mittunt.

Mamertinorum tumultibus se involvit, & violatæ obedientiæ apud nostros postulatur.

improvidus futurorum, perpetuam fore putabat. Eamdem proinde expromsit ingenii intemperantiam, addiditque opinandi, ac sentiendi licentiam, & quod longè erat deterius, Optimatum, & Senatorum beneficiarius, in civili dissensione eorum partes susscepit, seque totum æstuantis Civitatis fluctibus involvit. His Romam delatis, Goswino sapientissimo seni placuerat, servire tempori, & errantem pudore magis, quàm animadversione continere. Oliva tamen vir summus, & strenuus, cujus alacritatem animi nondum ætas, & gubernationis usus subegerat, ut supremi magistratùs ad se potestas perveniret, ferendam non censuit hominis contumaciam, cui plurima ineffet pravi exempli pernicies. Jussit propterea, Mazaram Messanâ actutum decedere: reclamanti verò Senatui, & hominem optimè de se meritum, quem ad pœnam designatum amandari intelligebat, retinere vehementer contendenti, officiosissimis litteris gratias egit, quòd Societatis virum tanti faceret, rogavitque nè filium a Parentis jure subduceret, neu obedientiæ administrationem interpellaret, quæ Mazaræ, sive culpam, sive culpæ suspicionem expurgaret, & de se metuenti indemnitatem afferret. Hoc fuit initium simultatum, quæ plures deinceps annos, gravissimæ exarserunt inter Olivam, & Senatum Mamertinum. Mazara tamen, qui levitate potiùs ingenii, quàm animi pravitate, aut perfidiâ deliquerat, aliquando dispiciens, quò se projiceret, quid impenderet, quis demum exitus esset pervicaciæ futurus, domestica causatus propinquorum negotia, quæ se in Patriam evocarent, Senatui persuasit, nè profectionem remoraretur. Siclum propterea contendens, Moncadæ litteris ex itinere Næti consistere jussus est, ubi ægritudine animi extinctus perhibetur, septimo Idus Junias, annos natus tres, & quadraginta. Nonnullæ supersunt præstantissimi hujus ingenii reliquiæ vigiliarum, supposititio nomine sparsim editæ; & quidem italicè *Arcus triumphalis a Senatu Panormitano erectus Roderico Mendozæ, Duci Infantadi Proregi. Triplex Corona Duci Orsonæ Siciliæ Proregi a Senatu Panormitano oblata. Infula Panormitana Petro Martinez Rubio dicata. Æternitas felicium Conversionum*; Oratio Messanæ habita, quo die colitur Conversio S. Pauli. *Poëmata varia*, quorum præcipuum: *Fremitus maris Sicani*. Ineditæ verò: *Ichnographia triumphorum sacri Ordinis Equitum Jerosolymitanorum*. Latinè demum, *Cultus Christi vulnerum*. *Pelagius*, carmen tragicum. *Annales Siciliæ*, opus eximium, sed Scriptoris fato interpellatum.

P. Oliva Mazaram Messanâ decedere jubet.

Ea de re Senatûs Mamertini cum Oliva simultatum initia.

Tandem Messanâ discedit, & Næti extinguitur.

Ingenii ejus italicæ, ac latinæ vigiliæ.

Re-

Digitized by Google

XXXI. Rebus pariter a P. Francisco Plazza præclarè gestis hic annus finem attulit. Ortus est Calatabellottæ anno 1592, & vigesimo ætatis, Societatem Panormi adiit, in qua religionis, & disciplinæ studium primum habuit, neque litteras neglexit, quas eatenus coluit, quoad quarto non excluderetur sacramento. Inter virtutes autem, quibus acquirendis appulit animum, misericordiam præcipuè adamavit, eamque insigni testimonio publicè asseruit. Nam quo tempore Panormi flagrabat pestilentia, & qui luem contraxissent, seponebantur, contagiosorum solatio se devovit, quibus quum diu, noctuque adesset, & corporis, animique remedia administraret, contagione correptus tertio die agebat animam; mirificè lætus, quòd in officio pietatis vitam profunderet. Sed morienti B. Rosalia se ostendit, & impetratam a Deo salutem impertivit. Itaque repentè convaluit, & eo ipso die ad caritatis obsequia remeavit. Quo perfunctus periculo aliud se obtulit longè gravius, & fœdius, atque insolentiùs. Agebat tum Franciscus annum ætatis tertium supra trigesimum, augebatque virilium annorum alacritatem, frons hilaris, multus in ore sanguis, liberalis vultus, jucunda species, & corporis habitudo integra, atque robusta. Accersitus ad expiandam puellam peste afflatam, remotis arbitris deprehendit, eam ardere magis æstu libinis, quàm morbidi veneni incendio ureretur, (quam veneris urticam contagiosis mulieribus familiarem esse, Plinius adnotavit) illecebris enim omnibus ausa est nihil tale suspicantem incitare, & demum petere. Ille demiratus, quid posset furor cupiditatis in femina morti proxima; naturæque imbecillitatem commiseratus, excanduit tamen, & *Quò ruis*, inquit, *furia, quam in extremo vitæ discrimine olidam, ulcerosam, horridam, & tantùm non extinctam, non pudor, non cura salutis, non Christi judicis certa, & proxima damnationis sententia, non æternum orci supplicium, non tam aperta cœlestis iræ significatio, in tanto Civitatis luctu, a fœditate deterret? Furiis omnibus te committo, devotum tenebris, & erebo caput.* Quæ quum magnà, ac terrificà voce, candentibus genis, ardentibus oculis pronunciaret, & alia ingereret, ad terrorem efficiendum accommodata, perdita mulier ad sanitatem rediit, in lacrimas abiit, veniam petiit, superioris vitæ labes omnes aperuit, & postridie supremis lustrata sacris, magna cum spe salutis, lue consumta periit. Franciscus restinctà postmodum pestilentiâ, animo, & corpore incolumis domum regressus, reliquum vitæ spatium traduxit in Collegio Panormi-

P. Franciscus Plazza Panormi Societati se aggregat.

Ejus erga peste afflatos inexhausta misericordia.

Eo morbo, & ipse tentatus, Divæ Rosaliæ beneficio liberatur.

In maximo amittendi pudoris periculo versatur.

Simulatâ peccatorum expiatione, eũ Puella ad venerem provocat.

Plazzæ in eo periculo constantia, & ad puellam efficax oratio.

Eâ orationè perterrita mulier Christo cõciliatur.

mitano, juvandis, excolendisque custodiis perpetuò addictus, quo in munere annos ferè quadraginta præclarè meruit. Quotidiano enim, exquisitoque labore criminosis aderat, & obæratis. Cognoscebat eorum controversias accuratissimè, & æquitate mirà temperabat. Assiduis adhortationibus pejerandi scelus amovit; expiationis consuetudinem intulit jampridem obsoletam, ut mensis non abiret, quin cœleste convivium frequentarent. Eam proinde fœcem, atque sentinam Civitatis ita emendavit, ut ei Magistratus urbani gratias agerent, quòd in ea Christianis institutis, ac moribus imbuenda, tantum curæ, atque operæ impenderet. Plurimum quoque laboris, & industriæ contulit in sublevanda etiam ipsorum inopia: corrogatà namque pecuniâ, & subsidiis ex amicorum liberalitate conquisitis, pauperrimis quotidie alimenta suppeditabat. Egit pariter cum creditoribus, & magistratibus, ut debitores ære alieno liberarentur, & minorum criminum reos in libertatem assereret. Nè verò deesset, quominus plurimis opitularetur, senex quoque, & diurnâ defatigatione confectus, subtrahebat somnum oculis, noctesque ipsas exscribendis publicis litigatorum tabulis tribuebat, ut contractâ, exinde pecuniâ miserrimis subveniret. Reliqua clarissimi hujus viri facinora, temperantia ejus facilè occultavit, quòd cum infima, rudique plebe versatus, & latendi, fallendique studio ductus, nihil, quod non esset commune commisit aliorum oculis, & auribus, & nè domesticos quidem, rerum suarum participes fieri voluit. Pauca hæc, quæ tradidimus, pagina quædam manu ejus descripta, indicavit; quæ scriptis omnibus paulò ante fatum concrematis, memoriam, & diligentiam ejus effugit, reperta est enim vetusto libro interjecta. Extinctum nihilominus copiosè laudaverunt pauperum lacrimæ, & communis custodiarum luctus, quasi parentem amisissent. Desideratus est anno minor septuagenario, XV Calendas Octobres, & in Collegio Panormitano, confluente ad funus ejus Civitate, tumulatus.

Ex eo caritatis officio in Collegium Panormitanum incolumis se recipit, & custodiis addicitur.

In iis excolendis ejus immensa cura, atque opera.

Eximia in pauperes misericordia, & caritatis memorabile exemplum.

Ejus temperantia, & latendi, fallendique studium singulare.

Panormi inter pauperum lacrimas vitam claudit.

XXXII. Fatum denique Messanæ invenit, ibidem natus, deque ea, ac Mamertina Societate optimè meritus, P. Joannes Melismelius, sæpè antea commemoratus, quum de beneficiis ejus, ad annos congruentes sermo incideret. Mercaturam fecit adolescens, & ex peregrinarum mercium quæstu, non mediocres sibi divitias paravit. Anno ætatis duodetrigesimo uxorem, ex qua filium Didacum susceperat, carissimam amisit; eamque jacturam usque adeo molliter tulit, ut humanarum rerum pertæsus secessum cogitaverit, & in eo consilio perman-

P. Joannis Melismelii erga Societatem merita, & secedendi consilia.

se-

serit; triennio enim vixdum exacto, Sacerdos hæreditatem filio transmisit, & Panormitanis tironibus se adjunxit, atque anno 1611, primum Societatis sacramentum nuncupavit. Diducus sterilem nactus nuptias, & valetudinibus diu tentatus, paulò ante fatum, Patrem superstitem, supremis tabulis fiduciarium hæredem dixit. Quare Joannes pristinas curas revocare coactus, Patriæ, ac Societati prospicere studuit: quumque nullum esset in Provincia Nobilium adolescentium Collegium, in quo generosa juventus, communibus erudita institutis, bonis artibus rectissimè imbueretur; gratum fore putavit civibus suis, & maximè honorificum, si tam salutaris, & exoptata institutio a Mamertina Civitate initium caperet. Ad explicandas igitur domesticas difficultates, quæ alieno satis tempore, impeditissimæ se ostendebant, Romam profectus, summo Societatis Antistiti consilii sui causam ita probavit, ut in Provinciam remeaverit cum mandatis, nè quis conatus ejus oppugnaret. Aliæ tamen sunt exortæ, quas ipse non providerat, graves, inopinatæque externorum simultates, quæ semel, & iterum inchoatum Domicilium distulerunt. Jam enim conductis, instructisque ædibus, comparatis utensilibus, convocatisque, quibus condixerat adolescentibus, ardente tum factionibus, & civili tumultu Civitate, quum vis, & arma magis valerent, quàm leges, & bonum publicum, neque Senatorum voluntates uno consilio agerentur, tristis illa direptio est consecuta, de qua in loco est demonstratum. Neque tamen Melismelius despondit animum. Damnum reparat, omnia restituit, ampliores concinnat ædes, & publicandæ Convictionis diem præstituit: sed eodem exitu, atque periculo, frementibus adversariis, & ignem denique admoventibus. Eà igitur spe depulsus, ad Collegium S. Francisci Xaverii convertit animum, eóque reliquas opes contulit: neque verò Domum Mamertinam assiduis largitionibus sublevare unquam destitit, & etiamnum extat pretiosa supellex, qua templum locupletavit. Mirum autem fuit, pecuniosum hominem, senem admodum, & in pauperrima Domo versantem, nè obolum quidem sibi indulsisse, quò naturæ præsidia compararet. In publicis, maximisque annonæ difficultatibus, non alium libentiùs, & cupidiùs requirebat Senatus Mamertinus, quàm Melismelium, quem rei frumentariæ causâ, in Apuliam, in Picænum, in Sardiniam cum pecunia mitteret; quòd nemo alius tam accuratè sumptui parceret, accepti, & expensi rationes explicaret, & ad compendium, atque solertiam, tantam adderet in conficiendo negotio celeritatem.

Societati aggregatus, Nobilium Collegiũ instituere semel, & iterum Messanæ tẽtat.

Ejus Collegii condendi difficultates, & civium tumultus.

Eà spe depulsus, Collegio S. Xaverii hæreditatem attribuit.

Senatus Mamertinus in maximis annonæ difficultatibus, ejus operâ flagitat.

Institutorum memor Societatis, in civili dissentione, quæ plures annos Mamertinam rempublicam exagitavit, quum arderent studia partium, & civium controversiæ, privatis potiùs armis, quàm jure publico decernerentur; quamquam plebi suspectus erat, quòd plebejus quum esset, Nobilium Convictionem condere parâsset, a qua plebeji ordinis adolescentes excluderentur; factiones tamen vitavit, omnibus prodesse studuit, civiles curas nunquam attigit, nisi communes, & a simultate remotas, perpetuus fuit publicæ tranquillitatis assertor, & impendentem ex civium cum civibus altercationibus, reipublicæ perniciem, prospicere, & tamquam vates canere, ac prædicare non intermisit. Qua in re domesticis quoque mirificè satisfecit, quorum nonnullos, nè se fluctibus popularibus, & procellæ committerent, in officio continuit; cum furentibus verò, factiosis, & pervicacibus, nihil præter mensam commune habuit. His artibus, atque virtutibus, ad summos usque canos, singulis æquè carus, atque spectatus, anno trigesimo, quàm publicum, atque solemne trium votorum sacramentum pronunciaverat, annum ætatis agens quartum supra octogesimum, in Domo Mamertina, postridie Nonas Martias, mortalitatis cursum explevit.

Ejus in civili dissēsione summa prudentia, & a simultatum curis alienus animus.

1662 XXXIII. Ingravescentibus anno 1662 Olivæ cum Mamertino Senatu controversiis, graves utrinque litteræ intercesserunt, acres, & vehementes, quæ reconciliationis spem omnem ademerunt. Contendebat Senatus: *Nè perturbatà tum Civitate, & civibus ad arma incumbentibus, parum sibi cogniti Societatis homines Messanam mitterentur, quorum non esset perspecta fides, neque exploratum publicæ tranquillitatis studium.* Plurimùm quoque laborabat, *nè ii amoverentur, quos utiles, atque fideles Civitas retinendos censuisset.* Illud demum vehementer petebat, & studiosissimè flagitabat: *Nè cujusque generis externi homines, qui Messanæ orti non essent, domiciliis præessent Mamertinis, qua quatuor omnino numerabantur, quòd in civili motu ita ferrent rationes amplissima Civitatis, cujus maximi interesset, nè magistratum gererent, qui alienis studiis agerentur, enunciarent intestina consilia, factiones alerent, factiosos tuerentur, fidos, ac de republica optimè meritos vexarent, & sollicitos haberent diu, noctuque Patritios: eas conditiones, utpote aquas, & temporibus consentaneas, nullam aliam non admisisse religiosam familiam: nullam esse causam, cur una Societas conditiones, aut communes recusaret, aut præcipuas*

Senatùs Mamertini ad P. Olivam gravissimæ litteræ, postulationes, & cum eo controversiæ.

Nè externi Mamertinis domiciliis præsint Senatu ab Oliva flagitat.

Postulationis ejus causæ, atque momenta.

po-

postularet. *Non aliam esse Civitatem, cui Societas plus deberet. Eam primùm Messana receptam, & ære publico sublevatam, non alibi Provincia Sicula fundamenta jecisse; & qui nihil prater animam, & litteras attulissent, habere jam quatuor egregiè constituta Domicilia, totidem templa, census, agros, villas, adificia, argentea, & aurea vasa, pretiosam supellectilem; qua omnia ex publicis, privatisque Mamertinorum largitionibus ad eos pervenissent. Cur ergo tam molestos, atque suspectos hospites, & ingratos beneficiarios, non modò in Civitate versari pateretur; sed & cum potestate grassari, ut cives, & benemeritos opprimerent, & reipublica vulnera, periculosissimo tempore, exacerbarent? Quod si non eadem, qua Mamertinis, Principibus aliis placerent; minimè mirum esse, alias rationes, alia tempora, alios mores, alias nationes, alia hominum ingenia, non eadem consilia poscere. Neque Senatum Mamertinum antehac petiisse, qua modò peteret: quòd non eadem modò sit, temporum, hominum, rerumque conditio, qua antea fuisset. Ceterùm si summi Reges, ac Principes non eadem, qua Mamertini, sentirent, & fieri vellent; numquid cucullatus aliquis, aut togatus, Antistes negare auderet, qua illi flagitâssent? Sciret itaque, Hispanorum Regum auctoritate, atque gratiâ, Senatùs, Populique Mamertini imparem non esse dignitatem, potestatem, & libertatem: sibique persuaderet, Mamertinos aquè libenter commeatum modò daturos, quàm eorum olim adventum a B. Ignatio poposcissent.*

XXXIV. Oliva ejusmodi litterarum demiratus acerbitatem, quum non ignoraret, quæ Messanæ publicè gererentur, & quæ quorumdam consilia in Collegio, ac Domo Mamertina clanculum agitarentur, videretque horum ad se litteris eadem, quæ Senatus movisset, iisdem ferè verbis, atque sententiis refricari, planè intellexit vir acutus, ac sapiens, intestinum esse domesticæ ambitionis malum, & senatorias illas litteras dominatas. Quare mitiùs, & humaniùs cum Senatu agere instituit; severiùs tamen cum iis, qui discordiæ semina jecerant, & clandestinis officiis magistratum urbanum concitaverant. Hos Messanà jussit statim facessere; ad Senatum verò officiosissimas dedit litteras, quæ rectiùs evulgatæ fuissent, quàm quæ in Olivæ Epistolarum volumine editæ circumferuntur. *Magnopere laudavit Civitatis studium in expetenda, inferenda, ornanda, & amplificanda Societate. Relatam tamen, si non pro meritis, at pro viribus certè gratiam ostendit. Commemora-*

Oliva earum postulationum causas Dominatas esse, sibi persuadet.

Ea de causa in discordiarum auctores graviter animadvertit.

UNIVERSIDAD DE SEVILLA BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

Senatùs Mamertini litteris Oliva ad singula officiosissimè rescribit.

ravit omnium temporum Societatis impensa Mamertinis obsequia, in gymnasio, in templo, in custodiis, in valetudinariis, furente plebe propter inopia magnitudinem, assiduis navigationibus sublevatam annonam, extinctos plerosque, sæviente pestilentiâ, qui contagiosis se addixerant, impetratam a Romano Pontifice, per B. Ignatium Academia facultatem, paratam ære domestico Nobilium Convictionem, cujus beneficio Mamertina juventus accuratiùs institueretur. Adjecit, ea, & ejusmodi alia esse, doctrinæ, religionis, ac pietatis officia, quæ Societas ubique terrarum Civitatibus impertiri, suis legibus, ac moribus consuevit: ad ea præstanda non esse magis idoneos populares, quàm externos, (si tamen externos, fas est dicere provinciales) sed qui doctiores, & probiores disciplinam tuentur. Rempublicam verò, & civilia negotia, publicasque curas attingere, Civium de jure publico controversias movere, hanc vel illam probare causam, munera sunt Senatoria, quibus administrandis, Societatis homines suis institutis inepti sunt; ineptiores autem externis habendos esse populares, quos propter necessitudines, clientelas, affinitates, & cognationes, alienis quoque cupiditatibus servire necesse est, dissentiente præsertim, & distractâ partibus Civitate. Curaturum se propterea diligentissimè, nè suorum aliquis, sive popularis, sive alienus, publici muneris partem ullam, neque operâ, neque consilio versaret, & domesticas in eo leges negligeret; sed suis se finibus contineret, non daret sermonem civibus, & suspicionum ansam averteret. Quod si Senatui placeret, Socium quemcumque a domestico jure, ac disciplina subductum, urbanis fluctibus involvere; paratum se morem gerere, & hominem illi omnino concedere, nimirum exauctoratum, & obedientiæ jure solutum, cujus præstare non posset facta, & dicta omnia, neque in peccantem animadvertere. Malle se talibus carere viris, ut emeritis, & veteranis, quàm disciplinæ vulnus infligere, & civilem dissentionem domum inferre. Non injucundum fore urbanis magistratibus, homines Reipublicæ utiles, & idoneos, suosque beneficiarios, uni sibi habere obnoxios, & alienis imperiis, ac legibus liberos. Mirari se, quod quum olim Societatem, tantâ omnium ordinum voluntate Senatus intulisset; non eam ipsam modò vellet, qua majoribus suis placuisset, integram, & incolumem, sed ab ea longè aliam; eversam scilicet, & enervatam, ac religiosis officiis planè inutilem. Sui non esse judicii, de aliis sacrorum Ordinum familiis quicquam affirma-

mare, quarum suis queque paret institutis, & præceptis continetur. Quod ad Societatem attinet, eam habere pro anima domesticam obedientiam, sine qua ad interitum properare necesse habet. Non diffiteri se, plurima fuisse a Mamertinis Societati collata commoda: sed confiteri Senatus nè gravetur; illa eadem emolumenta Civitatis, & ornamenta fuisse. Nihil se de commeatu vereri, qui probabilem ejectionis causam non dedisset. Societatem toto jam Orbe diffusam servire invitis non consuêsse. Non quicquam fore tam grave, quàm secedere, & bene de se meritos cives relinquere: sed ut in malis, optabilius esse aliò concedere, quàm insanabilem disciplinæ plagam inferre; cujusmodi esset ambitiosorum hominum alere audaciam, & stultissimam cupiditatem, quam frangi oporteret, non incitari. Qui si præfecturis digni essent, eas non adamarent, neque, quod monstri instar est, ea de re Senatum requirerent. Creari in Societate magistratus magno delectu, sed promiscuè; præfuisse Mamertinos præcipuis Siciliæ Collegiis; & proximè P. Stephanum Turturetum universæ Provinciæ, annuo ferè spatio, extra ordinem. Placiturum reliquis Civitatibus, quod Messana tribueretur. Inanem esse causam in motu civili, temporum conditionem: quasi verò in dissentione Civitatis, suspectiores non essent cives, factionibus obnoxii, quàm externi cupiditatibus vacui. Hæc eadem simulâsse, qui de scindenda olim Provincia tantoperè laborârunt, ut invaderent magistratus. Quæ cum Piccolomineus coram cognovisset, se adjutore, atque comite, coagmentandam censuisse Provinciam, & illatum vulnus festinatis remediis amovendum. Postremò Senatum obsecravit; *nè pro sua prudentia, & perspectâ rebus omnibus humanitate, ac sapientiâ, pravis paucorum consiliis agi sineret, néve ea aggrederetur, quæ malùm haberent exemplum, & exitum, vel nullum, vel cum pernicie conjunctum. Nihil sibi fore jucundius, quàm Senatui sine exceptione obsecundare, salvâ tantùm Societate, & quantùm disciplina pateretur. Petere proinde, atque orare, ea modò nè juberet, quibus obtemperare nefas esset.*

P. Ignatii Moncadæ ad Provinciâ litteræ, & earum summa capita.

XXXV. Quibus in Senatu recitatis, factum est æquitate litterarum, ut globus ille consensionis, qui Patritios, & Senatores ferè omnes ad conspirandum coëgerat, nonnihil conquiesceret. Sub idem tempus Ignatius Moncada, qui summum gerebat magistratum, eódem respiciens, gravissimas dedit ad Provinciam litteras, & maximè salutares, quarum tria-

erant

erant ſumma capita. Expoſuit in primis detrimenta Provinciæ, deinde cauſas aperuit, demum remedia indicavit. *Queſtus eſt pluribus verbis, paucorum culpà, commaculatum Provincia nomen florentiſſima, quod antea illuſtre, & univerſa Societati magno in honore fuiſſet. Graves eſſe, & aſſiduas Collegiorum mutuas conqueſtiones, & eorum, qui præeſſent intemperantia, & eorum qui ſubeſſent, contumacia. Accuſari illos, quòd aſtutè, ſuperbè, arroganter, non pacatè, atque paternè poteſtatem expromerent; ut ſi parum eſſet obtemperare, niſi etiam ſerviretur: Hos culpari vehementiùs, quòd quicquid juberetur in malam partem acciperent, obedientiam ſervitutem putarent, & poteſtatis jugum excuterent. Flagrare proinde majora præſertim Provincia domicilia perpetuis ſimultatibus, & bellum inteſtinum, utrinque injuſtum aperti ſſimè adminiſtrari. Manifeſtum jam eſſe, ut patenti in acie certamen, bonorum in refugiendis, & repudiandis; malorum in appetendis, & aucupandis magiſtratibus, quòd hi privata captarent commoda; illi neglecta diſciplina incommoda; & improborum obtrectationes, atque calumnias extimeſcerent, neque poteſtatem adminiſtrare, neque muneris dignitatem tueri poſſent. Ex his alia, atque alia exiſtere detrimenta. Idoneis nempe rectoribus carere familias; domeſtica externis enunciari, intima vulnera patere omnia; ſervilibus artibus, & obſequiis captari potentium neceſſitudines, & clientelas; officia Societatis, utpote vel ineptis, vel parum dignis delegata, perperam exhiberi, rem familiarem planè dilabi, irrepere as alienum, domiciliorum cenſum in dies labefactari. Qua omnia & domeſticorum litteris Romam delata, & externorum querelis longè, latéque diſſipata, & adverſariorum perfidià, inflatius etiam quàm res eſſet, amplificata, tantam haberent Provincia ignominiam, ac fœditatem, ut eam cùm a majoribus ſuis, tum a primævis inſtitutis aberrantem, ac ruinæ proximam Societati probarent. Duas eſſe potiſſimas evulgatæ corruptelæ cauſas. Invidiam, & ambitionem; quarum utra majorem afferat perniciem, non facilè judicari. Illa enim eſt caritati inimica, hæc temperantiæ; quibus convulſis, aut ſauciatis ſocialis vitæ cardinibus, ea quæ ſunt enumerata incommoda, erumpere oportere. Nullam jam ferè eſſe Chriſtianam piſcationem, & retia ſciſſa queruntur, qui in una, eademque Provincia navi verſantur Piſcatores animarum, non numero piſcium, aut magnitudine, ſed quòd diſſuti eſſent Adam funi-*

ni-

niculi, & violata vincula caritatis. Illustratis morborum causis, certam haberi, facilemque curationem. Remedia ergo, si saperent, ipsi sibi adhiberent. Dolori parcerent, quem in tractandis vulneribus, aliena manus acerbiorem effecerit, quàm si sua ipsius admoveatur. Sanarent suà sponte immodicas cupiditates, abjicerent municipalium studiorum urticam, & penitus extirparent; Magistratus inviti caperent; non peterent, non recusarent. Eam esse Societatis præfecturarum conditionem, ut plus haberent laboris, atque molestiæ, quàm suavitatis, & commodi, si rectè, ac sapienter administrentur: si verò ambitiosè, & astutè gerantur, meras esse curas, & miseriarum sentinam, atque dolorum. Pudorem mallent, ac verecundiam vitæ ducem, & erratorum vindicem, quàm potestatem, cujus tamen nè ignorarent, paratam esse vim omnem, & quatenus oporteret, impetum quoque, & extremam severitatem; sibique tandem persuaderent, nolle Provinciam virus intestinum, & domesticos hostes diutiùs alere.

Quinam fuerit ex iis litteris relatus fructus.

XXXVI. His litteris, quas dignum erat ex italico conversas, propter insignem doctrinam, ac sapientiam huc transferre, nisi festinantem prolixitas deterruisset, ad sanitatem qui asseclæ pravorum fuerant consiliorum, reversi sunt: at qui auctores, ducesque erant, pœnà maluerunt, quàm pœnitentiâ Provinciæ satisfacere, ac Societati prodesse. Nam nullis jussionibus, atque præceptis adigi potuerunt, ut Messanà decederent. Contumaciæ accessit linguæ intemperantia. Publici enim Societatis osores, & perfidiæ manifesti, perpetuis concionibus Senatum onerare non desinebant, & in Olivam, atque Moncadam incendere. Carpebant potissimùm domesticam rectionem, quasi iniquam, imperiosam, immitem, & Civitati injuriosam; quòd indigni ad magistratus evocarentur; dignissimi negligerentur; posthaberentur cives, & nobiles; alieni, atque plebeji dominarentur; omnia gererentur ad nutum paucorum, qui sibi invicem præfecturas transmitterent, & Mamertinos, apertà conspiratione perpetuò excluderent. Hi, quos Oliva, sex, aut admodum octo fuisse memorat, Senatui persuaserunt, ut eorum causam susciperet, in qua esset Patriæ pietas, civium tutela, & patritiorum indemnitas, quos culpâ nullâ, odio dumtaxat civitatis vexatos viderent, quòd ejus jura tuerentur, & præsidium implorarent. Nemo autem satis mirabatur, atque dolebat tantæ stultitiæ, pravique consilii fuisse facem, ac principem Paulum illum Calocerum sexagenarium, qui quartum in Societate sacramentum cum laude dixerat, & in ea annos

Simultatum Ducum animi exacerbantur, & Senatum in Olivam, atque Moncadam incendere conantur.

Pauli Caloceri simultatũ principis casus exponitur.

quatuor, & quadraginta meruerat, eloquentiæ gloriâ conspicuus; hic ingenio, ac linguâ paratus, neque indoctus, sed sacrâ, profanâque eruditione satis imbutus, & jucundâ quadam facundiâ præditus, qualem illustres, intimæque postulant familiaritates, quas ille multas, & magnas, domi, foriſque conciliavit, annum jam agens ferè sexagesimum, habiles, & emeritos canos, contumaciâ, & defectionis labe fœdavit, & quibus culpæ fuerat, dux etiam pœnæ fuit, eò demum progressus, unde nullus jam receptui aditus relinquebatur. Nihil enim veritus fortunæ, ac temporum vicissitudines, tantâ rerum suarum fiduciâ elatus est, ut Olivæ potiùs constantiam fractum iri speraret, quàm expugnatum iri temeritatem suam. Incidit tamen in virum fortem, & domestici juris retinentissimum. Jussus itaque Messanâ decedere, neque obtemperans, potestatem Senatoriâ majorem respicere coactus est, prætoriam scilicet, quæ in provinciali administratione summa est; & Syracusas cum præsidio demigrare. Sed quum assiduis litteris Mamertinum Senatum, & amicorum fidem indidem *sollicitaret*, oraretque, nè Reipublicæ causâ exulem desererent, & inimicorum crudelitati traditum destituerent, egit Oliva cum Alexandro Septimo Pontifice maximo, ut Calocerus sacramento solutus, & exauctoratus, Mamertino Senatui, reditum ejus flagitanti, concederetur. Extant Alexandri litteræ ad Olivam, & Provinciæ Antistitem datæ XVI Calendas Majas, anno 1664, quibus Calocerum, accusatum, atque damnatum, quòd *Societatem jam a multis annis perturbare, salubremque gubernandi rationem, & laudabilem ejusdem Societatis institutum, incorrigibili pertinaciâ, impugnare non cesset; & Superiorum ipsius Societatis præcepta palam transgredi non vereatur*; gravissimis verbis a Societate ejici mandat, eique facit potestatem privati contubernii, si religiosam aliam disciplinam amplecti nolit. Calocero nihil tale suspicanti, sed nihil magis refugienti, qui in Societate consenuerat, & homines potiùs, ac tempora, quàm disciplinam aversabatur, gravissima accidit missio; & eatenus tergiversatione usus est, quoad intellexit, serò se sapere, quum jam, neque pœnitentia locum haberet, neque ulla veniæ spes esset reliqua. Quare minacibus verbis, atque oculis, fatalem fore Societati jactans suum ad Mamertinos reditum, vulgaria, & lanea Societatis indumenta, sericis, splendidisque mutavit, nobilium more Presbyterorum, & propere Messanam contendit, quò fore sibi pollicebatur, ut omnium ordinum concursu, effusâ Civitate, popularium

Ejus cum externis familiaritas, & in proposito contumacia.

Messanâ decedere recusans, Olivæ operâ, Syracusas cum præsidio, prætoriâ auctoritate deportatur.

Oliva ab Alexandro VII flagitat, ut eum sacramento solvat.

Alexandri jussu e Societate tandem ejicitur; & Syracusis Messanam contendit.

Digitized by Google

rium quasi humeris reduceretur. Sed contra accidit: nam cujus paulò antè nutum Senatus intuebatur, & exeuntem pleraque nobilitas ad portum, & navem deduxerat, remeanti obviam factus est nemo; neque quisquam ex tanto amicorum numero repertus est, qui salutationis causâ, domum ejus adiret, & adventum ejus gratularetur; quin & Senatum postridie petenti renunciatum est, Patres non vacare; ad alium proinde diem se differri, si quid haberet negotii, nè gravaretur. Ille negligi se intemperanter questus, & diris omnibus amicos æquè, ac inimicos detestatus; propinquis etiam, atque cognatis, propter morum acerbitatem injucundus, & planè exosus, reliquum vitæ spatium, *cane pejus, & angue* exsecratus, ac detestabilis, eorum cumulavit exempla, qui contumaces, ac defectores, quamdiu vixere nobiscum, apud externos magno in honore habiti, amissâ postmodum Societate, nullo apud eosdem fuere numero, & miserrimam vitam pari fato clauserunt.

Contra quàm crediderat, Messanæ nulla civiũ gratulatione excipitur.

Eum Senatus negligit, & nullo numero habet.

Horat. in Art. Poët.

XXXVII. Verùm Caloceri ejectio, quod est extremum in Societate supplicium, flagitiorum participes cautiores fecit, non meliores. Ut enim de missione ejus Messanæ auditum est, nostri qui cum eo conspiraverant, palàm Senatui persuaserunt, *Impudenter, stultéque egisse Paulum Calocerum fugitivum, & impotentem hominem, qui altum, & delicatum Olivæ ingenium acerbissimis litteris exasperâsset; & severæ animadversioni causam dedisset, quæ quidem cum probro, & ignominia clarissimæ Civitatis conjuncta esset.* Clandestinis interea machinationibus, atque calumniis, maximam Olivæ conflant invidiam, quòd *Calocero, utcunque tunc criminoso, & antea fugitivo ignoscere debuisset, neque in eum duriùs animadvertere, quem publica auctoritas tuendum censuerat, lasamque insusurrant non perditi, pravique hominis honestatem, qua nulla esset, sed Patriæ majestatem, pro qua, ut pro aris, & focis, pugnandum esset.* Quæ quum in vulgus per conscios, fidosque emissarios jactarentur, conclamaretque vicatim ad id edoctus factiosorum popularium globus, illatam Senatui magis, quàm privato homini injuriam vindicari oportere; repentinâ seditione plebs Mamertina conflagravit, tantoque tumultu debacchari cœpit, ut Societatis domicilia, extrema omnia sibi metuerent. Parum enim fuit obstructis aquæductibus, aquam avertere, & annuam pensionem ex ærario urbano, stipulatione antiquitus Collegio debitam subtrahere; nisi etiam Socios omnes alibi natos, tanquam Patriæ hostes, Messanâ

Ex Caloceri ejectione, nova Olivæ conflatur calumnia.

Flagitiorum participes, ab Oliva patriam majestatem læsam fuisse, Senatui persuadent.

Ea vox in vulgus emanat, & ex ea plebis tumultus, & in Societatem impetus.

excedere, & perpetuò excludi magnis clamoribus peterent, ac sine mora facessere postularent, & vim inferre conarentur. Diversabatur tum Messanæ Franciscus Cajetanus, Dux Sermonetæ, idemque Casertæ Princeps, qui Siciliam Prætor cum potestate tenebat, magni vir animi, summique consilii, cujus intima Romæ fuerat cum Oliva familiaritas, & assidua tum erat litterarum consuetudo. Hic, & sua sponte, & Olivæ cùm gratiâ, tùm necessitudine, Societatis rebus summopere studebat, & nihilo seciùs Mamertinam quoque Rempublicam singulari voluntate fovebat. Itaque ancipiti curâ in tanto Civitatis motu, utrasque partes complexus, se interposuit, suâque auctoritate, atque gratiâ, Mamertinos adduxit, ut ex duodeviginti Sociis, quos illi amandandos contendebant, nonnisi quinque sine dedecore, ac metu, & cum præsidio secederent. Duo ex Collegio sacrarum litterarum doctores, tres ex Domo, eloquentiæ, ac religionis laude conspicui. Quibus ad Olivam propere delatis, qui Goswino jam morte sublato, *pleniſſimo* jure Societatem administrabat, mirum quantum excanduit, & quàm acri sollicitudine exagitari cœperit. Nullis enim amicissimi Principis officiis sedari potuit nonnihil iratus, & disciplinæ studio incensus animus, ut si servire nollet, at saltem cederet tantisper tempori, ejusque beneficium expectaret, quin ad extrema descenderet, & contra torrentem niteretur: nam in tanto Societatis discrimine, lentitudinem potiùs, quàm sapientiam existimatum iri statuebat, si ad ultima remedia non decurreret, & quantâ fieri poterat alacritate, properaret. Alium propterea Sacerdotem, cujus nomini parcunt monumenta Provinciæ, (suspicor tamen non alium fuisse ab Andrea Bellacera Racudiensi, qui tertio post anno, repentino fato peremptus est, sexagenario major) quarto non obligatum sacramento, suo jure exauctoravit; P. Franciscum Rasconum, certissimum turbarum auctorem Messanâ exire jussit; ejectos illos quinque humanissimis litteris consolatus, præmiis affecit; nihil non movit, quo factiosos a maleficio deterreret. A Philippo etiam Quarto litteras impetravit, quibus Senatui Mamertino injungeretur explicata pecuniæ solutio, quam Collegio quotannis pendere consuêsset. Quum verò nedum nihil extricaret, sed ulcerati Mamertinorum animi dolorem vehementiùs incitaret, neque jam nostris Messanæ sine periculo esse liceret, si disciplina constaret; tristissima quæque cogitare coactus est, & sive probrosam ejectionem, sive furentis populi impetum occupare, secessione nostrorum, quoniam non aliud reperiebat consilium,

Franciſci Cajetani Siciliæ Prætoris, ad civium motus ſedandos, cura, atque dexteritas.

Auria Chronol. Proreg. Sicil. ad ann. 1663.

Quinque ex noſtris Meſſanâ decedunt.

Ea res Olivam magis exagitat, ut ad extrema remedia deſcendat.

In earum turbarum ſive auctores, ſive adjutores, Oliva graviſsimè animadvertit.

Ea de cauſa Mamertinorum animi magis exaſperantur, & noſtri cum periculo Meſſanæ degunt.

Digitized by Google

silium, quo Socios & licentiæ subduceret, & periculo, quorum utrum magis nollet, judicare non poterat. Quatuor igitur Mamertina ultro deserere domicilia ere nostra fore arbitratus, impeditissimum aggressus est negotium, quod per se ipse, inconsultis Europæ Provinciarum Rectoribus, explicare non poterat, quemadmodum nostris legibus cautum habemus. Illis autem consentientibus, curandum erat, nè Hispaniarum Rege, aut nescio, aut invito fieret, quod erat maximè inusitatum, & admirationis invidiâ carere minimè poterat.

Oliva Societatem Messanâ amovendam censet.

XXXVIII. Dedit itaque quarto Idus Januarias, anno 1663, graves, & copiosas ad Provincias primùm litteras, deinde ad Regem, quarum hæc erat summa. Exposuit quas paulò ante memoravimus, irrogatas Societati injurias, & contumelias. Adjecit non inclinatæ modò, sed etiam conculcatæ disciplinæ incommoda. Remedia enumeravit, quibus ab initio magistratùs, utrique malo occurrere studuisset, eaque, non tam querebatur incassum cecidisse, quàm in deterius vertisse omnia, & ut Suorum arrogantiam, ita externorum acerbitatem ex magna feciſſe maximam; ut desperatis jam rebus, neque domesticam tranquillitatem, neque Suorum vitam præstare posset, neque quum apertâ vi publicè ageretur, salvâ, & integrâ disciplinâ Societatis, Senatui, & populo Mamertino morem gerere. Non aliam esse inculcabat Orbis terrarum Christianam Civitatem, quæ vel talia sibi arrogaret, aut peteret, vel tantam Societati molestiam, atque ignominiam intulisset, & inferre in dies pararet. Nihil jam Messanæ esse reliquum, præter nomen Societatis, & hoc quidem maximè fœdum, & inquinatum, quum non alia esset religiosa familia, quæ pariter vexaretur, & alumnos haberet aliquot tam perditos, & pervicaces. Tantam se Societatis fœditatem, quantùm in se esset, diutiùs ferre non posse. Orabat proinde, ut sibi per eos liceret, Socios omnes Messanâ evocare, & ea domicilia relinquere, quibus carere satiùs esset, quàm cum Siculæ Provinciæ pernicie retinere. Id neque grave Societati, neque Regi injucundum fore sperabat; nè quid Messanæ tam alieno tempore, Societatis causâ turbaretur. Harum litterarum exempla quamplurima studiosè emitti, & longè, latéque dissipari jussit, ut animi sui magnitudinem, ac fortitudinem, Mamertinis, ad quos eas pervenire necesse erat, ad speciem testarentur. Quæ quidem insueta, & eventui contraria promulgatio ansam dedit sapientibus, id quod erat, suspicandi, Olivam scilicet non tam spectâsse, illis se abdicare domiciliis, quàm paucos illos con-

Ea de causa ejus ad Europæ Provinciarum Rectores, & Hispaniarum Regem gravissimæ litteræ.

Ejus consilii causas sapientissimè exponit

Earum litterarum exempla Olivæ operâ, lõgè, latéque dissipantur, & qua de causa.

continere domesticos, callidissimà quorum operà, Mamertina Civitas concitabatur; ut intelligerent, fractis rebus, sibi, quod maximè nollent, Patriâ exeundum, ibique futuros, ubi nullus Populus, nullus Senatus domesticam potestatem retardaret, & impunitatem offerret; nedum præclariora munera, & magistratus polliceretur. Florentissima enim repudiare domicilia, clarissimamque destituere Civitatem, quam B. P. Ignatius, futurorum non ignarus, in oculis semper habuit, quæque tantà olim voluntate, atque consensu, Societatem prima omnium invexerat, & splendidissimo censu, Provinciæ fundamenta in suo sinu locaverat; neque sapientis erat animi, & in humanis negotiis exercitati, neque Olivæ altitudine ingenii dignum consilium, qui probè nôrat, eamdem esse publici mali conditionem, quæ communium morborum, quibus nihil certius, quàm patientia, & dies mederi consuevit. Quid, & quo consensu, Provinciæ rescripserint, non satis habeo exploratum. Regis autem rescriptum fuit ejusmodi. *Plurimùm se jampridem indulsisse, & etiamnum cupere Mamertinis, propter præclara eorum erga se merita, qui rebus dubiis, difficillimo tempore, fide atque subsidia, insigni liberalitate præstitissent. Non ignorare se magnos ex eo, plenam, opulentam, bellicosam Civitatem, & dominandi magis, quàm obsequendi cupidam, sumpsisse spiritus, quos tamen beneficiis potiùs molliri, quàm imperiis frangi oportere, qui Rex esset, qui exercitus, qui classes haberet, existimâsset: neque unquam de illa dimittenda, nè cogitâsse quidem, nedum deliberâsse. Videret proinde, nè pernicioſum, incautum, & periculosa plenum aleæ consilium aggrederetur. Rationem nimirum haberet publici, pravique exempli; nè conspirantibus aliis etiam Civitatibus, de dimittenda quoque Provincia decernere cogeretur. Curaturum se quidem, ut Mamertini intelligerent, Societatem, ejusque disciplinam sibi esse carissimam, eaque de re Provincialem Prætorem Sermonetæ Ducem accuratissimis litteris admoneri. Reliquam se nihilominus gravissimi negotii deliberationem Olivæ prudentiæ, ac sapientiæ concedere, qui quod optimum factu videretur, constitueret.* Quarum rerum quum assiduis rumoribus fama exisset, Oliva quod maximè optabat, est consecutus. Rascono enim, & aseclis, sui curam injecit, & domesticum illum intestinæ conjurationis globum compescuit, adegitque, ut futura prospicerent, & quos casus diuturna contumacia reciperet, animadverterent. Itaque ex illo tempore commodiorem habuit Senatum, æquiorem nobi-

Hispaniarum Regis ad Olivæ litteras sapientissimum rescriptum.

Olivæ, & Regis litteris evulgatis, Messanensiũ tumultus conquiescunt.

Digitized by Google

bilitatem, plebem quoque quietiorem, ac mitiorem. Atque hæc quidem, quæ consequentes etiam annos complectuntur, in hunc ideo congessimus, nè eventuum series, intermissionibus crebrò concisa, legentium memoriam delassaret.

Ex memorabili eventu, B. Francisci Xaverii religio Panormi amplificatur.

XXXIX. Repeto jam interceptum temporis ordinem, in quo lætiora se ostendunt, quàm quæ hactenus sunt pertractata. Panormi est mirificè aucta B. Francisci Xaverii religio ex memorabili eventu. Inter sacras Virgines Sancti Salvatoris *Basilianas*, nobilissima erat puella, Maria Castella, Capitini Oppidi, & Castriferrati Principis filia. Hæc ex acerrima distillatione, quæ pulmonem vellicabat, & anhelitùs facultatem, vehementissimis convulsionibus intercludebat, tussim contraxit, adeo acerbam, atque prolixam, ut sex quotidie horas miserrimè quateretur. Consequebantur arctissimæ faucium suffocationes, præcordiorum palpitationes, dolores capitis ad phrenæsim usque acuti, & atroces, assiduæ defectiones, deliquia, languores, lassitudines, ut neque se colligere, neque omnino stare posset. Quare turpiter hians, sine voce, sine motu, oculis in unum locum directis, & expirantis mortui similis, luctuosum de se præbebat spectaculum, & Sacerdotibus committebatur, qui morienti adessent, & summa sacra conferrent. Medicorum peritissimi artem omnem, omnia remedia consumpserant, quibus mordacissimum virus temperarent. Crebris pharmacis, & sorbitionibus accessere stigmata, atque cauteria, quibus occipitium inurebatur. Admotæ sunt etiam, singulis ferè mensibus, cervici, atque lacertis cantharidæ, quæ detritæ, ac subactæ, per ulcera morbidam pituitam exprimerent. Is tamen fuit exitus remediorum, ut exinanitis jam viribus, & propemodum extinctis, repentinus furor extiterit, cujus impetu exagitata, vires exeruit adeo validas, atque viriles, ut debacchantem, seque jactantem in omnem partem, & mirà celeritate contorquentem, robustæ quatuor sorores non continerent. In ipso autem insaniæ æstu, mugitus edebat, eò usque sonantes, atque terrificos, ut adstantes fugarent, & ex adverso Societatis Collegio exaudirentur. Truculentum hunc morbum, quem *Ferinam vocat distillationem*, & insanabilem, atque fatalem tradit Galenus, sesquiannum illa pertulerat, inediâ, macie, vigiliâ, doloribus, anxietatibus, gravissimisque anhelationibus extenuata, & planè ad interitum properans. Tum P. Thomam Buscemium, cujus magna erat Panormi opinio probitatis, flagitavit, qui supremam animi expiationem administraret. Buscemius sibi magnopere metuentem

Mariæ Castellæ gravissimæ anhelationes, tussis, atque dolores.

Medicorum ars omnis frustra cõsumitur; & remediis adhibitis, in furorem agitur.

Per sesquiannum eo morbo gravissimè vexatur.

Digitized by Google

tem consolatus, rite expiatam docet, sexto ab inde anno, nostrum juniorem, eádem valetudine deteriùs laborantem, ut anhelantis clamores in Collegio Maceratensi totam viciniam, & subjectos ad meridiem agros personarent, B. Francisci Xaverii beneficio, actutum convaluisse. Eadem ab eo petere, atque sperare jubet, & molestiarum pertæsam, ac moriendi cupidam excitat, ut mortem deprecetur, vitamque sibi ampliari postulet, eamque Xaverii obsequiis devoveat, ejusque reliquias identidem exosculetur. Buscemio digresso, amissà jam loquendi facultate, & in horas moritura, mente preces aggreditur, quibus conceptis, somno corripitur. Per quietem, intimà quadam voce admonetur, abiisse morbum, nullà se jam teneri valetudine, quum B. Xaverius incolumitatem a Deo impetrâsset, ei propterea gratias agat, & reliquias ejus pectori admoveat, in quibus salus esset, & remedium præsentissimum. Evigilat, reliquias adhibet, & mirantibus omnibus exclamat, esse se salvam, & integram: indumenta poscit; *conatur surgere*. Delirantem Sorores arbitrantur, atque compescunt. Re tamen testimonio Medicorum compertà, cognitoque cœlesti beneficio, mutuis lacrimis invicem gratulantur; restitutam, integram, stantem ad templum deducunt, ibique communem B. Francisco Xaverio gratulationem instituunt, plaudente plurimùm Civitate. Ejus rei narrationem legitimis, juratisque confirmatam testibus edi jussit, & publicari, quam nos ex editis monumentis exceptam posteris commendamus.

P. Thomas Buscemius, juniorem nostrum eodem morbo laborantem, D. Xaverii beneficio convaluisse, ægrotantem docet.

A B. Xaverio, ut Buscemius jusserat, opem petit, & extemplo integra restituitur.

XL. Etsi maturus admodum, intempestivus tamen accidit P. Stephani Turtureti Messanensis beatus exitus, in quo domesticæ tranquillitatis temperatio maximum Messanæ damnum fecit. Nam probatissimi senis jactura, dum magistratum iterum gerebat Collegii Mamertini, & acres illæ, quæ inter Olivam, & Mamertinos exoriebantur simultates, pacificationem ab eo susceptam, atque institutam interpellavit. Quum enim ei successisset P. Erasmus Bocadifocus Plateensis, vir apprimè strenuus, difficilis, & summopere austerus, desideratus est, quem tam Senatus, quàm Oliva vererentur, cui auscultarent, & qui utriusque impetus mirà dexteritate, atque prudentià retardaret, ac suà simul auctoritate, & temperantià domesticos in officio contineret. Ortus est VII Calendas Januarias, anno 1589. & ætatis duodevigesimo, Mamertino Tirocinio, sub Hieronymo Lombardo additus, a quo disciplinæ elementa tam tenaciter hausit, ut tiro cum veteranis, veteranus cum tironibus de castigatæ vitæ elegantia certaret. Ingenium in studiis ex-

P. Stephani Turtureti Messanæ beatus exitus, & in sedandis Mamertinorum animis eximia dexteritas.

Morum ejus, virtutum, atque ingenii laudes.

prom-

Digitized by Google

prompsit altum, & erectum, & ad sublimes potiùs, quàm ad amœniores litteras accommodatum. Philosophicas proinde, atque divinas artes Messanæ, atque Panormi annos quamplurimos, domesticis, externisque adolescentibus, magna cum doctrinæ, & eruditionis gloria tradidit. Domesticos ad honores admotus, tironibus præpositus est Mamertinis, quibus institutionem præstitit emendatam, & salutarem. Bis per intervalla Collegium Mamertinum, semel Domum administravit. Denique quo tempore Ignatius Moncada, anno 1661, in summo Societatis conventu peregre versatus est, universæ Provinciæ magistratum, ab Idibus Martiis ad Calendas Decembres ita gessit, ut si diutiùs præfuisset, nihil domi, foriſque turbatum esset; tanta fuit ejus in pacandis omnium animis, & suavissimè molliendis, mansuetudinis, & sapientiæ administratio, quin aut Senatum repulsà irritaret, aut disciplinam indulgentià remitteret. Sed Moncada cum Olivæ mandatis, in Provinciam regresso, cujus non eadem erat agendi, sentiendique ratio, quum suspecta haberentur mitiora consilia, & omnia domi, foriſque in deterius ruerent, paulò post ex ægritudine animi, altero Collegii Mamertini magistratu nondum exacto, e vivis excessit, quarto Idus Januarias, annum ætatis agens tertium supra septuagesimum, & Patriæ, ac Societatis, quæ imminebant infortunia, magno luctu prospiciens. Eximii hujus viri virtutem, ac continentiam non satis prædicem, si summam inter homines dixerim, quum humanà major fuerit, & propemodùm divina. Ardente factionibus Civitate, Societatis memor institutorum, utraſque partes tantà caritate complexus est, ut nemini esset suspectus; omnes ut amicum, communemque parentem observarent, quòd animum cupiditatibus vacuum, & a curis civilibus longè remotum, rebus omnibus perspexissent. In dissentionibus verò, quæ inter Senatum, & Provinciæ Antistites, plurimæ, atque perpetuæ valuerunt, disciplinæ partes apertissimè secutus est; neque propterea nobilitatis offensionem ullam incurrisse visus est, aut invidiam, quòd non ambitiosè, non astutè, non arroganter, sed ingenuo candore, & simplici mansuetudine, Societatis jura tueretur. Divinarum rerum scientià usus est singulari, & doctrinæ altitudinem religionis studio conjunxit. Id ex eo potissimùm habeo cognitum, quod Aloysius Lanuza non alium laudavit certiorem animi ducem, & arbitrum consiliorum: cujus rei testimonium ex ipso Turtureto hausimus, qui Aloysio superstes intimas ejus virtutes, & occultissima quæque prædicabat. In quibus est illud,

Ejus in Societate cum laude obiti magistratus.

Ejus eximia virtus, & in Mamertinorum turbis summa prudentia.

Ejus cum Aloysio Lanuza familiaritas, & morum similitudo.

quod Lanuza ad externos Collegii Mamertini gymnasiorum cultores publicè in templo verba facturus, remotis arbitris ab eo petiit, ut sibi liceret inconditè dicere, & latinas passim sententias interserere, atque in eis pronunciandis solæcismis, & corruptà, ac barbarà syllabarum dimensione peccare, ut apud litterarum alumnos, insciticæ, ac ruditatis famam colligeret: se verò ægrè negâsse, quod ille cupidissimè flagitabat. Atque hic ille est P. Stephanus Turturetus, cujus tanta fuit munditia animi, atque innocentia, ut eumdem Aloysium Solis instar fulgentem, ac scintillantem sit conspicatus, quum in eodem mari, diversis in phaselis, uterque navigaret, quemadmodum in Aloysii rebus gestis, ad annum 1656 fusè tradidimus.

Aloysii vultum Turturetus radiis fulgentem conspicatur.

XLI. Desideratus est etiam tam necessario tempore, alterum Provinciæ lumen, & publicæ, privatæque quietis columen, P. Melchior Bellius, quo post Turturetum proximè extincto, maximum pariter Mamertinæ Societatis præsidium est amissum, & cœcum illud, durumque tempus nullam non attulit calamitatem. Generosis natalibus Messanæ editus, anno 1586, ex quatuor fratribus secundo loco genitus, primus adiit Societatem dux reliquorum, novissimus omnium, & annosissimus periit. Ingenium sive discipulus, sive doctor ad gymnasia, & sublimiores disciplinas, quas laudabiliter Messanæ, ac Panormi professus est, summum attulit. Sed devexà jam ætate, post religiones litteras habuit, & in Mamertina Domo consedit, quam sapienter sexennium diversis temporibus rexit, & dignitate, frequentià, ac piorum hominum largitionibus cumulatissimè auxit, & ornavit. Alios magistratus, ut ampliores, & lautiores, obtemperandi studio, constantissimè recusavit, ut intelligeret Senatus, quieum privatum negabat esse oportere, neque se honores appetere, neque ingenuos esse Societatis filios, sed adulterinos, & abortivos, qui magistratus affectarent. Quo numero apud domesticos in Provincia fuerit, æstimari ex eo potest, quod in Provinciali conventu, anno 1649 Panormi coacto, ad Romana summæ Societatis comitia, unicà suffragatione, fuit designatus, in quibus Franciscus Piccolomineus dictus est supremus Societatis Antistes. Summis etiam præfuit studiis Collegii Mamertini, quo in munere, annos natus sex, & septuaginta inter Tirones Mamertinos, apud quos paulò ante fatum secedere flagitavit, consuetà oris, & animi hilaritate acquievit. Patriam unicè, ac verè, non rerum suarum studio, sed simplici, atque gratuità caritate eatenus dilexit, quoad Societatis leges, moresque concederent, quam ille non modò

P. Melchioris Belliipatria, ortus, & res gestæ.

Ejus in repudiandis magistratibus temperantia, & in Societate munera.

Ad Romana Comitia, unicà suffragatione designatur.

ca-

cariorem patriam, in qua auspicatiùs, & meliùs natus esset, sed optimam quoque matrem prædicabat, & planè dulcissimam, a qua feliciùs genitus, atque conflatus, & accuratiùs altus, eruditus, emendatusque fuisset. Itaque Societatis pietatem, ac reverentiam primam habuit; publicorum consiliorum, nè accersitus quidem, & maximopere flagitatus, unquam particeps esse voluit, in domesticis simultatibus disciplinæ, atque obedientiæ partes omnino secutus est: omnibus tamen perindè gratus fuit, & acceptus, ac si suarum esset partium: quare nullum habuit obtrectatorem, præter seipsum, qui uni sibi inimicus, nihil tam injucundè, ac gravatè ferret, quàm quod de se homines commodè, optimèque sentirent. Elatus est postridie Nonas Septembres, universæ Civitatis acclamatione, atque luctu, propter egregia ejus in populares suos merita, & eximiæ probitatis opinionem.

Ejus erga Societatē studiū, & domesticarū legum exquisita custodia.

Messanæ inter civiū lacrimas vitam amisit.

XLII. Sed ante hunc, VI Calendas Martias, Mœnis decesserat P. Antoninus Venturinus Corilionensis, de quo verius multa, & magna cogitemus, quàm referamus: maximarum enim virtutum ejus, vestigia magis existunt, quàm monumenta. Disciplinarum tantùm non expers, litteras eatenus coluit, quo ad quatuor votorum religionem attingeret. Illud autem maximè studuit, ut Deo placeret, prodesset aliis, uni sibi displiceret. Caritatis, & misericordiæ administrationem, ubicunque esset, laboriosissimè diu, noctuque præstitit, & ita sibi sumsit, ac sui juris fecit, ut si solus in Collegiis versaretur, & munera omnia, quæ magnam, & meram habent defatigationem, sibi tantùm imposita existimaret. Sacram puerulorum, & rudium institutionem, eruditionem, expiationem, quam gravioribus distenti curis, alii fastidiunt, atque refugiunt, jucundiores animi sui delicias vocabat. Accurrebat, nè requisitus quidem ad ægros, & morientes, & ad eos sæpius ventitabat, qui pauperiores essent, & humanis præsidiis destituti. Audiebat autem miserrimorum questus, & ærumnas, ac tam intimo animi sensu afficiebatur, ut qui quàm maximè afficeretur; nam suavissimâ quadam commiseratione commotus, neque lacrimas tenere poterat, neque sibi imperare, quominus ex animi ægritudine non leviter sæpè decumberet. Quotidianam domi servavit consuetudinem, adeo rectam, & castigatam, ut nihil domi esset eo carius, & amabilius. Omnium existimationis amplificator, & custos, nullius unquam famam dicto, aut facto perstrinxit; reperiebatque in ipsis contubernalium erratis, atque labeculis, quas alii reprehenderent, non modò co-

P. Antonini Venturini eximiæ virtutes, & egregia facinora.

Ejus in instituendis puerulis caritas, & erga pauperes misericordia.

Ejus in tuenda aliorum fama studium singulare.

pioſam, facilemque excuſationem, ſed quid laudaret, ſibique ad imitandum traderet. Infamiam tamen turpem, atque teterrimam mirà vultûs, & animi alacritate tulit, & calumniatorem repentino furore a Deo percuſſum, & in ipſa expiationis recuſatione exanimatum, perpetuis deflevit lacrimis. Quæ, & quanta fuerit excellentis hujus viri cum Deo familiaritas, & intima conjunctio, ſumma ejus latendi, occultandique ſolertia ab hominum oculis, atque notitia removit; ut pleraque ejus alia, præſertim verò cruciandi corporis, vigiliis, flagris, inediâ, ciliciorum, aculeorumque moleſtiâ, conſuetudinem. Extant tamen harum rerum non obſcuræ ſignificationes, quas, & æqualium induſtria adnotavit, & cœleſtis providentia ultro edidit. Nam corporis macies, & imbecillitas, atque pallentium genarum triſtis, ac fœda ſpecies, præter aſſiduas valetudines, ſatis indicabat, quàm ille ſibi eſſet infenſus, & in ſe modis omnibus ſæviret. Deus autem amicum ſuum non vulgaribus oſtentis vivum, & mortuum illuſtravit. Auctor eſt P. Marius Aſmundus Catanenſis, matrem ſuam nobiliſſimam, ante annum duodecimum, quàm Venturinus decederet, cum eo Catanæ queſtam, cùm de domeſticis difficultatibus, tum præcipuè quòd infeſtum haberet maritum, ac ſuſpicacem, propter diuturnam annorum aliquot ſterilitatem. Venturinum autem: *Quid hoc eſt querelarum*, reſpondiſſe, *quum geras uterum, filiumque non ab hinc ferè menſe, ſis paritura, quem Aloyſium nuncupabis, & religioſæ militiæ addictum vivas videbis.* Illa, cui prægnantis indicium erat nullum, riſit oraculum, & apud ſe Venturinum levitatis, & nugacitatis accuſavit. Eo tamen vix digreſſo, gravem uterum ſenſit, & ſe prægnantem animadvertit. Editum eſt vaticinium Aprili menſe, anno 1650. Teſtatus eſt autem P. Marius Aſmundus anno 1679, vivere tum adhuc matrem, rei teſtem, & unà Hieronymum fratrem, nono a Venturini vaticinatione menſe natum, qui adoleſcens *Benedictinorum* familiæ adſcitus, Aloyſii nomen in Hieronymum mutavit. Statim ac ſupremo morbo decubuit, fatalem horam adeſſe, cœleſti elatus gaudio pronunciavit, ſeque dulciſſimo quodam concentu ad Superûm Patriam evocari. Quum Impenderet vitæ exitus Thomas Mammana, nocturno itinere Mœnas accedens, conſpicatus eſt Societatis Collegium flammis involutum, quaſi uno tempore omni ex parte conflagrare; properavitque, ut incendio intereſſet, ac laborantibus Sociis ſubveniret. Interim Theodoſius Balata, qui proximè habitabat, flammas, quum vidiſſet ex Collegii feneſtra

Alia ejus egregia monumenta virtutum.

Ex litteris autograph. P. Marii Aſmundi Caten. dat. quint. Cal. Octob. 1679

Sterili Matronæ prolem pollicetur, eamque religioſæ familiæ adſcriptum iri, vaticinatur.

Eventus vaticinii fidem ſolvit.

Ejus beata mors oſtento confirmatur.

Digitized by Google

stra erumpentes, illam notavit, & opitulatum venit; atque in eo conclavi, quod oculis designaverat, nihil reperit, nisi Venturinum decumbentem, suavissimèque concinentem, & divinâ caritate flagrantem, atque cœlestis Patriæ desiderio, rutilantibus genis, æstuantem, & anhelantem. Desideratus est de tertia vigilia, annum ætatis agens secundum supra quinquagesimum, & postridie lugubri cerimoniâ funeratus. Inusitatum exequiarum honorem *Canonicorum* Sanctæ Agrippinæ Collegium, minoresque magno agmine Presbyteri auxerunt, & sacrorum Ordinum familiæ Seraphicis præeuntibus cumulavere. Defunctum eloquentissimè laudaverunt pauperum questus, luctus, & lacrimæ cum acclamatione virtutis. Commendavit quoque plurimùm sanctitatis opinionem confertissima civium frequentia, qui funere peracto, funebrem ornatum, indumenta, & quæ circa corpus essent, ad nuditatem usque certatim diripuere: nec defuere, qui vultùs hilaritate, & cœlesti formâ incitati Beatum, Venturinum appellarent. Accesserunt de cœlo collata beneficia, quæ rebus ejus admotis sunt consecuta quamplurima; & viri probitatem testarentur. Ea P. Joannes Scorsus chirographo suo adnotavit; nobis verò festinantibus, quum novitate, ac exemplo careant, liceat prætermissionem obiter excusare.

Ejus funus, exequiæ, ac feretri direptio.

P. Joann. Scorsus in Provinciæ ineditis monumentis.

XLIII. Inter illustres Provinciæ animas præcipuum habet locum P. Metellus Saccanus Messanensis, quamquam peregre meruit, & in extremis Asiæ finibus vitam posuit. Ortus est anno 1612, nobilissimo genere paterno, atque materno. Utraque enim familia Saccanorum, & Muletorum altero ab hinc sæculo Senatores numerat Mamertinos, & equestris ordinis bene plurimos, nepotum serie non intermissa. Adolescentiam traduxit ad annum usque ætatis undevigesimum, nullis exculta litteris, & religionibus; liberam propterea, indoctam, & licentiæ proximam. Excogitaverat per ea tempora P. Placidus Gianta novum Marianæ Sodalitatis genus, quæ nocturnis quotidie horis, præter electos quosdam homines, qui nomen dederant omnium ordinum civibus præbebat aditum, eamque ex promiscuæ multitudinis concursu, & piscatorii verriculi similitudine, *Sagenam* appellavit. In salaberrima hac piscatione captus est Metellus, expiatisque animi sordibus, Societatis adeundæ voluntatem concepit. Maximè tamen obstabat inopia litterarum, quibus adultus, atque præditus dare operam refugiebat, nè cum pueruli ad infima latinitatis elementa adigeretur. Optavit proinde Adjutorum Fratrum conditionem,

P. Metelli Saccani ortus, origo, mores, & in Societatem ingressus.

Liberam adolescentiam, nostrorum operâ, emendat, & adeundæ Societatis consilium concipit.

Litterarum rudis, Adjutorum Fratrum conditionem optat

qui-

quibus nullis est usus litteris. Sed Paulus Giunta, cui se totum tradiderat, fieri non oportere ratus est, ut generosissimæ stirpis adolescens, spem sibi Sacerdotii præcideret, & ad potiora Societatis munera ineptus evaderet. Illum propterea in Collegio Mamertino Dialecticæ admovit: si fortè frequens latinè audiendi, loquendique usus, qui auctore Tullio, omnium magistrorum præcepta superat, viam linguæ aperiret, & quodammodo paulatim sterneret. Neque eum opinio fefellit. Metellus enim, cujus summum erat ingenium, latinæ orationis consuetudine, quam vis barbarâ, & lutulentâ, sensim est excitatus, ad ejus artis rudimenta privato studio delibanda, & penitus cognoscenda, tanto quidem proventu, ut sub exitum Dialecticæ, eleganter latinè scriberet, & commodè loqueretur. Itaque ad publica, & splendida Societatis officia satis idoneus, Mamertinos inter tirones tertio Idus Novembres adlectus est, anno ætatis vigesimo. Nactus ibi egregium illum virum P. Antonium Blandum vitæ ducem, & auctorem, atque magistrum consiliorum suorum, tam ex animo Deo se devovit, & humanis rebus omnibus nuncium remisit, ut ex eo tempore Japoniam, & barbaras Asiæ nationes cogitaverit. In disciplinarum palæstra, ad quas ex intogato appulit animum, æquales omnes ingenio, ac doctrinâ antecelluit, & proximum doctoribus locum tenuit, quibus ad alendam optimæ eruditionis sobolem, exactis studiis, erat annumerandus. Sed spem Provinciæ vicit cœleste consilium, cujus ductu crebris litteris a Vitelleschio impetravit, ut ad Japoniæ salutem designatus sese Oceano committeret, & eò quàm citissimè contenderet, anno 1642, ætatis ferè trigesimo. Navigatione usus est, Goam usque, nauseâ, morbis, procellis, ventorum immanitate sævâ, ac truculentâ, & insitatâ diuturnitate, molestâ. Longè tamen periculosiùs, & injucundiùs Goa Macaum navigavit. Ex tribus onerariis, quæ ad anchoras vectores opperiebantur, ut unâ solverent, & eundem cursum tenerent, minimam, vetustam, nec satis firmam, conscendit, Aprilis exeunte anni 1644. Adversis ventis, & Oceani æstibus diu jactatus, in Aniano sinu, qui est omnium procellosissimus, in typhonem incurrit, vorticosum, atque furentem spiritum, qui quum Oceano incumbit, fluctus ciet altissimos, ac summis montibus pares, & si quas corripit naves, malis illico, antennisque detersis, quidquid navigii mari exstat, non secus, ac si securi, ac dolabris amputaretur, disjicit, & abscindit; quo facto, naves salum ebibere, ac deprimi necesse est. Narrat Metellus, initio tempestatis duo illa ma-

Cic. lib. 1. de Or. cap. 4.

P. Placidi Giuntæ consilio, ad studia incenditur, & tandem nostris tironibus adjungitur.

Ex eo tempore Japonicam expeditionem avidissimè flagitat.

Studiis emensis, fit voti cŏpos, & mari se committit.

Navigationis ejus ratio, incommoda, & proximæ mortis pericula.

Digitized by Google

majora, & firmiora navigia, quæ eódem tendebant, turbine correpta, & vertigine acta, abrasis malis, & armamentis, & quidquam aquam superaret excisо, fluctibus uno tempore hausta, neque usquam ampliùs visa; eam verò navim, qua ipse vehebatur, quadraginta horarum spatio, in eo fuisse, ut singulis ferè momentis, naufragium, & mortem ostenderet: servatam tamen præsentissimo Dei beneficio, & quarto demum mense, Machaum integram, & incolumem appulisse pridie ejus diei, quo B. P. Ignatius quotannis publicè colitur.

XLIV. Nullus per eos dies, in Japoniam patebat aditus. Regis enim decreto, capitale erat, Christianis Sacerdotibus ejus Insulæ oras attingere. Quare Metellus ad Tunchinum convertit animum, finitimum Sinis regnum, opulentum, & amplum, ac pervium Lusitanis, in quo Christiana religio jampridem coaluerat, & ducenta propemodum Christianorum millia numerabat. Quoniam verò Tunchinenses communes cum Sinis habent litteras, voces tamen omnino proprias, neque admodum multas, sed unius syllabæ omnes; ea nihilominus lingua est omnium copiosissima: ipsissima enim dictio, vario quodam cantu prolata, diversissimam refert, & plurimam significandi potestatem. Tam varii autem concentùs facultatem, qui singulis verbis aliter, & variè congruit, peregrini homines ægerrimè assequuntur, neque paucis contigit, ut post diuturnum laborem, frustra consumtum, ab incœpto destiterint, & alia omnia experiri maluerint, quàm inutilem urgere operam. Metellus tamen, cujus ex litteris hæc ipsa excepta sunt, annuo ferè spatio Machaensis commorationis, impeditissimæ linguæ difficultatem superavit, & Tunchinensem expeditionem aggressus est: extant enim ejus litteræ anno 1646 ex Tunchino datæ, quum jam menses aliquot ibi exegisset, & inter barbaros, concionando, docendo, expiando, versatus esset. Scripsit ipse Metellus: *Omnes eas se regiones pedibus peragrâsse; Christianam sementem copiosam feciisse, plura hominum millia quotannis Christo adjunxisse; nullum fuisse genus, corporis, animique molestiarum, atque dolorum, quod non alacriter sustinuisset. Parum fuisse in asperrimis itineribus, & gravissimis valetudinibus, sine lecto, sine medico, sine remediis, æstuare, algere, esurire; ad languorem usque inedià confici, sub dio, & humi, quà nox errantem in silvis oppressisset cubare, inter venenatarum serpentium sibilos, & fremitus agrestium bestiarum; nisi etiam accusationibus, atque calumniis appetitus, militibusque ad custodiam traditus,*

Japoniâ exclusus ad Tunchinum convertit animum.

Impeditissimam Tunchinensium linguã aggreditur, ejusque difficultatem superat.

Ejus in ea expeditione labores, pericula, & fructus.

tus, crudeliſſimam cum cruciatu necis ſententiam opperiri coactus eſſet. Addidit P. Philippus de Marinis, qui in Tunchino unà fuerat, rerum ejus geſtarum prædicator, & teſtis, qui in Europam regreſſus Meſſanam venit: *P. Metellum Saccanum, Tunchinenſem Provinciam maximis virtutibus, atque prodigiis illuſtrâſſe; ſeviſſimè religionis causà, equuleo diſtentum, & duriſſimà quaſtione tortum fuiſſe. Quod acerrimum tormenti genus quum fortiſſimè aſpernaretur, hiare coactum, & infundibulum ore, ac gutture admittere, putrem, & olentem laticem recepiſſe, ut corpus intumeſceret, paratoſque jam fuſtes, quibus ſupini venter eò uſque tunderetur, donec aquam cum ſanguine rejiceret, & in eo cruciatu animam profunderet: ſed adfuiſſe abs Rege nuncium, qui juberet, Metellum aquâ tumentem ad ſe deferri, qui injuriam, ſe inſciente irrogatam dolens, & pluribus excuſans, medicis, ac remediis recreatum apud ſe retinuit, ut Chriſtianæ doctrinæ elementis imbueretur. Cacum denique ab matris utero ſenem, Chriſti ſacra ſuſcipere recuſantem, niſi priùs oculorum officio potiretur, & luminum uſus religionis veritatem teſtaretur, ſed a Metello adductum, ut a Deo ſperaret, eam ipſam cœleſtem lucem, qua per Chriſtianam expiationem animus perfunderetur, in corpus etiam manaturam, ſacro Fonte luſtrâſſe, & in ea luſtratione, oculorum aciem caco impertitam.* His ſuperatis laboribus, atque periculis, anno quarto, ex quo in Tunchino meruerat, ubi anno 1648, quarto Societatis ſacramento donatus eſt, alia ſe obtulit dolorum, atque ærumnarum ſeries. Ad finitimum namque Cocincinæ regnum traductus, annos ferè decem, ſeptem Sociis, totidemque domiciliis præfuit, atque illa eadem geſſit, quæ ſuperioribus annis, neque abſimilia perpeſſus eſt; niſi quod ad Tunchinenſia incommoda, atque labores acceſſere acerbiſſimæ deportationes; ter enim amiſſis rebus omnibus, exilio multatus eſt: Queſtus eſt autem in quadam ad P. Placidum Giuntam, epiſtola, ſuiſque flagitiis aſſignavit, ereptam ſibi è manibus optatiſſimam pro Chriſto necis palmam, quum in vincula conjectus, & cum aliis ſeptem ad ſummum ſupplicium deſignatus, necatis aliis, ſolus evaſerit, & pro capitali pœna, proſcriptionem, quavis nece graviorem retulerit. Quum in Zumbeana expeditione laboriosiſſimè verſaretur, in Machaënſi Conventu dictus eſt Japonicæ Provinciæ ad Romana comitia Procurator, anno 1659. Sed non fuit cœleſte conſilium, ut eo munere fungeretur. Quum enim inſtructus rebus omnibus Machao ſolviſſet, in*

P. Philippi de Marinis de Saccani virtutibus teſtimonium.

Ex Tunchino ad Cocincinæ Regnum traducitur.

Pro Chriſto morti cum Sociis ibi deſignatus, tãdem exilio multatur.

Ania-

Digitized by Google

Anîano pariter Sinu fœdissimâ tempestate correptus, in cæcos incidit scopulos, diffractoque navigio, scaphâ cum paucis receptus, & eâ depressâ, nando salutem petiit, amissis tamen rebus omnibus præter animam, demersisque ducentis ferè nautis, atque vectoribus, qui unà navigabant. Eo casu propemodum exanimatus, paulatim tamen sibi redditus, & recreatus, sed destitutus legitimis litteris, pecuniâ, ac commeatu defectus, dilapsâ jam navigandi tempestate, Machaum remeavit, & Romanæ profectionis consilium planè dimisit, atque alia omnia cogitavit. Quare in Cocincinensem Provinciam regressus, annum ibi æger consumsit, & ita affectus, ut fatalem horam in dies expectaret, abditissimis in locis, atque campestribus, quo tempore res Christiana, proscriptionibus, atque suppliciis magno in periculo versabatur. Maximis proinde doloribus, & rerum omnium inopiâ extenuatus, non alium, ut de se ipse confitetur, retulit fructum, præter quàm diuturnæ, summæque tolerantiæ. Restitutus demum, & Machaum revocatus, exiit sequenti anno, & Cambeanam Provinciam cum potestate lustravit. Sed Japonicæ expeditionis voluntatem, & spem nunquam posuit, & in ea tamdiu permansit, donec illam expleret. Cujus rei luculentum habeo P. Prosperi Intorcetæ testimonium, qui ex ultimis Sinarum terris Romam profectus, quum ad Sinas rediturus, in Provinciam ex itinere remigrâsset, & Messanam appulisset, se comperisse tradidit: P. Marcellum Saccanum, supremo vitæ anno, oblatâ demum facultate, in Japoniam penetrâsse, ibique mox comprehensum, id quod maximè optaverat, arctissimis in vinculis, situ, pædore, fame, nuditate excruciatum fuisse, & necatum potiùs, quàm extinctum, ante diem suum obiisse, XV Calendas Septembres, annos natum admodum quinquaginta. Extat ejus litterarum fasciculus ad amicos, & necessarios, in quibus tanta elucet religionis, & humanæ, divinæque caritatis abundantia, ut qui eas perlegerit, facilè intelliget, longè majora, & ampliora esse, quæ ille gessit, quàm quæ ad nos pervenerunt.

Japonicæ Provinciæ ad Romana Comitia Procurator eligitur.

Tempestate correptus, & diffracto navigio, scaphâ receptus Machaum remeat.

Aliæ ejus inter Barbaros sacræ expeditiones.

Ut optaverat, in Japoniam penetrat, ibique ærumnis excruciatus, extinguitur.

XLV. Insignem denique Fratris Bartholomæi Pernelli Panormitani virtutem, dum viveret parum cognitam, memorabilis exitus declaravit. Agendarum rerum apprimè capax, atque peritus, & domesticis obsequiis maximè idoneus, impiger, providus, laboriosus, & Panormitanis Domiciliis perpetuò addictus, Adjutorum Fratrum partes omnes laudabilissimè implevit, & supremum vitæ spatium in Tiroeinio collocavit, ubi annos quamplurimos utensilium, & cibariorum em-

F. Bartholomæi Pernelli virtutes eximiæ, & in Societate munera.

emptionem fide summâ administravit, neque tamen vitæ rationem secutus est, nisi communem, neque Fratrum qui solertiores habentur, & probiores, excessit conditionem; in eo præsertim laudatus, quòd humanæ mortalitatis memoriam quotidie exsuscitaret, haberetque secum finis sui monitorem, vasculum cum cinere, cujus pulviculo singulis noctibus de genu caput aspergeret, diceretque: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris.* Inopinatam nihilominus mortem octogenarius oppetere visus est, pridie Nonas Octobres, quum horrendum in modum fulgeret, atque tonaret, ipse verò in genua procumbens Deo supplicaret, cœlesti igne repentè ambustus, atque percussus. Postea tamen cognitum est, Pernellum divinæ potiùs caritatis igne consumtum. Casus enim ejus commiserantibus omnibus, nè quis suspicaretur, Pernellum culpæ alicujus reum, cœlestis iræ supplicio, invisum superis ictum fuisse; summæ religionis, ac probitatis viro, amico, & necessario ejus, Virgo Mater se ostendit, dum exequiæ agebantur, cui de Pernelli salute valdè sollicito aperuit: *Nullam esse causam, cur Pernello metueret, cujus manes corpore exempti rectà ad superos evolâssent; ibique magno numero essent, ubi cœlesti voluptate perfruuntur: idque maximis ejus virtutibus datum esse, quas ille vivens, & moriens studiosissimè occultavit: sed præcipuè caritati erga Deum, & misericordiæ erga homines, in cujus æstu acquievit. Nam quo tempore acerrimè fulgeret, ac fulminaret, ut discindi cœlum, & terra quassari tonitru, Panormus verò in ignem, & cinerem subsidere videretur, Pernellus pietate commotus, nè fortè improborum aliquis cœlesti telo appeteretur, & ad æternum supplicium dederetur, magno fletu se vadem, & victimam devovit, & a Deo postulavit, ut in caput suum fulguris ignem converteret, flagitiosis ignosceret, & si quod impenderet Panormitanæ Civitati infortunium, averteret. Deum autem conditionem accepisse, & flagitantem fulmine exanimatum peremisse.* Quæ quum divina Mater pluribus confirmâsset, adjecit: *Placere sibi, nè cunctaretur, rem, ut gesta esset, enunciare, & in vulgus quamprimum edere: plurimi enim intererat, Pernelli existimationem tueri, & Deo, sibique carissimum hominem a suspicionibus vindicare.* Admirabilem hunc eventum evulgavit P. Franciscus Massaria Panormitanus, de cujus fide, doctrina, & probitate ad annum 1683. Ejus enim existunt codicilli ad P. Gasparem Lanzetam, qui tironibus præerat Panormitanis, & Pernelli interitûs quatuor antè dies spectator fuerat,

Quibus artibus mortis memoriam quotidie exsuscitaret.

Ut flagitaverat, fulmine percussus, Panormi consumitur.

De Pernelli virtutibus Deiparæ luculentũ testimonium.

tat, dati, sexto Idus Octobres, ex quibus superiorem hausimus narrationem.

XLVI. Quarto ante mense, quàm tertium magistratûs annum clauderet P. Ignatius Moncada, ad Mediolanensem Provinciam, extra ordinem cum potestate lustrandam, atque regendam anno 1663, ab Oliva designatus, Calendis Februariis vacuam reliquit Provinciam P. Joanni Jacobo Vicecomiti Mediolanensi, qui eam æquali jure extraordinario administraret, & Olivæ mandato, Mamertinorum, si fieri posset, pacaret animos, neque tamen Societatis jura negligeret. Sed nihil extricavit, quoniam P. Pauli Caloceri, P. Andreæ Bellaceræ, & P. Francisci Rasconi artibus, ab Senatu portu, mœnibusque prohibitus; ademptam questus est, aggrediendi negotii facultatem, quod vir prudens, ac sapiens, & generis splendore conspicuus, pacisque conciliandæ cupidissimus, proculdubiò confeciſſet, si aditum factiosi homines, & domesticæ dissentionis artifices obfirmatè non interciperent. Eà igitur spe dejectus, planè intellexit, intestina disciplinæ ulcera eò processisse, ut salutaria jam non essent mitia, sed acria, & violenta remedia, præstaretque carriosa, & putrida membra, sive igne adurere, sive ferro amputare, quàm fomentis lenire, quæ quotidianis incrementis morbum alerent. Crebris propterea litteris Olivæ persuasit, ut eadem cogitaret, atque ea conaretur; quæ deinceps gesta, anno superiore narravimus. Duo tantùm hic annus numerat non vulgaria funera: duos quippe Provincia desideravit Vincentios, Fassarum, & Argulacium, quorum non mediocris habita est virtus, atque religio. P. Vincentius Fassarus Panormitanus, anno 1599 natus, animum a pueritiæ ostendit suâ sponte religionibus, ac bonis artibus deditum: litteras enim, & pietatis officia unicè coluit; puerilia verò primæ ætatis oblectamenta est aspernatus. Nam in paterna adhuc domo versanti, nihil puerculo fuit jucundius, quàm secedere, libris dare operam, & vacuum doctrinâ tempus supplicando transigere. Ad Societatem traductus, ineunte adolescentiâ, difficile est judicare, plusne in disciplinæ, quàm in optimorum studiorum cultu præstans fuerit. Nihil eo fuit verecundius, nihil mitius, aut temperantius, nihil in custodiendis domesticis legibus studiosius, & servandarum quarumcunque religionum assiduitate constantius. In decurrenda liberalium artium palæstra æquè commendatus, & musarum delicias, & disciplinarum momenta tam accuratè delibavit, atque consumsit, ut inter æquales, sive carmina ederet, sive eloquentiæ, sive do-

1663

P. Ignatius Moncada, P. Joanni Jacobo Vicecomiti Provinciæ magistratum relinquit.

Messanâ ab Oliva ad tumultus componendos missus, a Mamertinis excluditur.

P. Vincentii Fassari inculpata, & religionibus dedita pueritia.

Ejus in Societate disciplinæ observantia, & in litteris profectus.

ginæ periculum faceret, princeps haberetur. Quamvis ad tradendas quaslibet cùm humanas, tum divinas facultates impaucis idoneus, eas nihilominus dumtaxat exprom sit, quas tractare juberetur; reliquas nunquam attigit, neque attingere flagitavit. Quare satis habuit, Philosophiam, & sacram morum doctrinam publicè profiteri; reliquam literarum supellectilem occuluit, & Deo litavit. Arduam quoque rectissimæ gubernationis scientiam mirificè exeruit in Collegio Salernitano, cujus administrationem extra Provinciam capessere jussus, magistratum gessit splendidum, & emendatum. In Provincia tamen temperantia ejus expugnari non potuit, quin præfecturas omnes refugeret. Perfectioris vitæ studium, & divinarum rerum scientiam, ante profanam eruditionem posuit. Dei Matrem, ejusque cultum in deliciis, & primum habuit. Cœlestium rerum contemplationi tantum impertiebat temporis, quantum naturæ, & disciplinæ officia patiebantur. Christum, ejusque singulas res gestas ita quotidie versabat *animo*, ut in earum meditatione perfusus lacrimis, quasi voluptate liquescere, solus, & silens versaretur. Quo die quartum Societatis sacramentum dixit, cœlesti luce, ac flammâ exæstuans, jurejurando se obstrinxit, nihil se deinceps præter Deum consultò, cogitatéque amaturum, & quidquid ageret ad divinam gloriam relaturum; atque fidem suam accuratissimè liberavit. Summâ comprehensus valetudine, proximæ mortis admonitus, gratissimum se nuncium accipere flens affirmavit, quòd annos ferè quinquaginta, culpâ, & culpæ suspicione vacuus in Societate posuisset, nè labeculæ quidem sibi conscius, quàm non præter deliberationem admisisset. Elatus est in Collegio Panormitano, IV Calendas Quintiles, anno ætatis quarto supra sexagesimum. Qui libros ab eo editos, atque ineditos versare non gravabitur, luculentiorem reperiet ingenii, animi, ac probitatis ejus imaginem. Edidit *Disputationum de Quantitate volumen.* Aliud italicè *de Deipara Conceptione.* Tertium *Meditationum de Vita Christi*, in tres partes distributum; quarum prima est *de Christi Commoratione in gremio Deiparæ in primo suæ Conceptionis instanti, cum institutionibus ad rectè meditandum*; altera *de Commoratione post primum instans.* Tertia *de Infantia ad virilem ætatem.* Quartum *Meditationum de Eucharistia.* Quintum *de Quinque Christi Vulneribus.* Inedita verò *Prolegomena in Apocalypsim: Tractatum de Mundi Renovatione*: Opera varia *de Immaculata Conceptione: volumen de Eucharistia.* Denique

Ejus extra Provinciâ magistratus, & in Provincia in iis repudiandis temperantia.

Singularis ejus cum Deo conjunctio, ac morum innocentia.

Natan. Sotuel. Biblioth. Societ. pag. 781.
In Joann. Paul. Caraf. defens. Franc.
M. Maggius, part 4. disq. 10. pag. 138.
Mongit Bibliot. Sic. part. 2. pag. 281.
Jo: Bapt Ricciol. in Chron. refor. tom 4. Ind. 2 pag. 291.

que inchoatum *de gloria B. Ignatii de Loyola*, librum magnæ molis, quem morte occupatus ad exitum non perduxit. Laudavere P. Vincentium Fassarum, tanquam virum eximium, Sotuellus, Mongitore, Ricciolius, Stronius, Maggius, & Longobardus. Alter Vincentius Argulacius Calatahieronæ, ubi natus, annum ætatis numerans undesexagesimum vivere desiit, qui jam Sacerdos quarto, & trigesimo, Panormitanis tironibus se adjecerat. Quamdiu apud nos fuit, perpetuum insignis tolerantiæ specimen præbuit, assiduis affectus valetudinibus, quarum dolores, atque molestias, nihil unquam questus, patienter sustinuit. Quod si vires eatenus suppeterent, quoad stare posset, munera Societatis, & religiosæ vitæ omnia laboriosissimè gessit. Extremum mortalitatis spatium ad annos ferè quinque decumbens exegit, podagrà, ac chiragrà vehementissimè excruciatus, quæ acris, & lapidosa, articulorum usum ademerat, tantosque efficiebat dolores, ut nè in bruma quidem, gelidaque regione, linteorum contactum ferre posset, quibus manus, & pedes contegerentur. Nullus tamen auditus est gemitus, nulla dolorum significatio, nulla mœrentis animi vox deprehensa; quamvis nulla esset dolendi intermissio, & vigilià, atque inedià premeretur. Supremos sexdecim vitæ dies, stupentibus medicis, nihil gustavit, & somno, cibo, ac potu caruit, hilaris semper, sibique constans, integris sensibus, & cœlestium gaudiorum spe, ac suavitate delibutus, donec sacris omnibus rite expiatus, seque ipsum ad æternam Patriam invitans, sine febri, sine dolore, deficiente naturà, nonnihil anhelans, atque subridens, repentè extinctus est, XVIII Calendas Januarias, & postridie magno Civitatis concursu funeratus in Collegio Calatahieronensi, quod avitæ substantiæ jampridem hæredem scripserat.

Thom. Stroz. in Controv. Concept. part. 2. lib. 10. cap. 5. pag. 547.

Franc. Longobard. in Annot. ad Epist.

S. Franc. de Paula epist. 30. pag. [illegible]

P. Vincentii Argulacii in ferendis corporis doloribus invicta constantia.

Supremos sexdecim vitæ dies, stupentibus medicis, nihil gustat.

XLVII. Quum annus appeteret 1664, Panormi adolescens aleatorum perditissimus, qui pecuniam omnem ludendo prodegerat, neque quicquam habebat reliquum, quo vitam toleraret, nam supellectilem quoque distraxerat, & splendidiora indumenta; in sagam incidit, ab eaque petiit quibusvis conditionibus, ut indicaret, quibus artibus damnum sarciret, & alearum fortunà deinceps clementiore uteretur, se nihil non facturum quod imperâsset. Illa nihil, ait, fore facilius. Prodiret intempestà nocte, & in trivio aliquo, extra mœnia, quantùm posset voce contendere, exclamaret, *Anima Sacerdotis*: quod quum ille feciisset, & ante Barbatorum Seraphicorum fores magnis clamoribus, ut erat edoctus, Animam Sacerdotis invocâsset; ei

1664

Perditum aleatorem B. Ignatius a maleficio deterret.

Adolescens ut damnũ sarciat, sagam consulit, & ab ea datum consilium exequitur.

se

se ostendit Sacerdos; ita indutus, ut si ad immolandum prodiret, auditoque quid vellet, & quare se evocâsset, pecuniam, & faustissimam aleam pollicetur, jubetque eódem postridie reverti, & quandocunque placeret, ibidem pari modo exclamaret; se statim adfuturum, neque de re ulla recusaturum. Adolescens ab eo colloquio digressus, domum se recipit. Sed quum sequentis vestigia exaudiret, neque aversus respicere auderet, vocem audit vocantis: tum conversus, hominem videt, Societatis veste indutum, qui se peramanter admonuit: *Ne fictitio illi Sacerdoti auscultaret, qui stygia esset larva, neque quicquam spectaret præter incauti adolescentis perniciem; eò tandem casuras pollicitationes, quas tam largè præstiterat, ac liberaliter, ut misero insidias strueret, & inopinantem in salutis desperationem adduceret. Quare nè cunctaretur, ut illucesceret, Domum adire Societatis, ibique apud Sacerdotem, qui primus occurrisset, culpas omnes expiare.* Perterritus uno, & altero ostento, obtemperavit; & Sacerdotem requirenti, se obtulit P. Ignatius Ascensus Mutycensis, qui rei gestæ admiratione commotus, scitatusque cuinam tam insigne beneficium imputaret, cognovit, B. P. Ignatium auctorem fuisse, cujus imaginem, paucis ante diebus nactus adolescens quotidie colere cœperat, neque alium fuisse monitorem, qui secedentem a maleficio deterruerat; & nè rogatus quidem periclitanti subveniisset.

P. Ignatius eũ doli admonet, & ad nostros remittit ut, Deo se conciliet.

XLVIII. Unum est illustre facinus P. Hieronymi Lagunæ Bidinensis, cujus causâ de funere ejus commemorem, reliqua enim vulgaria sunt, & communia cum plurimis. Vir fuit non indoctus, sed domestici juris scientissimus. Humaniores litteras, artesque liberales junior laudabilissimè docuit, non tam ingenii, aut doctrinæ abundantiâ, quàm navitate, atque solertiâ excolendæ juventutis, & moribus, atque litteris informandæ. Annos viriles, canosque emeritos magistratibus impendit, quorum præcipui numerantur, Collegii Mutycensis, Melitensis, Catanensis, & Drepanitani. Nihil præterea de hoc viro comperti habeo, nisi quòd senex ætatis vacatione impetratâ, Collegio Panormitano addictus, domesticam juventutem pietate, ac religionibus instituendam sumpsit, ibique tribus annis septuagenario minor conquievit, X Calendas Novembres. Sed maximas ejus fuisse virtutes, potissimùm verò in honoribus temperantiam, & caritatem, ex eo judicari facilè potest, quod Drepani gestum traditur, quum ibi cum potestate versaretur, & quintum ageret magistratùs annum, qui

P. Hieronymi Lagunæ honesta commemoratio, ac facinus memorabile.

Drepanitanum Collegium, cui præerat P. Laguna, maximis premitur rei domesticæ difficultatibus.

cum

cum 1660 congruit. Conflaverat per id tempus Collegium Drepanitanum grande æs alienum & tynnorum piscationis inopiâ, & agrorum infœcunditate, & quòd intempestivi imbres Salinarum apparatum per æstatem corruperant, & congestos in ora maritima salis acervos proluerant, & liquatos mari reddiderant. Interceptis tribus hisce censùs, annonæque fontibus, res familiaris summis premebatur anguſtiis : jamque Laguna exonerari, minuique familiam flagitabat, quum Frater quidam senex, & æger, sed insigniter laboriosus, in hauriendæ aquæ conatu, venam distraxit, & cruentâ excreatione sanguinem rejecit. Medicis convocatis, fuit qui diceret, habere se præsentissimum remedium, quod sanguinem sisteret; ex coralliis, margaritisque attritis, atque igne subactis conflatum; maximè propterea pretiosum. Sed alius, qui probè nôsset, quibus difficultatibus res Collegii domestica conflictaretur, interceſſit; laudavitque aliud pharmacum, quod minimo parari posset; pari tamen virtute, atque exitu profuturum. Aderat Laguna, auditisque sententiis, postremam rejecit, primam probavit. Dissentientibus autem domesticis, & religiosæ inopiæ detrimentum obtendentibus, eo verò, qui rem familiarem procurabat, exclamante, nullam esse domi pecuniam, qua pretiosum pharmacum emeretur; Frater ipse, cujus intererat, ad Lagunæ pedes provolutus, flens obsecrabat: *Nè faceret: Tanti non esse vitam agri senis, & propediem morituri, ut tali pretio redimeretur, etsi non aliud esset, quod præscriberetur remedium. Quid si aliud reperiretur æquè salutare, sed minoris impensæ? Venenum se libentiùs sumpturum, quàm quod afflictas Domùs fortunas oneraret:* Laguna tamen perseverans: *Numquid nescis*, ait, *Frater; in Societate pretiosiorem esse divitiis omnibus caritatem? Cavendum esse pravum exemplum: non committam, ut te extincto, suspicetur fortè quis, avaritiâ factum esse, quòd senem optimè meritum amiserimus.* Quoniam verò res coram domesticis arbitris agitabatur, adjecit: *Quid mihi rei familiaris inopiam obtrudunt isti, qui si de ipsorum salute ageretur, id salubrius existimarent, quod esset pretiosius? Deum habeo pecuniæ vadem, quam officio caritatis expensam tulero; prædem quoque domestici exempli experientiam non desidero. Equidem in Provincia Romana quum essem, quæ reliquarum omnium est mater, atque magistra, & Senis commorarer; non dubitavit qui Collegio præsidebat, in pari salutis discrimine, & medicorum dissentione, ac æris alieni non absimili magnitudi-*

Per id tempus, ægrotanti Fratri pretiosum pharmacũ parari jubet.

Mutua ægrotantis cum Laguna oratio plena temperãtiæ, ac caritatis.

Alio non absimili exemplo Laguna confirmatus in sententia perseverat.

Digitized by Google

dine, vas templi aureum eximii ponderis addicere centum aureis, ut laboranti Fratri, exquisitissimis remediis subveniret: atque ex eo quidem tempore censum explicavit, as alienum dissolvit, damnum redemit, & fortunas amplificavit. Cur ergo exemplum a majoribus acceptum non tradam posteris; & præclarum aliena Provincia facinus in hanc nostram non traducam? Tum ad templum e vestigio se confert; ante Mariæ simulacrum de genu supplicat; oratque, nè gravetur, dare mutuum, quem e collo pendentem gereret torquem aureum, & in misericordiæ usum converti, ut ægro Fratri caritatis abundantiam impertiretur, curaturum se, ut primùm pecunia suppeteret, quod auferret ornamentum, cùm fœnore duplicatum iri. Itaque torquem venum tradit, & Fratrem recreat. Lagunam verò ea de re non leviter culpatum, ac postulatum memorabilis eventus expurgavit, ac molestiâ liberavit. Quum enim pulcherrimi rectè facti fama manâsset, tantum exortum est inter cives, Collegii sublevandi certamen, ut magnis, ac crebris largitionibus cùm usuras, tum æris alieni caput Laguna expedierit, & censum auxerit. Neque Marianum signum emolumento caruit. Illustres enim Matronæ monilia, armillas, torques submiserunt, copiâ planè incredibili, & simulacrum donariis eò usque cumulaverunt, ut nullus jam ornamentis reliquus esset locus. Utinam posteritati placeat, per hæc ipsa vestigia ad domesticæ misericordiæ fastigium contendere, & Lagunæ factum laude, atque æmulatione dignum putare!

Torquem e Mariani signi collo pendentem venum tradit, & Fratrem recreat.

Collegium exinde sublevatur, & Marianum simulacrũ donariis cum fœnore augetur

IL. Huic duos liceat adnectere Sacerdotes, quorum operæ pretium est meminisse. Decessit igitur hoc item anno, qui fuit ætatis ejus quartus, & septuagesimus, P. Hieronymus Lachiana, Panormi ortus, sexto Idus Quintiles in Collegio Panormitano, ubi præter ea, quæ reliquit pietatis, & religionis impressa vestigia, doctrinæ gloriâ plurimùm claruit; omnis generis litterarum opinione conspicuus. Egit propterea tam pro Rege, quàm pro Panormitano Pontifice perpetuam edendorum librorum censuram, eoque in munere solertiæ, ac sapientiæ laudem, nullâ cujusquam offensione, promeruit. Verùm in Matheseos disciplina, quam annos quamplurimos publicè tradidit, ita eminuit, ut discipulorum agmina sibi conciliaverit, & a remotissimarum regionum Mathematicis, assiduis litteris consuleretur, quòd sententiam ejus, nunquam a certissimis disciplinæ elementis aberrantem compererint. Edidit dissimulato auctoris nomine, *Opusculum de Eucharistia*, in quo

P. Hieronymi Lachianæ patria, ingenium, & eximiæ virtutes.

Digitized by Google

quo declarat, quid distet veritas Corporis Christi, ab ejus imagine. Inedita quoque supersunt in Bibliotheca Collegii Panormitani duo ingentia volumina; quorum primum inscribitur *de Generatione Tom.* 1. alterum *Physica*. Hunc secutus est X Calendas Decembres P. Aloysius Carusus Panormitanus ex Collegio Monregalensi, neque moribus, neque ætate maturus, annos natus duos, & quadraginta. Hujus viri nihil, quod in vita gesserit, adnotatum reperio, nisi quod assiduis salibus, jocis, atque facétiis, gravior domesticis, quàm jucundus haberetur. Post mortem verò memoriâ dignum de se edidit documentum. Paucis enim ab obitu diebus P. Antonino Russo Naritano, necessario ejus, qui tum in Collegio Panormitano jam Sacerdos divinarum litterarum disciplinæ sub doctoribus dabat operam, & decumbens vigilabat, se videndum præbuit, viatorio indutus pallio, quasi ex itinere ad salutandum amicum divertisset; ingressusque cum lumine ejus cubiculum, lucernam accendit, & lecto assedit, atque colloquium instituit, eadem familiaritate, quâ vivus consuêsset: neque Russo succurrit, Carusum obiisse, nisi quum lepidum antea hominem, tristem, album, & seriò colloquentem animadvertit. Tum verò Russus expalluit, & perterritus tremere cœpit. Cui Carusus, *Nulla est*, inquit, *causa cur metuas. Equidem intuto sum. Sed uror lustralibus flammis, & pœnas luo facetiarum mearum, ea potissimùm de causa, quod non innocuas, ut rebar, fuisse serò deprehendi. Quare oro te, ut tuis, atque amicorum sacrificiis adjuves necessarium tuum, qui se memorem fore pollicetur*: atque in his verbis videri desiit.

Mongit. Bibliot. Sic. part. 1. pag. 257.

Aloysius Carusus necessario suo se vidēdum præbet.

Lustralibus flammis, jocis suis, a Deo addictū esse nunciat, & opem petit.

L. Non mediocris præsefert exempli specimen P. Jacobi Masonis Syracusani exitus. Is magna cum ingenii opinione Societatem ingressus, & Romam missus, ut in Collegio Romano Mathesim disceret, peractis studiis, Provinciæ redditus eam disciplinam Melitæ primùm Joannitis Equitibus, deinde in Collegio Panormitano domesticis, & externis solertissimè tradidit, doctrinæ, & probitatis commendatione Provinciæ carus: nam, & Mathesis disciplinam intermortuam exsuscitavit, & universum ejus cursum in sexdecim partes distributum adornavit, & quartam ejusdem partem sphærologicam, italicâ oratione, publici juris fecit, & volumen *De Architectura militari offensiva, ac defensiva* conscripsit, & Opticam dilucidavit; Horarias tabulas edidit. Deo tamen acceptus non erat, neque probatus; jampridem enim intimum, & intestinum alebat defectionis consilium, quod aliquando demum est illu-

P. Jacobi Masonis e Societate defectio, ac funestissimus exitus.

Romam Mathesim discit, eamque Melitæ, ac Panormi sūma cum laude tradit.

ſtratum. Conſanguineorum cauſatus negotia Syracuſas profectus eſt, & diem ex die ducens conſumtis autumnalibus feriis, adduci non potuit, ut renovatà gymnaſiorum palæſtrà, Panormum remigraret. Quum verò ſolemni quatuor votorum ſacramento teneretur, neque liberam miſſionem petere, integrum eſſet, ea omnia excogitare cœpit, quæ ſacramentum evincerent, contra fas, & jus pronunciatum fuiſſe, atque irritum eſſe oportere. Oſtendere conatus eſt, Hæbreorum genere ortum ſe eſſe. Quod quum non extricaret, ſyngraphamexpromſit, quà doceret, ſe ante initum ſacramentum legitimis tabulis declarâſſe, nullam, & prorſus inanem fore votorum religionem, quæ invitus, atque coactus nuncupâſſet. Sed nugacem tergiverſationem Societas ſapienter eſt aſpernata. Quare omnem ad ſuos redeundi aditum præſeptum intelligens, quum fama vulgaret Religioſorum Ordinem S. Georgii de Alga propediem deletum iri, per nos Maſoni licuit ad eum tranſire hoc anno 1664, quum annos in Societate duos, & viginti collocâſſet. Neque eum opinio fefellit, nam tertio poſt anno Ordo ille extinctus eſt: ipſe nullius jam voti reus, ad ſuos regreſſus, vitam agere inſtituit minimè ſordidam, ſed maximè delicatam, quam ad ſeptennium uſque produxit. Non tamen impunè fuit homini ingrato, quem Societas in oculis ab adoleſcentia geſſerat; & magno ſemper in honore habuerat. Vindicem denique nactus eſt *Deiparam*, cujus religionem, & pietatem cum Societate dimiſerat. Rem, litteris ad Tornamiram datis, quas ego autographas conſului, accuratè perſequitur P. Joſephus Venutus Meſſanenſis, quæ eſt hujuſmodi. Domum ſuam dealbari, Maſo juſſerat. Erat in pariete, *Deiparæ* depicta imago, parum nobilis, & pervetuſta, quam tamen familia ſemper coluerat. Sed qui parietem calce inficiebat, imagini accuratè pepercit. Id quum Maſo animadvertiſſet, nolle ſe ait, eam domi Megæram, tam imperitè delineatam; habere ſe tabulas elegantiâ inſignes, quibus parietem illum contegeret, & honeſtius exornaret. Deleret proinde furiam illam, quæ pueris metum efficiebat, & colorem æquè induceret, iterum, atque iterum, nè veſtigium ullum extaret. Sed *Deiparæ* effigies expungi non potuit, quin ſubobſcura cernerentur lineamenta. Maſo nihilominus egregiam aliam tabulam ſubrogare conſtituit, & parietem dimenſus clavum configi jubet eo ipſo in loco, ubi in *Deiparæ* facie erat oculus adumbratus. Famulus ſcalas admovet, & clavum malleo trudit, quum aſſulaquædam lapidea, quam clavi acies excuſſerat, vehementer exi-

Defectionis conſilium animo meditatur, & quatuor votorũ ſacramentum irritũ eſſe, fruſtrà probare conatur.

Ad Ordinem S. Georgii de Alga tranſit, eoque extincto, domum ſuam regreditur.

Deiparæ effigiem in pariete imperitè delineatam colore fruſtra expungi mandat.

Eo in loco tabulã ſubrogat, & clavum ad eam collocandam, in imaginis oculo configi jubet.

Digitized by Google

exiliens ex oculo imaginis, oculum ejus vulneravit, & tantùm non effodit: quare ab incæpto destitit, & religionem veritus se recepit. Sed ea res Masonem non exterruit: nam confestim scalas ipse conscendit, malleum arripit, clavum percutit, & graves ictus ingeminat. Non tulit *Deipara* arrogantem temeritatem: nam malleo tertiùm vehementiùs impacto, quasi paries scalas, & hominem repulisset, repentè eversas, & in adversum parietem rejectas secutus est, atque in ipsa ruina afflictus, ut terram capite, ac corpore percussit, animam exhalavit, anno ætatis duodequinquagesimo, sæculi decimi septimi quarto supra septuagesimum. Ità neglectæ Societatis, atque *Deiparæ*, quo dignus erat, fructum retulit.

Violatæ Deiparæ imagini, ac proditæ Societati gravissimas Maso dat pœnas.

LI. Exacto quinquennio, advenit cum anno 1665 legitimum convocandæ Provinciæ tempus. Sed quo esset potissimùm loco congreganda, non satis conveniebat. Fuerat novissimus Provincialis conventus in domo habitus Panormitana. Locum sibi modò, jure alternandi, vindicabat Mamertina. Sed ardentibus etiamnum inter Olivam, & Senatum controversiis; placebat Mamertinis, Messanæ celebrari nova comitia, eà tamen conditione, ut & Provinciæ Antistes, & ii omnes excluderentur, quos nominatim publicè exosos, aut suspectos ipsi indicarent. Quod nostris legibus, & salvà conventùs dignitate, ac libertate, fieri nullà ratione poterat, quin aliæ ex aliis simultates orirentur, & fœdioribus quotidie procellis Societas involveretur. Gravissimum quoque acciderat Civitati, quod anno superiore, Olivæ decreto, ex Collegio Mamertino Juniores, qui populares essent omnes, & doctoribus dabant operam, fuissent avocati, ac viginti numero, sex qui Metaphysicam, quatuordecim qui sacras litteras addiscebant, Drepanum traducti, ibique gratulantibus, atque plaudentibus Drepanitanis, magno nobilitatis concursu, publicè disceptaverint. Querebantur quoque, quasi ipsorum invidiâ, ac contumeliâ factum esset, quòd illatis Drepanum Junioribus, Messanâ deductis, publicata fuisset Academia, in qua externi adolescentes, Philosophiæ, aut *Theologiæ* candidati, doctoris laureâ potirentur. In eo pariter offensum fuerat; quòd Collegio Drepanitano non modò Tertianorum Patrum adjectum fuerit, Aloysio Fardella magistro, tirocinium, sed cumulata etiam Fratrum, qui ad domestica obsequia designantur, prima institutio, quorum quinque uno tempore adducti sunt; perinde, ac si ejusmodi administrationibus Collegii, ac Tirocinii Mamertini solitudo primùm spectaretur, deinde iis deferendis domi-

1665

Quo loco esset convocãdus Provinciæ Convẽtus, apud nostros disceptatur.

Mamertinorum turbæ, causa disceptationum.

Eorumdem offensiones, & de dimittendis Messanæ domiciliis, gravissimæ suspiciones.

ciliis via paulatim sterneretur. Impeditissimis hisce exagitatâ Provinciâ difficultatibus, censebant aliqui Conventum Panormi, alii Drepani cogendum; nonnulli omnino non agendum; nè Mamertinorum suspiciones, re jam non integrâ, vehementiùs incenderentur. Oliva tamen admirabili planè sapientiâ, perspectis rebus omnibus, nullum ex his probavit consilium; quòd Panormus, & Drepanum, in quibus ampla essent, & opulenta domicilia, æquam præberent Mamertinis querimoniam legitimæ præscriptionis, quæ per exemplum irreperet, & Mamertinæ Domùs jura interpellaret: intermissio autem Conventùs, neque probabilem haberet causam, neque legitimam, neque cum Provinciæ usu, ac dignitate conjunctam; eo præsertim tempore, quo nihil esset tam necessarium, quàm publico consilio probatæ fidei hominem designari, qui communia Provinciæ mandata Romam perferret, & præsenti facundiâ, negotia coram exponeret, ac quæ usus poscceret, indicaret. Itaque Calatahieronem Comitia cogi jubet, mediterraneum, & Mamertinis minimè suspectum oppidum, in quo ampliſſimum esset Collegium, & ad recipiendos hospites satis idoneum. Eò Vicecomitis litteris, pridie Nonas Majas, quadraginta numero legitimi Patres convenere, gratulante Senatu, gestiente Civitate, quòd in tali gravissimorum hominum consessu, universæ Provinciæ imaginem tum primùm intueretur. Quidquid proinde utensilium, atque cibariorum ex usu hospitum esset, cupidissimè cives contulere. Vincentius item Galeantius Thermitanus Himerensis, qui Collegii magistratum gerebat, neque industriæ, neque pecuniæ pepercit, ut locum singulis attribueret, & omnia vitæ commoda administraret. Nonis dictus est qui acta litteris consignaret P. Petrus Grimaldus Ennensis, Rector Collegii Drepanitani, eique adjectus laboris particeps P. Franciscus Santacolumba Panormitanus, Rector Collegii ad Himeram Thermitani: designati ad controversias cognoscendas, & probanda negotia, de quibus liceret ad Conventum referre, P. Placidus Giunta Messanensis, Domui Mamertinæ Præpositus, & P. Joannes Onuphrius Panormitanus. Sexto Idus, quartâ suffragatione destinatus est, qui Romam proficisceretur, Provinciæ Procurator, P. Gaspar Lanzetta Panormitanus, Tirocinii Rector Panormitani, qui tamen illustri temperantiâ in genua procumbens, legatione se abdicavit, excusavitque pluribus verbis, corporis, animique infirmitatem, quo minus id muneris amplecteretur, atque precibus omnibus Conventum obtestatus est, ut Provinciæ dignitatis rationem haberet,

Oliva sapientiâ summâ, Calatahierone celebrari jubet.

Quænam ex eo fuerit Civitatis gratulatio, ac liberalitas.

P. Gaspar Lanzetta Procurator designatus, insigni temperantiâ eo honore se abdicare conatur.

& ex

& ex tot viris litterarum, atque virtutum laude præclaris, aptiorem optaret; tamdiuque in recusatione permansit, donec rogatus ea de re Conventus negavit, de se tam parcè, atque exiliter sentientem hominem audiri oportere. Nominatus deinde est quintà rogatione, qui ei fortè prohibito, subrogaretur P. Arcadius Perremutus Calatahieronensis. Postridie deliberatum est de cogendo summæ Societatis Conventu, & dissentiente nemine, censuere Patres, cogi non oportere. Quarto Idus consuluere de Provinciæ mandatis ad Olivam deferendis; quorum ea sunt summa capita. Et primùm quidem summo consensu, Olivæ gratias egere maximas, quòd tantum disciplinæ studium, & Provinciæ curam expromserit, in comprimendis, & exauctorandis factiosis commilitonibus, qui serebant discordiæ semina domi, foriſque, & Mamertinos, eorumque Senatum adversùs jura, & homines Societatis excitaverant. Rogabant tamen, & impensè obtestabantur, dispicere nè gravaretur, quantum infligeretur Provinciæ vulnus, si amplissima quatuor Mamertina Domicilia, tot tantisque majorum laboribus constituta, uno veluti ictu amputarentur. Quando autem reconciliationis spes jam aliqua affulgeret, & molliendi, pacandique Senatus via se ostenderet, arriperet pro sua sapientia pacificationis ansam; locum potiùs, atque ædificia, quàm refractarios homines retineret, qui, dimissis Mamertinis Domiciliis, per Provinciam dissipati, quàm latissimè virus diffunderent, & totum corpus veneno respergerent. Commendatam proinde maximè haberet Mamertinam Societatem, ac de tuendis potiùs, & ut antea sapienter feciſſet, emendandis domiciliis ejus, quàm de abdicandis cogitaret. His Oliva, cujus consilia nondum Provincia assequebatur, respondit consequenter ad ea, quæ ad Provincias paulò ante scripsisse docuimus. Nullum se prætermisisse officiorum genus, quo Mamertinis satisfaceret: neque enim erat nescius, quæ, & quanta essent erga Societatem amplissimæ Civitatis merita, quæ tantis in amoribus B. P. Ignatio fuisset, quæque per se digna esset, cui Societas rebus omnibus obsequeretur. Nihil se tam cupere, quàm ut causæ absint, quibus adductus, de subducendis Messanà Sociis, diu multúmque deliberâsset primùm, deinde constituisset. Per se non stare, quo minus cum Mamertinis in gratiam rediret, modò Societatem sui juris esse patiantur, atque officiis magis, quàm vi, & armis a se contendant, quod e republica fore judicaverint, neque domesticis legibus, quæ præcipuæ essent, adversaretur. Optabilius esse, ut

Provinciæ postulata ad Olivam deferēda,

Nè de dimittendis Mamertnis Domiciliis conceptū consilium Olivæ exequatur, Provincia postulat, & causas assignat.

Olivæ sapientissimum, ac prudentiæ plenum rescriptū

in

in malis, oculis quàm vitâ carere. Mamertina Domicilia ad ornatum, & integritatem Provinciæ pertinere; obedientiæ cuſtodiam, ad vitam, atque ſalutem. Membra inviti, nec ſine maximo dolore amputemus, quæ perimunt totum corpus. Quod Olivæ reſcriptum, dedita operà, evulgatum, magnum attulit momentum, ad terrorem factioſis efficiendum, pacandumque Senatum.

Nè ſubditorum pecunia apud Procuratores, ceteroſque adminiſtros depoſita in domeſticos uſus convertatur, rogat Provincia.

LII. Poſtulavit deinde Provincia, ut Collegiorum Procuratoribus, ceteriſque magiſtratibus, & rei familiaris adminiſtris abdicationis pœna proponeretur, qui depoſitam apud eos pecuniam, & pignora, in domeſticos, aut privatos uſus convertunt, qui collocandam ſortem, utcunque erogant; qui æs alienum cum annuis uſuris, & penſionibus conflant; qui ſupervacuam ædificationem inſtituunt; qui accepti, & expenſi rationes, quotannis ſaltem non explicant, qui vel inertia, vel fraude domeſticum cenſum deteriorem faciunt. Quum enim ſuperioribus annis, in his omnibus impunè fuerit, & parum cautè peccatum, cenſuiſſe Provinciam, locum jam non eſſe lentis remediis, ſed quæ dolorem efficiunt eſſe admovenda, nè Collegia conturbarent, & quam citiſſimè everterentur. Laudavit Oliva æquam Provinciæ poſtulationem. Negavit tamen, certam poſſe pœnam conſtitui, quæ una eſſet, & culpas omnes complecteretur, quarum aliæ eſſent aliis graviores, aliæ fortunæ magis, quam dolo imputandæ, aliæ nonnullam haberent excuſationem. Daturum ſe negotium ſummo Provinciæ Rectori, ut adhibitis viris gravibus, in reos animadvertendi formam digerat, qua variis in rei familiaris procuratione delictis, variæ congruant pœnæ, & ad ſe mittat, ac ſi quid poſt maturam negotii deliberationem, conſtitui viſum fuerit, præſtoletur. Poſtulavit item Provincia, ut ſibi demum liceret Chium deſerere Domicilium, & Gallis poſſidendum tranſmittere, quòd ea commoratio graviſſima eſſet Siculis inter græcos; græcis verò Sociis, inter ſuos, neque ſalutaris, neque periculo vacua, proter locorum longinquitatem. Intolerabiles eſſe diuturnæ navigationis expenſas pauperrimo domicilio, cujus magiſtratus, neque græcis rectè committitur, neque alienis eſt jucundus. Habere Gallos in pròximis Ægæi Inſulis, & ora finitima optimè conſtitutas colonias, ex quibus ad Chium Domicilium facilè excurrerent, & Societatis adminiſtrationes curarent. Reſcripſit Oliva, hæc ipſa incommoda, neque nova eſſe, neque majoribus noſtris incomperta, qui in Chio Domicilio excitando, excolendo, augendoque tamdiu, atque tan-

Aliud Provinciæ poſtulatum de dimittendo Chio domicilio.

Quodnam fuerit ad illud Olivæ reſcriptũ.

Digitized by Google

tantopere laborârunt. Quare non satis rectè velle Provinciam, propter vetustissimas difficultates ex se genitum, natumque Domicilium, & suorum laboribus, atque periculis adultum sibi abjudicare, & ad alienos transferre. Retineant posteri, quod majoribus suis placuisset, & ferant æquo animo incommoda, quæ illi tulissent, & ferenda censuissent. Nolle se græcos Socios, qui in Provincia Sicula consenuissent, & in eo Domicilio inveterâssent, tam insigni vulnere sine causa contristatos alienæ Provinciæ adjudicare, & membrum a suo corpore abscindere. Curent potiùs qui Provinciam administrant, nè homines nisi exploratæ virtutis eò mittant, & incommodis sustinendis idoneos. Magnum quoque ex eo ortum detrimentum questa est Provincia, quòd in infimis etiam Collegiis Philosophia traderetur, auctusque esset doctorum numerus, quorum copia non suppeteret, nisi maximo aliorum Societatis munerum damno, ut pauci jam essent qui concionarentur, & rem domesticam procurarent. Rogavit proinde, ut Olivæ decreto modus adhiberetur. Probavit Oliva postulationis æquitatem, jussitque numerum, per occasionem suaviter coerceri. Flagitavit denique, ut delatores falsitatis manifesti publicè plecterentur. Oliva verò id se feciſſe testatus est, atque strenuè se facturum recepit, si qui esset falsi deprehensus publicam instituisset accusationem, secus tamen, si occultam, & clandestinam.

Aliæ Conventûs postulationes, & Olivæ rescripta.

LIII. Inter præclarissima B. P. Ignatii prodigia recensèri meritò potest, quod in Siclensi Collegio hoc anno gestum perhibetur, publicis, pervulgatisque litteris. Degebat ibi P. Hieronymus Zuccarus Messanensis, vir eloquentiâ clarissimus, sed disciplinæ, neque retinens, neque admodum studiosus, qui Mamertinis abreptus fluctibus, & turbulentâ factionum procellâ domi, foriſque involutus; atque Messanâ ejectus, & excluſus, domesticis animadversionibus assiduè premebatur, quarum ea fuit potissima, quòd anno jam ferè decimo, quatuor votorum sacramento, propter morum acerbitatem, & communem neglectæ disciplinæ querelam, prohiberetur. Quibus rebus animo jamdiu æger, apoplexi semel, & iterum tentatus, ac stupore correptus, dexteram corporis partem amisit, ut neque stare, neque ingredi posset, neque quicquam dextrâ tenere. Sed tanta incessit majoribus cura salutis ejus, ut non mediocri sumtu ad aquas Vulcanias navigaverit, & quidquid in tota Sicilia Thermarum esset lectica adierit, ut earum virtutem experiretur. His, aliisque remediis toto sexennio cu-

B. P. Ignatii præclarissimi prodigium, & erga P. Hieronymum Zuccarum signa benevolentiæ.

Quatuor votorum sacramento prohibitus, apoplexi semel, & iterum tentatur.

Digitized by Google

cumulatis, nonnihil recreatus, Siclum remeavit, eo usque corpore valens, ut neque ingressu, neque concionandi facultate excluderetur, & præter dexteræ manus stuporem, nihil jam Societatis officia interpellaret. Ille verò quasi salutis ejus causà non satis esset expensum, & laboratum, atque odio rerum suarum exagitatus, quòd quadragenario jam major ad quarti sacramenti religionem nondum esset evocatus, negligi se, atque contemni assiduis vocibus querebatur, quasi ad missionem petendam re ipsà compelleretur. Quare Nonis Quintilibus, quum exulcerati dolorem animi molliter ferret, neque diutiùs pati posset, litteras ad Olivam dare instituit, quibus exauctorari flagitaret. Dextrà tamen invalidus, lævâque scriptionem aggressus, & iterum, atque iterum conatus, nè apicem quidem expedire potuit. Utramque etenim manum æquè stupidam expertus est, & ad stringendum, sumendumque calamum prorsus ineptam: neque tamen se respexit, nisi quum eo die de B. Ignatio verba facturus, quemadmodum, toto *Quintili*, in Siclensi Collegio quotidie consueverat, *Vitæ ejus aperto codice*, in caput incidit, ubi Beati Parentis caritas, & patientia exponitur, quà titubantibus, & defectionem meditantibus, dexteritate mirà, & blandis, suavibusque remediis occurrebat. Tum verò cœlesti luce perfusus, & intimà quadam voce admonitus intellexit, qualis filius in talem Patrem, & quanta in re, & quamdiu peccavisset. Continuò ante ejus imaginem in genua procidit; uberrimis lacrimis, atque singultibus testatur dolorem animi; levitatis, inconstantiæ, perfidiæ, ac superioris vitæ erratorum veniam petit, ab eo qui antea fuisset, alium se fore pollicetur, sobrium scilicet, facilem, & emendatum obedientiæ alumnum, quæcunque juberentur, strenuum, atque paratum. Ex eo tempore statim exhilaratus, sublevatam agnovit corporis, animique ægritudinem, cœpitque pignus non obscurum cœlestis misericordiæ, quasi Deus inopinato beneficio significâsset, ratam se habere pœnitentiam, & castigatioris vitæ propositum. Acris enim distillatio, quæ intimum pectus exulcerârat, & ad sanguinis quotidie excreationem compulerat, repentè resedit. Verùm multò illustrius, atque præclarius erat beneficium, ad quod via sternebatur, & quod longè gravioribus ærumnis, atque periculis promereri oportebat. Suberat B. Ignatii dies, quum P. Antonius Casaletius Panormitanus, qui publicam ejus laudationem sibi sumserat, non leviter decubuit; demandatumque est Zuccaro, ut vices ejus suppleret. Qui etsi nondum confirmatus, & dexte-

Thermarum remedio recreatus, Siclum regreditur.

Ab Oliva missionem petere instituit, & in ipso scribendi conatu stupidã manum experitur.

Perspectà B.P. Ignatii erga titubantes caritate, se respexit, & meliorẽ vitam instituit.

Ex eo tempore viribus reficitur, ac sublevatur.

ro adhuc latere parum valens, de cœlo se tentari ratus, ut in periculo ostenderet, quàm verè ea esset pollicitus, quibus fidem suam obligaverat; tantam sibi vim intulit, & tam acri studio, ac contentione, orationem ornavit, & expromsit, ut quarto die, pridie Nonas Sextiles, acutissimo planè dolore, quasi diducto pectore, & in duas partes divulso, præcordia discinderentur, distractam præcipuam venam cognoverit, & paulò post iteratis vomitionibus, catillum sanguine compleverit. Auxit sauciæ venæ vulnus perpetuus rejiciendi conatus. Venter quoque recepto sanguine intumuit. Cruor autem ex stomacho in viscera, & intestina diffusus, suisque excluſus sedibus, atque corruptus, odoris pestem efflavit adeo gravem, & incredibilem, ut æger ipse molestiam non ferret. Consecuta est nausea, quæ cibum omnem excluderet. Viribus etiam cum sanguine exhaustis, cujus in venis jam nihil esset reliquum, & inedià exinanitis, prænunciavit Medicus impendere peremptorium apoplexiæ ictum, & paucas post horas, inevitabilis fati necessitudinem. Zuccarus summis tot malis uno tempore exagitatus, moriturum se propediem intellexit, apud P. Josephum Minartem Catanensem, anteactæ vitæ culpas omnes magno cum fletu recitavit, & accuratissimè expiatus, dicto etiam sacramento in Societate, si viveret, permanendi, etsi neglectum, & opprobriis omnibus, atque doloribus cumulari contingeret, extra illam verò honoribus, divitiis, ac voluptatibus redundare. Fatalem horam opperiebatur; quum apoplexi demum percussus, & toto corpore consternatus, sensum omnem amisit, nec defuere, qui an adhuc viveret, dubitarent.

Obediendi studio in gravissimam incidit valetudinẽ.

Medici de salute ejus desperant, & brevi moriturũ pronunciant.

LIV. Properata est religiosi morientium olei administratio. Sed dum illud affertur; adstitit efflanti animam B. P. Ignatius, Sacerdotii indutus insignibus; severo vultu, fulgurantibus oculis, trementem, sibique metuentem intuetur. Ob oculos ponit prioris vitæ fœditatem, inertiam, defectionem. Negat se perditissimi filii parentem esse. Pœnitenti, obtestanti, & meliora pollicenti facilè ignoscit. Consuetam trium votorum formulam, se verbatim præeunte, recitare jubet, mortem esse proximam docet, & duas post horas adfuturam. Obsecrantem, nè contingat, ut absque cœlesti Viatico æternitatis iter aggrediatur, certiorem fecit, culpis omnibus jam rite expiatis, in tuto esse salutem; reliquas religiones ad divinæ amicitiæ incrementum, & pœnarum liberationem pertinere. Adjecit tamen, *Quod si mavis aliquamdiu invita, & inter homines permanere, tua est optio: spatium modò reliquum,*

Apoplexi percussus, sensibus destituitur, eique B. P. Ignatius, severo vultu, se videndum præbet.

Zuccari cum B. Ignatio mutua colloquia, plena salutis, ac benevolentiæ.

quemadmodum jurejurando cautum est, in Dei, & Societatis obsequio collocaveris. Si verò e vivis abire placeat; est in manibus æterna salus; nam expiatus, & religionibus lustratus omnibus, sine culpa decedes. Neganti autem, se quicquam velle de se statuere, & enixè flagitanti, ut id sibi eveniret, quod major Dei, & optimi Parentis gloria postularet, respondit: *Bene est. Vives ergo aliquantulum integer, & incolumis; neque ullum interea, aut naturæ desiderium, aut veneris irritamentum, aut turpissimæ voluptatis, sive imago, sive titillatio molestiam afferet. Quum verò contigerit, obscœnis ejusmodi insidiis tentari mentem, & animum, tum verò scito, id propinquæ fore mortis indicium, & certissimum nuncium. Nolim tamen verearis de æternæ apud superos felicitatis jactura; ampliatur enim, non tibi adimitur cœlestis Patriæ beneficium. Cum superis demum te aliquando futurum recipio.* Quæ quum suavissimis verbis pronunciâsset; ter ægri caput, manus, & pedes aureâ virgulâ quasi percuteret, tetigit; percussas deinde corporis partes singulas, cœlesti quodam opobalsamo ter crucem significans, linire, ac recreare instituit, manumque ungentis iteratis verbis sequebatur ea Moysis vox, *Ego percutiam, & ego sanabo*; qua non obscurè indicavit, abs se de cœlo immissas in deerrantem filium gravissimas valetudines, ut animum priùs, deinde corpus sanaret. Tria denique sacrificia gratulationis ergo imperavit, quorum primo, Deo trino, & uno; altero Virgini Matri; tertio sibi, ut Dei servo, atque amico litaret. Zuccarus autem, ut abire parantem animadvertit; magno animi sensu discessurum oravit, ut manum exosculandam præberet; neque abnuit Ignatius; manum exporrigit, & bona verba precatus, ait: *Dominus te benedicat, & ab omni malo defendat, & perducat in vitam æternam*, & in ipso vestigio Zuccarum restitutum, & optimè valentem reliquit. Audierant, qui morienti aderant, admiratione defixi, colloquentem, murmurantem, & votorum formam, utcunque pronunciantem: intuebantur protensam ægri manum, & quasi aliquid arripuisset, labiisque admovisset, pressis osculis basiantem, neque quicquam præterea. Sed admiratio in exultationem abiit planè immensam, quum momento temporis, Zuccarum redivivum lecto surgentem cernunt, & magna cum voce ter exclamantem: *B. P. Ignatius a mortis postliminio, penè extinctum revocavit, & me mihi, vobisque reddidit integrum, & incolumen.* Res fidem addidit verbis: nam eodem tempore, evanuisse comperiunt ventris

Ei B. Ignatius vitæ spē affert; futuræ mortis signa prænunciat, eumque inter Cœlites futurum docet.

Zuccaro sanitatem ex integro B. P. Ignatius restituit.

Deuteron. c. 32. v. 39.

B. P. Ignatii discessuri manum exosculandam poscit, & impetrat.

Adstantes mirabile ostentū admiratione confirmant.

Digitized by Google

tris tumorem, redditas corpori vires, restitutum genis colorem planè vegetum, atque florentem, nullum esse reliquum alicujus morbi vestigium. Zuccarus indumenta jampridem adempta poscit; vestem Societatis largo cum fletu, diu, multúmque exosculatus, actutum induit: lecto desilit, in genua procumbit, ad templum silens magno cum comitatu descendit, ad aram B. Ignatii pronus supplicat, in conclave regreditur, ibique de genu, adstantibus, & præ lætitiæ abundantia flentibus, quæ per B. Ignatium dicta, ac gesta essent flens & ipse narravit. Eodem die, qui fuit pridie ejus diei, quo B. Laurentius publicè colitur, & congruit cum quinto Nonas Sextiles, Christianum jejunium in communi mensa servavit, & accumbentibus aliis, ad vivum nuda terga cecidit. Prodigio per oppidum evulgato, celebratum est cœleste beneficium communibus gaudiis, & tormentorum strepitu, & tubarum, ac cymbalorum, & sonantis æris concentu, ex editis templorum turribus apertiùs significatum. Confectæ sunt ea de re per Syracusanum Pontificem auditis juratis testibus legitimæ tabulæ, quæ anno 1668 editæ ad nos pervenerunt, & superioris narrationis copiam suppeditârunt. Zuccarus ab eo tempore, nullâ veneris uredine tentatus, & corpore, atque animo valens, castigatissimè reliquum vitæ spatium traduxit, & anno sequenti 1666, Sextili mense, ipso *Deiparæ* in Cœlum Assumptæ die, quartum Societatis sacramentum Catanæ nuncupavit. Verùm mense denique undetrigesimo, ex quo convaluerat, Calatahierone quum esset, surgentibus naturæ stimulis uri sensit, & B. Ignatii memor dictorum, non multùm abesse fatale tempus cognovit. Quare ab hominum consuetudine se removit, religionibus se totum tradidit, ac XII Calendas Januarias, anno 1667 sanctissimè conquievit, anno ætatis tertio, & quadragesimo; atque inusitatis honoribus elatus est.

Pro accepto beneficio Zuccari gratus animus.

Cœleste beneficium, plaudēte Siculensi Civitate promulgatur.

Surgentibus naturæ stimulis, ut B. Ignatius ei prædixerat, de proximo fato admonetur.

LV. Pauca hoc anno numerantur clarorum virorum funera, quibus commemoratio aliqua debeatur. Decessit in Collegio Panormitano quinquagenarius, P. Carolus Lombardus Ceramensis, qui propter singularem morum elegantiam, ingenii claritatem, & spectatæ religionis specimen excellentis viri opinionem promeruit, & in summo litterarii honoris fastigio sublatus, vicit quidem invidiam, & expectationis periculum superavit, auxit tamen sui desiderium, & cum nominis gloria posteris etiam commendavit. Philosophiam expromsit doctor in Collegio Panormitano in paucis ornatam, & inusitatis acuminibus egregiè munitam; ut neque nuditatem

P. Caroli Lombardi ingeniū, virtutes, & in Societate munera.

desideres, neque phaleras; Syracusis postmodum sacrarum litterarum disciplinam, tam scitè, ac sapienter tradidit, ut ad domesticæ juventutis eruditionem mors designatum occupaverit. Coluit interea interiorum litterarum doctrinam, quæ in mitigandis, ac coërcendis animi motibus tota versatur; quam, ut certiùs, atque faciliùs arriperet, proposuit sibi ut vitæ imaginem, quam moribus exprimeret, illustrium virorum res gestas, easque solertissimè elucubratas emitteret. Scripsit enim, & edidit *P. Antonii Bellavia vitam*; item *P. Petrè Cottoni*, italicè conversam ex gallico, quam sæpè laudat Tornamira. Edidit quoque *Decadem Philosophicam*, quam in Collegio Panormitano publicè propugnavit Sebastianus Giusinus. Alias ejus, quas adornabat vigilias fatum intercepit, postridie Idus Apriles. Eodem mense, ostenderunt se manes ejus, in Collegio Panormitano, P. Antonino Russo, lustralibus flammis circumfusi, & sciscitanti, cujus culpæ reus, qui tam eleganter, emendatèque vixerit, tam insigni pœnâ plecteretur, respondisse fertur; *Decepit me per ætatem frigida, ultra naturæ, desiderium epotæ, intemperantia, cujus vitio subinde querebar, aquam non satis gelidam, & nive refrigeratam videri. Quare ex assiduitate bibendi, aquæ intercutis contraxi valetudinem, & viribus afflictis vita mea cursum interpellavi. Itaque & vivus, & mortuus incontinentiæ pœnam luere coactus sum.*

Mongit. Bibliot. Sic. pag. 126. Tornam. in Prodig. Euchar. pag. 5. & 610. in Cent. Vocat. pag. 239.

Ex autographis litteris P. Jo: Bapt. Bissi ad P. Silvium Torn. datis, XVII. Cal. Jan. 1678.

LVI. Non absimile est, quod de P. Hieronymo Ballarò Menænino, ut sibi planè compertum tradit Silvius Tornamira, cujus ea sunt, quæ sequuntur. Obiit P. Hieronymus in Collegio Drepanitano pridie Calendas Qintiles, annos natus tres, & septuaginta, cujus vita præter animi candorem, & innocentiam, ac non mediocrem divinarum rerum eruditionem, nihil præsetulit, quod vulgare non esset, atque commune. Eo tamen extincto, cognitum est, singulares ejus fuisse virtutes, & supra quotidianæ vitæ conditionem arduas, atque sublimes. Horà enim septimà, quàm decesserat, religiosissimæ, probatissimæque Virgini sese in conspectum dedit, cœlesti laureà redimitus, divinà luce coruscans, aureà clamyde indutus, & quasi sanguine, ac vità Christo litàsset, palmam manu gerens, propter occultum, & uni Deo cognitum corporis, animique excruciandi studium. Rogatus autem quid novi afferret; narravit, se corpore exemptum, duas admodum horas inter ardentes carbones, & immensos flammarum vortices volutatum fuisse, atque tam atroci cruciatu crematum, & candefactum, ut fundi se, atque con-

P. Hieronymus Ballarò Drepani sanctissimè decedit.

Religiosissimæ Virgini luce radiantem se videndũ præbet.

Digitized by Google

conflari arbitraretur; id verò temporis spatium cum sæculis omnibus diuturnitate certâsse. Irrogatam eam sibi pœnam, quod in reprimendis titillationum igniculis, parum strenuè pugnâsset. Adstitisse tum sibi cœlestem ephæbum, & igne excoctum, atque purgatum ad frigidissimas aquas deduxisse, magno lacu diffusas, in quibus poplite tenus spatiari jussus esset. Hanc quidem pœnam utique fuisse gravissimam, sed illà longè mitiorem; atque eo præsertim nomine de se sumptam, quòd ad consuetas Societatis religiones resídem aliquando, ac pœnè frigidum attulisset animum, non alacrem, & pietatis calore satis ardentem. Tum denique adfuisse *Deiparam*, quæ dolorem, ac pœnam omnem sibi exemisset, & ad cœlestem Patriam evocâsset.

Lustralibus flāmis ad duas horas expiatū esse, eam docet, & qua de causā.

LVII. Sed P. Josephi Castelnovi nobilis Panormitani jactura, cujus tam singularia erant, atque conspicua in Societatem merita, altiùs, atque acerbiùs Provinciam contristavit. Quamvis enim ævi plenus naturam annis expleverit, & octogenario major exuisset mortalitatem; maximis tamen ejus virtutibus, quod fortè nemini, datum est, ut perinde lugeretur, ac si vir summus in ipso florentis ævi cursu, necdum satis fato maturus ereptus esset. Primos ætatis annos litteris Romæ dedit, quarum genus omne percurrit, & in virilibus annis laudabiliter in Provincia tradidit. Sed quum maximarum curarum capax animus senilem sapientiam ante canos ostenderet, a gymnasiis ad honores traductus, eos a Collegio Melitensi, anno 1622, quadragenario minor inchoavit; exactoque triennio, anno 1625, in Collegio Panormitano continuavit. Incidit autem alter ejus magistratus in tristissimum illud tempus, quo sæviente diutiùs pestilentiâ, magnis administrationibus cavendum erat, nè lues familiam comprehenderet, nè domestica juventus otio relangueſceret, nè Sociis, qui contagiosis adjuvandis se addixerant, alimenta deessent; nè demum occlusis portis, ac foribus, quicquam domi, forisque turbaretur. Quæ omnia Castelnovus tam insigni navitate, ac prudentiâ administravit; ut suorum desideraverit neminem; juniores jam eruditis concertationibus, jam privatis conciunculis, jam comædiâ, jam tragædiâ contineret; jam præter aleas, & talos, quibus omnino suis interdixit, assiduis lusibus, qui honestatem, ac dignitatem haberent, oblectavit, jam ciborum delectu recreavit, jam duplicatis religionibus ad Christiana officia convertit; quotidie misit, qui semel, & iterum Socios valetudinariis distentos viseret, & vitæ commoda omnia suppeditaret; nulla cum urbanis ma-

P. Josephi Castelnovi singularia merita, munera, & egregia facinora.

Sæviente Panormi pestilentiâ, Rector Collegii Suorū valetudinem tuetur.

Eodem tempore quibus artibus suos in disciplina retinuerit.

magistratibus offensio interceſſit. Quibus rebus optimi Antiſtitis famam eſt conſecutus; atque deinceps intermiſſione nullà, perpetuos geſſit magiſtratus, eoſque præcipuos; Panormi pleroſque; reliquos extra Provinciam. Nam Collegii S. Franciſci Xaverii deinde reginem ſumſit; poſtea Domùs, iterum Collegii Panormitani, demum univerſæ Provinciæ, primùm extraordinario jure, mox continenter ordinario. Interme-

Ejus tum extra, tum intra Provinciã perhonorifici magiſtratus.

dio autem tempore, præfuit Seminario Romano, & paulò poſt Mediolanenſi Provinciæ. Quos ille magiſtratus tam ſapienter, accuratéque adminiſtravit, ut pauciſſimi numerarentur, qui parem laudis abundantiam ſint aſſecuti. Nemo fuit eo, in retinenda, tuendaque diſciplina ſeverior, atque pugnacior; nemo mitior, atque pacatior. Manſuetudinem enim, non iracundiam habuit poteſtatis adminiſtram; & caritate citiùs, atque faciliùs expugnavit, quos acerbitate, atque pœnà alii non deterruerant. Adjuvit plurimùm blandos, ſed invictos manſuetudinis ejus conatus, ſumma integritas, audiendi facilitas, ſatisfaciendi accuratio, vacuus cupiditatis animus, *inculpata* vitæ conſuetudo, longa deliberatio, maturitas conſiliorum, jubendi æquitas, & temperantia, parcitas denique animadvertendi, atque ignoſcendi proclivitas, quam tamen interdum boni, & mali exempli ratio coërceret. Pleraque per inferiores magiſtratus explicabat, ut ipſorum auctoritatem tueretur, & invidiam declinaret. Ipſe multus erat, ac penè totus in regendis eorum, qui præeſſent, conſiliis, atque conatibus; ſtatuebat enim, & pro virili pugnabat, ut eodem jure, quo ſibi obtemperari vellent, & ipſi morem gererent. His artibus, extra Provinciam *Siciliæ Angelus* appellari, & a P. Mutio Vitelleſcho, Societatis Antiſtitum de cœlo lapſum exemplum nuncupari meruit; ſed & quod maximè mirandum eſt, vicit, quæ nemo alius. Jampridem enim flagrantibus Mamertinorum diſſenſionibus, quamdiu Provinciæ geſſit magiſtratum, domeſticas occupavit querimonias, ex Senatorum numero amicos ſibi paravit, qui obtrectatorum impetus frangerent, & errantibus Sociis metum, atque pudorem offerrent; cum Senatu egit officioſiſſimè, & ab eo impetrare ſe ſimulavit, quæ alii extoquere ſe velle videbantur. Magno proinde, quoties Meſſanam venit, in honore habitus, & Civitati gratiſſimus ea omnia vitavit incommoda, quæ præceſſerant, & quæ poſt ejus magiſtratum, Mamertinam Societatem in diſcrimen adduxerunt. In Provincia verò tanta fuit virtutis ejus exiſtimatio, ut ei tribuerit, quod poſt Carminatam nemini obvenit;

Admirabilis ejus gubernandi ſcientia, atque ratio.

Mamertinorũ turbas, ſummâ dexteritate ſedat, eorumque animos ſibi conciliat.

nam

nam communibus suffragiis, ter Romam legatus est; semel ad minora Provincialium Procuratorum Comitia; bis ad summum Societatis Conventum. Publicas ejus virtutes, privatæ tuebantur. Ad reliquam disciplinæ custodiam, quam ad pronam usque ætatem verecundè retinuit, austeritatem adjecit, & domandi corporis consuetudinem. Cibo, ac potu usus est minimo. Nihil unquam, nisi in communi mensa gustavit. Alieno convivio nunquam accubuit, nisi semel, & jussus. Somnum extra valetudines, capere consuevit modicum, & ita indutus, ut Societatis tunicam nunquam posuerit. Facundiâ præditus jucundâ, & eruditâ, in quotidianis a prandio, & cœna colloquiis, neminem interpellavit, nunquam obloquenti interceſſit, neque vocem expromsit, nisi rogatus, & sermonis ansâ ultro, atque consultò lacessitus. A P. Cæsare Bosco, qui Domui præerat, publicè admonitus, & objurgatus, quòd nescio quid a sacris Virginibus auditum enunciâsset, siluit, neque, ut poterat, se expurgavit, & postridie acceptum a Sorore munus Bosco transmisit. Quum Panormi de nocte cum Aloysio Lanuza domum rediret, de cœlo est demonstratum, quanti Deus hominem faceret, & quanta esset utriusque morum similitudo. Visa est enim amborum facies pari luce coruscans. Hunc idem Lanuza & vivens sanctum hominem dictitavit, & moriens sibi ad supremum usque anhelitum adesse voluit. Summos ætatis annos in Domo Panormitana, admodum quatuor, privatus, latens, & silens, & religionibus diu, noctuque involutus, exegit, ibique tertio Nonas Sextiles acquievit, annum vitæ agens secundum, & octogesimum, post Romæ dictum coram Mutio Vitelleſcho quatuor votorum sacramentum, duodequinquagesimum.

Ejus in Provincia munera, & virtutum honesta commemoratio.

Frazetta in Vit. V. P. Aloys. Lanuz. pag. 136.

Ejus cruciandi corporis consuetudo, ac temperantia.

LVIII. Debetur quoque P. Gaspari Castigliæ non vulgaris virtutum ejus commemoratio. Ortus est Panormi, paterno, maternoque genere clarus, ubi & disciplinæ tirocinium nactus est, & doctoribus dedit operam, & latinitatis rudimenta, Litterasque Humaniores, & Rhetoricam, atque Philosophiam profeſſus est, sive disceret, sive doceret, æquè semper ab ingenio, & vitæ elegantia commendatus. Sed ob insignem, atque perspectam rebus omnibus rectè vivendi constantiam, ad præfecturas propere vocatus, Collegium primùm ad aquas Selinuntias, deinde Syracusanum, denique Panormitanum nondum sexagenarius administravit. Adamavit, prout severæ indolis ductu ferebatur, gubernationis genus, non triste, non asperum, non immite, sed nonnihil austerum, & interdum insua-

P. Gaspari Castigliæ generis claritas, ac gubernandi ratio exponitur.

Digitized by Google

ſuave, quod tamen virtute ſubactus, virili quadam caritate, & paternâ potiùs, quàm maternâ condiret. Parendi plurimùm, præſidendi minimè cupidus, honores invitus, & nonniſi juſſus adiit, ægerrimè geſſit, dimittere optavit. Sed quamdiu in eis permanſit, poteſtatis jura omnia retinere, ac tueri nunquam deſtitit; ita animatus, ut magiſtratum libentiùs poneret, quàm ex eo quicquam auctoritatis, aut dignitatis decerpi pateretur. Societatem unicè dilexit, & in ejus exiſtimatione vindicanda, nihil eo fuit valentiùs, atque pugnaciùs. Socios proinde, & præſertim Juniores, flagitii manifeſtos, ex quo diſciplinæ fama inquinaretur, continuò eliminandos, inexorabili conſtantiâ cenſuit; & ſe invito retentos, tantâ ſeveritate plectere aggreſſus eſt, ut parum abfuerit, quin Syracuſis magiſtratu abdicaretur. Ejus autem fuit illa vox. *Eâdem curâ, qua animam meam, Societatis nomen colam*. Religioſæ inopiæ ſtudioſiſſimus, a propinquis nihil unquam admiſit, quod vel ad privatum ornatum, vel corporis commoda pertineret: pecuniam tamen non recuſavit, qua Collegii Panormitani faciem ad meridiem propter viam maximam, a priſtina ruditate eximeret, & ad operis legem, quadratis lapidibus ornaret, & ad eam, quæ nunc eſt formam, & elegantiam adduceret. Templum quoque ſublatâ contignatione, ſectis lapidibus concameravit, & poſteris, atque pictoribus concinnandum reliquit. Sed nihil in eo tam enituit, quàm corporis, & oris habitus, invariatâ quadam conſuetudine, domi, foriſque, ad ſobrietatem, & temperantiam compoſitus, qua in re ſic de eo commemorant domeſtici ætatis ejus ſcriptores, ut earum, quas B. P. Ignatius propoſuit Modeſtiæ Legum, vivam ille imaginem præſeferret, & intuentibus quovis loco, ac tempore oſtenderet. De ſe, ſuiſque rebus viliſſimè exiſtimabat, ſuique deprimendi ſtudium eò uſque provexit, ut vel doctor, quum Philoſophica placita propugnaret, ex adverſo diſceptantibus manus ſe dare ſimularet, quaſi victus in eorum denique ſententiam, & invitus deſcenderet. Maximam, & horarum omnium cum Deo conjunctionem, & familiaritatem intimè coluit, & ab eo nihil unquam poſtulavit, niſi in vita ærumnas, atque dolores, poſt mortem verò: *Purgatorium, Domine, ſemel & his, & in æternum, ſi tibi placet*; quemadmodum in ſcriptis ejus adnotatum comperio. Vitam amiſit in Domo Panormitana, quum in ea gereret, anno vertente, magiſtratum, vitæ magis auſteritate, quàm ætate, aut morbo confectus, ſeptimo Idus Quintiles, annos natus ſeptem, & quinquaginta. Cernitur imago ejus

Ejus in tuenda domeſtica diſciplina ſtudiũ, virtus, atque conſtantia.

Caſtigliæ erga Panormitanum Collegium, ac Templum merita.

Modeſtiæ ejus, ac reliquarum virtutum eximia monumenta.

In Panormitana Domo, cui præerat, vitam amittit.

Digitized by Google

ejus in conclavi superiori Collegii Panormitani cum ejusmodi elogio. *P. Gaspar Castiglia Panormitanus, S. J. prudentia, ac virtutum omnium splendore conspicuus, de Collegio Panormitano, ubi Philosophiam docuerat, optimè meritus; Domùs Professa Pan. Præpositus fato concessit 1665, ætat. 57.*

LIX. Annum claudit P. Bernardinus Lanfrancus nobilissimo genere Panormi natus, & unicus amplissimæ hæres familiæ, qui quum annum ætatis ageret quartum supra vigesimum, & splendidas, lautasque nuptias cogitaret, auctore Tornamirà, parentibus inopinato amissis, unus, dives, & orbus, ex Mariana Nobilium Sodalitate, ubi Christianorum morum elementa arripuerat, etsi litteris non satis imbutus, ad Societatem gradum fecit, quam, nè propinqui intercederent, & propositum ejus interpellarent, Messanæ adire maluit, eò quasi per negotia profectus. Ubi sub Hieronymo Lombardo altissima jecit virtutum omnium fundamenta, quarum ea fuit præcipua, ut humanis rebus, ac curis omnibus se abdicaret; & Christi nuditatem haberet vitæ ducem, ac comitem. Quare paternam, maternamque substantiam Collegio Panormitano addixit, non aliâ conditione, quàm ut quotannis aureos ferè bis centum seponeret, quibus puella, quæ annum ætatis attingeret septimum supra decimum, Virgo, nobilis, inòps; orba præsertim, & propter formæ elegantiam, insidiis obnoxia, inter sacras Virgines Christo collocaretur, & quam Provinciæ Antistes designaret. Ipse aviti patrimonii procurationem quoque a se removit; ex quo nè denarium quidem ad se redire passus est. Quare ubicunque esset, cubiculo usus est, in quo nihil cerneres, præter nudos parietes, & neque clavum præterea, ex quo quicquam penderet. Utensilia, & corporis indumenta nunquam adhibuit, nisi deterrima, vetusta, consumta, & quæ non alius indueret, aut circa se esse sustineret. Senex, & edentulus panem neque integrum, neque recentem sibi apponi patiebatur: maluit vetustum, & præduras, ac sordidas superioris cœnæ reliquias, mendicantibus destinatas. Meritis ejus datum est, quod in Templo Domùs Mamertinæ, quadragenarius solemnium trium votorum, publicà ceremoniâ, sacramentum celebraverit. Consequentibus annis in Domo Panormitana inveteravit, ubi actuosæ vitæ partes omnes laboriosissimè explevit; nisi quod confitentibus in templo feminis nunquam aures præbere voluit. In viris autem audiendis, qui ad eum frequentissimi confluebant, assiduitatis, ac patientiæ primas tulit; primus enim ad officium accurrebat; secedebat novissimus.

P. Bernardinus Lanfrancus, amissis parentibus, Messanæ nostro numero adjungitur.

Pinguem hæreditatem, certis conditionibus, Panormitano Collegio addicit.

Paupertatis studium quàm maximè colit, & auget.

Dicto trium votorum sacramento, actuosam vitam Panormi instituit.

Digitized by Google

Facundiam exercuit utilem, & salutarem; non tamen ornatam, torrentem, atque clamosam, & suggestis idoneam, sed familiarem illam, atque pacatam, quæ absque impetu, & artificio, nudam, sed suavissimam habet adhortationem. Hoc eloquentiæ genere plurimùm valuit, & delicatas etiam aures implevit, tenuitque quamdiu voluit. Marianam propterea nobilium Sodalitatem, annos quamplurimos excoluit, & eatenus amplificavit, ut ampliſſimum ante id tempus conclave, quum Sodalium numerum jam non reciperet, angustum deinceps videretur. Annum ætatis numerans quartum supra octogesimum desideratus est in Domo Panormitana, & honorificè elatus postridie Calendas Decembres. Cernitur P. Bernardini Lanfranci germana effigies in Collegio Panormitano, ejus beneficiario, cum hoc elogio. *P. Bernardinus Lanfrancus Panormitanus, genere non minùs, quàm pietate clarus, Collegii hujus censum fortunis suis sublevavit. Obiit in Domo Professorum 2 Decemb. 1665.*

Marianam ibi Sodalitatem salutari facundia regit, & amplificat.

1666

LX. Initia anni 1666 ornavit P. Sebastiani Salelles funus æquè maturum, & auspicatum. Natus est Olivæ in regno Valentino, anno 1575, & in Aragoniæ Provincia Societati aggregatus, ibique majoribus eruditus disciplinis, & Sacerdotio initiatus Melitam venit, ubi quadragenarius anno 1614, coram Pompilio Lambertengo, quartum Societatis sacramentum publicè dixit, atque consedit, sacram morum facultatem annos duodeviginti docuit, & nonagenario major vitam posuit. Fuit vir probus, & sapiens, summi ingenii, maximique consilii, & doctrinæ laude cum non adeo multis conferendus. Jerosolymitanæ militiæ studiosissimus, & ei ordini augendo, atque ornando maximè deditus, nil non excogitavit, quo sacrum illum Equitatum sibi magis, magisque demereret. Quum Romæ fuit, disciplinam, & homines apud Urbanum Octavum Pontificem Maximum, summis laudibus commendavit. Eo potissimùm adnitente, supremus universæ militiæ conventus legem tulit, qua milites juberentur, sæpiùs ad cœleste convivium accedere, quàm antea fecissent; tironibus verò, nè otio torperent, tertio quoque die armorum palæstram indulsit. Sacrorum Militum contubernium, quod Carminata condiderat, labentibus annis, ferè obsoletum exsuscitavit, & ita excoluit, ut eximiæ virtutis exinde viri prodierint, inter quos unus memoratur, qui quum Sebastiano suadenti, ut egenis largiter subveniret, & pollicenti, fore, ut pecunia in loculis pullularet, paruisset, animadvertit quotidianum pecuniæ incrementum, & quan-

P. Sebastianus Salelles Valentinus Melitæ vitam ponit.

Ejus erga Jerosolymitanam militiam egregia merita.

Ejus virtus, & in pauperes misericordia cœlesti prodigio confirmatur.

Digitized by Google

quantum erogaret, tantundem repositum, atque suppletum reperiret. Quare ad eum non hispani dumtaxat, sed cujusque gentis, ac nationis equites, expiationis causà, ut communem ad patrem confluebant. Ipse omnium totus, & singulorum, nemini suspectus, cunctis carissimus, quum non ambitiosè, astutèque ageret, simplici quadam, nec inofficiosà caritate universos complectebatur. Quo factum est, ut furens ille seditiosorum Equitum globus, qui Socios Melità ejecerunt, uni Sebastiano pepercerint, & in Insula permanendi gratiam fecerint. Alexandrum Septimum, quo tempore legationem, & religionis censuram Melitæ gessit, intimè sibi conjunxit, & in honore summo memorem habuit, ac cupidum gratificandi, & ejus litteras eliciendi. Alofius Vignancurt Militiæ universæ summus Magister, & Insulæ Princeps, qui Sebastianum sibi ante honorem, optaverat animi ducem, arbitrum consiliorum, & privatæ expiationis administrum, nihil eo inconsulto, aut dissentiente unquam movit, quasi rebus omnibus nutum ejus intueretur. Ille tamen admirabili sapientià auctor fuit, ut publica negotia cum concilio communicaret, atque ex ejus sententia consilium caperet; privata verò, quæ ad intimam animi rectionem pertinerent, eatenus attigit, quatenus misericordiam erga pauperes, vectigalium remissionem, temperantiam, & plena pudoris, ac religionis exempla inculcaret. Quibus rebus fructum prudentiæ tulit. Nam & se, & Societatem invidià exemit; & Alofius optatissimum Equitibus magistratum, Principatum Melitensibus obtulit memorabilem, proposuitque posteris imitandum rectissimæ dominationis exemplum. In eo autem apud Jerosolymitanos præsertim proceres, uterque nonnihil offendit, quod quum Sebastianus, divino admonitu didicisset, adfuturam intra aliquot menses Turcarum classem, quæ Insulam, & Equites ab rebus omnibus imparatos adoriretur, & Alofio enunciâsset, eique persuasisset, nè cunctaretur, ex universa Europa Equites, & auxilia contrahere; Alofius verò non reticuisset, quo auctore, sacram militiam convocaret; nulluque tum esset rumor militaris barbarorum apparatùs; culpabatur apertis obtrectationibus, cùm Sebastiani levitas, qui somnia jactâsset, tum Alofii credulitas, qui leviissima fretus auditiunculà, tantæ molis, & talis molestiæ, atque impensæ negotium aggressus esset. Verùm, ut certissimis nunciis cognitum est, classem adventare, & Cretà non procul abesse; ac paucos post dies, sexaginta numero triremes sese in conspectum dedere, quæ si imprudentes, & im-

Quæ fuerit illustrium virorum P. Sebastiani probitatis existimatio.

Turcarum classem brevi adfuturã prænunciat, & ex ea invidiæ, ac offensiones.

Eventus vaticinio respondet, & obtrectationes ex eo diluuntur.

paratos oppressissent, Insulam utique delevissent; obtrectatio in admirationem, & gratulationem concessit. Hostes enim, qui spem omnem in celeritate posuerant, ut priùs se advenisse, quàm adventuros nunciaretur; littora omnia præsidiis, operibus, propugnaculis munita conspicati, neque exscensionem, nisi ad aquandum, facere ausi, adjacentem Melitæ Insulam, Gaulum invaserunt, & direptam incenderunt, seque inde celeriter proripuerunt. Itaque Sebastiani tempestiva prædictio Melitensibus saluti fuit. Sed longè majorem pauperibus alendis, fovendis, audiendis, curam, & operam impendit; neque quicquam suavius loquebatur, aut cogitabat; quàm nè quis ab eo tristis, aut indonatus discederet. Pridie eorum dierum qui præcipuam habent religionem, nemini sui copiam, nisi egenis faciebat, quod iis expiandis, & accuratissimè consolandis se totum involveret, postridie verò Equitibus aurem præberet; neque quisquam auderet, miseris hominibus dantem operam interpellare. Eorum autem inopiam, tot tantisque quotidianis subsidiis sublevabat, ut rationibus summatim *subductis*, repertum fuerit, eum, quo tempore Melitæ fuit, aureorum centena millia, & eo amplius ab amicis corrogata, vel ad id ultro delata, pauperibus impertivisse. Ex tanta autem pecunia, denarium nè quidem unum, homo religiosæ egestatis servantissimus in suos usus convertit; neque cubiculo quicquam de suo addidit, præter S. Josephi membranulæ impressam effigiem. Quamdiu Melitæ est commoratus, annos nimirum sexaginta, cujusque generis poma, quibus ea Insula mitissimis, suavissimisque maximè abundat, nunquam gustavit, etsi lectissima apponebantur, ab amicis, & Alosio præsertim dono missa. Viridem, vegetamque ad annum usque octogesimum nactus senectutem, supremum tamen vitæ decennium valetudinibus affectum transegit; neque propterea Christiani jejunii continentiam, aut intermittendam censuit, aut ratione aliquà molliendam, nisi quum nonagenarius, viribus jam dilapsis, deficientis naturæ desiderium, & ex eo languorem ferre non posset. Inter assiduas, & horarum omnium religiones, Beatissimi *Patriarchæ* Josephi cultum, & obsequium maximè coluit, ac primum habuit. Ante ejus aram plures quotidie horas de genu collocabat; virtutes, merita, dignitatem suavissimè prædicabat. Diem ejus in sanctissimis temporibus numeravit; pridie verò nullius colloquium admittebat; neque ullus fuit vitæ annus, quo non diem integrum jejunus traduceret, & noctem vigilando collocaret. Morti proximus excogitavit, quem-

Eximia ejus in pauperes misericordia.

Reliqua virtutũ ejus monumenta exemplo plenà.

S. Josephum summa religione colit, & perpetuũ ejus cultum amplificat.

ad-

admodum clientulus Patroni sui religionem amplificaret. Dedit propterea ad Alexandrum Septimum eruditissimas litteras, quibus enixè petebat; ut in sacris officiis non secus, ac Petri, & Pauli; Mariæ, & Josephi nomina nunquam sejungerentur. Æquum enim erat, ut quos virtutum similitudo, & nuptiarum Societas copulaverat, par etiam nominis, & ceremoniæ communio sequeretur. Neque Alexander postulationem est aspernatus: nam fieri libellum, & ad Purpuratorum, qui sacris Ritibus præsunt, Collegium deferri jussit, cum mandatis, ut ea de re accuratè, & continuò deliberarent, ad seque referrent. Sed utriusque fatum tam insigne negotium intercepit. Tria pretiosa edidit Romæ volumina, & Alexandro VII inscripsit, *De materiis Tribunalium Sac. Inquisitionis*, quas doctrinæ censor, atque consultor; annos ferè quadraginta Melitæ versavit. Sine dolore, ac morbo in Collegio Melitensi solutus est, XV Calendas Januarias, & magno pauperum luctu, & equitum, populique frequentiâ, splendido funere postridie elatus. P. Sebastianum Selelles in suis *Musis Juvenilibus*, egregio carmine laudavit Alexander Septimus P. M., tanquam virum illustrem, & intimâ sibi familiaritate conjunctum. Extat ejus imago in sacrario Collegii Melitensis.

Ejus edita volumina, & Melitæ beatamors.

Sotuel. Biblioth. Soc. pag. 727. col. 1.

LXI. Proximus huic, sed ætate quàm longissimè disitus, immaturo fato extinctus est, optimæ spei adolescens, Antoninus Scalia Lilybœtanus; annum vitæ agens undevicesimum. Corporis, animique integritate purissimus, & Philosophiæ candidatus Societati se adjunxit, & Tirocinium Panormitanum summis virtutibus cumulavit, quarum prima, & maxima fuit intima cum Deo conjunctio, quæ suavissimâ caritate, diu noctuque fibras depascebatur, ut nihil saperet nisi Deus, nihil mentem, & animum oblectaret, nisi divinarum rerum contemplatio. Post biennium ad humaniorum litterarum palæstram evocatus, mentem a cœlestium rerum cogitatione avocare, & ad doctrinæ curas demittere, sine magna refugientis animi molestia non poterat. Conabatur tamen, & secum ipse pugnabat; quod quum assiduè faceret, in ipso quotidiano conatu, denique repentino dolore, intimè se saucium cognovit, & sanguinis vim magnam perpetuis excreationibus, atque singultibus, rejecit. Studia intermittere eâ re coactus, gravissimam valetudinem in deliciis habebat, quod nihil jam retardaret divinæ caritatis impetus, & propediem moriturus optatissimum tempus adventare cognosceret, quo solutus corpore animus ad cœlestium gaudiorum abundantiam evolaret. Me-

Antoninus Scalia Societati Panormi se adjūgit.

Ex divino caritatis impetu, morbum contrahit, & studia intermittit.

di-

dicis ita jubentibus, in Patriam, quantà fieri potuit celeritate, remissus, ejus cœli salubritate usqueadeo est recreatus, ut restitui posse videretur. Ea spes propinquos adegit, ut adolescentem a Societatis proposito averterent, & ad suos revocarent, eà potissimùm de causa, quòd si permaneret, esset ad doctrinæ contentionem, & luctam remigrandum. Sed strenuus adolescens, horrore correptus declaravit, se non cognatorum, sed hostium loco habiturum, qui ea de re verbum adderent, neque deinceps colloquio dignaturum. Nè verò ad studiorum æstum, & limam regredi cogeretur, a Majoribus contendit, & impetravit, ut sibi liceret, quamdiu viveret, ad servilia Fratrum officia se demittere, & rerum domesticarum Adjutoribus annumerari; extorquere tamen non potuit, ut pileum sacræ tonsuræ debitum poneret. Itaque Janitorem egit in Collegio Lilybœtano, ubi post aliquot menses eodem morbo tentatus, & jam cœlo maturus, divinà magis caritate, quàm febri consumtus est, V Calendas Januarias, ex quo Societatem adierat, anno tertio. Funeratus est insigni Civium concursu, qui & feretrum diripuerunt. Flores quidem inde decerpti præsentibus beneficiis Civitatem cumulârunt. Eà ipsà horà, qua efflavit animam, ostendit se P. Josepho Roberto Salemitano, candidatus, & inter Beatos Aloysium, & Stanislaum medius, & ad superos se evocari, discedens significavit.

Cœlum vertit, & viribus refectus a propinquis in Societatis proposito frustra tentatur.

Studia dimittit, & ad Fratrum officia descendit; ac paulò post sanctissimè moritur.

Ex ejus litteris ad P. Antonium Natalem, Salemio datis XIV Cal. Jan. anno 1687.

LXII. Maturiùs, & peregrè peremptus est Philippinis in Insulis P. Josepphus Aloysius Spinellus, anno 1612, vetustissimà generosæ prosapiæ stirpe Plateæ procreatus. Quid extra Provinciam gesserit distantia locorum, & peregrinitatis diuturnitas hausit, ac oblivioni mandavit; annos enim quinque supra viginti peregrè meruit. Sed ea, quæ juniori, & tironi propemodum in Provincia contigerunt cœlestia beneficia, sunt ejusmodi, ut ex iis facilè judicaveris, quæ in luce Asiæ inter barbaros emeritus egerit, & veteranus. Collegii Panormitani alumnus Philosophiæ dabat operam, Metaphysicæ candidatus, quum XIII Calendas Januarias, anno 1634, in ipso gymnasio repentè exanimatus, & per manus in proximum conclave delatus, expiraturus credebatur, receptus tamen remediis, & sibi redditus, intestino præcordiorum tumultu, & crebris palpitationibus exagitatus, magnis quoque excruciatus doloribus, ac perpetuis actus delirationibus, biduum transegit. Hoc fuit initium gravissimæ valetudinis. Nam tertio die paralysi correptus, lævà corporis parte stuporem contraxit, adeo tristem, & intimum, ut manu, ac pede captus sensum omnem amiserit, & ne-

P. Josephus Aloysius Spinellus, in Philippinis Insulis vivere desinit.

Panormi dum Philosophiæ dat operam, paralysi correptus sensum omnem amittit.

Digitized by Google

& neque punctiones, neque vulnera, neque ignem sentiret. Remedia interim omnia, ut crebra, & exquisita, nedum salutaria expertus est, sed inimica, atque infensa, & quæ vim morbi exacerbarent; nam die quadragesimo, stupor vires sumsit, linguam invasit, & vocis usum ademit. Postridie verò apoplexiâ ictus peremptoriâ, supremis sacris accuratissimè properatis, parum abfuit, quin vitam amitteret. Sed ad cœleste beneficium reservatus, intimo integer sensu, sed mutus, & paralyticus vitam protraxit ad septimo Idus Februarias. Tum B. Aloysii Gonzagæ memoria succurrit animo. Quæ per eum Deus contulerit beneficia, magna, & multa, menti obversantur; maxima consurgit salutis fiducia; Aloysii Reliquias nutibus afferri flagitat; illatas veneratur; petit valetudinis beneficium; Christianum jejunium, ante ejus diem, si impetret, quotannis sacramento pollicetur; interea somnum capit, & magnam audit appellantis vocem *Joseph, Joseph*. Eo clamore excitatus, qui proximè cubabat Frater, accurrit; & Josephum adhuc sopitum, & ut poterat, scitantem reperit, quis nam vocaret, Ea vox certissimum fuit cœlestis beneficentiæ nuncium, quod consternati adolescentis fiduciam vehementiùs incitaret. Josephus evigilat, & spei plenus diem, & noctem flens, & obsecrans consumit. Irrepit sopor tenuis, atque suavis, neque lacrimas intermittit, sed dormienti per quietem offert Aloysium, & Joannem Berchmans, quorum primus manum corripit, aitque: *Quid me vis Joseph?* Ille autem; *Peto a te linguæ usum, & incessum*: Cui Aloysius, *Quam vellem vita potiùs exitum flagitâsses! si saperes summi beneficii loco mortem poneres*. Ad ea Josephus, *En me paratum, Dominus est. Quod bonum est in oculis suis faciat*. Tum Aloysius, *Confortare, & esto robustus. Grandis enim tibi restat via*: atque in his verbis, species ejus evanuit. Cognovit Josephus, placere Deo, ut preces renovarentur. Poposcit argenteum Aloysii signum, in quo est cum dentibus maxilla. Quo allato, & e conspectu posito, Josephus est intimè admonitus, se propediem locuturum, & P. Petro Villafrati, qui Collegio præerat, enunciavit; pridie Idus; eamque noctem supplicando traducere statuit.

Eodem morbo iterum tentatus, morti proximus a B. Aloysii opem flagitat.

B. Aloysius cũ Joanne Berchmans moriẽti se offert, & cum Spinello dulcissimè colloquitur.

1. *Reg. cap.* 3.

Deuteron. 31.

3. *Reg. cap.* 19.

LXIII. At de tertia vigilia somno victus, vidit iterum ad se accedentes Aloysium, & Joannem, linteis indutos candidis, & cœlesti luce respersos. Joanne silente, orsus est Aloysius. *Quid quaris Joseph? jam tibi Deus eloquii gratiam fecit; & linguæ facultatem impertivit. Agnosce ademptam tibi loquelam, propter linguæ intemperantiam, & neglectam latinè*

B. Aloysius, & iterum secũ Berchmans videndũ præbet, & linguæ usum impertit.

nè loquendi Societatis legem, quam ego, & meus hic Joannes sanctè servavimus; atque eà dumtaxat conditione tibi redditam, ut nullum deinceps excidat verbum, sive nugax, sive odiosum, sive ad vaniloquentiam incumbens, sive Societatis legibus minimè consentaneum. Debes jam linguam, & verba singula divinis laudibus, salutaribus colloquiis, Fratrum exemplo, & hominum saluti. Nè metuas, quæ te manent ærumnæ, atque labores. Equidem tuorum itinerum ero dux, atque comes. Quod ad incessum attinet, non es adhuc beneficio opportunus, atque maturus. Jejunii pollicitationem ratam habeo. Placet tamen, pari sacramento id tibi oneris imponas, ut quotidie quartam horæ partem, diebus verò festis, horæ dimidium in cœlestium rerum meditatione colloces. Accipit Josephus conditionem. Tum Aloysius quam gerebat ex gemma pyxidem aperit, pollicem in ea mersum ori ejus admovet, labia cœlesti opobalsamo, recto, atque transverso ductu, crucem significans linit, & continuò se subducit. Josephus extemplo evigilat, vocem explicat, & exclamat, *Aloysius, Aloysius*, pergitque Ambrosianum canticum recitare. Pervulgato prodigio, advolant Patres, Fratresque, loquentem, narrantemque audiunt, & quàm maximè gratulantur: sed nulla fuit tam conspicua gratulatio, quàm quòd eodem die, ante cœnam plagosam supplicationem instituunt, Aloysii simulacrum sequuntur, triclinium circumeunt, & nuda flagello terga verberant. Josephus tamen paralyticus adhuc, atque sollicitus, quæ vidisset, & ab Aloysio audivisset animo reputans, ac ea præsertim verba, *Grandis tibi restat via*: & illa *Itinerum tuorum ero dux, atque comes*, quæ paralytico parum congruunt; etsi non ignorabat, non multùm abfore cœlestem opem; intelligebat nihilominus, uberioribus divinam clementiam conciliari oportere religionibus. Quare jejunia, preces, sacrificia, corporis afflictiones indicuntur. Inter hæc, quartus jam abierat dies, ex quo Josephus linguam receperat, quum interdiu somno illapso, adfuit semisopito cœlestis beneficii nuncius Joannes Berchmans, aitque: *Joseph dormis? Numquid nescis, advenisse jam tempus ambulationis tuæ? Obsecra enixè Deum coram Aloysii reliquiis, & alios adhibe deprecatores, ut inceptum opus ad exitum perducatur.* Eo admonitu magis, magisque excitatus, petit ab amicis, & familiaribus, ut sacris precibus quàm maximè indulgeant, & a Villafrate impetrat, ut Aloysii signum cum reliquiis iterum inferatur. Ad horam usque noctis septimam, humiles, ac supplipli-

Aliqua Spinello facienda præscribit, & futura obscurè prænunciat.

Pro linguæ usu accepto, Domesticorum gratulatio.

Novæ religiones instituuntur, ad incessus, facultatem obtinendam.

plicēs protrahit obsecrationes, & lacrimas. Tum sopor illabitur, & cum eo Aloysii species, quem Joannes idem sequebatur, linteolum manu gerens. Jubet Aloysius, bono, lætoque sit animo, additque. *Deus a te multa poscit, & magna. Velim id spectes, ut sanctam deinceps, piamque vitam instituas. Habes me morum tuorum magistrum: habebis quoque ductorem peregrinationis. Meum tibi nomen volo esse commune. Aloysius in posterum nuncupabere; ut perpetuum apud te habeas & amoris mei, & officii tui monitorem. Est jam in manibus incedendi facultas. Hanc uberiùs promerebere, si voti religione interpositâ, constitutum penes te erit, sacris B. P. N. Ignatii sedulam dare operam commentationibus, statim ac convalescas.* Quod quum Spinellus se præstiturum recepisset; Joannes propiùs accedit; pedem & brachium in quibus erat stupor, parumper detegit. Aloysius ex illa eadem, de qua diximus pyxide, saluberrimum liquorem digito sumit, & pedem, ac brachium pariter inungit, hæc ipsa verba pronuncians semel, atque iterum: *Deus omnipotens, per merita B. P. N. Ignatii, & Aloysii, det tibi ut possis ambulare, & brachium movere, faciatque ut ambulatio & motus iste sit tibi ad vitam æternam.* Joannes verò utramque corporis partem linteolo absterſit. Aloysius denique suspiciens, & gratulans, optiméque precatus, dextrâ ad osculum tradità, crucem simulat, seque proripit. Spinellus iterum, atque iterum Aloysium appellans somnum excutit, salienti similis lectum relinquit, ante Simulacrum, & Reliquias in genua se devolvit, & pronus, ac flens horæ spatium gratulando perseverat. Properat deinde, dubiâ adhuc luce, ad Villafratem, mox ad necessarios, & intimè familiares. Fit ad eum inter lacrimas, & amplexus universæ familiæ concursus. O quæ gratulationes! quæ gaudia! quàm effusa omnium, & præcipuè juventutis erga Aloysium pietas, atque religio, Collegii Panormitani columen, & Patronum! Simulacrum ejus ad domesticum Sacellum cum luminibus bini deducunt, ibique horam supplicationibus tribuunt. Spinellus posito Josephi nomine, jam Aloysius, ad Patroni sui aram descendit, immolanti ministrat, & cœlestem panem sumit, denique super mensam flentibus magis, quàm prandentibus aliis, & ipse flens, præclarissimi prodigii seriem de scripto recitat, atque ad pietatem, ac disciplinæ studium juniores incendit. Patres, Fratresque sub ipsum cœnandi tempus, alterâ verberatione, supplicationem iterant, & præeuntibus Aloysii signo, ac reliquiis, triclinium lustrant. Erasmus

P. Aloysius iterum Spinello se ostendit, & aliqua facienda præscribit.

Spinelli pedes, & brachiū cœlesti opobalsamo Aloysius inungit, & incedendi facultatem concedit.

Quænam exinde fuerit domesticorum, & Spinelli gratulatio.

Salatus peritissimus medicorum, qui paralytico, & elingui adfuerat, & remedia frustra præscripserat, ac de salute desperaverat, ut loquentem, stantem, incedentem, atque integrum, & incolumen vidit, accepitque quæ per B. Aloysium gesta essent, lacrimas non tenuit, & Spinellum arctè complexus, quanta fuisset in tali ostento divinæ virtutis administratio, admirari non desinebat. Comperto, atque explorato tantæ molis prodigio, Doria Purpuratus, & Pontifex Panormitanus, legitimas, publicasque tabulas confici jussit, neque nos aliunde memorabilis rei narrationem petere ausi sumus. Itaque Aloysius Spinellus, cœlesti beneficio recreatus, & quàm antea fuisset, longè melior, & emendatior, peractis studiis, & Sacerdotio initiatus, Gonzagæ memor dictorum, ad Philippinas Insulas navigavit, ibique laboribus perfunctus, ærumnis, atque periculis, quæ B. Aloysius prænunciaverat, pridie Nonas Apriles, annum ætatis quintum, & quinquagesimum quum attigisset, naturæ cursum explevit.

Prodigium medicorum sententia cõfirmatur.

Bolland. ad 21. Junii in Vit. S. Aloys. Gonz. P. Alexand. Mainerius in Vit. S. Aloys. Gonzag.

LIV. Deflevit hoc anno Collegium Panormitanum Parentem suum, & prope conditorem, P. Petrum Salernum exopulentis majoribus Panormi ortum, de quo, si summum ingenio, doctrinà, religione, magnitudine animi, virum dixerim, non satis prædicavero; nisi inter summos etiam Provinciæ viros principem ei locum attribuerim. Non enim alium facilè reperies, in quem tam eximias natura dotes animi, tam illustria probitatis, atque eruditionis ornamenta virtus, & industria congesserit. Quoniam visus est uno tempore, & doctor scientissimus, & rector rerum agendarum consultissimus, & egregius vitæ magister, & morum elegantià præclarus. Sex liberorum, quos Philippus Salernus procreavit, natu maximus, quum annus ætatis ejus excurreret sextusdecimus, propinquis nequicquam reclamantibus, & in suam denique sententiam strenuè deductis, paternam domum cum Panormitano tirocinio commutavit, pridie Calendas Apriles, anno 1613; eoque exemplo, tribus fratribus, ac duabus sororibus viam aperuit, atque munivit, ut abjectis humanis rebus, ad religiosas alias familias confugerent. In Societatis palæstra nactus est disciplinæ magistrum P. Petrum Villafratem, a quo & nostræ militiæ rudimenta, & ejus amorem, atque amplificandæ studium hausit altum, & erectum, quod in omni vita retinuit, & mirificè auxit. Litterarum cupidissimus, nullum fuit disciplinarum genus, quod vel sub doctoribus, vel suo marte, non consumserit: nam ad reliquum nobiliorum Artium apparatum linguas attulit, non quo-

P. Petri Salerni corporis, animique eximiæ dotes.

Panormi nostris Tironibus adjungitur.

Ex eo tempore ejus in Societatem propensus animus.

Digitized by Google

quotidianas modò, atque vulgares; sed exoticas etiam, atque obsoletas, quæ jam pridem ex ore hominum abiere. Ex his latinam tam insigniter adamavit, ut de scriptoribus provincialibus, neminem parem habuerit: Atticam eatenus coluit, quoad græcè, neque ineleganter scriberet, & loqueretur: Hebraicam, & Arabicam non mediocriter delibavit; ut vetustissimos codices præsertim sacros, exploratis elementorum radicibus, commodè interpretaretur. Philosophiam naturalem annos quinque, totidem Ethicam, totidem Divinæ facultatis quæstiones, ad annum nonum sacram morum disciplinam in Collegio semper Panormitano, & nunquam, ut dignus erat, satis laudatus, publicè tradidit; ibidemque supremos vitæ annos summus Academiæ Præfectus exegit. Plurima interierunt summi hujus ingenii monumenta. Existunt, auctore anonymo, editæ *Digressiones tres historicæ, adjectæ ad Vitam S. Rosaliæ a Jordano Cascino elucubratam*. Et *Vitæ Sanctorum Siculorum*, ab Octavio Cajetano institutæ, sed ab eo demum absolutæ, & concinnatæ: ineditum verò *P. Petri Possini Controversiarum, De Auxiliis Breviarium*, a Salerno Romæ conscriptum, & in Bibliotheca Collegii Panormitani, in pretiosis voluminibus habitum, & custoditum. Quanti fecerit Societatem, atque dilexerit, tam illustria documenta testantur, ut nullum alium fuisse amatorem, æquè cupidum, & studiosum verè affirmaverim. Quum adhuc in tirocinio versaretur, & ex præcipiti lapsu gravissimè in cruribus offendisset; contenderetque Pater ejus, ut vel dimitteret Societatem, vel eà retentà, in paternam saltem domum, curationis causà se reciperet, quando vitæ periculum impenderet; constantissimè negavit, se e Societatis domicilio pedem efferre velle; edixitque, ut sibi persuaderet, mallè se sub tecto Societatis, & in ejus complexu profundere animam, quàm in gentilitiæ domus illecebris, atque deliciis vitam retinere. Patre postmodum amisso, quum jam domi non esset, qui rem curaret domesticam, & solitudinem viduæ matris sublevaret, quid ea non movit, ut propositum ejus expugnaret, quem Pater hæredem fiduciarium supremis tabulis nuncupaverat? Petrus verò admirabili fortitudine animi, maternas preces, & lacrimas aspernatus, ab ea demum impetravit, nè diutiùs extincti patris desiderium exacerbaret, & filium ad eam stultitiam adigeret, ut in eam domum, quam cum patre reliquerat, sine patre redire vellet, quo nihil melius, aut jucundiùs, aut optatiùs ea domus haberet. Interpres deinde paternæ voluntatis, locupletissimum patrimonium ad

Eximia ejus ingenii monumenta, & linguarum peritia.

Sotuel. Biblioth. Soc. pag. 697. col. 1, & 2. Mongit. Bibliot. Sic. tom. 2. pag. 157. col. 1. & 2. Albert. in Addit. ad Biblioth. Sic. Soc. inedita. Litt. P.

Quanti Societatem fecerit, inopinatus casus ostendit.

Ejus in Societate permanendi propositum frustra tentatur.

Digitized by Google

Hæres fiduciarius paternam hæreditatem Collegio Panormitano addicit, & ampliſſima confert beneficia.

jura tranſtulit Collegii Panormitani, eique aureorum centena millia, & eo amplius una penſione dono dedit; intimam ædificationem ex materna ſubſtantia amplam, & ſumptuoſam inſtruxit, & ad ſummam uſque teſtudinem adduxit; prædia, & villas pretio paravit. Hortum in ſuburbano pretioſum, & amplum magnis acceſſionibus auxit, aquæ venas denuo repertas altiſſimis ſecturis intra mœnia derivavit, & lautum ex eo cenſum invenit: piſcinam addidit irrigationibus opportunam, cujus nulla eſt amplitudine, & aquarum copiâ ſimilis: novum a fundamentis condidit ædificium, ubi juniores, cum doctoribus ruſticarentur utilitate magis, quàm mole conſpicuum; nulla enim in eo deſideres juſti Collegii communia, privataque commoda. Mediocre templum adjecit, & aream, atque porticus ornatas fontibus explicavit. Grandem quoque pecuniam congeſſit, atque ſepoſuit, quam collocaret, ut ex fructibus, qui exinde redirent, honos haberetur annuus externis Doctoribus publicæ diſciplinarum omnium Academiæ, quam ſapientiſſimè excogitaverat, & a Philippo Quarto Hiſpaniarum Rege denuo excitandam, & Collegio Panormitano aggregandam, datis ad id jam, & acceptis regiis litteris, impetraverat. Sed humanæ vices ita tulerunt, ut ſalutarem hanc inſtitutionem, & ampliſſimæ Civitati percommodam, atque honorificam, interpellaret invidia paucorum, qui urbanis magiſtratibus perſuaſerunt, contra Senatus fieri dignitatem, ſi non ipſe publicos optaret magiſtros, neque Academiam ſibi haberet obnoxiam. Placuit proinde aliam inſtitui, quæ ſui juris eſſet, & ære publico conſtitueretur. Quare Salernus deſignatam pecuniam aliò convertit, & Collegio Panormitano adjudicavit. Academiam verò tamdiu expetitam, & votis omnibus ex optatam, ac quum jam eſſet in manibus dilapſam, & ad aliud tempus rejectam, aliæ ex aliis exortæ difficultates averterunt, & in ejus adhuc cives expectatione, ac deſiderio verſantur. Salernus interea religioſæ egeſtatis tenaciſſimus, nè hilum quidem ex tam inſigni pecunia, attingere auſus eſt, quod ſuis ſerviret commodis, aut privatos uſus juvaret. Scriptorium calamum nunquam mutavit; uno, eodemque, quoad vixit, uſus eſt, quamvis aſſiduè ſcriberet, illumque de manibus vix unquam poneret. In cubiculo ſellulam adhibuit, omnino unam, eamdem vetuſtam, funiculis contextam, & ſedendi aſſiduitate corruptam; nihil præterea ſine quo vitâ toleraretur. Scribit P. Joannes Baptiſta Biſſus, objurgatum abs ſe Salernum, quod inopiam coleret vilem, & ſordidam; non mediocrem, & honeſtam,

Publicam Academiam Panormi ſuo ære inſtitui curat, & a Rege impetrat.

Senatus Panormitanus, nonnullorum invidiâ, cõſilia ejus interpellat.

In virtutibus ejus religioſa inopia maximè elucet.

re-

Digitized by Google

respondisse: *Habendam esse juniorum rationem, qui veteranorum non modò facta, sed nutus etiam intuentur. Videri sibi ab iis non amari Societatem, qui quum inter juniores versentur, ejus sobolem exemplo magis quàm præceptis alere, atque instituere negligunt.*

LXV. Neque tamen ejus erga Societatem caritas, aut Collegii Panormitani, aut unius Provinciæ finibus continebatur; complexus est enim pietate incredibili nationes omnes, atque Provincias. Quo tempore Rhenani Socii ex Germaniæ Collegiis ejecti sunt, Salernus qui tum Collegio præerat Panormitano, summum Societatis Antistitem requisivit, ut quot, & quos juniores, studiorum causâ, videretur, ad se mitteret; se venientibus, commorantibus, discedentibus viaticum, & alimenta promiscuè, ut si provinciales essent, præbiturum. Itaque advenere quamplurimi. Quod quum amicus, ac maximè necessarius improbaret; & coram quereretur, quasi gratuità illà liberalitate gravissimum Collegio Panormitano vulnus intulisset, quòd institutæ ædificationi subtraheret, quod alienæ Provinciæ alumnis impertiret, Salernus subiratus amicum brachio correptum cubiculo ejecit, & manibus ad aures adductis, perinde, ac monstrum audivisset, commeatum dedit his verbis. *Nihil est in tanta Societatis communione, neque proprium, neque alienum. Barbara hæc vox, & nostro homine indigna, mirum quantum perstrinxit aures meas, & intimè vulneravit!* Collegium Panormitanum semel, & iterum per intervalla sexennium Rector temperavit, & talem, ac tantam gubernationis scientiam expromsit, ut transmisso successoribus magistratu, quasi in interregno jacere omnia, & potestas abesse videretur. Aderat enim rebus omnibus, ut si cuncta unus administraret, & locis omnibus præsto esset, in gymnasiis, in officinis, in templo, in valetudinario, in rusticis etiam prædiis, & ubicunque optimi rectoris solertia postularet. Utrumque magistratum splendidum gessit, salutarem, & actuosum; secundum verò cautiorem, & mitiorem; nam primus nonnullam habuit querelam implacidæ severitatis, & gravitatis. Commodiorem enim se præbuit juventuti, atque usu didicit, indolis vitium, ab ætatis culpa dignoscere. Mirà, & planè inauditâ usus est in rebus agendis dexteritate, atque prudentiâ; quam magnopere commendavit, probitas, & doctrina. Extant utiles ejus de re rustica domestici commentarii, in quibus de singulis Collegii Panormitani prædiis, ita differit, ac præcipit, & varias unicuique assignat agri, sationum, pascuo-

Qua caritate Petrus Salernus Provinciales, externosque Socios cõplecteretur.

Memorabile ejus respõsum, quo fraternam caritatem tuendam censuit.

Exquisitissima ejus gubernandi, & agendarũ rerum scientia.

ſcuorum, vinearum, & alendorum pecorum, pecudumque conditiones, ut non modo rure, ſed in ipſis poſſeſſionibus natus, & altus videretur; compertum eſt autem, nunquam ſine ſummo rei familiaris detrimento, ab ejus animadverſionibus, atque præceptis diſceſſum eſſe. Tanta proinde fuit, & tanto pere pervulgata conſiliorum ejus certitudo, ut ad eum ſingulis diei horis, præſertim matutinis, atque ſerotinis, proceres, ac Principes Civitatis, cauſidicorum celeberrimi, ſummi judices, fori, curiæque Præfecti, Religionis cenſores, Pontifices, Prætores urbani, Proreges ipſi confugerent; ut impeditiſſima negotia explicaret, & dubiis in rebus ſententiam ferret, quam omnes, ut ab oraculo profectam venerentur. Exemplo ſit Petrus Martinez Rubius, Pontifex Panormitanus, vir in paucis, litteris omnibus eruditus, & ſapiens, qui Salernum oculum, aurem, & mentem ſuam dictare conſuevit, & ſui Vicarium creare modis omnibus contendit. Quod quum non impetrâſſet, effecit tamen, ut quamvis non nomine, re tamen lateri *quotidie* affixus vices gereret ſuas. Præclarum quoque fuit de ejus virtute, ac ſapientia, judicium intimum, atque domeſticum: nihil enim erat, quod negotii aliquid, aut momenti haberet, quod eo inconſulto, & ſecus gereretur, quàm ipſe cenſuiſſet. P. Marcellus Spinellus, quo tempore primum, tanta cum laude, Provinciæ tenuit magiſtratum, dictitabat, poſſe ſe, ſi Salernus lateri adeſſet, orbis terrarum adminiſtrationem rectè ſuſcipere. Tanto denique conſenſu communibus Provinciæ ſuffragiis ad undecimum ſummæ Societatis conventum eſt deſignatus, ut nunquam aliàs, is honos tam inſigni ſuffragatione, alteri obveniret. Silendum denique non eſt de domeſtica ejus conſuetudine, quam caſtigatiſſimam fuiſſe reperio. Collegii Panormitani lumen, & parens, ſuper menſam cum junioribus accuſari, atque objurgari poſtulabat, audiebatque culpantem, & increpantem profuſus lacrimis, quaſi magna, & vera objicerentur. A religionis cenſoribus crebro accerſitus, & ad meridiem uſque diſtentus, quum Collegium ad mille paſſus abeſſet, & area eſſet ampliſſima prætereunda, ſummâ vel hiemæ, vel æſtate, ſenex, & ex intimo ulcere ſanguinem excreans, nullis obteſtationibus impetrari ab eo potuit, rhedam ut aliquando conſcenderet, ſed domum ſemper pedibus ſe recepit. Quod quanti fuerit equidem æſtimare poſſum qui junior, & integer, quum in eodem munere verſarer, remeandi ſub ſole, ſub nimbo, laborem, & defatigationem ferre non potui. Domum regreſſus, ſoluta jampridem communi mensâ, quum per

Maximi ad eum conſiliorū eausâ concurſus.

Quæ de eo fuerit domeſticorū exiſtimatio.

Inſignis ejus temperantia, & in ſe negligendo conſtantia.

æſta-

Digitized by Google

æstatem, gelidæ nè gutta quidem esset reliqua, pararentque fratres aquæ refrigeratæ phialam, negavit se, quod peculiare esset, potaturum. Urgentibus autem illis, & impensè obtestantibus, ut qui tot aureorum millia cotulisset, tantilla nive commodari sibi sineret: *Numquid*, ait, *illud agitis, ut impransus abeam? Venenum libentiùs hauserim, quàm quod singularem præsefert pretiosæ sitis illecebram: equidem viliùs sitio, quàm putatis. Quòd si ex paternis bonis nonnulla ad Societatem pervenerunt, non ignoretis velim, me longè plura, atque majora a Societate accepisse, & nondum amori meo satisfeciisse; neque satisfacturum, etiamsi centies millies de meo conferrem.* Ex elucubrandi assiduitate, nullus enim emittebatur liber, quem non cupidissimè exhauriret, sanguinem ab adolescentia ad summos canos rejecit; neque unquam dulces admisit placentas, quibus fauces leniret, aut tussim pacaret. Gravissimà proinde ægritudine, atque perpetuà, maximè affectus, medicis nunquam se tradidit, nunquam cœlum mutavit, remediis, præter inediam, nunquam indulsit; communi mensæ absque delectu ciborum semper accubuit, laborem nullum recusavit, jejuniorum consuetudinem accuratè retinuit, disciplinæ numeros omnes consumsit, & plura præstitit, quàm qui valerent. Itaque laboriosam, & proximam miraculo vitam parcitate, ac patientiâ ad annum usque septimum, & sexagesimum mirâ animi alacritate protraxit. Supremâ decumbenti valetudine quotidie ferè adfuit Petrus Martinez Rubius, Pontifex Panormitanus, & plerique optimates, aulici, Senatores, primi subsellii judices cubiculum ejus frequentabant. Tot negotiorum arbiter, tantæ pecuniæ administrator, tot auctor consiliorum, moriens testatus est, nullis se tangi conscientiæ aculeis, quòd nihil fecerit, dixerit, aut unquam cogitaverit, nisi quod ad justitiæ normam æquissimum videretur. Mortalis peregrinationis metam attigit pridie Idus Majas, & postridie, frequentissimâ nobilitate, est tumulatus. De Petro Salerno, tanquam de viro illustri meminerunt Augustinus Invegius, Rocchus Pirrus, Joannes de Cardenas, & Antonius Ignatius Mancusus. Post dies aliquot ostendere se manes ejus Francisco Rosæ Panormitano, tum juniori, qui humaniores tradebat litteras in Collegio Panormitano, & accuratè monuerunt, ut P. Vincentio Florentiæ Rachalmutensi, qui Provinciæ negotia procurabat, suis verbis nunciaret: *Indignum videri, P. Aloysii Lanuzæ extimam vestem, quâ per hiemem usus esset, sordido in loco, custodiâ nullâ, jacere: æquum esse, ut de-*

Aureum ejus dictum sapientiæ, & exempli plenum.

Maximarum ejus virtutum, ac meritorum summa.

Salerni exitus, & ingenii monumenta.

Aug. Inveg. Pan. Sacr. pag. 208.

Rocch. Pirr. Sicil. Sacr. lib. 4. de Abbatiis, pag. 204.

Joan. Carden. Crif. Theolog. differt. 25. cap. 7. num. 66.

Ant Ignat. Mancuf. Vit. S. Roſal. pag. 18. 97. 129.

Ostendunt se manes ejus, & Aloysii Lanuzæ reliquias non negligēdas admonent.

Digitized by Google

decentiùs asservaretur. Quare recepta, & sordibus vindicata, atque arcula inclusa ad hanc ætatem religiosè custoditur.

P. Antonii Roberti ortus, & Parentum ejus virtutes.

LXVI. Laudandus quoque occurrit, & inter electas Provinciæ animas recensendus P. Antonius Robertus, Nobilis Salemitanus, majoribus ortus eximia probitate clarissimis, præsertim mulieribus, cujus mater Agrippina cœlestibus assueta ostentis, atque deliciis, quum e vita migraret, Jesuli infantis conspectu digna fuit, & per cœlestem animam proximæ mortis nuncium accepit. Mira fuit ejus in Societatis disciplina expetenda, & in tuenda contentio. Tiro adhuc indicam navigationem in votis habuit, & crebris litteris flagitavit. Ad virilem ætatem rejectus, neque tandem evocatus, salutares in Provincia expeditiones aggressus est, & in eo munere strenuus, nunquam defatigatus, & caritatis æstu maximè flagrans secundum sibi ab Aloysio Lanuza nomen invenit, cujus virtutes, atque labores morum suorum duces sibi proposuit, & monitores. Vitæ innocentiam, nullà unquam labe fœdatam, & a pueritia diligentissimè excultam, exquisitioribus modestiæ legibus in Societate tanquam aggere ita munivit, ut integram, & veneris, ejusque desiderii expertem sepulcro intulerit. Addidit quoque, præter reliquam disciplinæ custodiam, corporis cruciandi studium, quo voluptatis appetitum interciperet, & planè extingueret. Familiare, ac quotidianum homini fuit, subuculam setis, ferreisque horrentem aculeis induere; noctu, atque interdiu flagro se cruentare, sericis funiculis brachia distringere, ut sanguinis meatu intercluso, manus liverent. Somni, ac cibi usuram sibi indulsit modicam, & injucundam. Expeditionum comites veritus est, ut majores, & dominos servus humillimus: quare nulla unquam interceſſit obtrectatio, nulla altercatio, querela nulla. Obtemperandi alacritatem, ut vivens ita moriens ostendit. Nam in suprema valetudine nauseà conflictatus, neque cibum, neque remedia capere poterat, nisi jussus; perinde, ac obedientia vires adderet, & indignantis stomachi repulsam cohiberet. Extinctus est veluti in acie, & armis in ipso expeditionum cursu, quem decimum ad annum produxerat, laboribus magis, & austerissimæ vitæ molestiis, quàm ægritudine, aut ætate peremptus. Quadragenarius Assori elatus est incredibili Assorinorum luctu, IV Calendas Majas, anno ex quo Societatem adierat quinto, & vigesimo. Oppidi Princeps sumptuoso, ac magnifico funeri, quod suo ære apparandum, ac celebrandum curavit, magno cum comitatu interfuit. Populus autem moræ impatiens, eo nondum digres-

Indicam expeditionem cum sacris in Provincia excursionibus mutat.

Mira ejus excruciandi corporis consuetudo.

Reliquarum ejus virtutum pretiosa supellex.

Beata ejus mors, & inusitati funeris honores.

so

so feretrum invasit, atque diripuit. Plurima commemorantur, & vivi, & mortui prodigia, quæ Pontificis Catanensis auctoritate legitimis testimoniis, & tabulis consignata, & in Provinciæ adversariis recondita, festinanti satis est indicasse.

P. Franciſci Castiglię ortus, virtutes, & res mirabiliter gestæ.

LXVII. Sed nihil est tam lugendum, quàm P. Franciſci Castiglia funus, quem cœlesti beneficio in Provincia servatum, & post triennium in navi extinctum, ac Oceano sepultum, hic annus commemorandum offert, & quantà fieri potest accuratione, prodendum posteris. Generosis natalibus in lucem Panormi editus anno 1645, pueritiam exegit immunem vitiis, & religionibus imbutam omnibus, qualem candidiores animæ solent assequi. Adjunctus est tironibus Panormitanis anno 1659, septimo Idus Decembres, pridie ejus diei, quo *Deiparam* nullà originis culpà genitam colimus; quasi ex ipso purissimæ Virginis, & Matris fonte, innocentiæ testimonium, & omen caperet. Sortitus est disciplinæ magistrum P. Gasparem Lanzettam Panormitanum, spectatissimæ probitatis hominem, quem Provincia suspexit tamquam a primævæ Societatis sinu delapsum, rectissimæ institutionis exemplum. Ab illustri hoc viro hausit Franciscus intimæ religionis semina, ex quibus virtutum omnium seges existeret; nam ex eo tempore Indicam expeditionem & Japoniæ Insulam adamavit, quam & in optatissimis rebus habuit.

Religiosæ vitæ initia, exempla, & processus.

Corporis habitus, indolis dotes, & doctrinæ præstantia.

Inerat adolescenti aurea indoles, candidum, atque jucundum ingenium, decora facies, & multo Jove respersa, corporis habitudo plena, atque integra, sed ex sanguinis redundantia palpitationibus obnoxia. Biennio elapso, latinis, græcisque litteris involutus, & musas nactus, ut cum maximè amicas, ac ea de causa valetudini infensas, cardiacus esse cœpit. Quare a Camœnarum sinu, & familiaritate depulsus, ad Philosophiæ aciem, & pulverem, extra ordinem est traductus. Gravior tamen accidit ingenuo adolescenti Dialecticæ palæstra, quæ exercitationem habet veluti armatam, atque acerrimæ pugnæ concertationem, & æstum. Itaque septimo Idus Sextiles anno 1663, quum ætatis annum attigisset undevigesimum, de prima vigilia, intimis, magnisque palpitationibus, & præcordiorum convulsionibus exagitatus in terram amissis sensibus concidit, & nonnisi post duas horas receptus, ac mentis, suique compos, crebris tamen actus tremoribus, & ægerrimè recreatus, non mediocrem de se medicis curam injecit.

Gravissimæ valetudinis ejus accurata descriptio.

Postero die, non absimili aggressione, iterum, atque iterum tentatus, & serius, ac lentius restitutus, animadvertit lævà corporis parte, rigentibus interdum unà cum corde, atque

subsultantibus artubus, stuporem irrepsisse, ut nullus sinistro brachio, ac femori sensus inesset. Aderat laboranti Josephus Alaimus, experientissimus medicorum, quem ea ætas, patrum nostrorum memoriâ, ævi sui Galenum appellavit. Qui acerrimis, extremisque remediis in præsentissimo vitæ discrimine occurrendum ratus, nonnulla adhibuit remedia, alia ad proximam noctem rejecit. Sed inusitata vis morbi conatus ejus occupavit; nam die tertio adultâ jam nocte distillatio acris, & virulenta per oculos, & fauces erupit, ut visum ademerit, palpebras compresserit, guttur perstrinxerit, & excreationis, atque vocis officium intercluserit, tentatisque venis, cognitum fuerit, exinanitas esse vires, & spiritum ægrè commeare. Domestici propterea lubentem, ac flagitantem cœlesti viatico recreârunt. Quo sumpto æger intimis, externisque sensibus privatus est; neque quicquam aliud, quàm quasi torrentem ex summo capite in oculos, atque fauces irrumpere. Tum verò fatalem horam in promptu esse plura indicabant. Gravis, & intermissus anhelitus, prostratæ vires, tenuissimus, & rarus micantium arteriarum pulsus, consternati corporis status, æstate summâ artuum extremitates frigidæ, gelidus sudor, laboriosissima animarum supini, & hiantis reciprocatio, suprema lacrima. Properatum est itaque oleum infirmorum; administrata morientium officia, preces, religiones. Apparabant domestici funus, ceras, feretrum, lugubre instrumentum, & quidquid curando corpori usui esse solet. Eò denique desperationis deducta res est, ut quævis anhelatio suprema esse crederetur. Peremptorium hunc vitæ articulum B. Rosalia Panormitana Virgo opperiebatur, ut beneficium de cœlo impertiret, de quo nemo sanus suspicaretur. Coluerat ab infantia Franciscus ejus Virginis religionem; illam sibi proposuerat secessionis ducem, atque magistram, ingravescente ægritudine ejus reliquias inferri postulaverat, illatas, quamdiu mente valuit, venerari non destiterat.

Morbi progressus, & medicorum industria, atque conatus.

Supremis morientium corporis, animique remediis adjutus fatalem horam opperitur.

B. Rosaliam invocat, & opem ejus adesse sentit.

LXVIII. Quum igitur in eo esset Franciscus, ut animam exhalaret, obtulit se morienti per speciem Christus judex sublimi insidens solio. Stabat ad dexteram magna mater cæruleo amictu conspicua. Ex utriusque vultu tantus manabat puræ lucis illapsus, ut oculi caligarent, neque oris lineamenta adnotare possent. Aderat unum infra gradum Rosalia, candidissam gerens pallam, & rosis omni ex parte distinctam, quæ ad Christum oculos, & manus tendens obsecrantis nutum, & statum præferebat. Adstabant utrinque Beati Ignatius, & Xa-

Admirabile ostentum morienti se offert.

ve-

Digitized by Google

verius. Hic stolatus, & candidatus, ille immolanti similis. Uterque in Franciscum lætissimo obtutu conjiciebat oculos, & digito cœlum indicabat, quasi mitem, atque jucundam judicis sententiam polliceretur. Quæ res quàm citissimè decedendi cupiditatem incendit. Stipabat Franciſci latus alatus Ephæbus corporis, animique custos, cœlesti formâ pulcherrimus, qui frontis hilaritate, & placidissimo intuitu spem incitabat. Jacebat procul obstricta vinculis stygia bestia, quæ torvis, cruentisque oculis, tristis, & mœrens Franciscum intuebatur, neque tamen audebat reum postulare. Videbatur ipse sibi pronus, & supplex Judicis de genu sententiam præstolari. Tum Rosalia propius accedens: *Ea est*, inquit, *Franciſce, conditio rerum tuarum, ut hoc ipso temporis momento sit eximendus corpore animus. Mihi tamen mortem tuam deprecanti, vitam Deus, & incolumitatem condonavit clientis mei. Quare si tua est in eo voluntas, quod in divinum vertat obsequium, actutum convalesces.* Franciscus etsi ita erat animatus, ut cum spe tanta æternæ salutis mallet oppetere, quàm ex mortis limine pedem referre, & humanæ vitæ fluctibus iterum se commitere; fregit tamen cœlestis gaudii desiderium, responditque: *Placere sibi quidquid Deo placuisset. Ad omnia se paratum, in quibus esset divinæ gloriæ incrementum.* Rosalia autem, *quando ita est*, ait, *vovere te volo, quemadmodum, me præeunte audies.* Tum sic orsa est, Francisco verbatim, vocibusque interciſis subsequente: *Voveo me servum tuum in vita mea, laudem, & gloriam tuam promoturum, in universo mundo.* Quæ quum adstantes, ex ore dumtaxat morientis conciſim missa accepissent, vidissentque languentem repentino impetu exiluisse, & lecto insidentem jactare brachia, atque adducere, & labiis basia pangere, quasi aliquid cupidissimè complecteretur, & suavissimè exoscularetur, admiratione defixi, rei eventum expectabant. Sed postea cognitum est, tum Rosaliam sublimem successisse adhuc propiùs; Franciscum verò pedes ejus nudos, & candidos complexu tenuisse, & oscula figere non dubitâsse quamplurima. Inter hæc Rosalia adjecit: *Jubeo, te ad meum antrum in Erƈta situm pedibus properare, cœlestem ibi panem sumere, & sedulò cogitare, tuas esse partes, quæ ad Dei gloriam attinent, strenuè aggredi.* Quæ quum suavissimè pronunciaret, & jucundissimo oculorum conjectu abire se velle significaret, liquescebat intimâ caritate Franciſci animus, & gaudiis omnibus, efferebatur, flagrabatque desiderio incredibili, Rosaliæ nomen,

B. Rosaliæ ad Castigliã oratio, & mutuum cum eo colloquium.

Erƈta, mons asper, & arduus tribus ferè passuum millibus Panormo dissitus, qui Pellegrinus hodie dicitur.

& religionem, *in universo mundo*, ut ea præscripserat, amplificare, & in barbaras Asiæ gentes statim invehere. Sed quis faceret adolescentulo exeundi potestatem; & nondum Sacerdoti, neque ad Sacerdotium ætate, atque doctrinâ idoneo, commeatum daret? Rosaliam proinde rogavit, *ut suæ voluntatis testimonium relinqueret, & significatione aliquâ ostenderet vera esse mandata, quæ ipse esset enunciaturus.* Annuit Rosalia, *atque ea*, inquit, *erit testificatio mandatorum meorum; quòd quum mente abalienatus, amissisque sensibus, quæ circa te fierent, non intelligeres, idque omnibus compertum sit; a me tamen didiceris, P. Petrum Grimaldum sacrum tibi unctionis officium impertivisse; P. Joannem Scorsum magno cum fletu supremas morientium preces recitâsse. Adfuisse præterea P. Philadelphum Vairellum, & Josephum Candonem, qui venis iterum, atque iterum accuratè pertentatis, quum jamdiu pulsu nullo micarent, pronunciârunt, actum jam de te esse, & omnino conclamatum, atque interdum dubitârunt, si planè extinctus esses, an adhuc viveres.* Et in his verbis, *Valere te Jubeo*, suavissimum, & planè cœlestem spirans odorem, integrum, atque valentem reliquit. Franciscus ex tempore *Rosaliam* exclamavit, quasi animo, & oculis abeuntem sequeretur; magnisque clamoribus ingeminavit: *salvus sum, & incolumis.* Itaque de tertia vigilia, quarto Idus Sextiles, vertente jam nocte, horâ admodum sextâ, Societatis tunicam afferri jussit, eamque perfusam lacrimis plurimùm exosculatus properè induit, in terram desilit, & in genua provolutus, adstantibus mirum in modum attonitis, & lætitiæ magnitudinem largo fletu significantibus, rei gestæ seriem exposuit, ac reliquum noctis spatium sedens, eademque uberiùs commemorans, atque commendans litteris, traduxit, lætior, & alacrior, quàm unquam ante morbum fuisset. Ut illuxit B. Laurentii dies unà cum aliis templum adiit, divinum Panem sumpsit, & in Sacello S. Rosaliæ prope aram, gratulando, ac supplicando horæ spatium de genu transegit. Tertio die quàm convaluerat, Erctam arduo, atque prærupto ascensu pedibus ad tria passuum millia, defatigatione nullâ superavit, ibique juxta Rosaliæ sepulcrum cœlesti epulo recreatus, eodem die, jumento nunquam admisso, remeavit. Quibus cognitis Petrus Rubius Pontifex Panormitanus publicas tabulas confici jussit, & legitimis testimoniis cœlestis beneficii, prodigiique fidem a suspicionibus vindicavit, ejusque narrationem emitti posse, decreto suo censuit. Pervulgatæ sunt igitur pu-

B. Rosaliæ beneficio repentè convalescit, indumēta poscit, & lecto desilit.

Magnâ omnium gratulatione ad B. Rosaliæ aram deducitur.

Insigne prodigium publicâ auctoritate litteris consignatur.

Digitized by Google

publicæ litteræ, quæ rem copiosè illustrarent, & prælo emissæ, ac renovatæ summâ Franciſci curâ ante anni exitum ad extremos Europæ fines pervenerunt, ut Rosalia beneficentiæ suæ fructum illico caperet; Franciſcus verò cunctatione nullâ, cum pollicitationis, tum grati animi fidem repræsentaret.

LXIX. His ad Olivam perlatis, acceſſerunt Franciſci litteræ, quibus impensè flagitabat, *Nè vereretur, ſibi ut adoleſcenti, & majorum ordinum ſacris nondum initiato, peregrinationis ad ultimas terras copiam facere, & ea præſtandi, de quibus claro, apertoque numine eſſet de cœlo ſignificatum. Sibi jam voti reo non defuturam animi alacritatem, quà iterum incommoda, ac navigationum pericula ſuſtineret, & fidem ſuam liberaret, qui Roſaliam haberet, & indocti clientis magiſtram, & expeditionis ducem, & vindicem moleſtiarum. Se res humanas abjeciſſe omnes, ex quo in vitæ, ac mortis confinio verſatus cœleſtia deguſtâſſet. Nihil jam ſibi fore jucundius, & optatius, quàm pro ejus gloria vitam profundere, cujus beneficio ſalutem, & ſoſpitatem nactus eſſet.* Ad ea Oliva r eſcripſit: *Per ſe non ſtare, quominus illa omnia conaretur, quæ prodigiis, & oſtentis Deus rata habuiſſet. Nolle ſe divinis obſiſtere oraculis, quæ fidem præferrent adeo certam, & exploratam. Maturaret itaque profectionem, & non properaret modò, ſed ad ſinum, & complexum ſuum, ſi fieri poſſet, Romam evolaret, ibique reliqua peregrinationis conſilium caperet. Duos interea ſibi ſumeret Aſiaticæ expeditionis comites P. Datium Veſpaſianum Agliatam, & P. Joſephum Candonam Panormitanos, qui unà ſolverent, & in diuturna navigatione adoleſcentiam ejus regerent, & litteris erudirent.* Datum eſt tamen ſuorum precibus, atque ſolatio, qui uno tempore receptum, & ereptum crebris ad Olivam litteris, querebantur, ut profectio ampliaretur ad poſtridie Nonas Octobres, anni 1664. Scribit ipſe Franciſcus: *Reperiſſe ſe cùm Neapoli, tum in reliquo Romam uſque terreſtri itinere, magnam cœleſtis prodigii præmiſſam famam, & adventus ſui expectationem, quacunque prætereret*: quum verò videndi ſui gratiâ, magni ad eum fierent concurſus hominum, arripuiſſe ſe concionis anſam; narratiſque quæ ſibi accidiſſent, ita oppidanos commoviſſe, & B. Roſaliæ conciliâſſe, ut quinque numero Civitates ſub ejus clientela eſſe voluerint, eamque, ut Patronam colere cœperint. Sed ante quam Franciſcus Panormo exiret, ut de proxima peregrinatione auditum eſt, interceſſere Parentes ejus, atque propinqui, quo-

P. Franciſci ad Olivam litteræ, quibus cœleſte beneficiũ narrat.

Sapientiſſimum Olivæ reſcriptum cum facultate ad Indos navigandi.

Adnitentibus conſanguineis profectio ampliatur.

Digitized by Google

quorum plurimæ erant in Patria, & maximè illustres cognationes, magnoque consensu, per litterarum volumina propemodum infinita, potentesque deprecatores, ab Oliva impetrârunt: *Nè tenerum, & imbecillum adolescentem, obnoxium convulsionibus, & a lethi faucibus insigni prodigio paulò ante subductum, immenso mari committeret, quum oceani nauseam, nè viri quidem robustissimi ferre possint, quin ad cruentas perveniant vomitiones. Æquum non esse, juvenilibus, incautisque adolescentis ausibus obsecundari. Expectandam virilem ætatem, & laboribus, atque molestiis magis idoneam. Non consuêsse Societatem ante annum trigesimum Asiaticis expeditionibus juniores involvere. Quo fato contingere putandum esset, ut uni Francisco ante vigesimum quoque commeatus daretur, quum ex duobus ejus comitibus, Agliata, & Candono, neuter esset tricenario minor?*

Parentum querelæ obsistunt, & exeundi cõsilium interpellant.

His Oliva commotus suorum precibus, Franciscum condonavit, jussitque consistere. Sed ejus litteras strenui adolescentis properatio occupavit, qui nullis familiæ obtestationibus, ac lacrimis flecti potuit, ut navigandi occasionem, & tempestatem prætermitteret. Quod quum Oliva cognovit, quo tempore ad Urbem Franciscus nondum pervenerat, scripsit Neapolim, ut in Siciliam remearet; neque ejus litteræ profectionem ejus anteverterunt, qui pridie Romam versùs exierat. Itaque divinis humana consilia anteire non posse intellexit, & ab incæpto destitit. In Collegio Romano Metaphysicæ dedit operam, & doctrinæ periculum cum laude sustinuit. Sed in eo magis laboravit, ut B. Rosaliæ cultum, & pietatem accuratiùs diffunderet. Curavit propterea, ut collatæ sibi per eam salutis historia, adhuc Italicè edita; Latinè, Hispanicè, Germanicè, Gallicè, Lusitanicè, conversa, & prælo infinitis propè exemplis renovata, ad suas quæque nationes dimanaret. Quamquum Dux Bavariæ legisset, misit actutum, qui Franciscum conveniret, & suo nomine arctissimè complecteretur, deque ore ejus exciperet uberiorem ostenti narrationem, si fortè adjicienda succurrerent, ad seque deferret; denique aliquid eliceret suâ ipsius manu descriptum. Franciscus eo nuncio lætus, quòd tanti Principis auctoritate Rosaliæ nomen per noricas regiones viam sibi sterneret ad nationes, & regna, atque ad ultimos permearet Septentriones, Virginis imagines papyro exceptas ex æreis laminis, in quibus prodigii species aptissimis lineamentis esset eleganter insculpta, ad Ducem deferendas dedit, quas appictis suâ manu in singulis ad Ro-

Eum Panormo, & Neapoli profectum, Olivæ litteræ, quibus cõsistere jubebatur non assequuntur.

B. Rosaliæ cultum, & religionem Romæ instituit, & amplificat.

sa-

Digitized by Google

saliam precibus, & religionibus suo nomine subsignavit, & religiosissimus Princeps magnis recepit gratulationibus, atque in pretiosissimis rebus habuit. Matriti quoque, ubi jampridem B. Rosaliæ religio coaluerat, pervulgatis recenti prælo, a Deo per eam collatis Francisco beneficiis, Garzias Bustamantes, nobilis Hispanus, Virginis diem sumptuosà cerimonià celebravit, censumque constituit, ut quotannis pariter coleretur. Emmanuel etiam Calascibetta Theatinus Sacerdos B. Rosaliæ rebus gestis, ejusdem prodigii monumentum invexit, & rei magnitudine aulam excitavit, ut novendiales honores diem Virginis antecederent, attribuitque dies singulos singulis Aulicis; Reginæ primum, aliis reliquos; ut in pietatis certamine alter alteri præstare conaretur.

Franciſci operà, B. Rosaliæ in Hispania, atque Germania honores pervulgantur.

LXX. Sed non aliunde Franciscus tantum industriæ suæ fructum tulit, quantum ex Lusitania, ubi per eos dies Rex edixerat, nè quis, nisi Regni sui popularis Asiaticam classem conscenderet. Exclusis propterea italis omnibus, Franciscus sex ipsos menses Romæ consumpsit, dum regia voluntas, quæ nullis adhuc officiis vinci potuerat, expugnaretur. Mollivit demum Regis constantiam Franciſci casus, quem fama primùm, deinde nuncii, ac litteræ pervulgarunt. Ut enim in aula auditum est, unum esse ex vectoribus, qui excluderentur, Franciſcum illum Castigliam, B. Rosaliæ beneficio redivivum, & oraculo ejus ad Indos evocatum, mira incessit Regem & aulicos, prodigii testem alloquendi cupido, videndique cœlestem adolescentem, de quo ita fama nunciaret, ut non majora de Aloysio Gonzaga pertulisset. Et sanè quamdiu Romæ fuit, tanta in eo eluxit vitæ elegantia, talis morum integritas, ut *Angelum* omnes *Siculum* appellarent, monstrarent digito prætereuntem, colloquium ejus captarent, & in familiaritatem irreperent. Anhelabant enim genarum pudor, & candor innocentiam, & probitatem. Apud Regem igitur tantopere absentis gratia valuit, ut merito ejus concesserit, nè cui nostrorum hominum, ubicunque natus esset, regiis navibus interdiceretur. Quare difficultatibus commodè explicatis, Olivæ muneribus, & paternæ caritatis officiis cumulatus anno 1665 duodecimo Calendas Apriles viæ se tradidit, & Majo ineunte, terrestri itinere Januam pervenit, ubi navigium, & idoneam nactus tempestatem, austro, & mari ferentibus, III Calendas Quintiles, per Tagi ostia Ulisipponem appulit, ibique consedit, dum Asiatica classis profectionem adornaret. Ad Regem deductus, & humaRex Lusitaniæ intercluſam externis indicam navigationem Franciſci gratiâ aperit.

Franciſcus terrestri itinere januâ, maritimo Ulisipponē pervenit.

Digitized by Google

maniſſimè acceptus, luſitanæ non expers orationis, præſenti facundià oſtenti ſui ſeriem expoſuit, & de Roſaliæ laudibus copiosè diſſeruit, ejuſque reliquias obtulit, oravitque, ut luſitanæ dominationis imperium, Americanum etiam, & Aſiaticum ſub Roſaliæ tutela eſſe vellet, eamque deinceps uti Patronam reſpiceret. Rex Franciſcum cupidiſſimè auditum laudavit, & ad ſe identidem redire juſſit. Reliquias exoſculatus capiti admovit, & decretum publicè editum iri recepit, quo ditionis ſuæ Regna in tantæ Virginis eſſent clientela, diem ejus quotannis ſummis honoribus colerent, & peſtilentiæ fore vindicem non ignorarent; atque ea omnia propoſito ſtatim edicto cumulatiſſimè præſtitit. Franciſcus Regi, & aulicis omnibus quàm maximè gratioſus, reliquum Uliſipponenſis commorationis ſpatium, in amplificanda Virginis religione collocavit, & quamplurima per eam de cœlo contulit beneficia; quorum ea ſunt notiſſima, quod Caſtelli melioris Comitis, uxorem, & filium graviſſimè decumbentes morbo exemit, & in oppido Scalabitano, mulierem maximis excruciatam doloribus, & fato proximam, adhibitis Roſaliæ reliquiis, repente ſublevavit, lecto ſurgere juſſit, & ad Virginis ſacellum, gratulationis causà, ipſe deduxit. Inter hæc, vere ineunte, quum oceano tranſmittendo commodiores auræ conſurgunt, & latiſsimè dominantur, Franciſcus altero ante menſe, quàm ætatis annum attingeret ſecundum ſupra vigeſimum, anno 1666 ad nonas Martias, Romani Pontificis indulgentià, Sacerdotio initiatus, pridie Calendas Apriles ea de re Joſephum Patrem, datis Uliſippone litteris, certiorem facit; ſeque teſtatur, præter eum diem, quo Roſaliæ conſpectu gaviſus eſſet, non alium fuiſſe tam jucundum, & cœleſtibus deliciis affluentem, quàm quo primà victimà Deo litâſſet, ut jam æquo animo diceret, *Nunc dimittis ſervum tuum Domine*. Sub idem tempus Goanæ Provinciæ Prætorem Rex deſignaverat Joannem Nugnum de Cuna nobiliſsimum luſitanum, inter Regni optimates armis, litteris, religione clariſsimum, qui Franciſci captus virtutibus, negavit eum abs ſe poſſe divelli; & juſsit Prætoriam conſcendere unà cum ſociis, qui præter Agliatam, & Candonum, decem numerabantur, ſub P. Philippo Marino, ejus Coloniæ Duce. Quum claſsis expectaret ad anchoras ſupremum Regis commeatum, nunciatum eſt Franciſco, ſuorum litteris, Joſephum Patrem diem ſuum Panormi obiiſſe; cum quo tanta erat mutui amoris conjunctio, quantam præter ſangninis neceſsitu-

Rex Luſitaniæ juvenem humaniſſimè complectitur, & de B. Roſaliæ diſſertè cupidiſſimè audit.

Cœleſtia beneficia per B. Roſaliam in Luſitania impertita.

Uliſippone magna animi voluptate Sacerdotio Franciſcus inſignitur.

In ipſo conſcendendi articulo litteras a Patre accipit, & reſcribit.

dinem

dinem similitudo morum, atque virtutum conciliare debuerat inter tales Patrem, & filium. Rescripsit Franciscus mirà fortitudine animi, extremis litteris: *Eò se libentiùs peregrinationem propediem aggressurum, quòd nihil jam, patre amisso, aquè carum, atque jucundum in Europa relinqueret. Plurimam se habere Rosaliæ gratiam, quòd ejus beneficio, non adfuerit, & oculis, ac dolori absens pepercerit, & festinatà immolandi potestate, extincti manes sacrificiis sublevare posset, & grati animi officium repræsentare. Ceterum humanarum rerum inanitatem, ac fugam, & ipsi in eo casu respicerent, & sibi gratularentur, quòd fluxa omnia, atque caduca mortalis vitæ solatia ante abjecisset, quàm ab illis desereretur.*

LXXI. Itaque magnopere lætus, quòd Europæ relinquendæ dies advenisset, sexto Idus Apriles Ulisippone solvit, seque Oceano permisit. Sed secunda, ac celeris trium mensium navigatio fraudi fuit. Quum enim Bonæ spei promontorio, quàm citissimè appropinquasset, silentibus zephyris, malacia est consecuta, quavis tempestate truculentior, quæ eo mari navigantibus propter cœli novitatem, ac gravitatem feralis esse consuevit, si diuturna sit, & naves cessare cogat, atque turbido, & lutulento salo infixas detineat. Parum est enim transmisso æquinoctii circulo, aquam, & cibaria computrescere, & corrupti jecoris vitio, cruentam nauseam excitari; nisi etiam pestilentia exoriatur planè fatalis, & funesta. Peremptoria hac lue tentata quàm gravissimè tentata classis, vectores, nautas, milites desiderabat quamplurimos. Franciscus etsi junior, & imbecillior, incolumis tamen, languentibus nauseà Sociis labore, ac virtute præibat: nam, diu, noctuque morientibus succurrebat, corporis, animique remedia properabat, defunctis suprema officia persolvebat, pleroque admotis B. Rosaliæ reliquiis, sibi a Deo condonatos recipiebat, & ad meliorem frugem traductos confirmabat. Sed publicæ misericordiæ administrationem interpellavit Nugnus Prætor; nam & ipsum lues comprehendit; & statim ac communi aëris veneno se tactum intellexit, Franciscum uni sibi adesse voluit, ac lecto affixum hærere, & quem antea nuncupare consueverat universæ classis *Angelum tutelarem*, tum *Angelum sui custodem* dictitabat. Graviſsimus Francisco accidit amici casus, quem quotidianis colloquiis B. Rosaliæ pietate inflammatum, & ita animatum, ut nihil tam cordi esset quàm Patronæ suæ religionem in Asiæ regiones invehere, Templum ei ponere, ubi quotidie

Navem, quæ Franciscum receperat pestis invadit.

Ejus erga peste afflatos impertita officia caritatis.

Nugnus classis Prætor, Castigliæ familiaris, eodem morbo tentatur.

Digitized by Google

immolaretur, ejusque dies perpetuis, summisque honoribus inauguratus, censu ad id constituto, quotannis celebraretur, sibi jam proposuerat, tanquam novi cultus auctorem, & potentissimum votorum suorum administrum. Videbat enim, eo sublato, spem omnem dilapsuram, & inanes fore, atque irritos sui conatus, utpote privati, obscuri, ignotique adolescentis, qui neque pecuniâ, neque auctoriate, neque potestate niteretur. Quare Nugnum gravissimè laborantem, & ad vitæ exitum festinantem, accuratè expiavit, eique apertè declaravit, quæ de salute ejus cum Deo transegisset. Se satisdaturum ostendit fide suâ, atque vitâ, quam pro ejus incolumitate Deo, ac Rosaliæ victimam obtulisset, modò ille ante Divinam Hostiam, quæ pollicitus esset, *jure*jurando præstaret. Nugnus altitudinem animi demiratus, invitus, & flens accipit conditionem. Franciscus defert cœleste viaticum. Nugnus Sacramento se obstringit, & consecratum panem sumit. Eodem die Nugnus *convalescit; Franci*scus morbo se correptum agnoscit, non illo quidem consueto, atque communi, quo reliqui perimerentur, sed peculiari, atque inusitato, quem febrem planè cœlestem Medici appellaverunt. Urebatur enim intestino quodam veluti incendio, quod venæ tentantibus non indicarent; languebat tamen, & supernæ Patriæ desiderio quasi candens, atque conflatus intabescebat. Biduo igitur non alio cibo, quàm cœlesti Pane recreatus, integris sensibus, & oculis ita defixis, ut si Rosaliam alloqueretur, & præsentem, atque evocantem intueretur, dulci veluti somno solutus est, VI Calendas Septembres, quum supra secundum, & vigesimum ætatis annum tertius mensis excurreret; reliquitque Nugno tanquam hæredi fiduciario, cum B. Rosaliæ Reliquiis, suam erga eam Virginem, pietatem, caritatem, & voti fidem, ac religionem. Corpus solemni funere elatum, & funebri ceremoniâ expiatum, ac serico peristromate involutum, ac coccineâ vittâ circumligatum, communibus lacrimis, atque incredibili Joannis Nugni, ac Sociorum luctu, Prætoriæ, Classisque, Nobiles Centuriones, Equites, Navarchi, Gubernatores, honoris causâ, in mare demiserunt, & oceano commendârunt. P. Franciscum Castigliam ex ipso navigio, eodemque mense secutus est P. Decius Vespasianus Agliata amicus, & popularis ejus, communi labe confectus, quam contraxit ex ægritudine animi, quòd necessarii sui desiderium ferre non posset, & insignem jacturam, dies, noctesque lugeret.

P. Franciscus pro Nugni incolumitate, vitâ Deo offert.

Eodem die P. Castiglia morbo tentatur, & Nugnus convalescit.

Castigliæ funus, exequiæ, & omnium lacrimæ, ac luctus.

Nu-

Digitized by Google

LXXII. Nugnus promissorum, & Sacramenti memor, & quantum Francisco deberet animo reputans, ut Goam venit, amico funus instituit magnificum, & sumptuosum, cum ceris, cenotaphio, atque concentu, additis sacrificiis, quotquot ad nonum diem omnium ordinum presbyteri uno in templo, eoque amplissimo, excitatis crebris altaribus peragere potuerunt. Laudavit extinctum singulari facundiâ P. Philippus Marinus, & qui virtutum ejus spectator fuerat, & intimus animi cognitor testem se præbuit. *Nobilissimæ* commemoravit *ornamenta familiæ, ex Hispanis ortæ dynastis, bello, & pace præclaris. Exposuit præter illa, quæ jam attigimus, & quà cursim, quà fusè delibavimus, cognovisse se ex novissima ejus morientis expiatione, nullà unquam gravi culpà fœdatum Francisci animum, relatam ex sacro fonte innocentiam, & sanctitatem in Societate conservatam, & auctam; cumulatam verò mirum in modum ab eo tempore, quo B. Rosaliæ beneficio pœnè revixit, & ad extremum usque spiritum magnis incrementis in dies exaggeratam.* Quod quum pluribus confirmasset, adjecit, ex Oliva se Romæ accepisse, *nullius fuisse momenti factam Francisco salutis gratiam; si cum ea conferatur, quæ postmodum consecuta perhibetur. Nam B. Rosaliæ conspectu, quasi repentè conflatus, & denuo recusus, alios induit mores; aliam cogitandi, sentiendi, loquendi, agendique conditionem exeruit; ut jam non ille ipse, sed longe ab illo alius videretur. Exemplo esse posse, quod suorum amantissimus; & utpote quinque liberorum natu minimus, atque omnium oris, & animi alacritate præstantissimus, parentibus maximè carus, & unicè probatus, paternà deinceps domo abstinuerit; quod sorores, Josepham, & Aloysiam, quæ in Martoranæ sacrarum Virginum Collegio sese Christo desponderant, nunquam amplius nisi rarò, & jussus adierit; Quòd earum munuscula ab eo impetrari non potuerit, quin recusaret; quod ad ultimos Asiæ fines, in Japoniam evocatus, nihil a propinquis neque magnum, neque parvum admiserit; quod navigantibus, & ad perpetuam peregrinitatem designatis, usui esse solent; quod nemo inposterum adspicientem viderit, aut cujusmodi oculos, quas haberet pupillas adnotare potuerit.* Orationem deinde ad ea derivavit, quæ ipse compererat, Romæ, Januæ, Ulisippone, in Collegiis, in diversoriis, in navigationibus in itineribus. *Se nimirum deprehendisse in adolescente sapientiam senectutis,*

Goæ Francisco Nugnus magnificum instituit funus.

P. Philippus Marinus Castigliam oratione laudat, & ejus summa capita recensentur.

Digitized by Google

tis, ingenuitatem atque candorem infantiæ; ingenium summum, & disciplinis, ac linguis maximè idoneum; alienum ab humanis rebus omnibus animum, ac divinarum rerum unicè cupidum, & divinà caritate magno æstu flagrantem. Auditum, quum in navi esset singulis noctibus flagrorum sonitum, asperum, ac diuturnum; exploratam quotidie ad plures horas de genu supplicandi consuetudinem; animadversam, quum Nugni mensæ accumberet, miscereturque fercula, neque nisi vulgaria parcè gustaret, incredibilem temperantiam. Testatos fuisse universos, qui cum eo egerint familiariter, nihil fieri potuisse hoc adolescente jucundius, & amabilius, atque ad salutem conducentius, in quo nemo ullum corporis, aut animi vitium reprehenderet; nemo virtutem ullam desideravit. Denique quum eum Aloysio Gonzagæ, & Francisco Xaverio copiosissimè contulisset, eà clausulà sermonem omnem complexus est, *Nugnum ipsum præsentem, & audientem, qui familiarissimè, atque intimè omnium cum Francisco versatus esset, per superlationem Tullianam, militari quadam audaciâ jactitare consuêsse, plures se in uno Francisco Castiglia, quoad vixit, Aloysios agnovisse; plures etiam visurus Xaverios, si diutius ille vixisset.* Justis Francisco persolutis, Nugnus ad B. Rosaliæ religionem sese totum convertit. Templum extra mænia pervium omnibus condidit, idoneam pecuniam collocavit, & annuas ex ea pensiones quotidianis sacrificiis, partim attribuit, partim sacræ supellectili, & religiosis annuatim honoribus destinavit, & magnâ ceremoniâ dedicatum publicavit; atque ea omnia, quæ se facturum receperat cumulatissimè repræsentavit. Ut Panormi de Franciſci exitu auditum est, qui ex Provincia nullo modò dimittendum putaverant, nescii futurorum magnopere questi sunt, fuisse periculis temere, atque præpopere objectum lectissimum, & tantæ spei, ac virtutis adolescentem, non satis maturum maximis incommodis, atque laboribus; Provinciæ propterea ademptum, neque Asiæ commodatum. Sed Franciſcus de cœlo damnum cumulatè reparavit: nam pro se uno quatuor Societati, atque Provinciæ dedit propinquos. Alium nempe Franciſcum Patrui nepotem, & inter fratres natu maximum, ac lautissimi hæredem patrimonii, qui splendidis decursis magistratibus, Collegium Nobilium Panormitanum decem ante annos primus rexit, & informavit; ac primævâ vitæ innocentiâ ad fatum usque retentâ, insigni probitate, atque animi candore

Ut Franciſco promiserat, B. Rosaliæ religionem Nugnus in Asia amplificat.

Audita in Provincia P. Franciſci morte Provincialium luctus, ac mæror.

Franciſcus ut Provinciæ luctū sublevaret Societati quatuor de cœlo dat propinquos.

Digitized by Google

dore cum paucis conferendus, nuperrimè senex occubuit, de quo ad annum 1739, qui cum scribente congruit, pleniùs in loco demonstrabitur. Tres item ex Balthasare fratre altero, causidicorum disertissimo, & post curiæ, forique honores Præfectis ærariis annumerato, natos ex diversis nuptiis hac serie liberos; Ignatium, Michaelem, & Simonem, quos veteranos jam, & emeritos sed viventes adhuc, atque florentes satis habeo nominâsse, & ipsorum modestiæ pepercisse, nè talium virorum temperantiam pluribus onerem. Extat apud hunc Ignatium B. Rosaliæ parvula effigies, ærea in lamina, quam Franciscus ejus patruus, quum Romæ esset, coloribus exprimendam curavit, præsens, & oris lineamenta pictori indicans, qualia ipse spectaverat, & accuratè adnotaverat. Hanc quum ad Josephum patrem Panormum ex Urbe mitteret, litteras addidit XIII Calendas Januarii datas, anno 1664, in quibus erat; *Habes B. Rosalia faciem, a magni nominis pictore exquisitissimis coloribus ære exceptam. Scito, eam ipsam esse*, sicut mihi apparuit, *Virginis ori simillimam*. Et certè ejusmodi imaginis cœlestem planè speciem picturæ scientissimi imitari se posse negant, & pulchriorem humanà esse confitentur. Franciscí mortem, & sanctitatem Deus ratam habuit, & prodigiis illustravit. Narrabant sorores ejus probatissimæ Virgines, quarum prima Josepha in Martoranæ Collegio tertium per intervalla gessit magistratum, & octogenaria decessit, altera ibidem sexagenaria; Francisco summum petenti commeatum, eximiæ magnitudinis, & formæ malum se obtulisse, atque ut gustaret obsecrasse; illum, nè flentes, & obtestantes acerbiùs contristaret, leviter perstrinxisse dentibus, & ex putamine nonnihil decerpsisse, ac statim reddidisse: malum autem eo digresso servatum annos quamplurimos integrum, incorruptum, atque recentem permansisse. Calculos etiam Marianos, ab eo memoriæ causà relictos, præsentissimum fuisse remedium insanabilium valetudinum, & curationis loco adhiberi consuêsse; quod quidem ad hanc diem factitari comperio. Proposita cernitur P. Franciscí Castigliæ imago tamquam viri illustris, & de Societate optimè meriti, in præcipuis Provinciæ Collegiis, & præsertim in Panormitano, quod virtutum ejus testem, & cœlestium beneficiorum theatrum se fuisse, gloriatur. Sed nulla est Franciscí æquè vera, atque illustris effigies, quàm quæ in ejus ad propinquos epistolis exhibetur, quas qui perlegerit, facilè judicaverit, quónam pertineant per-

B. Rosaliæ effigies, quam ad Patrem Româ miserat, Panormi extat.

Nonnulla prodigia eximiam Fr. Franciscí sanctitatē confirmāt.

Quænam fuerint ejus monumenta virtutū, ex ipsius litteris declaratur.

fe-

fectioris vitæ confinia. Eminet enim emendatissimi animi exemplum, & maximarum virtutum lineamenta se ostendunt. Mens divinis imbuta elementis, cœlesti voluptate delibutus animus; vitæ, ac mortis æqua conditio; magna laborum, & molestiarum cupiditas, perfectissima humanarum rerum omnium abdicatio, temperantia; spes, caritas, obedientia; ut non obscurè intelligant juniores, quid virtus in adolescente possit, & quanta insit juvenilibus etiam annis illustrium meritorum facultas. Eas litteras, in unum volumen conjectas, tanquam pretiosæ hæreditatis monumentum sui asservant.

P. Franciſci Principati Patria, & in dicēdo admirabilis eloquentia.

LXXIII. Claudit denique hujus anni funerum agmen P. Franciscus Principatus, Panormitanus, ætatis suæ Orator summus, cujus eloquentia, neque majorem habuit, neque parem, sive ex tempore diceret, sive formatum sermonem effunderet. Auditus est Panormi annos ferè quadraginta, frequentissimo semper populo, quin aliquando satietatem efficeret, quamvis prolixas expromeret conciones, & interdum quotidianas. *Ejus* famà eloquentiæ, excitatæ amplissimæ Civitates, adventum ejus certatim flagitabant, venienti occurrebant, commoranti rebus omnibus commodabant, pro suggesto differenti confertissimis subsellis aderant; properabantque ante lucem omnium ordinum principes, & optimates cum magistratibus, ut locum caperent, nè templis excluderentur. Concursavit proinde iterum, atque iterum universam Provinciam, ibi libentiùs, atque cupidiùs auditus, ubi facundiam ejus cives aliquando degustâssent. Orationes exeruit graves, ornatas, plenas, luminibus, & sententiis illustratas, salutares tamen, & interdum concitatas, ac vehementes, quæ mirabiles animi motus efficerent, & modò luctum, modò misericordiam, modò terrorem elicerent, præsertim si nativo quodam impetu, atque incitatione efferrentur. Auxit virtutem actionum suarum rectissimus vitæ habitus, assidua cœlestium rerum cogitatio, humanarum cupiditatum expers animus, & constans domesticarum institutionum disciplina, quam a tirocinio ad decrepitæ ætatis fines invariatam perduxit. Supersunt ingenii, ac pietatis ejus non obscura vestigia in iis, quas edidit vigiliarum reliquiis; nam Concionum volumina interierunt omnia. Emisit itaque italicè: *Funebrem laudationem V. P. Bernardi Favaræ Seraphici Reformatæ Observantiæ.* Item *Orationem in die Marianæ Conceptionis post Decretum Alexandri VII.* Christi demum Nativitatis studiosissimus, & erga ejus infantiam mirificè affectus prælo commisit laudatissimum *Silve-*

Oratorum ejus ratio, fructus, & ad eas concursus.

Virtutum ejus, atque ingenii præclarissima monumenta.

[1] *Mongit. Biblot. Sic. tom. 1. pag. 235. col. 1.*

stre

Digitized by Google

stre carmen de Partu Virginis, & post triennium pridie Christi Natalitiorum, summam & integram senectutem in Panormitana Domo composuit, anno ætatis secundo supra octogesimum, & suis omnibus superstes familiam extinxit. Societatem, quam altricem, magistram, matremque suam nuncupabat, in oculis semper habuit, & eo usque dilexit, ut ejus transfugas, & defectores nunquam sit allocutus, neque ultro accedentibus sui copiam fecerit. Collegium verò Panormitanum in quo adolescentiam posuit, & a quo litteras hausit, præcipuà caritate coluit, neque quicquam prætermisit, quo gratum animum declararet. Insignem enim pecuniam ex paternis, maternisque fortunis diu contractam liberaliter ei attribuit, neque conditionem ullam apposuit, quæ beneficium diminueret; cujus rei memor Pater Thomas Tamburinus, qui Collegio præerat Panormitano, gratiam retulit; nam funus ejus cereis funalibus ornavit, & in domestico templo iteravit; atque imaginem ejus publicè proposuit, cum hoc elogio; *P. Franciscus Principatus Panormitanus ad populorum animos permovendos, tum sententiarum gravitate, tum majestate verborum, tum congruentibus doctrinæ moribus, perfectus Orator, Collegii Panormitani commodo, non mediocri argenti, aurique pondere consuluit. Obiit 24 Decembr. Anno 1666 ætatis 82. Relig. 62. Prof. trium Votorum secundo supra quadragesimum.*

Ejus erga Societatem amor, & erga Panormitanũ Collegium insignis liberalitas.

LXXIV. Memorabile, atque terrificum dedit cum Mamertinæ Civitati de se spectaculum, tum B. P. Ignatio abjectæ Societatis, & irreligiosi dicterii pœnas Gaspar Gallettus Messanensis. Defecerat hic adolescens, quum Philosophiæ daret operam, anno 1610; & litteras, quas in Societate arripuerat ad forenses artes, curasque convertit, causidicus non vulgaris, atque ex honestis nuptiis liberos suscepit bene multos, quibus alendis, & collocandis clientelarum fructus omnes exhausit, & quum se prole beatum initio putaret, inops deinde, & paulatim orbus in extrema senectute universæ familiæ superstes, neque hæreditatem habuit reliquam, neque hæredem. Sed Societati semper infensus, ferventibus eo tempore Mamertini Senatus cum Oliva dissidiis, nulla non movit detrimentosa consilia, quibus Senatorum animos exasperaret, nostros homines ad defectionem incenderet, & Societati insanabile vulnus infligeret. Accidit demum, ut per summi Christiani jejunii ferias, Seraphicus Orator, qui luculentas confertissimo populo, in Æde principe civitatis, habebat concio-

Gaspar Gallettus Societatem dimittit, & Uxorem ducit.

Ejus in Societatem odiũ, & calumniæ.

Digitized by Google

ciones, & Societati plurimùm cupiebat, proſuggeſto edixerit; rogatum ſe ab nobili viro: *Pluſne Chriſtianæ religioni B. Pauli ex equo, an Ignatii Loyolæ ex tormento caſus profuiſſet, velle craſtinà oratione, & amico, & problemati ſatisfacere*: Gallettus autem, qui aderat, & ſenex jam octogenarius in magna adhuc verſabatur oratoriæ facultatis infantia, neſciebatque quid oratoribus per exuperantiam, & ſuperjectionem jactare liceat, quaſi monſtrum antehac inauditum aures perculiſſet, apud Senatum queſtus eſt, quòd talia in vulgus ederentur, eique auctor fuit, ut ad Concionatorem mitteret, qui ſuis verbis denunciaret, ea nè de re ſermonem inſtitueret. Quod quum eſſet pervulgatum, neque deeſſent, qui factum improbarent, Gallettus quaſi pro religione, & Pauli gloria pugnaret, irà inflammatus: *Pluris eſſe*, ait, *unam Pauli crepidam ſordidam, & lutulentam, quàm mille Ignatios*; aliaque adjecit non abſimilia, quæ cum colloquentium ſtomacho audita, ita homines interpretabantur, ut non Pauli amore, ac pietate, ſed Societatis odio, & contumeliâ, pronunciata exiſtimarent. Cumulavere ea verba cœleſtem iram; nè impunè diutiùs eſſet convicianti. Nam eo ipſo die, ante lucernas, & ſidera, a debitore cujus domum immiſsis ſatellitibus, pignoris auferendi causâ, compilaverat, igneâ glande percuſſus, interemptuſque eſt.

Ejus in B. Ignatium contumelioſa dicta, & funeſtiſſimus caſus.

Ex litteris P. Pauli Vaſſalli ad P. Joſephum Caruſum III Nonas Martii Meſſanæ datis anno 1666.

LXXV. Placuit autem Sanctorum auctori, ac vindici Deo, vindicatum ab injuria B. Ignatium, eodem anno magnis etiam honoribus intra fines Mamertinæ juriſdictionis, de cœlo illuſtrare. Nam tertio poſt menſe, prodigium Racalmuti edidit, in paucis memorandum, quo B. Parentis noſtri virtutem, ac ſanctitatem declaravit. Coaluerat jampridem Racalmuti, noſtrorum Sacerdotum operà, & ſtudio, qui eò per ſacram expeditionem interdum venerant, B. Ignatii religio, eamque nuperrimè exſuſcitaverant, eo ipſo menſe, quo Gaſpar Gallettus irreligioſum dictum protulerat. Habebat domi parieti affixas Salvator Sinagra tres ejus imagines, papyro ex ære exceptas, quum poſtridie Calendas Junias Eliſabeth ejus filia, virgo, & nubilis animadvertit, eam, quæ inter duas erat media, vivo ſtillantem ſanguine. Referebat ea effigies B. Ignatium ſacrificantis more indutum, & eo corporis ſtatu, ut lævâ apertum diſciplinæ ſuæ codicem oſtenderet, dexteram verò, adducto cubito, ante pectus, paulò infra humerum, ita explicatam, ut digitos ſurſum micantes, & totam intuentibus palmam objiceret. Ex hujus manus indice ſummo cruor ſtillatim

B. P. Ignatii Racalmuti memorandum prodigium.

Eliſabeth Sinagra B. Ignatii effigiem domi ſanguine ſtillātē animadvertit.

fluc-

fluebat. Puella prodigio attonita matrem admonet, & vicíniam convocat: advolant omnes turmatim, & domum complent. Re divulgatà, confluunt oppidani; detinet, defigitque multitudinem insigne ostentum: sanguis enim ex sicca papyro manare non destitit; videbantque omnes turgentes paulatim guttas, & interdum defluentes. Cumulavit cernentium admirationem aliud ex alio prodigium. Quum enim plures continenter horas cruor effluxerit; nihil ex eo in terram decidit, aut extra papyrum manavit, sed stillæ omnes per palmam, ulnam, subjectasque vestes diversis tramitibus diffusæ concreverunt, & tenacissimè adhæserunt. Fit certior magistratus, mittuntur viri graves, & probi, qui rem explorent; vera esse deprehendunt, quæ publicus rumor nunciâsset; in commune consulitur; irreligiosum esse censetur, prodigiosam imaginem, cui tanta inesset divinitatis virtus, privata in domo delitescere. Indicitur supplicatio. Imago refigitur, & argenteâ coronide ornata, atque munita chrystallo, apparentibus omnium ordinum religiosis familiis, & candidatis templorum administris, per oppidum circumfertur, & in sacrario Ædis principis reconditur unà cum sanctorum reliquiis. Consecuta cœlestia beneficia quamplurima: nam & depulsæ cæcitates, & claudi, captique membris sunt restituti, & morientes recreati, & miseri rebus omnibus sublevati. Quæ omnia Michael Angelus Bonadies Pontifex Catanensis idoneis testibus comprobata edi mandavit, prodiitque exinde liber Buano prælo Panormi cusus, qui ostentum, & ex eo orta prodigia complecteretur; & cujus Bollandi meminere. Magistratus autem Racalmutanus, civibus magnà consensione suffragantibus, sequenti anno, publicis litteris, quarto idus Apriles, coram Pontifice Catanæ datis, B. Ignatium civitatis Patronum esse jussit, & diem ejus solemni sacrificio, supplicatione, apparatu, summisque honoribus quotannis coli. Quod ad hanc diem, magno finitimorum concursu, custodiri reperio. Ejusmodi cruentæ effusionis præsagium alii aliò derivabant. Fuere, qui ostentum eò referrent, ut per eos dies Societati illata Messanæ vulnera declarari contenderent, ac ea præsertim, quæ abscissis Mamertinis domiciliis fuissent inferenda, si abdicationis, & secessionis consilium, quod nondum conquieverat, valuisset; adderentque, divino consilio factum esse, ut nè suspicio fraudis irreperet, id eo loco contingeret, ubi nullum esset Societatis domicilium, ac magna esset cum Mamertinis litterarum, & publici negotii consuetudo, atque eo

Maximi exinde fiunt ad eam domum concursus.

Singulares Honores imagini instituuntur, & per eam plurima collata cœlestia beneficia.

Bollandi in vita B. P. Ignatii ad pridie Calendas sextiles.

B. Ignatius Racalmutensis Civitatis Patronus eligitur.

Ejusmodi cruentæ effusionis assignata præsagia.

tempore quo ex noſtris hominibus nemo ibi diverſaretur. Alii ita interpretabantur, ſignificari impendentia Siculis ex Mamertino bello infortunia, quæ poſtmodum magno agmine, & impetu, cognitum eſt, irrupiſſe. Alii demum eam fuiſſe opinabantur diræ illius obnunciationem peſtilentiæ, quæ Melitæ paucos poſt annos exarſit, & finitimam Siciliam diu, multumque habuit anxiam, atque ſollicitam. Nobis rem incompertam, & cœleſti ſcientiæ reſervatam, fas ſit, in medio relinquere.

1667 LXXVI. Calamitoſum hic annus nactus eſt exitum, & univerſæ Italiæ propter imbrium aſſiduitatem, & abundantiam, maximè exitioſum. Siccam enim Æſtatem Autumnus excepit inſigniter pluvius, & agris, atque ſementibus, aquarum inundatione mirificè infeſtus. Sed ea clades non aliam magis Italiæ, aut Siciliæ partem, quàm Panormum conſternavit. Urbs namque editis circumſepta montibus, defluentium ex locis ſuperioribus aquarum vim ſuſtinere cogitur, & earum copiâ, atque impetu interdum vincitur. Defluit ab ſolis occaſu ex altiſſimis jugis torrens chemonius, qui olim in eum influebat maris ſinum, quem hodie terrâ congeſtâ, ædificia depreſſo in loco, a meridie occupat pars non exigua civitatis. Quare nè loci naturam, & proclivitatem deinceps ſequeretur, objectis molibus, curaverat Senatus Panormitanus, ut cui aſſueverat, alveum deſereret, & in proximum Oretum amnem ſe exoneraret. Hoc tamen anno disjectis operibus, quibus continebatur, collectâ omni ex parte immanium nimborum alluvie, non ſuburbanum modò ſubegit, ſed mœnia etiam redundatium aquarum mirâ magnitudine invaſit. Itaque V Calendas Decembres, fœdiſſima cum ſolis occaſu exorta procella Panormitanis ſaluti fuit. Quum enim præliantibus ventis, horribili fremitu quam diutiſſimè fulgeret, atque tonaret, & vigilarent omnes, neque ſe quiſquam quieti committeret, nunciatum eſt, eam oppidi regionem, quæ vergit ad meridiem, mergi univerſam: nam aquæ in Caſtriam portam impetum fecerant, eamque perfractis ferreis vectibus reſeraverant, & effuſo curſu, adultà jam nocte ferebantur: vigiles tamen nactæ cives in vacuas ſeſe domos effudere: nam nemo fuit rerum ſuarum adeo improvidus, qui non ſibi fuga ſalutem peteret, præter nonnullos, quorum conatus undarum æſtus intercepit, & abreptos in mare abduxit. Ruentibus interea nimbis, nocte teterrimâ, denſiſſimis tenebris, niſi quod fulgura interdum humilem eam regionem planè de-

Magna nimborum colluvies Panormum invadit.

Panormum chemonius influit, & aliqua ex parte mergit.

Digitized by Google

demersam ostenderent, fugientium feminarum ejulatus, & puerorum gemitus viciniam primum, civitatem deinde universam luctu, ac metu concitaverat. Nec fuit terrore, ac periculo vacua Domus Panormitana, cujus limen confluentium aquarum impetus parum abfuit quin superaret. Sed P. Gaspar Castiglia, qui magistratum gerebat, vir strenuus, maximique consilii, animum non despondit, familiam convocavit; Templi valvas reserari jussit, seniores ad supplicandum coëgit, ipse juniores cum facibus, per posticum ocreatos emisit, quidquid esset scamnorum, asserum, trabium, tignorum furentibus undis commisit, ne deesset nantibus quid arriperent, & quo sublevarentur: misit etiam qui lintres, & cimbulas e proximo littore accerserent, & contra vim fluminis remigio conniterentur, ut naufragos exciperent, & ab interitu vindicarent. Quæ quum essent accuratissimè administrata, recepti sunt ferè omnes, quos vis aquarum occupaverat; nec nisi duodecim interiere, quorum corpora postridie procul a littore in mari reperta sunt. Diruta sunt nihilominus ædificia quamplurima, ac abrepta, vel corrupta non modica supellex, quæ in infimo ædium solo, & humilibus contignationibus aquæ illapsum vitare non potuit. Eo casu semel, atque iterum admonitus Senatus Panormitanus, ingentem aquæductum extra mœnia aperiri, & saxo exciso deprimi curavit, cujus benificio civitatem a periculo, ac metu redemit.

Nostrorum conatus in communi periculo, & periclitantibus impensa misericordia.

LXXVII. Distinebat adhuc Olivæ mentem, sibique vendicabat curas omnes Provincia Sicula, quæ perpetuis jactata dissidiorum procellis, tanquam navis contrariis raptata ventis, gubernatorum solertiam vicerat, neque clavo obtemperabat. Erat portus quotidie ob oculos positus, erat in manibus, neque tamen capi unquam poterat. Crebra erat inter Olivam, & Senatum Mamertinum officiorum reciprocatio. Interposuerant potentes amici auctoritatem, & fidem suam. Dissimulanter fieri patiebatur Oliva, quod disciplinæ apertam vim non inferret. Inter eos autem nunquam convenit, quòd quum annui Messanæ crearentur magistratus, novis Senatoribus non placebat, de quo priores transegissent. Quare id sæpe accidit, ut post diuturnam disceptationem anno consumpto, calendæ Majæ Senatorum sortitionibus designatæ, quidquid esset utrinque constitutum interpellaret, & planè dirimeret. Oliva igitur, cujus erat animus rectus, ac sapiens, & septimo jam anno summæ gubernationis usu limatus, in eo plurimum laborabat, nè iratis, & ampliandæ potestatis

Viventes adhuc dissensionũ igniculos cum Mamertino Senatu, Olivæ extinguere conatur.

ſtudioſis offenſionis, aut querimoniæ anſam offerret. Cavit proinde vitandæ æmulationis gratiâ, nè Provincialem hominem, Vicecomite quarto jam anno poteſtatem gerente, ad Provinciæ magiſtratum deſignaret; & ex alienis eum maximè optavit, quem Siculis apprimè cognitum, & Mamertinis ſciebat probatiſſimum, P. Marcellum Spinellum, qui decem ante annos eodem honore perfunctus, omnium ſibi animos æquitate ac temperantiâ demeruerat, & immortalem ſui nominis famam, rarum caſtigatiſſimæ rectionis exemplum, ſummum ſui, ſuarumque virtutum deſiderium reliquerat. Adiit itaque honorem pridie nonas Februarias, poſtridie quàm Vicecomes deceſſerat, & magiſtratum poſuerat, anno 1667.

P. Marcellus Spinellus Provinciæ Siculæ ab Oliva præficitur.

LXXVIII. Rejicit ad hunc annum Silvius Tornamira P. Datii Veſpaſiani Agliatæ fatum, quem nos accuratiùs, anno ſuperiore, eadem in navi, & paulò poſt P. Franciſcum Caſtigliam interiiſſe ſignificavimus. Ortus eſt Panormi ex vetuſtiſſimo nobiliſſimoque Piſanorum genere ſexto idus Februarias, anno 1623. Litterarum cupiditatem, quas ingenio prædituſ non vulgari, a pueritia ſtudiosè arripuerat otioſa fregit adoleſcentia, & ad licentiam, parentum indulgentiâ transferre viſus eſt. Sed Marianæ Nobilium ſodalitati aggregatus, quæ tum inter florentiſſimas numerabatur, & chriſtianis intimè excultus elementis, paulatim in ſe deſcendit, ſequc reſpexit, ac tanto chriſtianæ miſericordiæ æſtu flagravit, ut per hiemem pretioſas veſtes exuerit, & eleganti mendico dono dederit. Tum ſeceſſionis deſiderio uri ſenſit, & ſurgentem Societatis adeundæ voluntatem, annos natus quinque & viginti ad exitum lubens perduxit, in tirocinio Panormitano; atque deinceps, vitæ ſuperioris errata deflevit, & perpetuo corporis cruciatu vindicavit, donec veniam ſe impetraſſe certior a Deipara fieret, quam aſſiduiis precibus, & religionibus ſtudioſiſſimè coluit. Anno ſexto, quàm Societati ſe addixerat, quum Philoſophiæ daret operam, conſanguineis adnitentibus, paternà, maternàque hæreditate, legitimis tabulis, ſe abdicavit, & in templo Collegii Panormitani, pridie Calendas Septembres, coram Marcello Spinello ad aram immolante, trium votorum indiſſolubile Sacramentum publicè dixit, nondum Sacerdos, anno ætatis primo ſupra trigeſimum. Poſt quinquennium ſtudiorum palæſtrà ſolutus, & ad Sacerdotii ordinem evocatus, quum primùm immolâſſet, rogaretque largo fletu Deiparam, diutiùs nè clientem ſuum diſtineret, impe-

P. Datii Veſpaſiani Agliatæ ortus adoloſcentia, & extra, ac intra Societatē monumenta virtutum.

Philoſophiæ ſtudiis emenſis, trium Votorum Sacramentum publicè dicit, & Sacerdotio initiatur.

Digitized by Google

impetratæ culparum remissionis nescium, atque ea de re vehementer sollicitum; Virginem Matrem ad se accedentem vidit, specie formosissimam, & cœlesti luce coruscantem, audivitque dicentem: *Ut optimo esset animo, quoniam ex eo die, quo Societatis limen attigisset, nullum jam esset superiorum criminum vestigium reliquum.* Agliata verò, qui nondum cœlestibus assueverat, mentis ludibrium veritus, suspicatusque stygii spectaculi fraudem, anceps hærebat. Tum illa obtulit veritatis testimonium, suique amoris cœleste pignus, dedit quinquaginta supra centum Marianos globulos aurea catenula invicem illigatos, ac per decades distinctos, & evanuit. Erant calculi ex purissima veluti chrystallo candidissimi, & scintillantes, etiam in tenebris; claudebat pretiosum torquem ex eadem gemma crux, & corculum, in quo erat *Deiparæ* effigies, Jesulum sinu complectens, quorum facies incredibilem ostendebat, & humanâ majorem pulchritudinem. Occukavit Agliata cœleste munus, & ex collo infra vestes, pendulum intimè gessit, neque cuiquam videndum præbuit, nisi quum in eo esset, ut Asiaticam navigationem proximè aggrederetur. Nam ex quo *Deipara* ei se ostendit, tanta animum ejus incessit divinæ caritatis abundantia, ut humanas res omnes aspernari cœperit, & a suis quam longissime abesse cogitaverit, atque inter barbaros, per infinita incommoda, gravissimasque molestias reliquum ætatis spatium collocare. Commeatum proinde petiit, & propinquis nequicquam reclamantibus, peregrinitatis ærumnas beneficii loco sibi proposuit. Itaque quum navis esset in anchoris, & ad solvendum idonea, flagitantibus nautis, uno tempore ad conscendendum accersebatur, & nuncius ab nobili matrona, exeuntem requirebat, ut morientis supremam acciperet culparum accusationem. Erat hæc Margarita Manuela, Agliatæ cognita, quam in Domo Panormitana plures jam annos expiare consueverat: honestissima mulier, & in divinis rebus exercitata; tum verò ad mortem decumbens, maximis vexata doloribus. Accurrit Agliata, ita ut erat brevi palliolo ad exeundum ornatus, truculentâ febri æstuantem reperit, auribus, affecto cerebro, sanie manantibus, planè languentem, sui tamen compotem, sensibus nondum amissis: adventu ejus maximè lætam audivit, & expiavit: deinde cœlestes illos calculos sinu expromptos explicavit; atque remotis arbitris: *Vides*, ait, *Margarita Marianam hanc tesseram, quam nemo adhuc mortalium cernere potuit, neque tu intuereris, nisi tuarum, mearumque rerum conditio, & cœlestium consiliorum*

Immolanti Deipara se ostēdit, & peccātorum veniam a Deo impetrâsse, significat.

Agliata cœleste donum a Deipara recipit.

Agliata indicam expeditionem flagitat, & impetrat.

Margaritam Manuelā morti proximā Agliata audit, & expiat.

Digitized by Google

rum ita ratio postularet? Mei nimirum proxima in ultimas terras abeuntis absentia, tui morientis necessitudo, Dei jubentis auctoritas tenacissimum vicere occultationis propositum. Eam mihi magna Mater, unà cum nuncio divina mecum reconciliata gratia, de cœlo detulit, & meam esse voluit. Hæc tibi salutis afferet, & diuturna incolumitatis beneficium.

Globulis, quos Agliata a Deipara acceperat, ægrotantis capiti admovet, & incolumē reddit.

Tum Agliata suspiciens, & Mariam etiam, atque etiam appellans, calculos capiti admovit. Eo contactu Margarita repentè convaluit, & Agliatam rogavit, ut sibi liceret, Marianos quibus ipsa uteretur, globulos, cum cœlestibus illis calculis paulisper conjungere, & utrosque miscere. Quod quum ille annuisset, jussissetque nè rem se vivo, cuiquam enunciaret, integram, & æthereà voluptate gestientem reliquit, & ad navim properavit; quæ eo recepto, sublatis anchoris, carbasa vento commisit, ipse Neapolim, Januam, Ulisipponem navigavit, ibique Oceano se tradidit, & quarto ferè die a P. Franciſci Castigliæ exitu, pestilentiâ correptus est, & extinctus, anno ætatis tertio, & quadragesimo. Sed ætherei illi calculi, de quibus P. Josephus Candonus nonnihil cognoverat, accuratissimè conquisiti, nusquam reperti sunt. Margarita, ut de fato ejus audivit, illustre facinus declaravit, & P. Franciſci Ciraculi mandato, de scripto edidit; narrabatque: *Nullos esse inter homines, adamantes, nullas Margaritas, quæ cum purissimis illis globulis componantur. Depictam verò Matris, & filii pretiosissimo in corculo imaginem, divino prorsus artificio elaboratam, ita menti, & oculis inhæsisse, ut sine lacrimis, & intimo voluptatis sensu meminisse non posset; non secus ac si cœlestem illam utriusque elegantiam, & oris formam, dies, noctesque animo obversantem intueretur.* Conciliabant fidem dictis Mariani calculi, quos apud se retinebat, eo quem diximus, contactu consecratos: nam ad morientes delati, plerosque recreaverant; & prægnantibus admoti, quæ laboriosissimo partu periclitarentur, omnibus, nullâ demptâ, saluti fuerant. Compertum itaque inusitati ostenti testimonium litteris prodidit Tornamira æqualis eorum temporum.

Dum Asiam navigaret, peste tentatus, vivere desiit.

Ex autographis litteris P. Franciſci Cirauli ad P. Silvium Tornamiram datis Calend. Novēb. ann. 1678.

Tornam. Ghirland Tom. 5. de B. Virg. litt. D. F pag. 53.

LXIX. Congruit cum hoc anno P. Balthasaris Loyolæ beatus exitus. Sed Romanæ Provinciæ alumni res gestas, eatenus delibare liceat, quatenus apud nos hospes fuit, & Societatis candidatus, & quæ deinceps sunt consecuta ad eos rejicere, apud quos gesta sunt. Ortus est anno 1631 regiis natalibus; Fessæ in amplissima Civitate, quæ in Mauritania Tingitana. Sedes est Fessani, ac Marucini imperii, omnium in Africa po-

P. Balthasaris Loyolæ ortus, Patria, & virtutum supellex.

ten-

Digitized by Google

tentissimi. Sed idem habitus primus, atque supremus vitæ dies. Utero enim excluſus, in ipso partu lucem aspexisse, atque amisisse visus est: quare aulam luctu complevit. Duas fermè horas in aviæ complexu, extincto similis, spiritu intercluso, quieverat, quum repente sternutamento vivum se prodidit, & umbilico sanguis erupit, qui & sinum Reginæ matris commaculavit. Tum e vestigio restitutus, ac recreatus, & barbarà ceremonià recutitus, dictus est Mahometus, communi regiorum liberorum cognomento *Scerifus*, quo vocabulo Mahumedis sanguine orti indicantur. Pueritiam arabicis in litteris cùm vetustis, tum recentibus posuit, easque pro ingenii alacritate summa cupidissimè didicit; ut nemo alius tam eleganter scriberet, & æque facile Mahumedanam superstitionem arriperet. Adultus pubertatem festinavit, & anno ætatis decimoquinto veneris appetens, more gentis suæ nuptias adamavit, quas pater flagitanti præpropere conciliavit splendidas, atque magnificas; sors verò lætas obtulit, & fœcundas: nam quarto jam anno, unam, & alteram filiam, filiumque ex uxore susceperat. Sed ante id tempus, fratre quem unum ante se natum habebat, e vivis erepto, Regni hæres, ac Princeps est salutatus, publicisque curis admotus. Sed militaris virtus, & gloria vehementiùs strenui adolescentis animum sollicitabat. Quare castrensibus imbutus artibus, & universà in acie pugnandi ratione perspectà, exire statuit, atque ardente tum cum finitimis bello, ad exercitum profectus est. Erat staturà procerus, corpore integer, ingenio sagax, & solers, ac magnitudine animi, militiæ laborum maximè patiens. Statim ac ad castra pervenit, sublevatis stipendio, & largitione legionibus, copias in aciem produxit, & pugnandi cupidas ad oppugnanda hostium castra, juvenili potiùs audaciâ, quàm ut belli usus posceret, concitavit. Adverso tamen marte conflixit; nullam enim munitionum partem, quà irrumperet, expugnare potuit; & militibus, ac centurionibus amissis quamplurimis, exercitum ægrè ad castra reduxit. Nam hostibus, emisso equitatu, eruptione pugnantibus, & extremum agmen carpentibus, receptum maturare coactus est, & fugæ similem instituere. Ea clades admirabili eventu divinis consiliis viam aperuit, atque munivit. Quoniam Princeps inanibus plurimùm deditus religionibus, facile sibi persuasit, exinde profectam calamitatem, quòd rempublicam domi, militiæque ante attigisset, quàm Mahumedis, auctoris sui sepulcrum, quemadmodum augures admonuerant, salutâsset. Domum proinde regressus, Mecanam pe-

Inter Barbaros natus, Mahometus dicitur, & Mahumedanam superstitionem colit.

Fratre natu majore extincto, regni hæres, ac princeps salutatur.

Armorũ appetoris, ad bellũ proficiscitur, & adverso marte confligit.

Digitized by Google

peregrinationem rebus omnibus præmittendam censuit, eamque ab Rege, constantiâ magis, quàm precibus extorsit; tamdiu enim publico abstinuit, & secedens cessavit, & in privatæ consuetudinis otio permansit, quamdiu pater de commeatu recusavit. Quo demum impetrato, terrestri primùm septem dierum itinere Tetuanum, quod est in regni finibus situm oppidum, deinde Tunetum prope Carthaginis ruinas navibus appulit, ubi Anglicanam navem nactus, quæ cum duabus aliis Tunetanis, Alexandriam navigabat, magno cum comitatu conscendit, nè Christianorum piratarum aggressionem incurreret, & captivitatis discrimen, aut navalem dimicationem subire cogeretur. Postero die albescente cœlo, non procul a promontorio Rassedar, quem locum Pater in supremo complexu, iterum, atque iterum augurum admonitu, vitari jusserat, triremium classis sese procul ostendit. Tum naves Tunetanæ egregiè munitæ, & ad dimicandum ornatæ exploratum procedunt. Anglicana nihil metuens cursum tenet. *Illæ* cognitis Melitensium triremibus scaphas mittunt, quæ Principem ex Anglicana cum familia recipiant, & ad se vehant. Negat hujus præfectus quicquam periculi esse, quod ab Melitensibus sibi impendeat; amicis, & sociis, neque creditum sibi regium adolescentem alienæ fidei sine dedecore posse committere. Venti interea conticescunt, & malacia consequitur, cujus beneficio usi Melitenses, prætermissis Tunetanis ad confligendum paratis, Anglicanam longè remotam, & imparatam, remigio freti adoriuntur; navis præfectum ad se evocant, & in prætoria retinent. Quærunt, numquid aliquid penes se habeat impositum, quod ad Tunetanas pertineat, quarum scaphæ ad eum venissent? Eo ingenuè confitente, conclamant, malà fide, atque fraude factum esse: tum triremes admovent, & classiarios immittunt; vectores disquirunt, & in imo prope sentinam delitescentes deprehendunt quinque, & triginta numero, atque in vincula conjiciunt, eorumque suppellectilem omnem auferunt. Rem, & homines triremibus recipiunt; Anglos incolumes dimittunt, & cum ea præda Melitam quinto die revertuntur.

Mecanam peregrinationem a Rege extorquet, & Anglicanam navem nactus, cum comitatu mari se committit.

Melitensium triremium classe offendit. Angli eorum amicitiâ freti, Tunetanas scaphas sine exoptato Principe remittunt.

Desertis Tunetanis, Anglicanam navim adoriuntur Melitenses, ac Maumedanis retetis, Anglos dimittunt.

LXXX. Princeps, qui generis conditionem occultaverat, & suis edixerat, nè cuiquam enunciarent, pretiosis exutus *in*dumentis, nudus, & algens primam noctem ferreis egit in vinculis, & memor a se neglectorum patris mandatorum, matris quoque querelarum, & lacrimarum, atque familiæ luctùs, & ejulatùs, vigilans flendo consumpsit. Ut illuxit ad classis

Princeps licet occultum, tamen ex suo ipsius aspectu detectum in liberis esse custodiis concedunt.

Præ-

Digitized by Google

Prætorem reliquis cum captivis deductus anno ætatis vigesimo, talem oris majestate, atque habitu corporis de se concitavit nobilissimorum natalium opinionem, ut Prætor e vestigio compedes adimi jusserit, sua ipsius indumenta disquiri, atque concedi, unà cum supellectili, quæ ad cultum ejus attineret; & modis omnibus recreari, atque ut viros principes decet, in liberis esse custodiis. Melitæ inter mancipia relatus Parentes, uxorem, liberos, & captivitatis ærumnas, diu, noctuque cogitans, perpetuis perfusus lacrimis, luctuosam vitam traduxit silens, & latens, neque quicquam magis dolorem ejus exulcerabat, quàm quod magni Equitum Jerosolymitanorum, & Melitensium Civium concursus ejus videndi gratiâ ad custodias fierent, qui assiduis percunctationibus, res ejus omnes, & præsertim quibus esset ortus majoribus explorabant. Jam enim odorari cœperant homines regiam ejus prosapiam; & incertis rumoribus percrebuerat, eum Regis esse filium, & hæredem. Incitabant suspicionem præter corporis, animique dotes oppidò eximias, maximæ Anglorum conquestiones, qui violatæ religionis, & vulnerati juris gentium Melitenses Equites postulabant, missisque legatis, bellum se denunciaturos minabantur, nisi captivos illos manumitterent: sed eodem tempore mercatores submittebant, qui pretium, quo redimerentur, opponerent, satis magnum, at infra Principis conditionem. Urgebat quoque negotium Rex Tunetanus, & magnis pollicitationibus, dissimulato nomine, rei perficiendæ opportunitatem captabat. Princeps interea Mahumedanæ superstitionis studiosissimus, egestatis, & servitutis incommoda litteris solabatur, & sacrilegis religionibus. Animum enim in eam fallaciam induxerat, ut sibi persuaderet, non alia se de causa in captivitatem incidisse, nisi ut Mahumedanos, qui Melitæ essent, a disciplina aberrantes emendaret, & ad pura ejus elementa redigeret. Quare eos identidem convocabat, atque ut ipsorum antistes, crebris concionibus cohortabatur, ne quid delinquerent, aut committerent, quod Mahumedanum nomen fœdaret. Leges, & disciplinæ, & instituta, quorum erat scientissimus, admirabili facundiâ interpretabatur. Admonebat, nè peregrè inter Christianos ab ea desciscerent; caverentque nè eorum næniis, atque artibus capi sinerent. Quidquid autem temporis ab ejusmodi officiis vacuum supereresset scriptioni dabat. Exscribebat enim arabicis litteris Mahumedanarum institutionum codicem, quem Alcoranum Arabes vocant, mirà elegantiâ, & intra quinquennium sexaginta ferè

Ex iteratis Anglorum postulationibus, ac minis Equites Jerosolymitani ad eũ confluentes regiam conditionem agnoscunt.

Servitutis tempus litteris, & inanibus religionibus fallit.

Mahumedanæ disciplinæ codices suâ manu descriptas commentariis auget.

exempla suà manu descripsit, & compactis voluminibus concinnavit, atque in Africam ad Reges, & Principes, eorumque necessarios transmisit, additis commentariis, quibus quæ interpolata essent expungeret, adempta restitueret, corrupta castigaret, & universam doctrinam illustraret, atque a Christianorum captiunculis, & cavillationibus vindicaret. Neque tamen interea in Africam remigrandi voluntatem dimisit: nam crebris litteris Patrem, Regemque Tunetanum lacessebat, & summis precibus exsuscitabat, nè diutiùs pecuniam magis, quàm filium, & necessarium amarent. Quæ quum secus procederent, & internunciis ultro, citroque missis, menses, & anni extraherentur, ad fugæ consilia transtulit curas. Excubiis itaque, & ergastuli custodibus pecuniâ corruptis, naviculam adornaverat, quà cum popularibus suis, & familiaribus, qui in eàdem captivitate versabantur, intempestà nocte, clanculum se subduceret, & ad Tunetanum Regem confugeret, ab eoque naves, & ornamenta peteret, quibus Mechanæ peregrinationis, intermissam servitute religionem, aliquando consummaret. Sed rem diu excogitatam, & condicto jam loco, & tempore, sæpè tentatam, sæpè etiam interceptam, aliæ, atque aliæ difficultates distulerunt, & omnino denique interpellârunt. Accedebat interea tempus divinis præstitutum consiliis, quo cœlestis clementiæ lux affulgeret, & alia omnia cogitantem a superstitione deduceret. Prima jecit, sed subobscurâ religionis semina Virgo Mater, quæ quarto servitutis anno, ei se per quietem spectandam præbuit, æthereis stipatam ephæbis, & multâ luce fulgentem. Ille Mahumedem initio credidit cœlo delapsum: ad ea tamen jussus propiùs accedere Matronam agnovit; quæ *Numquid*, ait, *me nosti adolescens?* Eo autem negante, addidit. *Quæ sim nolim ignores. Sum equidem Maria Virgo; teque meum fore adoptione filium recipio.* Atque ea verba quum ter ingeminâsset, & juxta cordis mirificè salientis regionem, pectus ejus dexterà tetigisset, ipse verò manum tenacissimè comprehensam esset pressè osculatus, cum somno statim evanuit. Neque tamen ex eo captivus Princeps, cæco illo tempore, de superstitione abdicanda quicquam cogitavit. Ratus est enim, Mariam, de qua Mahumedani commodè sentiunt, aut impeditum redemptionis negotium facilè explicaturam, aut saltem fugæ, & institutæ peregrinationis ducem futuram, atque in eo matrem se præbituram. Verùm valetudo gravissima, quæ ex ægritudine animi, & captivitatis molestiis diuturna incidit, & regium juvenem ad mortis limen de-

Fugam cum suis familiaribus meditatur.

Fugiendi consiliū variis difficultatibus, de cœlo præsertim interturbatur.

B. Virgo Mater ei se in somnis videndam exhibet, & quæ ea esset, ignorante alloquitur.

Gravissimo correptus morbo in extremo vitæ articulo constituitur.

Digitized by Google

deduxit, redimendæ libertati aditum reseravit, & præsentissimum ejus amittendi periculum saluti fuit. Nam & militiæ proceres, & ærarii curatores, nè captivi Principis pretium cum eo interiret, plurimùm laborârunt, ut quà medicorum assiduitate, atque industriâ, quà pretiosis, exquisitisque remediis æger sublevaretur: eo autem recepto, superioris periculi metu admoniti faciles dederunt aures æquissimis conditionibus. Flagrabant, eà tempestate, pestilentiæ Melitæ exorientis, suspiciones, quarum obtentu, omnis in Siciliam appulsus est intercluſus. In immensum exarserant cibariorum pretia, in dies ingravescebant annonæ difficultates, & frumento ferè consumpto omni, summa erat in frequentissima insula rerum omnium inopia. Princeps rei bene gerendæ aditum nactus, eam obtulit annonæ sublevandæ conditionem, ut ipse frumentum in Africa curaret, quod Tunetanæ onerariæ Melitam fide publicà importarent. Expositum mercatores sub hasta venderent; pecunia, quæ exinde rediret in ærarium inferretur, & ad summam æris melitensis quadraginta millium, quæ ferè congruit cum aureis Siculis viginti millibus, pretium esset suæ, suorumque libertatis; si quid supereſſet sibi ad suos usus addiceretur. Visa est ærariis æqua conditio, & tam necessario tempore beneficii loco accipienda: nam, & eo quinquennio Princeps ex familiaribus decem desideraverat, quorum pretium ad ærarii damna pertineret: atque ita summo ærariorum consensu transigi placuit.

Eo recepto, redimendæ libertatis cõditiones paciscuntur Melitenses.

LXXXIII. Rex Tunetanus, ut per Principis litteras cognovit, de quibus convenisset, stipulationem ratam habuit, & fidem ejus liberavit. Paucos enim intra dies africana navigia annonam recreârunt, & frumento actutum divendito invecta sunt in ærarium æris triginta millia. Tum facta est Principi, & uni ex familiaribus, quem ipse optâsset, exeundi potestas, reliquis obsidum loco retentis, dum reliquum importaretur frumentum, quod ipse coram quàm citissimè altero commeatu transmittendum juberet. Princeps ad properationem nihil sibi reliqui fecit. Navis erat in manibus in Africam navigatura, ipse ad conscendendum prodierat; sed eques qui portui præerat, negavit se commeatum dare posse, quòd syngraphum evectionis ergastuli custos suâ manu non signâsset. Mittitur confestim qui hominem disquirat; repertus, se manum apposuisse docet, miraturque ea de causa impertitam non fuisse proficiscendi facultatem. Sed navis interea, receptis anchoris, secundam tempestatem non præter-

Rex Tunetanus ea pollicetur de quibus Melitę convenerat.

Factâ abeundi copiâ navim conscendere parat.

Divino consilio solvendi facultas negatur.

misit, expassisque carbasis e conspectu jam abierat. Compertum est itaque divino consilio contigisse, ut appositam grandibus litteris subscriptionem nemo ante animadverteret, quàm sese navis proripuisset. Incredibile est, quibus lacrimis Princeps eum casum dignum putaverit. Post dies aliquot alia jam navis adornaverat profectionem, & ipse supellectilem, ac familiarem navigationis comitem imposuerat, expectabatque qui flagitaret. Verùm fœdissimæ tempestates nedum navigare, sed advolare cupientem detinuerunt, ad pridie idus Junias B. Antonii Patavini pridianis honoribus consecratas. Tum magnopere tristem, & mæstitiis omnibus cumulatum, ut inediâ, vigiliâ, silentio, luctu, insaniæ proximus videretur, mens ad horridam quamdam ostenti speciem avocavit. Obtulit sese animo mare immensum, altum, nigrum, & lutulentum, in quod immunditiarum, & sordium genera omnia, quasi flumina influerent; teterrimum proinde, atque olentissimum, & quavis sentinâ aut cloacâ impurius, ac fœtidius. Ferebatur hoc mare magno æstu incitatum in ampliorem, ac profundiorem oceanum furentibus flammis horrendum, & candentibus, liquatis, fluidisque metallis omni ex parte ferventem. Ipse in spurcissimis illis, olidisque undis, quasi naufragio mersus, ut solo capite extaret, ad deterrimum ardentissimi maris incendium æstu maximo raptabatur: quare gemens, & ejulans brachia nando jactabat, & contra furentium aquarum impetum viribus nitebatur; sed neque fluctuum vim, & torrentem incitationem vincere poterat, neque litus, quò evaderet, in infinito mari sese ostendebat. In tam insigni, & peremptoria rerum suarum omnium desperatione, quum quò se verteret non reperiret, intimo animi sensu ad Deum confugit, & cœlestem opem implorat. Tum repentè ex turbido illo mari scopulus ingens existit, & in ejus vertice procèrum staturâ virum, candidissimis indutum vestibus conspicatur. Ad eum oculos, & manus tendit, magnisque clamoribus, atque gemitibus obsecrat, ut naufrago, ac pereunti succurrat. Ille ad ripam lubens descendit, manum exporrigit, sublevat, ad emergendum adjuvat, & in sicco constituit. Ipse periculo exemptus, & ex metu recreatus, ad genua ejus procumbit, beneficii auctorem agnoscit, multis cum lacrimis gratias agit; ac nè sit nescius, cuinam se, suaque omnia debeat, ex eo quærit, quinam ille sit, cujus munere redivivus, vitam, & incolumitatem sit adeptus. Ille autem *sum equidem Christianorum Baptismus. Non alius te ab immundiſ-*

sima

Aliam nactus navim, a fœdissimis verò tempestatibus discessione prohibitus, mæstitiis omnibus obruitur.

Ad horridam ostenti speciem animo cõcipiendam sensibus avocatur.

Digitized by Google

sima sordium colluvie, & flammarum baratro eriperet: Agnosce, quaso te, in fœdissimis illis fluctibus, quibus eras involutus, Mahumedanæ superstitionis immanitatem, & fœditatem, quæ tibi adhuc est in amoribus, atque deliciis. Agnosce in vastissimo illo ignium vortice, sordidissimæ religionis exitum, æterna cum ruina conjunctum. Agnosce cœlestis misericordiæ abundantiam; quæ miris casibus professionem intercepit. Atque in his verbis ea scena, sipario quasi obducto, quievit, & peractà veluti fabulà sese diremit. Princeps sibi redditus, non eum qui fuerat, sed longè alium jam se esse intellexit. Divinus ignis barbaram mentem repentino illapsu conflaverat. Deletum illico sensit Parentum, liberorum, familiæ, Patriæ amorem; extinctam regnandi cupiditatem; obliteratam Mahumedanæ pietatis insaniam. Amotis hisce caritatis, & superstitionis aculeis, liber jam animus, quasi primam, & puram infantiam nactus esset, ad Christum evolavit. Quare attonitus, & cœlesti ardore inflammatus, in viam publicam prodit, & in omnem partem discurrens, clamabat, *Christianus sum*. Qui hominem norant, emotà mente, ex animi mestitia insanientem credidere. Sed nunquam eum saniorem fuisse compertum est. Itaque P. Joanni Mariæ Vellæ Melitensi, cujus pervulgata Melitæ erat doctrinæ, atque virtutis opinio instituendus traditur, quo tempore africanis positis indumentis, & barbà, summique verticis capillo detonso, more gallorum amictus prodiit. Deprehendit Vella splendidum, & altum ingenium, ac divinà jam caritate subactum, mentem discendi cupidam, doctrinæ idoneam, & interiorum litterarum elementis optimè imbutam; memoriam docilem, atque tenacem, ut quod semel arripuisset, non facilè dilaberetur; mores ingenuos, & temperantiæ, atque honestatis jure informatos. Facili proinde negotio inseruit rudimenta religionis; & quadragesimo die nullam esse causam pronunciavit, cur eximius christiani nominis candidatus diutiùs sacro fonte arceretur. Defleverat enim, ut a Vella fuerat edoctus, perpetuis lacrimis superioris vitæ fœditatem, & culparum veniam a Deo poposcerat non modò verbis, sed etiam corporis cruciatu; nam singulis noctibus, jam func, jam taureis, jam loris nuda terga ad lassitudinem usque, & sanguinem tundere consueverat, tanto cum gemitu, ut flendi, singultiendique impetus spiritum intercluderet, & ipse animo linqueretur.

Princeps ex illo ostento sibi redditus longè alium se esse intelligit.

Cœlesti inflammatus amore per vias publicas clamat: Christianus sū.

P. Joanni Mariæ Vellæ se Religionis rudimentis imbuendum tradit.

LXXXIV. Sed quæ non interea edidit virtutis, atque con-

In superandis animi motibus Ejus virtus, atque constantia.

constantiæ argumenta. Parum fuit, Regno, parentibus, liberis, uxore, Patriâ, rebus humanis omnibus se abdicare, nisi etiam naturæ illecebras, publicæ honestatis, ac fidei detrimenta, ferales domesticorum conquestiones, stygii quoque hostis insidias superâsset. Terrebant dormientem larvæ nocturnæ, quæ Mahumedis iram, & ex ea ærumnas, ac cruciatus omnes opponebant. Familiares interdiu obtestationibus, maledictis, diris, execrationibus propositum ejus oppugnabant. Querebantur: *proditam religionem, Patriam, & Regnum, relictos se hostibus ludibrium, & ignominiam, spem redemptionis depulsam; & eà demum explicatà, quis domum remigraret, & patris ejus conspectum sustineret? Vereri jam se libertatem magis, quàm servitutem, optare coactos quod maximum esset malum*: atque in sententia perstantem, veneno, aut ferro sustuliſſent, nisi cognitis insidiis, eorum deinceps consuetudinem, ac contubernium declinâsset. Reputabat etiam animo *propinquorum lacrimas, Familiæ luctum, popularium querelas, illatum regno vulnus, certissimam reliquæ vitæ mendicitatem, violatam ingentis pecuniæ fidem, quam Tunetano Regi obligaverat, nec liberare jam posset. Numquid Pater, filio nedum recepto, sed prorsus amisso, prò eo redempto solveret?* Sed nihil tam constantiam ejus in discrimen adducere posse videbatur, quàm quod per eos dies, Rex Tunetanus clandestinis litteris de morte patris ejus, seque ad regnum Fessanum capessendum, & jure sanguinis, & voluntate omnium evocari, nunciavit. Ea tamen omnia invictà fortitudine animi est aspernatus; & nondum christianis sacris initiatus, fortunis, commodis, honoribus, existimatione, rebus omnibus Christo litavit; cujus militiæ jam maturum, Vella inaugurandum ratus, solemni ceremoniæ B. P. Ignatii diem dixit, pridie Calendas Sextiles. Quo die in templo Societatis pulpito ad id constituto, utrinque adstantibus cum denso Equitum agmine, ordinis Jerosolymitani Proceribus magnà cruce insignitis, candidissimo argenteo serico indutus, sacrà lymphà anno ætatis quinto, & vigesimo, plaudentibus tubis, atque tormentis, superiore in loco lustratus est, tantà, tamque perspicuà animi sui voluptate, ut confertissimus, qui aderat populus residentis animo divinitatis vestigia, in ore, & oculis ejus, dulci fletu madentibus, intueretur. Præstare voluit sacræ jure adoptionis mores, & fidem ejus Joannes Paulus Lascaris Jerosolymitanæ militiæ Magnus Magister, qui quum senectute, ac vale-

Regnum fessanum aspernatus sacro fonte abluitur.

Digitized by Google

letudine prohibitus abfuiſſet, pro ſe deſignavit Didacum Melum, qui ejus nomine initiandum manu teneret, & ſe ſponſorem præberet. Appellatus eſt novus Chriſti miles, quaſi recens ad Chriſtianam vitam natus, ex *Mahometo Atazzi ſcerifo*, tribus item nominibus *Balthaſar*, *Didacus*, *Loyola*; quorum primum ſumpſit ex Balthaſare Mandolxio, qui Melitenſi claſſi præerat, quum ille captus eſt, patris loco ab eo ſemper habitus: alterum ex Didaco Melo, qui ſacro paterno jure, fidem ſuam interpoſuit: tertium ex B. Ignatio Loyola, cujus beneficio, ac die ſe recreatum prædicabat. Conſecutum eſt *Euchariſticum* Epulum, cujus guſtu, ac ſuavitate delibutus gaudia omnia cumulavit. Tum in æſtu lætitiæ, cujus, utpote redundantis abundantiam vix animus capere poterat, Deum enixè rogavit, ut partem aliquam voluptatis eo ipſo die in Melitenſem populum derivaret, qui ſummo ſtudio expiationem ejus frequentiſſimus celebraverat. Cupiebat enim, in ea religionis infantiâ, non ſine barbara quadam fiducia, ſignificatione aliqua de cęlo declarari, eam victimam Deo eſſe ratam; & mutandæ religionis conſilium ſuperis placuiſſe. Neque Deus ſimplices, & rudes preces, inanes eſſe paſſus eſt. Nam inopinantibus omnibus, ceremoniâ vixdum peractâ, prope meridiem, Melitenſium triremium claſſis ſeſe procul oſtendit, & ante veſperam, croceis ornata vexillis, cum captivis triremibus, exuviis, ſerviſque quamplurimis portum intravit, præclariſſimæ de Turcis relatæ victoriæ & nuntia, & teſtis, & particeps. Nam paucos ante dies in freto Byzantino unà cum Venetis adverſus Othomanorum claſſem conflixerat, eamque deleverat, neque ante eam horam, fauſtiſſimæ pugnæ ſive fama, ſive rumor præceſſerat. Itaque lætiſſimus hujuſmodi adventus Melitenſes gaudio exultantes mirificè exhilaravit, & Balthaſari certiſſimum divinæ voluntatis nuncium attulit; atque communem auſpicatiſſimæ lucis jucunditatem ex magna maximam fecit. Repeto jam intermiſſam narrationis ſeriem. Balthaſar ſacris perfunctus, e templo Societatis, apparentibus Equitibus, comitantibus optimatibus, ſequente turmatim populo, ad Laſcarim decumbentem eſt deductus; ab eoque ſinui admotus, & complexu, atque oſculo humaniſſimè acceptus, mutuas miſcuit lacrimas, & Chriſtianæ caritatis primitias deguſtavit. Sanctiſſimus ſenex torquem aurum collo injecit cum prægrandi numiſmate, cujus una facies *Deiparam*, altera Joannem Baptiſtam oſtendebat, pretioſum enſem ſuâ manu lateri aptavit, filium, & Equitem Jeroſolymitanæ militiæ dixit, ſecum accumberé juſſit, menſtruam-

Ad ſacrum epulum accedit, & omni gaudio repletur.

Peractâ ceremoniâ triremiũ Melitenſiũ claſſis victrix, & exuviis aucta inopinato appulſu lætitiam cumulat.

Balthaſar magnum Jeroſolymitanæ militiæ Magiſtrũ adit, humaniterque exceptus muneribus, & annuâ penſione donatur.

que

Digitized by Google

que aureorum triginta, quoad viveret pensionem ei addixit; eamque pecuniam, ubicunque esset, a procuratoribus suis diligentissimè curari mandavit. Denique digredientem rogavit, nè liber jam, & Christianus generis conditionem, quam summam, & regiam esse, omnes suspicarentur, diutius occultaret. Ille nonnihil tergiversatus, quòd eam rem ad inanem jactantiam pertinere verebatur; victus tamen auctoritate, atque precibus, flagitanti demum aperuit, esse se Fessani, Marrucinique Regis filium, & hæredem, Arabum Principum, ac Mahumedis nepotem, qui patre nuper extincto, oblatam sibi regnandi facultatem Christianæ servituti posthabuisset; exposuitque rerum suarum iliadem, & quàm insigni Dei beneficio, atque consilio, eò tandem collineasse omnia, ut e Mahumedanæ superstitionis sentinà ad puram religionis lucem emergeret. Lascaris regii juvenis virtutem, & animi magnitudinem demiratus lacrimas non tenuit, & iterum, atque iterum gratulatus, a complexu suo, lætitiis, officiisque omnibus cumulatum dimisit. Jerosolymitani Proceres sapientissimi Principis exemplo commoti, consequentibus diebus, summo studio certavere, ut regium adolescentem convivio exciperent, exquisitis ornarent muneribus, ac largitionibus, & pecuniâ juvarent. Sed Balthasar Mandolxius, quem ille ut Patrem diligebat, & verebatur, agnoscebatque auctorem salutis suæ; hospitem suum esse voluit, tectique ac mensæ, & fortunarum participem.

Regiâm generis conditione coactus, & jussus aperit.

Ab Jerosolymitanis Equitibus convivio excipitur.

LXXXIII. Ad hæc Balthasar futura prospiciens, animoque reputans, quot, & quales casus recipiat diuturna otiosæ vitæ cessatio, in barbaro præsertim adolescente, quem malarum artium expertem illecebris esse pervium, & insidiis patere necesse erat, collatis cum Vella, & Mandolxio consiliis, Melitensem commorationem suspectam habuit, & Romam cogitare instituit, ubi Deo se arctiùs manciparet, & idoneum vivendi genus accurato cum delectu aggrederetur. Acuebat Mandolxii curas Mahumedanorum conspiratio, quorum ex Balthasaris defectione dolor in furorem abierat, quod captivi quamplurimi, exemplo, ac verbis ejus incitati Mahumedem ejuraverant, & ad Christi castra transierant. Statuebant enim, eo vivo, & incolumi, Mahumedanam disciplinam continuò dilapsuram, & cultorem omnino nullum Melitæ habituram, magna cum avitæ religionis ignominiâ. Ceperant propterea ejus necandi consilium, sævum, & truculentum, ac vita ejus Mahumedi litandi, vel interdiu, vel in via, vel in foro, atque

Vella, & Mandolxius ob Mahumedanorum insidias Romã petat Balthasarem adhortantur.

eo

eò contrucidato, se pro vindicatæ d sciplinæ gloria, supplicio, ac cruciatibus omnibus dedere. Quibus cognitis, Mandolxius profectionem maturandam censuit; Balthasar verò, magno cum fletu, questus est, *ereptam sibi e manibus fundendi pro Christo sanguinis facultatem, cujus tanquam præmii religionis, minima jam esset jactura, quum populares sui idem sibi proponerent pretium superstitionis*. Obtulit exeundi occasionem Martinus Redinus Navarræ *Prior*, qui ad Siciliæ præturam a Philippo Quarto evocatus, eum sibi adjecit comitem navigationis, & commorationis Panormitanæ, dum navis occurreret, quà Romam veheretur. Panormum, quarto mense, quàm fuerat initiatus, cum Redino delatus comperit, pestilentiam Neapoli grassari, & in Urbem penetrâsse. Quare ab hospite petiit, ut per eum sibi liceret Melitam remigrare. Sed Redinus, qui adolescentis consuetudine, ac moribus magnopere delectabatur, non est passus eum abs se divelli, donec & pestilentia, & pestilentiæ suspicio resedisset, & Italiæ aditus, atque exitus patefierent. Erat tum in Domo Panormitana P. Bernardinus Bonicius Melitensis, vir egregius, & sapiens, ac Christianæ doctrinæ scientissimus. Hunc Balthasar, propter famam probitatis, & arabicæ orationis scientiam, quæ familiaris, & vernacula est Melitensibus, animi doctorem, ac ducem sibi adscivit. Bonicius, ut cognovit candidissimæ animæ dotes, & quæ animo volveret, ac diu, noctuque agitaret de secessionis delectu, reperitque juvenem nostratium litterarum, atque sermonis prorsus expertem, ut nihil adhuc nisi arabicè scriberet, loqueretur, & intelligeret, conatus ejus omnes eò tendere oportere pluribus ostendit, ut italicam, latinamque linguam addisceret, atque utriusque sedulam daret operam elementis, sub P. Petro Paulo Vassallo Melitensi, Collegii Panormitani alumno, qui arabicè optimè nosset, atque latinè, & sui erudiendi studio totum se traderet. Ad utrumque Balthasar statis horis, quotidie ventitabat. In ea autem peregrinæ orationis infantia, quum propter pronunciationis, & scriptionis novitatem, refugeret a labore animus, & linguæ plectra frustra quotidie delassaret, summam tamen difficultatem perseverantiâ mollivit, & patientiâ superavit. Auxit interea dolorem, & simul animi incitationem, Joannes Paris Melitensis, quem initio Mandolxius lateri ejus affixerat, & navigationum, atque itinerum comitem, eumdemque morum testem esse jusserat, Societatis jampridem candidatus, Panormitanis tironibus se aggre-

Proficiscendi occasionē Martinus Redinus hærenti suppeditat.

Ob pestilentiam Neapoli grassantem, Panormi a Redino detinetur.

Bernardinum Bonicium animi sui ducem addiscit, ab eoque Petro Paulo Vassallo latinâ, ac italicâ linguâ instituēdus traditur.

gaverat. Eo proinde, quem unicè diligebat, amisso, gravissimam expertus est solitudinem; & quasi auribus jam, & linguâ careret; elinguis, & ad confabulandum ineptus, ingenii, atque memoriæ vires omnes exeruit, ut nostratis eloquentiæ facultatem arriperet, dies totos in templis divinis rebus tribueret, & damnum lucro apponeret. Ceterum, quamdiu Panormi fuit, rhedam quotidie oblatam nunquam admittere, pedibus incedere, valetudinaria adire, ægrotantibus ministrare, pauperum pedes abluere, & osculari, quadraginta horarum religionem frequentare, tertio quoque die cœlestem panem sumere, duas, interdum tres continenter horas, ante divinam Eucharistiam de genu ponere, Deum quidquid ageret cogitare, perpetuis colloquiis cum eo familiariter agere, & christianæ virtutis numeros omnes attingere.

Christianæ virtutis numeros omnes Panormi attingit.

LXXXIV. Sed quarto mense Messanam cum Redino delatus, nihil secum Panormo attulit, præter Jordani Cascini codicem de S. Rosaliæ rebus gestis, & ejus Virginis religionem, quam summam hauserat, & animo altè infixam gerebat. Nam pretiosa universæ nobilitatis munera, proficiscenti dono missa, constantissimè repudiavit. In ea lectione, quum jam italicè nonnihil sciret, suavissimè immorabatur, atque intimis hærebat medullis humanarum rerum fuga, quam memorabili exemplo indicatam admirabatur. Nactus est ibi vitæ magistrum in Domo Mamertina, P. Jacobum Cassiam; & litterarum in Collegio P. Didacum Aquilinam, utrumque Melitensem; viros planè optimos, & doctrinæ, ac pietatis laude spectatos, quorum consilio, atque industriâ, & religionis officia duplicavit, & discendi laborem eatenus provexit, ut italicis notis, ac verbis commodè scriberet, & loqueretur. Sub idem tempus, ut in B. Catharinæ Templo divinam dapem gustavit, Dei intimè loquentis vocem audivit, in hanc sententiam: *Balthasar; si sapis, fac me diligas, & uni mihi servias, reliqua præter me, fac negligas, & asperneris omnia.* Consequuta est sapientissima quædam ebrietas cœlestium deliciarum, quibus imbutus animus divina passus est. Sibi redditus, quasi evigilans, sentiebat adhuc ejusdem vocis intimum quemdam tinnitum, qui fibras, atque medullas dulcissimâ voluptate permulceret. Illapsibus ille supernis tum primùm delibatis, attonitus, & sui vix compos, a Jacobo Cassia edoctus est, ut si fortè vox eadem illaberetur, responderet, quemadmodum Paulus equo dejectus, *Domine quid me vis facere?* Postridie, ut ea vox intestina personuit, & ipse

Messanam cũ Redino delatus P. Jacobum Cassiam vitæ Magistrum, & litterarum P. Didacum Aquilinam nactus est.

Gustato vix divino epulo Deũ intimè loquentem sentit, & Cassiam consulit.

Actor. cap. 9.

Cas-

Cassiæ morem gessit; interiore admonitu didicit, placere Deo, ut ab eodem Cassia requireret cœlestis consilii voluntatem, & ea sequeretur, quæ ipse censuisset. Cassia, spatio ad deliberandum sumpto, disertè postmodum significavit: *Gratissimum Deo futurum, & ad æternam ejus salutem pertinere, si ad latinitatis rudimenta animum adverteret, quibus imbutus, Sacerdotio insigniretur; facilè esse ab italicis litteris ad latinas, propter utriusque linguæ affinitatem, & cognationem, gradum facere.* Utrumque Balthasar sua sponte respuebat, utpote arduum, & naturæ contrarium. Discendi assiduitas tædium, & satietatem afferebat. Sacerdotii sublimitas, & cælibatus, Christianæ militiæ tironem, & veneris a pueritia conscium, neque ab ejus desiderio adhuc satis immunem deterrebat. Fregit tamen refugientis ingenii impetum, vestemque illico induit nigram, atque talarem; & Aquilinæ se obtulit, latinis elementis informandum. Deus verò infantem adhuc, necdum ab ubere, & lacte depulsum recreavit, adjuvitque conatus ejus, & tristem, atque subdubitantem illustriore voluntatis suæ testimonio confirmavit. Quum enim apud Redinum diversanti obscenæ se per quietem larvæ obtulissent, & naturæ appetitum exsuscitâssent; ac somno excusso, titillationis illecebram urgere pergerent, ipse verò, cognitis insidiis, e lecto desiluisset, & ferrea nactus canum retinacula, nudum corpus vehementissimè cæcidisset, seque manante sanguine consauciâsset, neque ab ea carnificina destitisset, nisi dilapsis viribus, exanimatum terra excepisset, divinam opem illico expertus est. Nam exuberantium gaudiorum inundatione demersus animus, non secus, ac si corpore jam careret, nullà deinceps in omni vita veneris prurigine tentatus est. Hæc quum gererentur, Redinus, Lascari extincto, summus Ordinis sui Magister, & Melitæ Princeps, absens dictus est; quare ante anni exitum, præturam posuit, & ad principatum capiendum Melitam navigavit, & unà Balthasar, quo ad colloquendum sine arbitris jam idoneo familiarissimè utebatur, gaudebatque recentissimum religionis alumnum ita de Christianis officiis, atque mysteriis, audire differentem, ut si a puero ea didicisset & in eorum eruditione consenuisset. Certavit cum Redino Mandolxius, uter hospitem domi haberet. Vicit Mandolxius, qui quasi filium perpetuò abfuturum, nono mense insperatò recepisset, stillantibus ex gaudio oculis, ab ejus complexu distrahi non poterat; apertéque declaravit, fieri non posse, ut se vivo, a mensæ, con-

Divinâ itérum voce auditâ edocetur, Cassiæ arbitratu sibi esse vivendum.

Noctu obscenis agitatus larvis vehementissimè cæditur, & deinceps quovis veneris desiderio eximitur.

Extincto Lascari, Melitam revertitur cũ Redino, ut hic summus sui ordinis Magister dictus est.

Mandolxii hospitio exceptus cum eo Messanã deducitur.

tabernii, & rerum omnium communione discederet. Sed divinum non fuit consilium, ut Balthasar Melitæ deliteſceret, & in periculo verſaretur. Quare ea Redino injecta eſt mens, ut Mandolxium iterum claſſi præficeret, & in expeditionem exire juberet, die quadrageſimo ex quo præfecturam capeſſierat. Mandolxius claſſem conſcendit, ſecumque Meſſanam deduxit amoris, & curarum ſuarum alumnum bene peculiatum, cum Redini, ad P. Joannem Pariſium Rheginum, qui Domum Mamertinam adminiſtrabat, litteris, quibus enixè petebat: *Nè gravaretur Balthaſarem amicum, atque hoſpitem ſuum, & Societatis beneficiarium, ac prope alumnum, domi retinere, atque alere; quod tamen ſine incommodo fieret angustæ familiæ, quæ ex aliena miſericordia viveret: dediſſe ſe negotium procuratoribus ſuis, ut pecuniam Meſſanæ curarent, quæ annuis alimentorum penſionibus, & domeſticis uſibus abunde eſſet.* Itaque gratulantibus omnibus, lætus, ac geſtiens hoſpitio exceptus eſt, VIII Calendas Decembres 1657. Leges ibi familiæ nedum omnes, ac mores ſibi propoſuit, ut ſi eodem ſacramento teneretur, ſed plura de ſuo adjecit cùm privata, tum publica pietatis officia, quæ veterani mirarentur: de genu nimirum, aut humi ſedens cibum capere, infra Sacerdotes accumbere, & primum inter Fratres locum nonniſi juſſus, & invitus non recuſare, emendicare ab accumbentibus, eduliorum fruſtula; ſuper menſam reprehenſionem flagitare, atque audire, & mulctæ nomine publicè ſe flagro ad vivum cædere; ad triclinii limen, ante, & poſt prandium, tranſverſum, & ſupinum jacere, ut ab intrantibus conculcaretur; ſingulorum pedes de genu, & repens exoſculari, verrere ſordes, culinariis obſequiis manus afferre, ollas, & caccabos repurgare, pateras a prandio reduces abluere, atque abſtergere. Quo in munere quum verſaretur, ſublimem è regione *Deiparam* eſt conſpicatus, audivitque lætabundam. *Quàm mihi places Balthaſar? Perge jam, perge, ſordidas mundare lances; atque in iſto labore, ut tibi etiam placeas velim: nam & ego, quum in vivis agerem, a prandio, & cœna, purgabam lances, & pateras; fierique gaudebat officii particeps Jeſulus meus, ac in eo plurimam ponebat operam.* Mirum quantum ad ea verba exarſit animus ejus. Nihil deinceps fuit jucundius, aut glorioſius, quàm ad humilia ejuſmodi obſequia ſe demittere, & diem nullum eo labore vacuum tranſmittere.

Hoſpes, & alũnus a P. Joanne Pariſio in dòmo Mamertina detentus eximiæ pietatis ſpecimen præſefert.

Culinariis obſequiis inſiſtẽti Deipara ſe ſpectandã præbet, dulcique eum alloquio dignatur.

LXXXV. Neque ſegnioremin corpore frangendo ſe præbuit. Nihil non commune, non vulgare, & extra triclinium

gu-

Digitized by Google

gustavit unquam. Ea ipsa quæ apponebantur, si delicatiora essent, non attingebat. Viliora sibi non indulgebat, nisi parcè, & eà prius parte sepositâ, quæ minus displiceret. Potissimum noctis spatium, vigilando, supplicando, legendo transigebat. Somno minimam dabat requiem, & nudos asseres cubando premens. Brachia, ilia, femora aculeatis perstringebat catenis, quas non ponebat, nisi juberetur. Flagrorum consuetudinem bis quotidie in religiosis rebus habuit, eáque cubans, & surgens diem claudebat, & inchoabat: diebus verò, quæ præcipuà religione colerentur, cruento se flagello verberabat, ut sanguis largè difflueret. Matutinas horas domi se continens locabat litteris; unam italicis, quas jam degustabat, & arabicis præferebat, duas latinis, quibus ægrè serviebat, & laboriosissimè immorabatur; solabatur tamen injucundam animi defatigationem, B. P. Ignatii exemplo, qui anno ætatis trigesimo ad latinitatis limen accessit. Id nihilominus anno secundo est assecutus, ut jam latiè non nesciret, linguæ mundities, & vim agnosceret, auderetque divinum codicem commodè interpretari, & arabicè, atque italicè convertere. Vespertinum tempus, in valetudinariis, atque publicis custodiis, sed præcipuè in templis collocabat. Acriores tamen ejus curas sollicitabant africana mancipia, quorum institutionem primam habuit, ut a Deo sibi collatum religionis beneficium cum popularibus suis communicaret; quos ille accuratè conquisitos, atque in unum locum contractos, jam singulos, jam universos alloquebatur, & tamdiu erudiebat, quoad condocefactos, Christo conciliaret. Numerati sunt eo biennio Mamertinæ commorationis servi Mauri plusquam viginti, qui ejus operà publicè lustrali lymphà sunt expiati, in quibus erat nobilis Afer Redino carissimus, quem ille diu reluctantem, & colloquium, atque conspectum ejus callidissimè declinantem, denique sibi demeruit, & expugnavit, atque expiatum, Redino lubente, in libertatem asseruit. Externorum consuetudinem vitavit omnino omnem, neque ullis precibus, aut officiis vinci ab eo potuit, ut in eorum domos pedem inferret. Hærebat animo Philippus Austriacus Tunetani Regis filius, & hæres, qui superiori tempore, ut in congruentibus annis demonstravimus, Panormum cum familia ultro venerat, & celeberrimà ceremoniâ in Panormitanæ Domus templo lustratus, atque magnificè habitus, procerum omnium hospes, atque conviva, quum perpetuis peregrinationibus, atque lautitiis, Europæ Reges, ac principes consalutâsset, eorumque Regias con-

Quotidiana ejus studia, ac pietatis exercitationes.

Ejus operà plusquã viginti Mahumedani lustrali limphà expiantur.

A familiari procerum consuetudine Philippi Austriaci exemplo deterretur.

Digitized by Google

concurſaſſet, a Philippo Hiſpaniarum Rege in Italiam redux, compoſitis ex condicto inſidiis, retractus ex itinere, & in Africam abductus, magna cum religionis contumelia ad Mahumedanam ſuperſtitionem remigravit, & in ea vitam clauſit. Quare horam a prandio, & cœna, ad colloquiorum hilaritatem, quotidie deſignatam, cum tironibus, qui Mamertina in Domo terni diverſantur, plerunque ponebat, reliquum tempus ſilens, & ſolus lectioni, & cœleſtium rerum contemplationi dabat. Quod ſi Proceres Civitatis ad eum ventitarent, jam excuſabat orationis infantiam, jam tirocinium religionis, jam peregrinitatem morum, jam barbaram ruſticitatem. Sed ſi moroſiùs confabulando tempus ducerent, derivabat ſcitè ſermonem ad humanarum rerum inanitatem, & fugam, ad vitæ brevitatem, ad pericula ſummæ ſalutis, ad Chriſtiana pietatis, & religionis officia, ad temporis pretium, atque damnum. Quod quum liberè, ac ſapienter faceret, nec inurbanè, & rhedam, ſcenam, ſpectacula, congreſſioneſque vitaret, facilè omnibus perſuaſit, otium ſe non habere, quod religioſis curis ademptum, urbanitatibus impenderet. Quare qui ſtudioſiores ejus erant, ſatis habebant, vel prætereuntem intueri, vel templa adire, quæ ipſe frequentaret, ut cœleſti quadam oris, & animi alacritate ſupplicantem viderent, vel in valetudinario adeſſe, & Balthaſarem contemplari, ſcopis purgamenta amoventem, lectulos reficientem, & concinnantem, ægros humeris ſublevantem, eorum pedes lavantem, & abſtergentem, ulceribus etiam figentem oſcula, & ſuaviſſimis verbis ſalutarem animis operam adminiſtrantem.

Excuſationes affert, quominus externorũ colloquiis delectaretur.

LXXXVI. Sed contra ejus voluntatem nonnulla contigerunt, quæ caritate quidem ardentem, at nondum Chriſtianâ palæſtrâ ſubactum tironis animum nonnihil contriſtârunt, & divinæ clementiæ abundantiam promeruerunt. In ſacris B. P. Ignatii commentationibus, ſub P. Franciſco Navanterio Syracuſano Balthaſar dies octo, vehementiſſimè commotus, & cœleſtibus beneficiis cumulatus traduxerat; condixeratque proximam noctem, Chriſti natalitiis conſecratam, Sodalibus quibuſdam, qui in *Jeſu Mariano Tubarum* Sacello, inſigni celebritate, frequentiâ, atque concentu, nocturnas vigilias agitare conſueverant pridie ejus diei, quo *Deiparæ* partus colitur, expoſito etiam theatro, ubi Betlemiticum antrum cum paſtoribus, atque jumentis elegantiſſimè elaboratum, infantulum recéns natum oſtendit. Seceſſu itaque exacto, quæ, & quibus condixerat Navanterio aperit, & exeundi veniam petit. Negat ſa-

Nonnullæ ejus animum moleſtiæ contriſtant.

Domo exeundi deſiderium nocte Chriſti natalitia P. Navanterii conſilio ægrè compeſcit.

Digitized by Google

sapienter Navanterius: *Placere sibi, nocturnam illam itionem, docetque non vacare periculo in tenebris administratam, angustoque in loco religionem, ad quam mulieres confluerent; cavendumque quàm maximè, nè octo dierum laborem nox una in deterius verteret, atque deleret. Non absimilem in Templo Societatis exhiberi ceremoniam. Cur alibi quæreret, quod domi non deesset?* Balthasar nè verbum quidem addidit, & silens obtemperavit. Quoniam verò sodalibus se adfuturum receperat, neque præstaret; adeo gravem, & acrem naturæ repulsam expertus est, ut animi motum sedare non potuerit, & eam noctem flendo transegerit. In eo mentis tumultu præsto fuit stygius hostis, & in memoriam revocavit domum paternam, uxorem, liberos, delicias, imperium, & quæ domi temere reliquisset, & quæ regrediens inveniret. Occurrebat summa, in qua adolescens versabatur inopia, orbitas, solitudo, & pene servitus. Denegari sibi, quod famulis, & christianis quoque servis concederetur. Incitabant animi dolorem, & ægritudinem prætereuntis populi voces, & tibiarum concentus, qui lætissima in nocte, omni ex parte personabant. Ipse pugnandi insolens, neque insidias deprehendens, vigilare cogitur, & æstuantem animi angorem, jam frangere, jam fallere frustra conatur. Tum lecto surgens in genua procumbit; gemens, & ejulans vicem suam dolet: *Quòd alienis in terris, sine patre, sine matre, sine propinquis, ab hominibus, superisque desertus, quò se vertat non habeat. Dei opem implorat, Deiparam obsecrat, ut misero juveni subveniat, nève procellis jactatam naviculam, molestissimis curis tamquam fluctibus, obrui sinat. Neminem esse, qui auspicatissimà nocte, cœlo melle fluente, non lætaretur; se unum in mærore, ac luctu jacere.* Hæc animo agitantem lacrymarum veluti nimbus ex intimis erumpens præcordiis, debilitavit, & ad languorem dedit; quum repentino illapsu, & rigente capillo, ut si præsentem Deum vereretur, summa quædam voluptas, cœlestis beneficii nuncia mentem pacavit, beavitque medullas intimas, ut inter superos versari videretur; lux clarissima mox affulsit, & ex ea cœlo delapsus formosissimus infans, nudus, & quasi ex utero recens collum ejus appetit, frontem, & oculos exosculatur; modis omnibus amorem, & benevolentiam ostendit, ac divinà flagrantem caritate relinquit. Id tamen cœlestis muneris initium fuit: nam paulò post, ut in templum ad sacra officia descendit, vidit in duas partes

Ex ægritudine animi varias Demonum insidias incurrit.

In eo mentis tumultu divinā opem implorat.

Ex admirabili divini infantis ostento cœlesti voluptate recreatur.

ies cœlum discedere, & inter æthereos concentus, prodeuntem exinde Virginem Matrem, Sole, ac purissimis Stellis super cæruleo amictam, quæ infantulum sinu gerens, ad eumque properans: *Quid est*, inquit, *quod dixisti, Balthasar, te matre carere? En me. Equidem tua sum mater*, quæ quum pronunciaret, manum pectori admovit, quasi dictum Sacramento confirmaret: tum ad filium se convertens: *Vidistine*, ait, *Balthasarem tristem, & de orbitate querentem? Esne tu, fili, pater ejus?* Infans subridens annuit, Mater exosculata genas ejus, quasi gratias ageret, scenam clausit, seque in cœlum recepit. Balthasar ostento recreatus, testari postea consuevit, gaudia ejus noctis, omnibus orbis terrarum regnis, & imperiis redimi non potuisse. Gesta sunt hæc anno 1657.

Beata Virgo, & Divinus infans Balthasarē in filium adscifcunt.

LXXXVII. Sibi tamen iratus, & mirificè pudibundus, quòd tam molliter leviſſimam tulisset repulsam, demiratusque divinam clementiam, quòd culpam supplicio dignam, tanto præmio affecisset, sævioribus in se flagris animadvertit, & perpetuis lacrimis eam animi levitatem deflere nunquam destitit. Sed nondum satis edoctus, & in christiana disciplina exercitatus, post aliquot menses in alium incidit casum, in quo patientiam quidem exeruit, sed non alacritatem, perfecto homine dignam. Intimam Balthasar contraxerat familiaritatem, cum P. Matthæo Taverna Mediolanensis Provinciæ alumno viro illustri, qui peractis in Æde maxima, sacris per christianum jejunium concionibus, Messanæ æstivabat in Domo Mamertina. Agebatur Virginis in cœlum Assumptæ dies magnis honoribus, ludisquæ publicis, in quibus erat equorum certamen, tendebatque stadium propter domum Societatis, quà fronte prospicit viam maximam civitatis. Placuit Tabernæ Balthasaris conclave, ut ex ejus fenestra cursum spectaret. Balthasar ejus gratiâ, calidissimo anni tempore, dulce sorbillum paraverat; sed quem miserat, qui nivem emeret, quà poculum refrigeraret, ut concretum, & congelatum apponeret, incidit in P. Josephum Ventimigliam, qui Domui præerat. Hic negligi se arbitratus, quòd se inconsulto, ejusmodi lautitiæ Domum inferrentur, jussit, famulum redire, quà venerat; negavitque se passurum, delicatissimis hisce poculentis, pollui claustrum Societatis, & disciplinam inquinari. Quod quum Balthasari delatum esset, ita nuncius perstrinxit regium animum, ut si pectus ejus sicâ transigeret, & cor transverberaret. Siluit tamen,

Animi levitatem in adversis, flagellorum sævissimis acuminibus plectit.

Sorbillum ab eo paratum Josephus Ventimiglia nive congelari vetat.

men, & in genua provolutus, diffluentibus lacrimis, dolorem animi Christo, ejusque Matri concessit. Recurrebant nihilominus tristissimæ illæ curæ, quæ anno superiore mentem ejus exagitaverant, & in discrimen adduxerant. Itaque biduum quasi in acie, pugnando, atque lugendo consumpsit. Tum demum, quum in Pilerii Templo ad aram Deiparæ supplicaret, vocantem audit; attollit oculos, videt Reginam superum inter alatos ephæbos ad se cœlo labentem. Illa adstitit coram; exertamque mammam digitis premens, exsiliente lacte, labia ejus respersit. Quod quum ille cœlesti gaudio colliquescens gustâsset; ea inquit: *Numquid Balthasar tuum illud dulce sorbillum, meo lacte dulcius, ac suavius fuisset?* Quærenti autem de Romana profectione, an eam Deus haberet de cœlo ratam, respondit: *Ito, Balthasar, ito. Ipsa eunti non deero. Tu interea bono, atque lato sis animo. Fili mihi carissime.* Atque in his verbis suavissimè gratulantem, & lætitiis omnibus diffluentem deseruit. Balthasar utroque casu admonitus, nihil tam deinceps optavit, quàm ut omnia dura, & aspera, ac contra voluntatem acciderent. Sed novum, & longè gravius, ac periculosius, pugnæ genus se obtulit. Tentavit ejus propositum hostis tartareus, ostentis, terroribus, larvis, perpetuisque molestiis. Concutiebat interdum cubantis lectum, ut si terra moveret. Obtrudebat identidem oculis Christi, ac Deiparæ speciem, inania, absona, periculosa suadentium, cujusmodi erant in Patriam reditus, ut Mahumedanam superstitionem everteret; honestissimæ nuptiæ, quibus solitudinem sublevaret; libera colloquiorum facultas, quorum consuetudine, amicos sibi pararet; christianos, urbanosque mores addisceret, colloquentes ad bonam frugem adduceret: Inopiæ metus, & fuga, nè diutius ex aliena misericordia precario viveret, qui neque domum, neque censum, neque famulum, neque servum haberet proprium. *Quid faceret, quidve peteret, atque spectaret, claustro, atque conclavi sepultus? aut quis futurus esset exitus rerum suarum, quum tam diuturnus esset ab adolescentia ad senectutem cursus?* laudabant etiam stygiæ larvæ B. Rosaliæ exemplo, secedendi consilium, & solis in locis, asperisque specubus delitescendi, ubi austerissimam vitam duceret, & procul a turbis, & curis nihil esset, quod cœlestium rerum meditationem interpellaret. His artibus connitebantur malæ furiæ, a Societatis sinu, atque complexu doli expertem adolescentem abducere, & mentem ejus technis involvere,

Pro sorbillo cœlesti Deiparę lacte donatur.

Romanam ejus profectionē de cœlo Deus ratā habet.

Tartareis impetitur fraudibus, ut e Societatis sinu abducatur.

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE DE MADRID

Digitized by Google

ut præstigias, & aurium, oculorumque ludibria, a cœlestibus visis non dignosceret. Balthasar tamen, cujus summum erat acumen mentis, per se intellexit, quid interesset inter veram, falsamque speciem. Hanc enim animadvertit habere præviam interni sensus caliginem; comitem nauseam, tædium, satietatem; sequacem animi languorem, & insulsam amaritudinem. Illam verò præmittere suavitatem, lucem secum afferre, post se vestigia relinquere alacritatis, & jucundissimæ caritatis. Mirum autem fuit, quod quum larvatæ illæ superûm imagines, uxorem commemorarent, & superioris vitæ gaudia proponerent, nulla unquam consecuta est titillatio, quæ vel appetitum veneris, vel naturæ desiderium excitaret. Balthasar itaque probè, scitéque dijudicans stygias fraudes, & ostenta cœlestia, illas continuò aspernabatur, fugabatque tartarea monstra dexterà crucem significans.

Præstigias a cœlestibus visis dignoscens larvatas superûm imagines aspernatur.

LXXXVIII. Sub idem tempus Pontifex Mamertinus, Pactensi Antistiti fecit potestatem, ut Balthasari cupidissimè flagitanti, & latinis litteris satis exculto quatuor minores ordines solemni ceremoniâ impertiret. Auctoratus jam, & sacris officiis addictus religionis obsequia duplicavit, seque totum latinis litteris tradidit, ut Sacerdotio potiretur. Appulit interea Messanam P. Joannes Rho, qui sacrum præconium Melitæ fecerat, & Romam properabat. Cum eo Balthasar transegerat, ut cum Goswino summo Societatis Antistite de se ageret, & Romanam profectionem explicaret. Quod quum Joannes accuratissimè præstitisset, & exeundi tempus adventaret, jussus est Balthasar rerum suarum omnium commentarios perscribere, ex quibus petita sunt cum superioribus, quæ sequuntur, in hanc sententiam. *Post sumptum divinum Panem adstitit mihi Christus stolatus, & candidatus, atque intestino furiarum tumultu circumventum, lustrali lymphâ respersit, eam ipsam expromens ceremoniam, quâ defunctorum corpora Christiano more lustrantur. Tum è vestigio intellexi, stygia monstra superari non posse, nisi res humanas omnes ita negligerem, ut si essem omnino extinctus. Quare ex eo tempore mortalis vitæ curas abjeci, meque è vivis jam abiisse putavi; neque aliud deinceps fuit tam salutare præsidium, quo larvarum imagines arcerentur, quàm ejus rei meminisse. Calendis Januariis anni 1659, quum inter lemurum insidias, quasi in euripo jactarer reciprocantium curarum, adfuit mihi de cœlo, elegantissimâ specie, mei custos spiritus, qui hostibus in fugam conjectis, sedavit animum, his ipsis verbis, quàm vel-*

Quatuor minoribus insignitus ordinibus P. Joanni Rho ut de Romana profectione cũ Goswino agat, commendat.

Cœlestium beneficiorum omnium commẽtaria jussus perscribit.

Digitized by Google

vellem infernas bestias fortius, & alacriùs aspernareris! Imbelles sunt, & edentulæ. Quid vereris Balthasar, quum Deus tecum sit? Obtulerunt se mihi interdiu, & vigilanti Patris mei manes, quasi cœlo delapsi, meque pluribus perfidiæ postulàrunt, quòd Mahumedis transfuga ad Christianam superstitionem ab avitis sacris defecissem; rogabantque, quodnam divinitatis vestigium in ea bucella deprehenderem, quam cœlestis instar nectaris paulò ante sumpsissem, & adorâssem? Eà re perturbatum, & molestissimis vexatum cogitationibus, a quibus mentem avocare non possem Deipara cœlesti vultu beavit; divini panis mysterium aperuit, gustum impertivit, addiditque; o Balthasar, quid est, quod præstigiis commoveris, vereriſque fictam patris imaginem, & ejus dicta ullius pretii ducis esse? Numquid potes non meminisse, te neque patrem, neque matrem habere aliam, nisi Jesum, & Mariam. Equidem ero tecum in vita; tu mecum eris post mortem. Ea verba, & omnes animi angustias obliterârunt, & me incredibili voluptate cumulàrunt. Accidit etiam, ut quum solitudo, peregrinitas, egestas, in qua essem, tenacissimè menti obversarentur, & præsentes res meas cum præteritis conferrem, neque quicquam reperirem, quod ægritudinem animi sanaret, Deumque magnis clamoribus, ac multis lacrimis, ut præsto esset, obtestarer, Jesulus infans repentè collo meo brachia conjecit, genis oscula impressit quamplurima, meque intuens, & iterum, atque iterum secedens, & in amplexum ruens, modis omnibus amoris abundantiam significabat, & excitabat; silens tamen, ut infantiam decebat, quoniam quæ divina sunt, proportionem servant, & ratione administrantur: donec in virum repentinà conversione mutatus, Ego sum Jesus, inquit, mundi auctor, & dominus. Pudeat te jam eorum diutiùs meminisse, quibus te abdicâsti. Quisquilia sunt, atque sordes, si cum regno conferantur, quod tibi destinatum non ignoras. Quibus ter ingeminatis, meis ex oculis sese ademit. Recurrebant tamen identidem præsentium miseriarum imagines, & animum distinebant, commiseratione quadam rerum mearum; quum mihi se obtulit divina Mater, & quasi miraretur, quòd sine causa dolerem. O te beatum! ait; & in ipso dicto videri desiit; meque a mœrore ad summam jucunditatem traduxit, quam paulò post ex magna maximam fecit cœlestis infans, qui nudus, algens, & humi jacens spectaculum de se mihi præbuit exempli plenum, quo intelligerem, quanti sit mortalium

lium rerum inanitas. Per vias quoque publicas spatianti, & vel inania cogitanti, vel curiosius, ac cupidius intuenti, quàm sapissimè mihi occurrebat, jam Christus, jam Mater ejus, jam unà simul, quorum conspectus humanarum rerum cogitationes, oblivione delebat omnes, & mentem ad cœlestia revocabat. Admonuerat me Navanterius, ut externorum hominum familiaritates declinarem, etsi piæ, ac salutares videbantur. Tergiversanti autem mihi, neque satis acquiescenti, edixit, ut ea de re Christum consulerem, si fortè se mihi ostenderet. Adfuit eodem die, rogatusque: Nè graveris, ait, Navanterio auscultare, cui vel ego quotidie morem gero. Quod quum non intelligerem, adjecit. Ejus immolantis voce accersitus, ad manus ejus descendo. Obsecrabam deinde, & magno cum fletu petebam, ut mihi latinæ linguæ gratiam faceret. Exponebam peregrinorum verborum, ac litterarum, molestiam planè incredibilem, quam diutiùs ferre non possem, utpote cruciatibus omnibus, & morte ipsà graviorem. Hærere me in singulis vocabulis, ac notis, ut si totidem sese montes opponerent, quos sternere, ac complanare oporteret. Christus autem respondit. Possem equidem, & statim, & facilè, quod flagitas, indulgere. Concederem tamen, si non amarem, aut expediret. Meum est, non tuum, quid tibi prosit, quid noceat dispicere. Quod ad discendi laborem attinet durum, & improbum, molliendum quidem arbitror, & leniendum, non adimendum. Tum propius accessit, lateris vulnus admovit, atque bibe, inquit, Balthasar, ex hoc fonte caritatis, atque salutis. Potavi quidem quasi ex ubere sugerem, donec infinitâ suavitate ebrius, & sensibus ereptus in eo fuerim, ut animus voluptate imbutus, & planè obrutus, corpus desereret, & ex humanis artubus evolaret. Ex eo die nihil fuit latinâ eruditione laboriosius, nihil jucundius. Caninam litteram exculpere conabar, neque ullâ ratione poteram. Rogavi Deiparam, ut linguam explicaret, & difficultatem amoveret. Continuo mihi adstitit, aitque. Quin tu calculum adhibes infra linguam, quemadmodum Demosthenem fecisse nosti, quo duritiem frangas, & tarditatem vincas. Parui, & trium dierum labore vitium est omnino emendatum. Pridie Christi natalitiorum infantulum Jesum in præsepi jacentem, & flentem vidi. Rogavi, cur fleret. Desleo, inquit, peccata tua. Mirabar, quod infans præter morem loqueretur. Requisitus quare id faceret. Divinam opposuit sapientiam, &

eva-

evanuit. Quum in ade maximà salutationi interessem, cujus initium est, Salve Regina, sublimem aspexi Deiparam, qua ad ea concinentium verba; ad te clamamus exules filii Evæ. Oculos, & manus sustulit, quasi Deum rogaret. Ad ea verò in hac lacrimarum valle, cœleste agmen, quo stipabatur, ad pedes ejus procidit, eamque pronum adoravit. Christus cor meum ter sordibus expurgavit. Primum novacula illud præcidit; & virus abrasit. Iterum insertis invicem digitis illud utraque palmà compressit, & erumpentem livorem spongià absterst. Denique pectore eductum lateris vulneri intulit, & cor cordi admovit, mihique restituit. Qui fletus, qui dolores, quæ gaudia, quæ morum commutationes! Deipara dextræ mammæ papillam ori meo inseruit, atque ut sugerem jussit; faciem quoque lacte respersit, seque meam esse matrem, ac sponsam pluribus inculcavit. Jesus ex ejus sinu in meum advolavit, seque patris esse loco testatus est.

LXXXIX. Verùm morosiùs singula persequi otiosam potiùs decet historiam, quàm verecundè sollicitam, & festinantem. Quare reliquas ejusmodi divinæ beneficentiæ significationes, liceat strictim, & carptim indicare libentiùs, quàm exponere. Itaque qui ejus perlegerit commentarios, ingenuitate mirà, quemadmodum jussus fuerat, confectos, illud in primis deprehendet, quotidiana, & omnium ferè horarum fuisse visa cœlestia, quibus Deus religionis ejus initia confirmavit, ut novitiam quasi plantam assiduis imbribus de cœlo irrigaret, quoad ex peregrino solo traducta coalesceret; & radices inusitatis agris commissæ, altiùs descenderent, ac novum terræ sinum, nova alimenta adamarent. Occurrebant quovis loco, & tempore ostenta superûm, prandenti, cœnanti, cubanti, in conclavi, in templo, in via, spatianti, scribenti, danti operam litteris, sed quam sæpissimè supplicanti, præsertim statim a cœlesti convivio. Accedebant intimæ voces, arcanæ Dei præsentis, loquentis, âtque jubentis significationes, crebra divinitatis in eo residentis indicia; æstuantis, ardentisque pectoris palpitationes, nocturni, atque diurni cœlestium Symphoniacorum concentus. Quod si confectis, subductisque rationibus omnium numerus iniretur, ad millena ferè cadere reperirentur, quæ eo biennio mamertinæ commorationis cœlestia ei beneficia obvenerunt. Hærebat adhuc Balthasar incertus animi, neque satis explicabat, cui se addiceret, vitæ conditionem. Titubationem tamen omnem sustulit B. Franciscus Borgia, qui ei se conspiciendum de-

Divina ostenta, cœlestesque significationes ad millenas fere in domo mamertina habitas recenset.

Ad Jesu Societatem a Deo designatũ B. Franciscus Borgiæ perspeciem declarat.

A P. Joanne Rho admonetur per Gosvvinum non stare, quominus Romanam profectionem aggrederetur.

dedit; & subobscuris verbis indicavit, eum esse a Deo ad Jesu Societatem designatum: ait enim. *Da mihi acum Balthasar, & ego Societati te assuam*. Quæ sic est interpretatus, acum esse voluntatem. Hanc unam desiderari; reliqua parata omnia. Fidem Borgiæ dicto addidere P. Joannis Rho ad Balthasarem litteræ, quibus admonebatur; licere per Gosvinum Nichel summum Societatis Antistitem, ut in Romana Domo hospes diversaretur iisdem conditionibus, quibus in Mamertina fuisset: Proclivia esse omnia, ut Sacerdotio Romæ initiaretur, modò annuam pensionem, quam Lascaris constituerat, Redinus nonnihil augeret, & legitimà stipulatione ratam faceret. Balthasar mirum in modum lætus, quòd divinis humana congruerent, & cœlestis consilii numen apertissimè declararent, Societatis adeundæ propositum jamdiu conceptum alere instituit, ac Melitam cogitavit, & paulo post navigavit, inter nostrorum, & externorum lacrimas, comitante universà nobilitate ad mare deductus. Ut de ejus adventu Melitæ cognitum est, accurrit ad littus effusa civitas, & nullum fuit honoris, & gratulationis genus, quod prætermitteret. Confluxerunt salutationis causà Equites, Proceres, & Hierosolymitanæ militiæ optimates, certabantque officiis, atque muneribus tanti nominis, & virtutis sibi hospitem conciliare; & Mandolxio non tam gratulabantur, quàm coram, & palam invidebant, quòd unus cœlestem humanà specie animam hospitio exciperet, & apud se retineret. Ipse qui penè mutus exierat, compos jam italicæ orationis, obortis lacrimis, christianam demiratus caritatem, quòd captivus, peregrinus, egenus, tanti fieret, quanti apud suos in regno, & Patria, Princeps, & hæres vix æstimaretur, mirà quadam elegantissimæ humanitatis abundantià, habebat gratiam universis, singulos appellabat, inopiam, & peregrinitatem excusabat, quòd non nisi memorem, gratumque animum ostenderet, neque gratiam referret; denique modis omnibus ostendebat, quos tandem amabilitatis, & elegantiæ numeros attingeret, oris venustas, egregia indoles, excelsum ingenium, regius sanguis, christianis elementis optimè excultus. Redinus qui infantem dimiserat, eloquentem nactus, sinu excepit, oscula commistis lacrimis plurima adjecit, mensæ participem voluit, romanam profectionem commendavit, Societatis amplectendæ laudavit voluntatem, negotium, cujus gratiâ venerat, explicavit, in beneficiis ad ærarium detulit, menstruam pensionem ad aureos decem romanos ampliavit,

Melitam appellenti proceres turmatim occurrunt.

Redinus Balthasari humaniter excepto mē. struam auget pensionem.

&

Digitized by Google

& lubentibus concilii proceribus, publicis litteris confirmavit; perpetuum ordinis Hierosolymitani beneficiarium esse jussit, & lautissimum Romam usque viaticum impertivit, quod & optimates alii cumulatè auxerunt. Mandolxius præsertim, qui pecuniæ copiosam supellectilem, & omnis generis cibaria adjecit.

XC. Sed nullum erat, quod momenti tantum haberet, Balthasari explicandum negotium, quàm Fessani cujusdam Mauri colloquium, popularis sui, qui Mahumedanæ disciplinæ omnium longè doctissimus apud suos numerabatur. Huic Rex Fessanus Balthasaris Pater, quem initio Rex Tunetanus, ut filium hæredem spe, atque illecebrà dominationis, Melità eliceret, & a mutandæ religionis consilio avocaret, extinctum falsò nuntiaverat, in mandatis dederat, ut quacunque ratione fieri posset, captaret occasionem Melitam penetrandi; & neque pecuniæ, neque labori, neque vitæ etiam parceret, modò principem filium, vel a christiana religione abalienaret, ad seque reduceret, vel suà manu necaret, & ejus sanguine irrogatam Mahumedi, parentibus, generi, regno, popularibus suis, injuriam, & contumeliam aboleret; atque in utramque partem præmia proposuerat: si reduceret, honores maximos, atque divitias; si necaret, & ipse propterea supplicio afficeretur, Mahumedis gratiam vindicatæ religionis, & parricidii gloriam, & certissimam tanto facinori debitam cœlestis vitæ felicitatem. Maurus Tunetum venit, & inde quasi per occasionem religionis Mecam versus navigaturus, si fortè in piratam aliquem incurreret melitensem, qui eum in captivitatem abduceret, navem de quarta vigilia conscendit. Paulùm Tuneto digressus albescente cœlo, obtulit conficiendi negotii opportunitatem obvia biremis melitensis, quam divino consilio missam arbitratus, desilientibus in scapham aliis, & fugientibus, ipse causatus valetudinem navi se continuit, & capi passus est, atque in vinculis Melitam devehi. Dedit inde ad Balthasarem supremo mamertini hospitii tempore, graves, officiosas, amoris & obsequii plenas, atque arabico more elegantissimas litteras; in quibus: *Dissimulatà conversione religionis; & exposito captivitatis casu, copiosè de regno, de regia familia, regiisque Parentibus differebat. Quo loco res essent enunciabat. Quam molliter ejus desiderium populares sui ferrent, Qua, & quàm effusa, ac assidua propinquorum lacrima adventum ejus præstolantium. Qua fratrum funera eo essent absente, consecuta. Qui bellorum sta-*

Mandata Régis Fessani in Balthasarē filiū efficienda quidā Maurus aggreditur.

Balthasar officiosas, sed fraudolētas a Mauro literas accipit.

ſtatus, quæ victoria relata, quæ imperii acceſſiones priſtinos fines ampliâſſent. Docebat, Regem, ut ſenem, & valetudinibus conflictatum, nullum adhuc dixiſſe Regnorum hæredem; magnamque eſſe, ac omnino incredibilem reditus ejus expectationem. Hortabatur denique, quoniam occulta quædam haberet coram perferenda, quæ non ſatis rectè epiſtolæ committerentur, ſe captivitate prohibito, Meſſanam venire; nè gravaretur Melitam ad congreſſionem accedere, quam utrique fore jucundam, & ſalutarem non dubitabat. Balthaſar, qui gentis ſuæ mores, & artes probè nôrat, iis perlectis, agnovit inſidias, ac ſibi metuendum, atque cavendum exiſtimavit. Quare Melitam profectus nunquam ſine arbitris, ſui copiam Mauro fecit. Deum interea perpetuis precibus, & corporis afflictionibus orare non deſtitit, ut hominem ſibi concederet, & inimicam mentem a perfidia detereret, atque in commodam, & doctrinæ perviam converteret. Maurus barbarâ quadam arrogantiâ ad diſceptandum paratus duas continenter horas de religione diſſeruit. Balthaſar, paucis, ſed aptiſſimis verbis, omnia confutavit; ſuperſtitionis latebras aperuit, atque illuſtravit, religionis lucem cum Mahumedanis tenebris contulit, Maurum doctorem luculentiſſimis argumentis ad ſilendum compulit, neque tamen, ut manus daret, vincere potuit. Nam ille ſpatium flagitavit, ſeque recepit ſaucium gerens animum, & injectis ſupernæ lucis igniculis nonnihil ſubactum. Poſtridie nihilominus ad officium regreſſus Mahumedis cauſam breviùs egit, & ſegniùs, ut qui verba afferret parum menti congruentia. Sed Balthaſar ita perorantem excepit, & ejus omnia tam dilucidè percurrit, atque rejecit, ut Maurus ad pedes ejus ſe abjecerit, patris mandata enunciaverit, ut ſibi ignoſceret, flens petierit, ei ſe totum tradiderit, ſeque chriſtianum eſſe velle confirmaverit. Balthaſar tam inſigni prædâ gaviſus Collegio Melitenſi candidatum commiſit erudiendum, & tertio die Syracuſas pervenit, deinde Catanam, ubi triduum in Collegio Societatis diverſatus, ſeſe Domui reddidit Mamertinæ, ex qua propediem diſceſſurus ſuprema edidit pietatis, & grati animi argumenta: ejus enim inopiam pecuniâ ſublevavit, cibaria, & munera Melitæ accepta contulit omnia, & partem non exiguam utenſilium, & ſupellectilis: atque ſingulos appellans contubernales, Patres, Fratres, Tirones, eoſque complectens, alternis lacrimis, ac gratulationibus, memorem ſe tam jucundi, ac ſalutaris hoſpitii futurum pollicebatur.

Inſidias agnoſcit, Deumque, ut Maurus Mahumedanis emergat tenebris, deprecatur.

De Religione inter Balthaſarem, & Maurũ duas horas diſceptatur.

Balthaſar ita perorantem expugnat, ut ad ejus pedes abjectus chriſtianæ militiæ velit addici.

Commiſſo Patribus Melitẽſibus Mauro, Siracuſas, deinde Catanã appulſus pietatis exẽpla relinquit.

Digitized by Google

batur. Eadem caritatis, & urbanitatis officia externis etiam amicis impertivit; præcipuè tamen sacris Virginibus, quibus & occultissima enunciavit, & futura prædixit, quæ præter spem, & opinionem postea contigerunt.

XCI. Prodiit Balthasar ex Domo Mamertina, in qua prima hauserat, ex nostrorum hominum doctrina, consuetudine, & moribus, elementa religionis, usqueadeo emendatus, & intimis christianæ perfectionis rudimentis imbutus, ut si apud nos natus, & altus, in ipso religionis, ac pietatis sinu infantiam, & pueritiam posuisset. Peregrinos enim mores; barbaram, & protervam indolem; astutam, suspicionsam, superbam nationum institutionem, superstitionis, ac Patriæ venenum ita castigavit, ac fregit; ut qui superioris vitæ, medullis insitas artes, ac disciplinam oblivione deleviſſet. Quo factum est, ut ex eo tempore parciùs, & rariùs cœlestibus visis, ac beneficiis uti consueverit. Robustus enim, & divino jam igne conflatus, excoctusque animus, atque ad puræ, putæque virtutis limam, & incudem adductus, tam assiduis non egebat præsidiis, quibus confirmaretur, & aleretur. Itaque sub exitum anni 1659, magno procerum comitatu, atque luctu ad navem deductus Messanà solvit, & parum commodà usus navigatione, Neapolim appulit, ubi in Domo Societatis dies aliquot, ut ex nausea recrearetur hospes permansit. Terrestri itinere Romam equo vectus in Romana Domo consedit, ubi non absimilem vitæ rationem exprompsit, quam in mamertina instituerat. Nam deliteſcendi, fallendique cupidus, Redini, & Melitensium, ac Siculorum procerum ad Purpuratos, & Romanos Principes commendatitias litteras oppido plurimas, quibus de virtutibus ejus honorificentissimè prædicabant, nullas reddidit, eo potissimùm nomine, quod de regia ejus conditione commemorarent, quam ipse modis omnibus occultandam censeret, quemadmodum erat christianæ temperantiæ præceptis eruditus. Verùm ea occultatio, apud plerosque, quibus perspecta non erat virtus ejus, suspecta esse cœpit: *Quasi callidus Africanus conflatis testibus, confictisque documentis, credulis, & incautis Melitensibus imposuisset, atque natalium humilitatem, barbarà quadam jactantià, ad regium nomen, & dignitatem evexisset, ut ea captaret emolumenta, quæ Melitensium, & Siculorum credulitatem sunt consecuta. Romæ verò, quasi in theatro orbis terrarum, fraude conversà, ea fabella non exhiberetur, dissimularetur genus regium, simularetur*

Neapoli aliquot dies e navigatione recreatus Romã attingit.

Regia conditio Romæ occultata suspecta a nonnullis habetur.

temperantiæ ſtudium, quòd in tanto nationum concurſu, facile eſſet deprehendi dolum, & mendacium illuſtrari. Quare quum Balthaſar Deiparæ oraculo in Æde Pacis admonitus, nè cunctaretur Societati ſe addicere, placuit Goſwino, quæſtionem legitimam ea de re inſtituere, ſcripſitque ad Provincias Italiæ, Galliarum, Hiſpaniarum, Luſitaniæ, Angliæ, & ad certos etiam homines, qui negotiorum causà feſſano in regno peregrinari conſuêſſent, ut veritatem accuratiſſimè elicerent; miſſis etiam Balthaſaris ad cognatos, & propinquos litteris, quibus redditis, collatiſque locis, temporibus, eventis, quæ Balthaſar de ſcripto ediderat, cum Feſſanis ipſis rebus, ac teſtimoniis, reſcripſerunt omnes, nihil eſſe, nè apicem quidem, quod a Balthaſaris narratione aberraret. Amotis proinde, causà cognitâ, ſuſpicionibus, præmiſsâ ad lauretanam ædem peregrinatione, quam pedibus peragendam cenſuit, Romanis tironibus adjectus eſt idibus Septembribus, anno 1661, per Joannem Paulum Olivam, qui Goſwino etiamnum vivo, ſummam Societatem adminiſtrabat. In ea diſciplinæ palæſtra, beneficiis, viſiſque cœleſtibus interdum recreatus, virtutum omnium præjacta ſemina mirificè excoluit, & ita ad maturitatem adduxerat, ut vertente anno, Mogorenſem expeditionem flagitaverit, in qua pro Chriſto excruciatus vitam poneret. Erat in amoribus ea peregrinatio, quòd in ampliſſimo Mogoris regno, & arabum lingua, & Mahumedis ſuperſtitio maximè valeret.

Amota per Goſwinum omni ſuſpicione, & præmiſſâ ad Lauretanam ædem peregrinatione Romanis Tironibus adjectus eſt.

Mogorenſem expeditionē Tiro primùm, deinde poſt dictum Societatis Sacramentum flagitat.

XCII. Conſumto tirocinii biennio, primum Societatis ſacramentum dixit, & eodem die Joanni Paulo Olivæ libellum detulit, quo tranſmarinam petebat excurſionem ad barbaros Mogorenſes. Anno poſtmodum exeunte 1663 Sacerdotio inauguratus, primis tribus ſacrificiis, neſcius quid eſſet, ita de ſacro pane, ac mero ſumſit, ut ſi cœleſti ambroſiâ, & nectare lætaretur, quorum ſuavitas omnem vinceret corporis voluptatem. Tum ad eam, quam optabat expeditionem deſignatus, eà conditione, ut quatuor ante annos in litterarum doctrina collocaret, quàm ex Italia decederet, ab Olivâ impetravit, id ſpatium Januæ conſumeret, in frequentiſſimo mediterranei maris emporio, quo nationes confluerent, & Mahumedani Arabes ex Mauritania convenirent. Triennium ferè Januæ commoratus, Olivæ litteris Romam revocatus, ut quum jam ibi nulli eſſent reliqui Mauri, quos Chriſto manciparet, Neapolim concederet, ubi magnus eſſet afrorum ſervorum numerus, quos ad religionem transferret, neque litterarum eru-

Sacerdotio inauguratus tranſmarinā obtinet expeditionem, modo quatuor annos Januæ commoretur.

Triennio conſumpto, a Januēſi ad Neapolitanum Collegiū traductus quinque Mahumedanos Chriſto adjungit.

di-

Digitized by Google

ditionem negligeret. Itaque ex Januensi Collegio in Neapolitanum traductus, eo ipso die adventus sui, Mauros uno colloquio quinos a superstitione deterruit, & Christo adjunxit. Ad millenos ferè numerantur, quos utrobique Christianâ cerimoniâ publicè lustravit. Denique anno appetente 1667, optimè jam latinis, sacrisque litteris eruditus, ut commodè etiam, sciteque concionaretur, magnique ad eum audiendum in areis, & templis Civitatis, concursus fierent, ad Mogorensem aciem, & pulverem evocatus, inusitatam virtutum suarum admirationem, & insigne sui desiderium Neapoli quum reliquisset, & quæ ad profectionem usui essent Romæ comparâsset, & Ulisipponem navibus præmisisset, ipse vere exeunte, terrestri itinere Italiam, Galliam, Hispaniam summis per æstatem caloribus, equo vectus peragravit, & extenuatis admodum viribus per Cantabriam Matritum pervenit, X Calendas Septembres, ibique quarto die gravissimè decubuit, neque vis morbi exquisitissimis remediis vinci potuit. Tres aderant diu, noctuque singulis horis regii medicæ artis doctores peritissimi, qui quum saluti ejus plurimùm studerent, octies venam aperuerunt, admovere cantharidas, mox ignem. Sumendum deinde stibium dedere; præscripsere omnis generis pharmaca, & antidota; exasperatis faucibus, linguâ, labris, febri æstuantem, & ardentissimè sitientem aquâ, & quovis potu prohibuerunt. Consecutæ sunt convulsiones acerrimæ, dolores acutissimi; qui mortem, quam inter barbaros cum cruciatu appetere cupidissimè optabat, cumulatissimè repræsentarunt. Pridie mortis ejus, amissis penè sensibus, linguæ jam impos, adolescentem regii medici servum conspicatus lecto adstantem, ut Africanum esse mancipium agnovit, quum receptis illico viribus, exeruisset vocis officium, arabicâ oratione, admirabili facundiâ, ut si valeret, pluribus est adhortatus, ut superstitionem ejuraret, & horæ spatio consumto, renuentem expugnavit, tum ad languorem, & silentium regressus, postero die supremis sacris expiatus, solutusque est, XVII Calendas Septembres, annos natus sex supra triginta. Elatus est religiosorum Ordinum humeris, incredibili optimatum, & popularium frequentiâ. Iteratum est funus ejus insigni cerimoniâ; laudavitque extinctum coram aulicis, & proceribus P. Petrus Franciscus Esquezius; nec sine communibus lacrimis auditu est. Honorificentissimè de P. Balthasare Loyola, tanquam de viro in paucis illustri, libris editis commemorant, P. Joannes Paulus Oliva, P. Thirsus Gonzalez, P. Petrus Esquezius, P. Petrus Courcier,

Ad Magorensem evocatur aciē, & extenuatis ex diuturna defatigatione itinere viribus, Matriti gravissimâ valetudine afficitur.

Insignis sanctimoniæ exemplū relinquens moritur, ac extinctus plurimorū testimonio cōmendatur.

P. Joann. Paul. Oliva Epistol. tom. 1. epistol. 78.
P. Thirs. Gonzal. tom. 3. quæst. select. in Univ. Theol. pag. 564. & in Manuduct. ad Convers. Mahumedan. lib. 2. cap. 8. part. 2.
Petrus Esquez orat. in fun. P. Balth. Loyol.
Aloysius Niel in Vit. P. Annæ.
Francisci Bovo lib. 1. pag. 64.
Petrus Courcier Chronolog. Virg.
Anno Mundi 5643. Christi 1660.
Silv. Tornam. Euch. cap. 5. & 6.
Angel. cap. 6. Passion. cap. 5.
Petrus Caldecon Comed. Princeps Fez
Balthas. Loyola.
Barthol. Put. Hist. Ord. S. Jo. Hierosolym. ad an. 1651, & 1656.

P. Domin. Brunac. Vita Balth. Loyol. italicè.
P. Ign. de Vio Vita ejusdem latinè.

cier, P. Aloysius Niel, P. Silvius Tornamira, Petrus Caldeconus, & Bartholomæus Puteus; ineditis verò vigiliis, P. Dominicus Brunaccius, qui res ejus gestas volumine comprehendit, P. Hieronymus Raguſa, & P. Ignatius de Vio.

P. Franciſcus Oliverius trãſmarinam peregrinationẽ impetrat, & Collegio Bahyenſi maximum doctrinæ ſpecimen præbet.

XCIII. Fatalis etiam fuit hic annus P. Franciſco Oliverio Mutycenſi, qui litterarum, & probitatis famà conſpicuus peregrè præclariſſimè meruit, & in patria vitam clauſit. Adoleſcens ſtudio animarum ſalutis incenſus ad barbaros peregrinari plurimùm petiit, & demum impetravit. Ei Braſiliæ in America regnum quum obveniſſet, annos ibi ferè triginta traduxit, propter doctrinæ præſtantiam, in præcipuis, plerunque Domiciliis. Nam in Collegio Bahyenſi ſacras, divinaſque litteras domeſticis junioribus tradidit, & ſummum ſtudiorum regimen laudatiſſimè exercuit. Magiſtratus quoque quamplurimos adminiſtravit, in eo maximè commendatus, quod privatus neminem haberet virtute æqualem, omnes exemplo, & ſapientiâ anteiret; in poteſtatis adminiſtratione ſe major, & melior; æqualibus, vel æqualis, vel etiam minor appareret. Tanta erat ejus temperantiæ ſtudium, & abundantia. Braſiliæ prætor eum ſibi optavit animi ducem, & arbitrum conſiliorum, atque ejus operam adeo rectam, & ſalutarem expertus eſt, ut in Europam revocatus, invitum, ac in peregrinitate vitam concludere cupientem, navigationis comitem eſſe voluerit, & in Luſitania, quo ad vixit, regredi flagitantem retinuerit. Eo e vivis erepto, Oliverius ſexagenario jam longè major, & ad perferenda oceani incommoda, atque periculaparum idoneus, juſſus eſt canis parcere emeritis, vacationem capere ætatis, & in Provinciam remigrare: in qua omnium gratulatione receptus, quod tamdiu abfuerit, condonatus eſt propinquorum precibus; & ad Mutycenſe Collegium deſtinatus, ubi & conſedit, apprimè laborioſus, diſciplinæ ſervantiſſimus, & virtutum omnium laude probatiſſimus. Viſus eſt per ſpeciem adhuc vivens inter cœleſtes animas verſari, & ſacrificium peragere. Scripſerat jampridem eruditiſſimos Braſilienſium rerum commentarios, in quibus, & naturam regionis, & cœli temperiem, & gignentium variam indolem, & beſtiarum, piſcium, volucrum formam, & fodinarum ubertatem, & copiam metallorum, & barbarorum mores, ac ſuperſtitionem copioſiſſimè exequitur, ex quibus eo in otio pretioſum concinnavit volumen, quod ineditum cuſtoditur in Collegio Mutycenſi. Deſideratus eſt ibidem pridiè Nonas Februarias, annum agens ætatis primum ſupra ſeptuageſimum.

Braſiliæ prætor Oliverium ſui animi ducem in Europã adducit.

Prætore extincto, in Provinciam appulſus, & ad Mutycenſe Collegium deſtinatus, magna ibi cũ laude moritur.

Nu-

Digitized by Google

1668

XCIV. Numerat annus 1668. insignia pleraque provincialium hominum funera, quorum multitudine prohibemur laudare singulos. Liceat proinde res eorum gestas dumtaxat persequi, quæ mores habent, & aliquantò majorem excellentiam, ac dignitatem. Primus ordine occurrit P. Josephus Spucces Panormitanus, quem viris ævi sui litteratissimis aggregavere præclari Scriptores, Antoninus Mongitore, Natanael Sotuellus, Hippolytus Marraccius, Antonius Cotonius, Vincentius Auria, Augustinus Inveges, Sfortia Pallavicinus, Joannes Baptista Ricciolius, Honuphrius Fortinus, & Antonius Mancusus. Inerat homini memoria, ingenium, indoles, & corporis, animique virtus artium omnium, & agendarum rerum, mirum in modum capax. Accessit doctrinæ usus, perpetua studiorum lima, diuturna literariæ dimicationis palæstra. Quare nullum ferè fuit disciplinæ genus, quod non coluerit, neque tradiderit; & in quo non egregii doctoris nomen invenerit. Latinis, græcisque litteris optimè imbutus eas publicè exprompsit in gymnasio Collegii Panormitani; item Mathematicas institutiones, utramque morum facultatem, sacram, & profanam; Philosophiam sexennium; septennium denique divinorum Mysteriorum disceptationes, quas tam scitè, ac strenuè versavit, ut nihil eo fuerit, sive in propugnando tutius, sive in oppugnando acrius, atque valentius. Neque eum destituit eloquentia, nam & latinè, & italicè, & hispanicè oratoriæ artis numeros omnes explevit, & summos facundiæ fines, voce, actione, sententiis, luminibus, argumentis, mirificè attigit. Addidere doctrinæ cumulum petita ex utraque historia, cum religiosa, tum communi, eruditionis ornamenta. Annos igitur quamplurimos in ea omnigenæ sapientiæ luce versatus, in tantam venit popularium suorum existimationem, ut Magistratus, procereſque Panormitani, impeditiora quæque negotia ad eum secanda deferrent, & in ejus sententia conquiescerent. Senatus etiam Panormitanus publicarum curarum, & consiliorum eum fecit participem, ac planè arbitrum; eoque identidem legato, in gravissimis casibus ad Romanum Pontificem, & Hispaniarum regem usus est, neque unquam re infectâ reducem habuit. Supremâ ad Philippum legatione quum fungeretur, propter vitæ elegantiam, consiliorum rectitudinem, & scientiæ opinionem, hispanis proceribus antea cognitus, & vehementer probatus, aulicorum suffragatione Matriti in imperiali Collegio consedit ferè sexagenarius, ibique sacram morum disciplinam publicè

Præclarissima P. Josephi Spuccs doctrina, & virtutis ornamenta.

Mongit. Biblioth. Sic. tom. pag. 404.
Sotuell. Bibliot. Soc. pag. 527.
Hippol Marrac. Bibliot. Marian. part. 1. *pag.* 826.
Anton. Coton. in Contr Celeb. lib. 1. *contr.* 5. *cap.* 3. *num.* 42. *pag.* 49.
Vincent. Auria. Chronol. Prov. Sic. pag. 107.
Aug. Inveg. Pan. Sac. pag. 11. *& Carthag. Sic. lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 31.
Card. Sfort. Pallav. Epist. 49. *&* 328.
Joan. B. Ricciol. Chronol. Refor. tom. 4. *Ind.* 2. *pag.* 250.
Honophr. Fort. De Nat. & Salubr. Aëris Panorm. sect. 7. *pag.* 50.
Ant. Ignat. Mancus. Vit. S. Rosal. part. 1. *num.* 23. *pag* 81.

Senatus Panormitanus Josephũ consiliorum omnium arbitrũ habet, ac legationem ad Summũ Pontificem, & Hispaniarum Regem committit.

cè

Digitized by Google

cè tradidit, & ſtudiis aliquamdiu præfuit. Aloyſius Moncada, Dux Montis alti, Siculi, valentini, Sardinienſis regni antea Prætor, inter Purpuratos poſtea relatus, nihil eo inconſulto aggredi, aut decernere conſuevit. Summus ſuperſtitionum judex, & vindex, eum ſibi adſcivit cenſorem religionis. Philippus denique Quartus, Principum ſapientiſſimus, inter regios concionatores eum cooptavit; dicenti cupidiſſimè adfuit, & quantum vir peregrinus gratiâ, & auctoritate valeret, ſæpenumerò oſtendit; ad ſeque identidem verecundè recuſantem venire juſſit; & intimis, ſummiſque conſiliis admovit. Annum denique ætatis nonum, & ſexageſimum quum attigiſſet rectè factorum conſcientiâ maximè lætus peregrè fato conceſſit, quarto Nonas Januarias, & cum eo pretioſæ ejus vigiliæ quamplurimæ intieriere; in quibus præcipué laudatur *Hiſtoria Provinciæ Siculæ Societatis Jeſu*, cujus jacturam nunquam ſatis lugemus. Editæ ſuperſunt, in Tomo primo Tragrædiarum P. Hortentii Scamaccæ, *Ars condendi Tragædiam*. Item *Oratio in funere Marchionis de Tariffa*. *Mercurius Panormitanus*. *Oratio de Roſario Mariano*, *Panegyris Marianæ Conceptionis*. *Vita S. Roſaliæ Virginis Panormitanæ*, *Italicè*, *& Hiſpanicè*. *Vita S. Olivæ V. & M. Panormitanæ*. *Vitæ Sanctorum Martyrum*, *Mamiliani*, *Nymphæ*, *Euſtocii*, *Proculi*, *& Golbodei*. *Narratio Baptiſmi Filii Regis Tunetani*. *Libellus pro ſede Siciliæ Prætorum*. *Diſſertatio in idem argumentum*. Ineditæ vero. *Tractatus de Immaculata Deiparæ Conceptione*, *Volumen de Sacramentis*.

Régius dicitur cõcionator, & Matriti fato concedit.

Eruditiſſimi ejus codices, eorumque laudes.

V. Biblioth. Societatis pag. 527. & Bibliothecam Sicalam pag. 405.

XCV. Proximè occubuit P. Antonius Roſſellus Drepanitanus, cujus etſi magna fuit ſcientiæ opinio, & ingenii altitudo, atque præſtantia, parva tamen cenſenda eſt, ſi cum ſummis ejus virtutibus conferatur. Statim ac diſcipulus eſſe deſiit, inventus eſt primi ſubſellii doctor, & ad ſublimes artes tradendas admotus Drepani, Meſſanæ, atque Panormi, domeſticos in naturalibus, diviniſque facultatibus inſtituit adoleſcentes, nunquam ſatis laudatus. In ſtadio litterarum emeritus in Collegio Drepanitano, ſedem ei conſtitutam commorationis nactus eſt, in qua inveteravit, & vitæ finem invenit. Sed in eo potiſſimùm enituit, quòd chriſtanæ vitæ ſcientiam primam duxit, & in ea tradenda parem non habuit. Quotquot enim animi magiſtrum ſibi Roſellum adſciverunt, emendatiſſimi omnes ex diſciplina ejus prodierunt, & ad ſummum divinæ caritatis apicem conniti certaverunt. In his fuit San-

P. Antonii Roſelli virtutũ, ac doctrinæ præſtantia.

Ferventiſſimũ animi Magiſtrum Drepanitani admirantur.

ctiſſi-

ctissima illa Matrona Catharina Vincentia, quæ inter probatissimas, lectissimasque animas, merito ejus recensetur: nam & divinitatis contemplatione, & cœlestibus visis, & assiduis vaticinationibus intimæ, veræque probitatis specimen præbuit. Hæc Rosselli præceptis jam pridem exculta ingenuè fatebatur, ab eo didicisse Deum viâ, & ratione cognoscere, atque diligere, quum cæco quodam, incertoque ductu antea raperetur, & in maximis animi ambagibus, præstigiis, atque periculis versaretur. Deus autem, quanti Rossellum faceret, illi sæpenumero ostendit, nè à dictis ejus aberraret. Eum enim, vivum adhuc per speciem inter cœlestes animas Deo litantem vidit, pretiosis amictum indumentis, & auro, ac margaritis, ita distinctis, ut egregias ejus virtutes denotarent. P. Georgius quoque Tagliavia, qui Collegio præerat Drepanitano, quum ad aram maximam immolaret, cœlestem, & magnam, ac majestatis plenam Dei vocem auribus accepit, jubentis, nè cunctaretur, Rosello significare: *Placuisse sibi, eum habere amicum, verum, & intimum*. Quibus verbis non obscurè declaravit, velle se hominis constantiam tentare ærumnis, & patientiam explorare. Tagliavia ostento perterritus; peracto sacrificio, tremens, & pedibus ægrè consistens, lecto se dedit; jussitque Rosellum accersiri; qui æque lætum, durumque nuncium exponere aggredientem, & gratulantem, simulque initio consolantem, ut ea quæ dicturus esset, æquo animo acciperet; subridens occupavit, seque conscium ostendit. Ex eo tempore crebis accusationibus postulatus, & eo se non expurgante, quotidianis reprehensionibus exagitatus divinam amicitiam, & familiaritatem in dies augebat. Crimini datum est, quòd mulieres in templo quamplurimas prolixè audiret, præsertim verò Catharinam Vincentiam. Quare prohibitus est in templum, nisi ad sacrificandum descendere. Quod quum ille patienter ferret, & pœnæ gravitas, & hominis dignitas, P. Carolum Vitimigliam, qui Provinciam administrabat, ad æquitatem adduxerunt. Excogitavit enim temperamentum, quo Rossellum ab obtrectatorum calumniis subduceret, & per speciem honoris Drepano amoveret. Curavit nimirum, ut Mamertino Collegio præficeretur, quod ille anno 1651 regendum sumsit, & magistratum summa cum laude quadriennium gessit; quo perfunctus, Drepanumque redire jussus Catharinæ Vincentiæ de cœlo est significatum, accusatorias litteras adversus Rossellum ad summum Societatis Antistitem datas fuisse, non aliter tamen

P. Georgius Tagliavia Rosellum Deo placentem ærumnis vexâdum divino ostento cognoscit.

Crebris petitus accusationibus mulierum audiendis confessionibus prohibetur.

Mamertini Collegii regimine perfūctus, Drepanum redit, & omni calumniâ liberatur.

men Romà reſcriptum iri, quàm ipſa poſtulaſſet. Petiit autem, ut hominis innoxii, deque ſe optimè meriti famæ parceretur, & honori conſuleretur; atque non ſecus contigiſſe comperio: nam abſolutus eſt Roſſellus, & calumniâ liberatus; auctor verò calumniæ ignominiâ notatus, & ſuper menſam publicà reprehenſione, multatus eſt. Neque tamen ea pœna viſa eſt ultori Deo æqua culpæ animadverſio: accuſator enim apoplexiâ ictus eſt: quod quum paulò ante Vincentia, divino admonitu, abſens cognoviſſet, a Deo impetravit, ut Sacerdos adeſſet, & morientem, ac linguæ officio deſtitutum, ſed intimè pœnitentem abſolveret, & expiaret. Tum Roſſello delatus eſt magiſtratus Collegii Drepanitani, in quo ab anno 1660 quinquennium ſummà omnium gratulatione collocavit. Sed inter reliquas ejus virtutes, principatum tenuit Magnæ Matris religio, quam unicè ſemper coluit, & quibuſcunque rebus potuit, amplificavit. Ea verò gratiam cumulatiſſimè retulit; & Catharinæ Vincentiæ luculenter aperuit, ſe *Roſſello cupere* plurimùm, quem non modò ad amici familiaritatem, & filii amorem, ſed ad ſponſi etiam dignitatem evexiſſet. Reginæ Virginum benevolentiam, & caritatem eo præſertim nomine promeruiſſe traditur, quod veneris omnino expers, nullà unquam gravi labe vitam fœdavit, & innocentiæ primitias magnis auctas acceſſionibus cum extremis canis conjunxit. Extinctus eſt in Collegio Drepanitano pridie Calendas Apriles, ſub auroram; quo die Chriſti redivivi ſolemnis ceremonia recurrebat, annos natus tres, & ſexaginta; ejuſque funus Drepanitana nobilitas, quam ille conſiliis, auctoritate, gratiâ, annos quamplurimos foverat, & rebus omnibus juverat, ut Patri Patriæ magnificè apparavit, atque publicum defuncti deſiderium, inuſitatis honoribus mollire ſtuduit. Conſequentibus diebus, atque etiam annis, domeſticis, amicis, familiaribus, dedere ſe in conſpectum manes ejus, cœleſti jubare ſcintillantes, & pleroſque admonuerunt, ſi quà a virtutis, & inſtitutionis tramite declinâſſent, quibus remediis, atque præſidiis, & ſibi, & aliis proſpicerent, rectéque, ſive vitam, ſive doctrinam inſtituerent.

Accuſator publicè multatus in manibus Roſſelli æquo animo obit.

Extincti Roſſelli cadaver a Drepanitanis, & cœleſtibus ſignificationibus condecoratur.

P. Joſephi Marcheſanæ generis conditio, & magiſtratus.

XCVI. Succedit P. Joſephus Marcheſana generoſis parentibus Catanæ ortus, anno 1589. Præclari hujus viri, præter communes optimatum virtutes, & ingenii decora, nam divinitatis quæſtiones domeſticis junioribus propoſuit, & inſignes geſſit magiſtratus, & Tertianos Patres Drepani inſtituit, duo inſuper eximiæ probitatis documenta memorantur; quæ ex

ejus

Digitized by Google

ejus ore pridie mortis ejus excepit P. Franciscus Costa, & litteris commendavit. Primum est. Quum senex admodum Catanæ esset, & Christi clavum, qui apud Benedictinos *Cœnobitas* in S. Nicolai de Arena templo religiosissimè colitur; exoscularetur, illud sibi aperiri flagitavit: *Quid rei esset, quòd quum viriles annos veneris urticæ obnoxios, & perpetuis naturæ aculeis exagitatos expertus esset, senectutem traduceret, nullo corporis desiderio molestam, sed omnino quietam, atque pacatam? Numquid illud esset commune frigescentis ætatis, an peculiare miserentis Dei beneficium?* Domum regressus vanæ percunctationis pœnas dedit. Adeo enim acribus, atque urentibus stimulis repentinus naturæ appetitus exarsit; ut neque adolescens talia passus esset, & parum abfuerit, quin supremos canos, sordido pudendæ voluptatis cœno inquinaret. Tum cœleste agnovit beneficium, & malo suo deprehendit, nullam esse vitio præfinitam ætatem, & adolescentiæ cupiditates decrepitos etiam annos vehementius incitare, nisi divino præsidio arceantur. Quare eodem die ad sacrum clavum reversus, de genu temeritatis veniam petiit, & in ejus osculo, furentis cupiditatis impetus conquievit. Alterum est, quòd sub exitum sacrificii, quum divinam Hostiam manu teneret, & ori inferre pararet, ea in ipso vestigio in cœlestem infantem evasit, & ejus animum cœlesti vultu beavit. Franciscus tamen quamvis ostento attonitus, & recreatus, incredibili tamen fortitudine animi: *O me miserum*, inquit, *cujus fiduciam, atque mentis obsequium superi suspectum habent! Eratne oculorum testimonio cœlestis agni præsentia suadenda, de qua nè subdubitare quidem unquam contigit? Equidem malo credere, quàm intueri.* Tum divinus infans maximè lætus, & gratulans hostiâ restitutâ se abdidit, quam ille æthereâ voluptate delibutus nunquam aliàs cupidiùs, aut religiosiùs se sumpsisse testatus est. Vitam reliquit in Collegio Catanensi IX Calendas Decembres, annos natus undeoctoginta, admirabili oris, & animi alacritate. Et qui vivens, & integer fatalem horam mirum in modum semper extimuerat; moriens in optatissimis rebus habuit.

Ex litteris P. Francisci Costæ Messanensis ad P. Silvium Tornamirâ datis IV Non. Januar. 1669.

Senex Veneris desiderio captus divino præsidio vindicatur.

Sacrâ Hostiâ in cœlestem conversa infantem beatur.

XCVII. Paucos post dies Marchesanam secutus est P. Placidus Fardella Panormitanus, cujus exitus superiorem vitam insipienter actam sapienter emendavit. Naturâ fuit difficillimâ, quam tamdiu continuit, quoad studiorum stadio decurso, quartum Societatis sacramentum dixit in Domo Panormitana. Nam ex eo tempore ferream paulatim expromsit indolem, seque durum,

P. Placidi Fardellæ natura, mores, & Collegii Thermitani regimen.

querulum, iracundum, contumacem, suspicioſum præbuit, & majoribus valde gravem. Deſignatus eſt nihilominus anno 1655 ad rectionem Collegii ad Himeram Thermitani; ſi fortè, ut interdum accidit, poteſtatis adminiſtratio, & alios coërcendi uſus, ſui quoque caſtigandi mentem, atque pudorem injiceret, & ferocis ingenii atrocitatem ſubigeret. Sed contra accidit; nam magiſtratus furenti furorem addidit, & iracundiam ejus incitavit. Quare in dies acerbior, aſperior, contumelioſior, vertente nondum anno, abdicatus eſt, & in ordinem redactus, atque in Domo Panormitana juſſus conſiſtere, ubi nihilo melior factus reliquum vitæ ſpatium exegit. Uno ferè ante menſe, quàm ſummum vitæ limitem attingeret; prope idus Novembres, domeſticis, horà noctis ferè tertiâ, cœnantibus, famulus Antoninus nomine, vir probus, & mirè ſimplex poſtico egreſſus, prætereuntes vidit ſecus viam publicam, Domus Panormitanæ Sacerdotes, qui bini lævà facem tenentes, dextrà flagro nuda terga cædebant. Claudebant agmen duo linteati, & inter utrumque medius P. Placidus Fardella, aperto capite mœrens, & flens, quaſi reorum more ad ſupplicium duceretur. Sequebantur turmatim Mariani Sodales quamplurimi, qui, & ipſi ſupplices, & face inſtructi flagello pariter ſe verberabant: eratque verberum ſonitus adeo compoſitus, & per intervalla ad numerum cadens, ut concentum efficeret harmonicum, & planè admirabilem: tendebat autem ea ſupplicatio ad proximum templum, valvis ad eam recipiendam ſua ſponte reſeratis. Demiratus Antoninus, quòd dato jam cœnæ ſigno, Patres, quo tempore ad accumbendum fuiſſent evocati, ad eam religionem in templum coiviſſe, eò per interius conclave properavit, neque quemquam in templo reperit. Poſtero die coorta eſt cum ſolis occaſu fœdiſſima tempeſtas, quumque plurimùm fulſiſſet, ac tonuiſſet, fulmen afflavit templum Domus Panormitanæ, & fragore, atque odore domeſticos omnes ita perterruit, ut alius aliò diffugeret; omnes fatale tempus adveniſſe formidarent. Nemo tamen tam metuit, ut P. Placidus Fardella, qui ſive pridie, quæ famulus viderat, verè expertus eſſet, ſive fulminis ictu admonitus cognoviſſet, caput ſuum ad eam plagam deſignatum fuiſſe, & domeſticis deprecatoribus datum fuiſſe; nè de cœlo necaretur, eique menſis ſpatium fuiſſe impetratum ad reſipiſcendum, & pœnitendum, ſtatim ac procella reſedit, adiit P. Lanfrancum Oldoinum Januenſem, ab eoque flagitavit: *Nè gravaretur ſuperioris vitæ errata omnia auribus excipere*, & tergiverſantem de genu flens oravit:

Reorum more poſt noſtros Sacerdotes terga cædentes noctu conſpicitur.

Ex teſtimonio P. Joſephi Algariæ.

Tacto de cœlo Societatis Templo, mortē præſentit.

Superioris vitæ errata omnia interiore animi ſenſu confitetur.

Ex litteris P. Lanfranci Oldoini, XIII Calendas Aprilis Ann. 1669 ad Tornamirā datis.

Digitized by Google

vit: *Nè amicum in præsentissimo periculo desereret, neu ad aliud tempus rejiceret; quoniam vix unus esset reliquus vitæ mensis;* rogatusque quid esset, quòd tam tristia cogitaret, vel quo auctore, ejusmodi monstra sibi proponeret; negavit, *se cuiquam enunciaturum quod esset omnino reticendum*, & in eodem perseveravit. Testatur idem Lanfrancus nunquam se audivisse peccatorum confessionem magis luctuosam, ac gemebundam, & quæ parem ostenderet commoti, solliciti, ac intimè pœnitentis animi significationem: atque in ipso vestigio vitam instituit castigatissimam, & religionibus unicè deditam. Rogabat singulos, ut sibi ignoscerent, quotidie accumbentibus aliis, flagello nuda terga tundebat, parcum, & humi sedens cibum capiebat, mansuetudinem, & tolerantiam præseferebat rebus omnibus, & simul amicis, sive domesticis, sive externis valedicebat, petebatque commeatum, si quid vellent, quoniam esset e vita discessurus. Itaque longè alius ab eo, qui paulò ante fuerat, & novà indole, novis moribus repente compactus, post dies aliquot, febriculà comprehensus ita decubuit, ut qui e lecto ad feretrum se transiturum non ignoraret. Sed morbus nullam medicis curam injecit, nisi septimo die, quum paulatim ingravescens pestiferum se prodidit, & peremptorium. Tum verò violentis remediis, & dolores maximos facientibus hominem excruciârunt. Qui nihil dolens, nihil querèns, Deum mente cogitans, & ore laudans, omnibus gratias agens, & veniam petens, supremis religionibus ritè expiatus, decimoseptimo die pretiosâ sanctorum morte conquievit, septimo idus Decembres, annum ætatis numerans undequadragesimum. Quibus rebus pervulgatis, quòd & propter naturæ acerbitatem, & propter illustrem generis conditionem, & propter diuturnam in Domo Panormitana commorationem omnibus erat notissimus, quum efferretur, tantus fuit ad funus ejus, cujusque generis hominum concursus, quantus viris sanctissimis non contigisset.

Veniam a domesticis sæpe implorās vitam instituit castigatissimam.

Pretiosâ sanctorum morte conquiescit.

XCVIII. Habet denique ostenti speciem, & dignitatem, quod per hæc tempora evenisse perhibetur in Domo Panormitana, cujus in templo præcipuâ religione coli cœpit Corpus B. Mariani ea potissimùm de causa, quòd jampridem neglectum fuerat, & a Sanctorum Reliquiis procul reconditum. Quum enim olim in sacrarii scriniis plura Christianorum Athletarum corpora fuissent decenter collocata, & obsignata, sepositum fuerat unum corpus anonymum, cujus non erat nomen adnotatum. Quare ejus etiam memoria cum nomine interierat.

Cœlesti ostento B. Mariani corpus, ac nomen innotescit.

Digitized by Google

Ex testimonio P. Josephi Algariæ.

Accidit, ut post aliquot annos sacrario præesset P. Carolus Bastonus Panormitanus; (qui hoc pariter anno Neætini Collegii gerens magistratum e vita migravit;) & Sanctorum indicem confici curaverit, appositis initialium litterarum ordine nominibus, eo tamen prætermisso, cujus nomen erat obscurum, neque ulla jam supererat reliquiarum notitia. Verùm sequenti nocte ei se per quietem ostenderunt ejusdem corporis manes cœlesti luce conspicui, & nonihil questi sunt, quòd reliquiarum suarum nulla fuerit habita ratio. Quod si nomen requireret. *Equidem*, ait, *sum Marianus Christi Athleta*, tum indicavit locum, quo corpus ejus jaceret. Bastonus, ut illuxit, locum exploravit, & reliquias reperit, quibus decorè ornatis, & colligatis, Mariani nomen inscripsit; & indici appinxit, ac religiosè venerandas proposuit; deinde unà cum aliis eodem scrinio custodiendas adjecit.

1669

Provinciæ comitia, ac P. Marcelli Spinelli orationis summa.

XCIX. Nondum sedatis Mamertinorum cum Oliva difficultatibus, & Provinciæ Antistite mœnibus prohibito, non fuit Olivæ consilium, Provincialem conventum aliò cogi quàm Panormum. Nulla enim erat causa, cur superiorum comitiorum incommoda, & sumptuosæ durorum itinerum vectiones renovarentur, si nova hæc alieno essent in loco celebranda; quum satisfactum abundè fuisset conquestionibus, & cavendum maximè esset, nè iterata indulgentia titulum offerret præscriptionis, quæ magnis, & fortè majoribus viam sterneret offensionibus. Itaque dicta est agendo conventui Domus Panormitana, præfinitusque suffragatoribus numerus quadragenarius: quoniam Clementis IX indulgentiâ derogatum fuerat Clementis VIII decreto, statuentis post novem annos summa Societatis romana comitia. Convenere ex condicto Patres ad tertio Nonas Majas, & pridiè nonas a meridie Marcellus Spinellus orationem ad Patres habuit ornatam, & luculentam, cujus ea erat summa. *Dolere se, quòd quum quatuordecim ante annos pari jure Provinciæ comitiis præfuisset, pleroscque modo ex optimis illis viris desideraret, quorum consilio, ac sapientiâ reipublicæ in commune consuluisset. Gratulari pariter, quòd virtutum, & litterarum ferax Provincia novam sobolem procreâsset, & optimis optimos subrogâsset. Non dubitare, quin tales essent se in eo conspectu Societati probaturi, quales ipse judicaret. Illud eos facilè consecuturos, si finem sibi proponerent cogitationum suarum, bonum Provinciæ publicum, seque a privatis consiliis, & cupiditatibus avocarent. Virum proinde ex omnibus idoneum le-*

ge-

Digitized by Google

gerent, qui Provinciæ dignitatem Romæ exhibeat, & probitate, ac doctrinâ tueatur. Destinatus deinde est qui acta conscriberet, P. Josephus Lauria Calatahieronensis, Rector Collegii Drepanitani, additusque operæ particeps P. Petrus Paulus Vassallus Rector Collegii ad Himeram Thermitani. Duo item sunt designati, qui probarent postulationes, & controversias secarent. Postridie nonas, sextà rogatione renunciatus est Provinciæ legatus P. Michael Bassanus Troynensis, & appellatus tertià suffragatione P. Joannes Onuphrius, qui quatenus opus esset, substitueretur. Septimo idus summo omnium consensu Patres censueruut, summum Societatis conventum cogi non oportere. Eo die, & quinto idus deliberatum fuit de postulatis Romam perferendis, quorum ea erat sententia. Rogabant Patres, quoniam diversæ in Collegia irrepsissent domestici moris consuetudines, præsertim quæ ad alimenta, viatica, & indumenta referuntur, eas ad unam, eandemque normam accommodatas, & accurato consilio, atque delectu digestas, universæ Provinciæ publicà auctoritate proponi, atque unicè custodiri. Oliva postulationem, laudatam probavit, & negotium se Spinello daturum recepit, ut ea de re cum Provinciæ optimatibus communicaret, & tabulas conficeret, ad seque mitteret. Quod quum Spinellus præstitisset; ipse jus consuetudinum ratum habuit, & sequenti anno in mores abire jussit. Flagitavit quoque Provincia, *nè concionatores ex sacro præconio quicquam caperent, nisi ad victum, atque viaticum; pecuniâ verò reliquâ omnino abstinerent; neque domesticis fas esset magistratibus, eam sive privatis, sive communibus usibus indulgere*. Ad ea Oliva, *consentaneam esse*, Rescripsit, *Societatis legibus postulationem, neque recentibus egere præceptionibus, quod esset antea accuratissimè constitutum; sed vigilantiâ, & fortitudine, ut qui cum dedecore Societatis, atque Provinciæ, avaritiæ, & violatæ paupertatis flagitarentur, neque se satis expurgarent; hi publicè plecterentur, & de repetundis damnarentur. Videant tamen qui Collegiis præsunt, nè & ipsi fiant culpæ, ac pœnæ participes, si cum sacris oratoribus parcè, ac sordidè agant, si denegent indumenta, atque utensilia; si sordidi questus partem aliquam ad se pervenire patiantur, si eos cogant, ut sibi consulant, & non modò præsentibus, sed futuris etiam prospiciant vitæ subsidiis*. Optavit etiam Provincia, *quandoquidem concionatores ad insignem paucitatem cecidisse viderentur, eâ fortè de causâ, quòd immodico continenter labore*

Provinciæ Procurator Renunciatur P. Michael Bassanus, ac de postulatis Romam perferendis agitur.

Delectis postulationibus instructus Panormo solvit Bassanus, & Olivæ responsiones transmittit.

pre-

premerentur, neque per æstatem aliquamdiu cessarent, ut aliquam anni partem exercitatione vacuam transigerent, neque in minutis Collegiis Christiani Adventùs conciones haberent. Ad hæc Oliva gravissimis verbis non leviter questus est; Oratorum sobolem pœnè interiisse in ea Provincia, quæ superioribus annis viros aluisset eloquentiâ clarissimos, quorum facundia totâ Italiâ valeret, & oratoriæ facultatis primas ferret. Acceptum adeo insigne detrimentum, majorum culpâ, qui sive incuriosâ quadam ignaviâ, sive quia parvipenderent ejus muneris dignitatem, quòd nunquam attigissent, atque ejus pretium ignorarent; sive quòd parcendi studio, rem familiarem pluris fecerint, quàm nomen, & ornamenta Provinciæ; concionatorum ordinem neglexerunt. Lætari se, quòd etsi serò, aliquando tamen Provincia saperet, & de iis exonerandis sedulò cogitaret. Probare se æstivam, & christiani adventùs vacationem, extra Domorum, & majorum Collegiorum templa; atque hortari, ut sacrorum Præconum sobolem exsuscitent, qui Provinciam, & domicilia administrant. Plurimùm etiam Provincia laboravit, ut sacri honores P. Hieronymo de Angelis Romæ decernerentur, eamque rem Oliva cordi sibi futuram recepit. Imploravit denique Provincia Olivæ auctoritatem, & potestatem, ut modus imponeretur potentibus amicitiis, & Principum, atque Pontificum familiaritatibus, quæ nostros avertunt homines a disciplina, & spiritus ingerunt ab obedientia alienos. Oliva respondit, *Nullum fuisse incommodum, tot in Societate decretis, atque præscriptionibus castigatum. Rem propterea iterum, atque iterum perspectam, atque confixam, novis præterea legibus frustra coerceri, nec providentiâ jam; sed studio, ac diligentiâ emendari oportere.*

1670 C. Nihil recenset annus 1670 memorabile, præter domesticas vicissitudines, quod posteris transmittatur. Ad idus quintiles P. Andreas Puteus Neapolitanus Provinciæ cœpit magistratum, assecutusque est quod nemo alius, ut Mamertinos pacaret, & mœnibus reciperetur. Vir acutus, & sapiens, atque agendarum rerum scientissimus, cæco illo tempore plurimùm vidit, & eos qui præcesserant, sagacitate, ac industriâ superavit. Scrutatus altas, occultasque dissidiorum radices, quum reperisset, eas domi natas jamdudum coaluisse; non ut alii, funditus extirpare agressus est, sed ad mansuescendum adducere. Quare domesticos, qui contumaciores fuissent, aut perfidiæ suspectos officiis primùm lenivit, deinde beneficiis

P. Andreas Puteus Provinciæ Præpositus nihil ad sedandos Mamertinorum animos prætermittit.

sibi

sibi demeruit; metu demum coercuit, & ad sanitatem compulit. Quum enim benevolum, & gratificandi cupidum Mamertinis animum ostendisset, declaravit etiam exsuscitata secessionis consilia, quæ Oliva propter pullulantium in dies simultatum acerbitatem renovanda censuerat; edixitque aliam non esse interpellandi negotii conditionem, quàm si Societas cum senatu in gratiam rediret, & pacificationem ipsi conciliarent. Quod si secus fieret, sibi persuaderent, esse omnino exeundum, & quò maximè nollent, commigrandum. Eà re commoti qui controversias ea potissimùm de causa disseminaverant, & aluerant, ut Messanæ commorarentur, eà sunt spe dejecti, & contrario metu agitati, quum intelligerent, ex dissidiorum molestiis ejectionis potiùs, quàm commorationis eventum proficisci oportere, nihil prætermiserunt, quo senatorum animos sedarent, & ad pacis consilia traducerent. Senatus autem, cujus magna semper fuit erga Societatem caritatis abundantia, facilè passus est, intermortuas reviviscere pristini amoris scintillas, seque paratum ostendit ab incœpto desistere, & benevoli, gratique animi significationem omnem impertiri. Quibus cognitis Puteus senatum sibi dari postulavit. Admissus gratias egit maximas, & Olivæ nomine renunciavit, nihil fore antiquius Societati, quàm benemerentissimæ civitati debere plurimùm, & habere gratiam, atque referre.

CI. Calendis igitur subsequentis anni 1671, qui dies in templo Domus Mamertinæ eximiam habet quotannis ceremoniæ celebritatem, senatus adventu suo, reconciliatam cum Societate gratiam testatus est. Plaudente enim populo, apud nos fuit, magno nobilium, & optimatum comitatu, diviniſque interfuit officiis, ac ex templo digrediens humanissimis verbis quanti faceret societatem, ejusque homines declaravit; & rem familiarem vehementer afflictam pecuniâ erexit. Valuit ea concordia mutuâ officiorum abundantiâ ad Calendas Majas, quum annuo imperio creatus senatorum magistratus nova intulit studia, atque consilia, quæ compositionem diremerunt, & consuetis obtrectationibus animos exacerbarunt, ac rem domesticam in periculum adduxerunt. Puteus tamen sese non deserit, & neque tempori serviendum, neque obsistendum statuit. Sapientissimo proinde temperamento, Messanà statim digressus, suos crebris litteris ita continuit, ut oblatâ spe, atque metu futura prospicerent, & quæ jucunda essent, ex obedientia potiùs, quàm ex contumacia spera-

1671

Senatus Mamertinus suo adventu restauratâ cum Societate gratiam testatur.

sperarent, ac meminissent, quid Senatui deberent, quid Societati, accuratéque cogitarent, quàm stultè facerent, qui eam, in qua essent, navim incenderent. Ita diem ex die ducens beneficium temporis expectabat, quod obtulit subsequens annus, ut mox exponemus.

F. Juliani Stephani virtutes, & asperrima corporis afflictatio.

XCIV. Quamplurimos hoc anno desideravit Provincia, inter quos principem habet locum Frater Julianus Stephanus Calatavulturianus, cujus eximiæ virtutes rarum habent exemplum. Litterarum planè rudis ex assidua divinarum rerum contemplatione cœlestem hausit doctrinam, quam doctissimus quisquè miraretur: quare expetebant, captabantque colloquium ejus sublimium disciplinarum doctores, & neminem se reperisse fatebantur, qui rectiùs, & uberiùs de divinitate dissereret. Corpori commoda omnia, vitæque præsidia constantissimè denegavit. Nunquam vinum, nunquam carnes, candidum, delicatumque panem nunquam gustavit. Extimam, quà hieme induimur togam nunquam adhibuit. Quovis anni tempore, sine culcitra, sine lodice, somnum capere consuevit, indutus semper, & nudum asserem premens. Annos admodum quatuor, & viginti, pistoriam fecit in Collegio Panormitano, neque unquam sextis feriis sitim extinxit, nisi sub noctem, & semel, & parcè, & calidà, quamvis ex perpetuo ignis vapore linguam gereret adeo aridam, ut verba ægrè proferret, & quodammodo balbutiret; rogatusque cur ita faceret, *pluris esse*, respondit, *cœlestem Patriam*. Castitatem a pueritia vindicatam, & accuratè in omni vita custoditam nullà unquam labe fœdavit, & puram feretro invexit in Domo Panormitana idibus Aprilis, annum numerans secundum supra septuagesimum. Post mensem decessit in Collegio Panormitano P. Thomas Polizius Panormi natus, cujus exitus, qualem duxerit vitam apertissimè declaravit. Ante aliquot menses Sacerdotio insignitus peremptoriam ex assidua, ac diuturna custodiarum expiatione, contraxit valetudinem, ex qua medicis admonentibus, quum se decessurum intelligeret, pridie mortis ejus adstitit, laboranti, vigilantique *Deipara*, quæ amplissimà Clamide Societatis homines tamquam filios complectebatur universos, uno se excluso. Ille mœrens, largo fletu obtestabatur, ut se quoque reciperet; cui Magna Mater: *Apage*, inquit, *quoniam inertes non habeo filios, quos pallio contegam, & meos, quum sint degeneres, haberi velim*. Polizius eà repulsà perculsus, gemens, & ejulans iterum, atque iterum obsecrat: *Nè pœnitentem, atque dolentem aspernetur, & ad desperandum adi-*

Cœlestia P. Thomæ Polizio collata beneficia, & Deiparæ ostenta exponuntur.

adigat: meminerit ejus se esse filii matrem, qui misericordiam pœnitentiæ comitem esse voluit. His commota clementissima Virgo pallæ laciniam expandit, & supplicem, ac pone sequentem, atque clamantem adversa excipit. Polizius eodem momento temporis in cœlestium animarum numerum quasi relatus, & corpore, atque humanis rebus exemptus æternarum voluptatum lætitiam prælibavit, & quem mortis, vel nuncium, vel recordatio paulò ante consternaverat, reliquas vitæ horas in supernæ Patriæ desiderio transegit, illud adstantibus sæpenumerò inculcans, ut in Societatis militia strenuè ad disciplinæ præscriptum dimicarent, & Virginis Matris religionem primam haberent. Hos duos esse salutis cardines, & tutissima rectè vivendi, ac morièndi pignora. Itaque Deum, ac *Deiparam* maximè anhelans, & pietatem, ac religionem ore, & oculis spirans postridie solutus est, IV Calendas Junias in Collegio Panormitano, trigesimum quum attigisset ætatis annum. Laudandus est etiam Frater Vitus Bendicius apud Thermas Selinuntiorum ortus, & anno ætatis quarto supra octogesimum tumulatus. Eluxit in Vito Bendicio summa vitæ innocentia, mira probitas, eximia simplicitas, & laboriosæ patientiæ spectaculum, quod sibi Fratres ad obsequia Domestica designati proponant, tanquam e primæva Societate delapsum, indefessi, actuosique hominis exemplum. Humilia Societatis officia percurrit omnia, & ad caducam usque ætatem cupidè, atque solerter administravit; ut non facilè judicares quid interesset, inter ejus juventam, ac senectutem. Coluit ab adolescentia cœlestis militiæ Principem Michaëlem, & beneficio ejus imputabat, quòd Societati se addixerit, in eaque permanserit, & quàm diutissimè vixerit. Morienti adfuit B. Michaël, stygias furias in fugam conjecit, & clientem suum ad superos evocavit, atque deduxit; tum quantopere pro referenda gratia laboraret, ostento declaravit: nam quo tempore Petrus Bendicius animam exhalavit, B. Michaëlis templo adjecta turris, sua sponte ferale signum quasi mortis nuncium, edidit, & paulò post pulsante nemine, lætissimo tintinnabulorum sono Civitatem recreavit, & de beneficiarii sui salute certiorem fecit. Vitam clausit, meritorum plenam, atque virtutum postridie idus Martias, & magnà civium frequentià est honorificentissimè elatus. Pretioso demum funere, pridie idus Septembres parentatum est P. Francisco Fimiæ Castroveteranensi, qui quum magistratum Collegii gereret Bisbonensis, ibidem extinctus est, anno ætatis primo supra quinquagesimum. Maximas enim vir-

Ad Societatis disciplinam, & Virginis Matris Religionē suos adhortatus vitâ perfungitur.

Ex litteris autograph. Fratris Petri Barellæ ad P. Silv. Tornamir. postrid. Non. Sextil. an. 1671.

Indefessi Fratris exemplum F. Vitus Bendicius virtutibus clarus præbet:

B. Michaël, Bēdicio cultori suo moriēti succurrit.

Pretiosa ejus mors tintinnabulorum sono pulsante nemine nunciatur.

P. Francisci Fimiæ virtutes in morte illustratæ.

tutes, quas in vita occultaverat, mors illustravit. Nam dum homo parum cognitus privatim efferebatur, divina quædam incitatio cives compulit, ut ad exequias ejus certatim accurrerent, templum complerent, feretrum, & corporis indumenta diriperent, capillum, ungues, & quidquid reliquiarum esset, summo studio disquirerent. Auxere flagitantium impetum atque conatum quamplurima de cœlo collata beneficia, quorum copiosè meminerunt annuæ litteræ Collegii Bisbonensis, ad quas singula cognoscendi cupidum lectorem rejicimus. Itaque Fimià, justis persolutis, terræ mandato, compertum præterea est, qua potissimùm de causa, tanti apud Deum fuerit, quanti electissimæ animæ fieri consueverunt. Visus est enim post ejus obitum candidissimis indutus vestibus, præcipuum inter Virgines habere locum, auditusque est beatissimus Virginum Princeps Gabriel, quasi voce, officioque præconis Fimiam, inter cœlestes animas, Virginitatis, & intimæ castitatis glorià conspicuum prædicare.

1672

Pactis cum Senatu cõditionibus Domus Mamertina agendo conventui dicitur.

CIII. Illuxit annus 1672 Provinciæ auspicatissimus, Putei operà, ac sapientià, qui quum comitiorum tempus adventaret, locusque esset, quo cogerentur, designandus, peteretque Senatus Mamertinus, ut vetustissimo alternandi jure, Messanæ agerentur, æquissimis conditionibus, morem gerendum censuit, impetravitque a senatu, ut libera esset suffragiorum administratio, liber aditus ad mœnia, nulla proscriptorum exceptio, summa conveniendi facultas. Quibus ita compositis sub exitum anni superioris conventum indixit ad Calendas Majas hujus anni, & Messanam properavit. Exhilaravit civitatem adventus ejus, & omnia ad pacificationem, atque lætitiam spectare videbantur. Ea res Senatores excitavit, ut civibus satisfacerent, eisque publicam aliquam amicitiæ significationem exhiberent, & reconciliatam gratiam ante populo ostenderent, quàm comitiorum dies appeteret. Itaque XIV Calendas Majas Strategus, atque Senatus mittunt ad P. Philippum Blasium Aliensem, Domui præpositum Mamertinæ, qui nunciaret, velle se postridie P. Paulo Oliverio concionanti in Templo Societatis adesse. Agebantur tum enim christiani jejunii feriæ, & Oliverius, inter sacros Oratores, primas eloquentiæ ferebat. Officiosam ejusmodi senatorii ordinis voluntatem superis quoque ratam fuisse, admirabili ostento de cœlo est declaratum. Erat in lætis Mamertinorum auspiciis candidissima quædam eximiæ magnitudinis ac formæ columba, quæ olim Patrum memoriâ, deliberantibus de capien-

Reconciliatã Senatus gratiam superis ratam esse admirabili ostẽto de Cœlo declaratur.

Digitized by Google

piendo loco sacris Virginibus sese ostendit, & earum Collegii ambitum volatu descripsit edito in colle, cui propterea *S. Maria ab alto* nomen fecit. Ex eo tempore, quum jucunda, atque fausta imminerent, Columba interdum quasi felicitatis nuncia, apparere consuevit, & circa earum Virginum Gynæceum volando spatiari, atque in summo culmine demum considere. Quam ut Virgines conspicabantur, ad superiora loca accurrebant, & canticis, ac tintinnabulis, magnisque lætitiæ significationibus civitatem admonebant, fiebantque maximi civium concursus, qui eam erectam, imperterritam, immotam, & suavissimè circumspicientem contemplarentur. Igitur postero die illucescente, quo senatus apud nos fore condixerat, Columba in supremo apice *S. Maria ab alto*, consedit. Quod quum esset animadversum, convolavere sacræ Virgines ad speculas, & summa tecta, atque plaudentibus tintinnabulis, & cymbalis, organisque modulantibus, Ambrosianum carmen, gratulationis causà cecinere; gestiente, atque exultante populo, cujus inusitata frequentia vias omnes, quæ ad Collegium Virginum ducerent, mirificè opplevit. Columba post horæ spatium placido alarum plausu *S. Maria ab alto* templum circumvolat; inde, spectante, ac subsequente plebe, ad delubrum Mamertinæ Domùs illabitur, & in testudinis vertice summo consistit, ibique horam consumit. Ex eo lôco ad Ædem civitatis principem se transtulit; & in frontis cacumine pedem fixit, prope publicum, & senatorium ædificium, ubi ex area confertissima conspiceretur. Tum exorta est populi vox universi, concordiam significari, atque portendi conclamantis. Senatus interea motum civitatis, turbulentissimo tempore, atque tumultum veritus, ut de columba audivit, quæ locis consedisset auspicatissimis ad templum societatis accedere maturavit. Sed Columba exeunte senatu, quasi adventus ejus Andreæ Puteo Provinciæ Antistiti, nuncium afferret, celeriore illapsu ex Ædis maximæ culmine, per atrium interius Domus Mamertinæ, ad Putei fenestram advolavit, ibique plaudentibus alis specularia quatere cœpit, quasi senatum jam adesse admoneret. Puteus candidissimam columbam de qua jam pridem audierat, agnovit, & formam, ac magnitudinem demiratus, jucundissimi ostenti auctori Deo gratias egit, & ad Strategum, atque Senatum deducendum properavit. Tanta autem multitudo in Templum, viasque proximas sese effuderat, ut senatus apparente nobilitate, aditum non reperiret, & stipatus lictoribus irrum-

Appositè concionatem Oliverium Senatus in Societatis Æde audit.

pere cogeretur, ut ad subsellia perveniret. Oliverius appositè disseruit de publicæ tranquillitatis præstantia, atque usu, & exquisitis gratulationibus, prospera cuncta senatui, populoque Mamertino apprecatus, summo omnium ordinum plausu peroravit. Senatus ad extremum in ipsa digressione, commemoratis omnium temporum, mutuis inter Societatem, ac civitatem beneficiis, Puteum, Blasium, & quotquot aderant, nostros homines laudibus, officiis, honoribus cumulavit, & rebus omnibus præsto se futurum recepit, ac non mediocrem designavit pecuniam, qua proximorum onera comitiorum explicarentur. Columba demum fausti ominis index, & particeps, ex Putei fenestra quum avolâsset, & horas aliquot delituisset, visa est sub vesperam in editissimo templi culmine *S. Mariæ ab alto*, quasi peracto negotio, hospitibus suis valediceret. De ejus reditu admonitæ sacræ Virgines, ad loca iterum superiora prosiliunt, tintinnabula pulsant, & quasi Divini spiritus imaginem intuerentur, cœleste *numen* consalutant, ac carmen illud, cujus est initium *Veni Creator Spiritus*, alternis concinunt, donec ingruente nocte, visum tenebræ ademerunt. Postridie denuo Avis cum luce se ostendit, & ter circa excelsiorem Delubri Societatis fornicem circumvolitans, in altum se proripuit, & intuentium oculos, nusquam amplius visa, fefellit.

Redux Senatus honoribus, ac non mediocri ad sublevanda comitia pecuniâ domum cumulat Mamertinâ.

Ex autographis litteris P. Philippi Blasii Messanæ datis eodem die, & anno.

CIV. Confirmatis augurii religione ad pacificationem animis, convenere Patres ex universa Provincia in Domum Mamertinam, quæ magnis publicè ac privatim aucta largitionibus, nunquam aliàs lautiùs, & splendidius hospites aluit. Rejectus autem fuerat conventus a Calendis Majis ad quinto Nonas Octobres, quòd prædones vias obsiderent, annonæ caritas rei domesticæ cumulâsset difficultates, & communium morborum inclementia Patres ab itinere deterruisset. Itaque quinto nonas, optatus est qui acta conventus litteris consignaret P. Josephus Dentius Messanensis, Tironum Rector Mamertinorum, adjectusque laboris particeps P. Gregorius Calì Calatanixetensis, Rector Collegii Naritani. Dicti quoque qui controversias cognoscerent, & delectum haberent negotiorum P. Michaël Bassanus, & P. Philippus Blasius, qui Mamertinæ Domus magistratum gerebat. Pridie Nonas Septimà rogatione destinatus est ad Romana comitia P. Vincentius Moncada Catanensis, & quatenus oporteret, subrogatus P. Didacus Philippatius. Nonis deliberatum est de summæ Societatis comitiis Romæ agendis, & dissentiente nemine, Patres

Messanam conveniunt Patres, & P. Vincētium Moncadam ad Romana legunt comitia.

cen-

Digitized by Google

censuerunt, ea cogi non oportere. Olivæ postmodum recitatæ sunt ad Puteum litteræ, quibus conventum requirebat, ut accuratè dispiceret, essentne in Provincia modica quædam Collegia, quæ ob rei familiaris inopiam, & disciplinæ detrimentum deleri præstaret, vel intermitti, dum fortunæ sublevarentur; jubebatque, eam rem per occulta suffragia transigi, ut libertas constaret. Placuit Patribus, cæcas sententias ab auctoribus suis subscribi, & spatium ad cogitandum dari. Latis postridie suffragiis, nihil est extricatum, neque ullum est indicatum tam exiguum, & exinanitum Collegium, quod non plures, atque potentes inveniſſet Patronos, qui pro ejus incolumitate pugnarent. Relatum quoque fuit ad conventum de litteris Aloysii Cajetani Cæsari Principis, quibus petebat, ut communibus consiliis, Provincia sacros honores Francisco Cajetano Avi sui fratri, decerni Romæ curaret. Visa est æquissima postulatio, & ad Olivam deferenda, qui magnopere gavisus, rem Societati valde honorificam, & benemerentissimo Principi apprimè gratam moveri, liberaliter rescripsit, daturum se negotium Provinciæ Antistiti, ut certum aliquem provincialem hominem, maximè strenuum, & idoneum Romam mittat, qui negotium aggrediatur, prius tamen publicis, atque legitimis confectis tabulis, quibus Franciſci Cajetani virtutes, atque prodigia Romanis Judicibus ritè probentur. Reliquas privatorum postulationes utpote inanes, & quæ neque usum, neque dignitatem haberent, negavit Conventus ad Olivam deferri oportere.

Multa Olivæ proponenda discutiuntur.

CV. Annumerare liceat hujus Provinciæ hominibus P. Joannem Baptistam Giattinum Panormitanum, in ea ortum, initiatum, altum, & litteris excultum, quamvis peregrè annos longè plures meruerit, & vitæ exitum invenerit. Anno natus 1601, nullum fuit animi ornamentum, quod non naturæ deberet. Ingenium alacre, ferax, & amplum; memoria facilis, tenax, & immensa; indoles litterarum appetens; discendi solertia indefessa; elucubrandi assiduitas, laboris, & limæ patiens; gloriæ appetitus acer, splendidus, & ad bonas artes idoneus. His dotibus instructus, & Rhetoricis disciplinis nonnihil imbutus, humanarum rerum omnium, anno ætatis decimoquarto, abdicationem cogitavit, & locupletissimi patrimonii unicus hæres, Vincentio Patre adhuc vivo, ad exitum perduxit, atque sub P. Carolo Romano Panormitanis Tironibus se aggregavit; & maximarum virtutum sementem fecit, quas ad ultimos usque canos accuratissimè excoluit. In Collegium Panormita-

P. Joannis Baptistæ Giattini dotes, ac studia.

Sub P. Carolo Romano se Societatis tironibus aggregat.

Digitized by Google

mitanum ex disciplinæ tirocinio traductus, humanas, divinasque artes, non ut discipulus, sed tanquam doctor arripuit, & publicè propugnavit; atque unà veterum linguarum doctrinam consumsit, quarum latinam, græcam, hebraicam a magistris accepit; Caldaicam, Syriacam, Arabicam, & ex recentioribus Illyricam, Hispanicam, Lusitanam, Gallicam, Theutonicam ipse sibi privato studio tradidit, ut si non eas ex libris, sed loquendi consuetudine didicisset. Statim ac discipulus esse desiit, Oratoriam adamavit, & latinæ eloquentiæ artem professus est in Collegio Panormitano, quo tempore anno 1630 laudatissimam illam in studiorum lustratione, studiorum habuit ad Senatum Orationem, mox editam, & summà omnium gratulatione evulgatam. Post biennium Romam accersitus, ubi anno 1634 summo Societatis sacramento se obligavit; in Collegio Romano consedit, in eoque inveteravit, ubi græcas primùm litteras tradidit, deinde annos quinque Mathesim; novem Philosophiam; octo Theologiam, tres sacramorum scientiam; denique annos tredecim summam Gymnasiorum præfecturam gessit, quo in munere fatum nactus est anno ætatis primo supra septuagesimum. Summi hujus viri præstantiam litterarum, & non vulgaris eruditionis abundantiam maximo Romæ in pretio fuisse ex eò facilè potest intelligi, quod in eo orbis terrarum sapientiæ theatro in paucis eminuit, & impeditissimas religionis difficultates, ad eum publicà auctoritate delatas ita explicavit, ut invidiam fregerit, neque obtrectatorem invenerit. Vetustis tabulis in Hispania repertis, quibus arabicæ inessent inscriptæ litteræ, diuque laborâssent ejus linguæ peritissimi, ut commodum aliquem elicerent orationis contextum, neque cuiquam probarent; plurimumque ea in re nominatim desudassent Athanasius Kircher, & Ludovicus Maraccius, quorum est Asiæ linguarum scientia pervulgatissima, neque Romanis judicibus satisfeciissent, a Pontifice demum Maximo jussus est Giattinus impeditam, & frustra tentatam aggredi interpretationem; quam usque adeo facilem præstitit, & luculentam, ut sine obtrectatione in ejus omnes sententiam conceserint. Eà re permotus idem Pontifex, cui magnæ curæ erat sacrorum Bibliorum codicem ex arabico quàm emendatissimè latinè converti, tantæ molis negotium, cujus labor summorum interpretum industriam delassaverat, & vires, atque vitam consumserat, Giattino potissimùm demandavit, ut ejus nutu, ac scientià regeretur. Evulgaverat Sfortia Pallavicinus Purpuratorum doctissimus egre-

Præclarà linguarum doctrinà pollet, ac Rhetoricè profitetur.

Romam accersitus penè omnes disciplinas tradit, & studiis præficitur.

Vetustas arabicè inscriptas litteras ad unguem interpretatur.

Bibliorum codex ex arabico in latinum convertêdus Giattino committitur.

Digitized by Google

egregiam illam Concilii Tridentini Hiſtoriam, quam nemo ſatis amavit, atque laudavit, ardebantque nationes cupiditate ſummâ, ut pretioſæ vigiliæ latinitate donarentur, nè eârum fructu, ac voluptate carerent. Negotium ſuſcepere quamplurimi, latinarum litterarum ſcriptores ſcientiſſimi. Nemo Pallavicini oculos, aut aures implevit, qui quum ſingulos defatigaſſet, negaretque illorum quemquam mentem ejus ex italico latinè aſſequi potuiſſe; omnes ab incœpto deterruit. Unus inventus eſt Giattinus, quò ſexagenarius jam, dimiſſis jampridem amœnioribus muſis, ac ſeverioribus involutus, delicatiſmum hominis litteratiſſimi expleret animum, & talis ingenii lumina omnia aptiſſimis verbis interpretaretur. Mechanicum quoque egit elegantiſſimè: nam rerum mirabilium repertor, novi cujuſque generis horologia, ſive per mutos umbrarum indices, ſive per rotas, & pondera, garrula, atque ſonantia, aliaſque recenti artificio machinas excogitavit, & ſuis ipſe manibus accuratè elaboratas concinnavit. Clari hujus ingenii plura numerantur egregia monumenta, quorum edita exiſtunt *Peroratio ſanguinis, habita in Sacello Vaticano. Panarides Apes.* Carmina in laudem Franciſci Card. Barberini. *Orationes XXIV habitæ ad Summos Pontifices, & S.R.E. Cardinales. Logica, Phyſica, Oratio in luſtratione ſtudiorum Collegii Panormitani. Obſequia Naſcenti Virgini, & Primæ Innocentiæ Radius. Galliambus in laudem Magni Hetruriæ Ducis. Leo Philoſophus, Cafres, Antigonus, Ariadna Auguſta, Tragadia. Appendix inclinationum, ſive Epiſtolæ de libello. Hiſtoria Concilii Tridentini ex Italico-latinè converſa, tribus voluminibus comprehenſa.* Denique *Narratio rerum imperii Sinarum ex Luſitano italicè reddita.* Inedita verò, *Cyrilli Alexandrini in Joannem volumen quintum, & ſextum. Continuatio Controverſiarum Bellarmini, Tractatus de Horologiis. Volumen Tragædiarum, & Comœdiarum*, quarum Leo Allatius in Drammaturgia protulit *Beliſarium, Idam, Theodobertum*, & Wenofredam. *Verſio demum latina Ariſtotelis*, quam inchoatam, neque perfectam reliquit.

Tridentini hiſtoriam a Pallavicino evulgatâ latino ſermone unus aſſequitur.

Egregia ejus doctrinæ, ac ingenii monumēta.

CVI. Sed ſummi hujus ingenii excellentiam, & litterarum gloriam, animi virtutum præſtantia ſuperavit. Homo mirè feſtivus, atque jucundus, & argutiarum, facetiarumque facilè princeps, ſales, & jocos nunquam expromſit, niſi innoxios, & fellis, atque aculeorum expertes: quare conſuetudinem ejus rectam, & ſapientem, ac nemini gravem fuiſſe comperio: majorum

Giattini virtutes, ac præſtantiſſima animi ornamenta.

Digitized by Google

rum enim administrationibus silentio pepercit; cum minoribus severè, ac parcè versatus est; cum æqualibus eatenus familiariter, quoad invidiam, & offensiones vitaret. Religionibus magnopere deditus, & disciplinæ studiosissimus, annos ferè quadraginta Collegium Romanum beneficiarium suum tam verecundè incoluit, atque pudenter, ut si non domesticus esset, sed hospes, & peregrinus. Locupletissimi Patrimonii hæres necessarius, & arbiter; Christianam inopiam in sanctissimis rebus habuit, & paternam hæreditatem, neque administravit, neque attigit, neque ex ea quicquam ad se pervenire passus est, ne hilum quidem, quod non, vel jussus, vel quasi precariò ex aliorum misericordia sumeret. Collegio Romano, diuturni hospitii, ac contubernii memor, avitam generis substantiam omnem, ut ex asse testamento addicerent Vincentio Patri, & Antoninæ Sorori auctor fuit: quibus extinctis amplum, sativum, ferax, quod Macellarium incolæ appellant, rusticum prædium ad hæredem pervenit, ex quo aureorum *sex ferè millia* quotannis redire perhibentur. Qua in re vir provincialis, Siculæ etiam Provinciæ gratificari instituit; prospexit enim animo, relatum iri gratiam a Collegio Romano, cujus homines, lautissimi non immemores beneficii, Siculæ Provinciæ junioribus ad se liberaliter patere aditum voluerunt, eosque ad disciplinæ, ac litterarum institutionem sinu suo complexi sunt, & gratuità caritate quotannis ferè aluerunt, in quorum numero, grati animi causà, me fuisse non diffiteor, qui nihil est, quod Collegio Romano non debeam. Verùm de Collegii Romani erga Provinciam Siculam, & P. Joannis Baptistæ Giattini memoriam, insigni planè liberalitate, ac gratitudine, uberius narrare pergam ad annum 1714 quum calamitosa illa juniorum ejectio ad hæc scripta perveniet. Giattinum denique non politiorum litterarum curæ, non musarum consuetudo, non legendi, scribendique assiduitas, non sublimium disciplinarum quotidiana propemodum exercitatio, a communibus Societatis officiis ita avocârunt, ut non identidem expiationem flagitantibus præberet aures, rudes, ac rusticos homines patienter excoleret, & conciones interdum haberet, faciles, & salutares. Itaque emeritis canis quum nullum otium, nullam aliquando requiem indulsisset, laboriosissima senectus corpus exinanivit, & valetudinem extenuavit. Quare jamdiu calculosus, asperrimis excruciatus doloribus stranguriâ sublatus est, XIII Calendas Decembres; & in Collegio Romano, majus beneficio suo desiderium reliquit. Laudatur Giattinus tan-

Collegium Romanũ pinguis patrimonii hæredẽ constituit.

Senex desideratur, atque plurimorũ laudibus defũctus effertur.

Sot. Biblioth. Soc. pag. 411. Mongit. Bibl. Sic. pag. 327. Hippolyt. Marrac. Bibliot. Marian. part. 1. pag. 676. Franc. Baron de Majest. Panorm. lib. 3. c. 10 pag. 149. Hieronym. Genuin. in Anagram. pag. 136.

Digitized by Google

tanquam eorum ævi scriptor in primis eximius, a laudatissimis viris, Satuello, Mongitore, Marraccio, Baronio, Genuino, Strozio, & Sfortia Pallavicino. Tertiam Historiæ partem scriptor mortalitatis memor tantùm non pollicetur. Gravioribus enim annis, atque curis implicitus, ut sibi non desit, suos tamen conatus, ut præstare Societati, ac Provinciæ potest, ita quem sint exitum habituri libenter nescire debet.

Thom. Stroz. Cõtrov. Concep. part. 2. lib. 8. cap. 17. pag. 350. Sfort. Card. Pallav. Epist. pag. 51. & 311.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in hac Secunda Parte continentur.

A

ABbas (Jacobus) Uxoris naſum dentibus perſtringit, & amputat. Folio 753.

Abbas (Jacobus, & Vincentius Fratres) fortuito caſu Alcamenſi Collegio cenſum conſtituunt. 752. 754.

Abſtinentia a cibis mira in Bernardino Realino. 12. in Barnaba Vecchia. 42. in Paulo Sperlinga. 381. in Fabio Juſtiniano. 469.

Abſtinentiæ memorabile exemplum. 104.

Academia amæniorum litterarum Panormi inſtituitur. 47: Academia Meſſanæ publicatur, & Noſtris demandatur: 246. Academia in regno Sinico per Nicolaum Longobardum inſtituta. 615.

Acclamationes ſanctitatis P. Lanuzæ. 735. 736. & ſeq.

Adami (Hartunghii) ortus, & funus. 337.

P. Adamus (Matthæus) Nangaſachii excruciatus, necatuſque fuit. 284.

Ægrotorum cura, v. Caritas in ægros. Ægrotos ſolo amplexu curat P. Lanuza. 725.

Ægyptii a P. Lanuza erudiuntur. 690.

Ætas longiſſima. 156.

P. Agliata (Datius) Societatem init: ingenii ſui monumenta. 755. V.P. Lanuzæ faciem radiantem quotidie fere intuetur. 756. ejus in Societate munera, & magiſtratus. 756. Melitæ vitam clauſit. 757.

P. Agliata (Datius Veſpaſianus) cœleſte donum a Deipara recipit, quæ peccatorum ei veniam a filio ſuo impetraſſe, ſignificat. 881. indicam expeditionem impetrat, ibid. dum Chium navigaret peſte correptus vivere deſiit. 882. ejus virtutes. 880. globulis, quos a Deipara acceperat, ægrotantis capiti admotis, incolulumem reddit. 882.

P. Alagona (Petrus) vir ingenio, atque doctrinâ inclytus; Romæ tribus Pontificibus maximis ſuam operam ſummoperè probat, plura ejus doctrinæ monumenta. 188.

Albertus (Carolus Hippolytus) peſtilentiâ correptus ſanctiſſimè moritur, ejus virtutes. 26.

P. Albritius (Aloyſius) veluti Oratorum Princeps Panormi, ac Melitæ celebratur. 82.

Alcamenſe Collegium, v. Collegium Alcamenſe.

Alcami dignitas, ſitus, & origo. 725.

Alegambe (Philippus) cum Duce Orſonæ in Siciliam appellit, Societatem init. 591. Panormi philoſophicis, Romæ theologicis ſtudiis dat operam. 592. ejus virtutes. 593. ingenii ſui monumenta. ibid. eodem die, quo vivere in Societate cœperat, Romæ ſanctiſſimè deſiit. 594.

P. Alexander (Joannes Jacobus) Provinciæ Antiſtes, ut Siculæ, ac Neapolitanæ Provinciæ ſimultates componeret, circa Collegium Reginum cum Mutio agit. 561. ejus in Provincia Magiſtratus, & erga eandem merita. 562.

P. Alexander Nevola, v. Nevola.

P. Alexander (Philippus) ad hæreditatem procurandam Bidenum mittitur. 439.

P. Alferius (Joſephus) indicam peregrinationem impetrat, & Goæ, magnâ probitatis opinione immaturo fato occupatus decedit. 125.

P. Alphius Nanfitus, v. Nanfitus.

P. Alphõſ. Marcheſana, v. Marcheſana.

Digitized by Google

P. Alphonſus Cajetanus, v. Cajetanus.
P. Aloyſius Albritius, v. Albritius..
P. Aloyſius Caruſus, v. Caruſus.
B. Aloyſius Gonzaga Joanni Antonio Marchiſio graviter decumbenti videndum ſe præbet, & recuperandæ valetudinis ſpem facit. 356.
P. Aloyſius Lanuza, v. Lanuza.
F. Amatus (Jacobus) Panormi lue percuſſus obit 160. ejus virtutes. ibid.
Amor in Deum, qui, & qualis in Bernardino Piccino, ſingularia hac de re monumenta. 9. 10. 11. in P. Stillintonio. 65. v. Religio in Euchariſtiam.
Amor laſcivus omnibus noxius. 369.
Amor Parentum in filios religioſos maximè calamitoſus. 596.
P. Andreas Boveſius, v. Boveſius.
P. Andreas Carus, v. Carus.
P. Andreas (Felix) indicam miſſionem ſedulo, ſed fruſtra flagitat. 594. ejus virtutes. ibid. Univerſam Siciliam crebris concionibus luſtrat. ibid. Stridulæ avis cantum imperio comprimit. 595. Meſſanæ vitam ponit. 596.
Andreas Maſtrillus Pontifex Mamertinus de Societate benemerentiſsimus. 189.
P. Andreas Puteus, v. Puteus.
P. Andreas Terratius, v. Terratius.
P. Andreas Traina, v. Traina.
Andreas Trigona, v. Trigona.
Angeli Simonem Buccerium familiariter alloquuntur. 236. Sebaſtianum Ferrignum in ſubigenda farina adjuvant. 434.
Angeli Cœleſtes P. Balthaſaris Siracuſæ manes in cœlum militari apparatu deducunt. 36.
Angelus Fr. Cannellæ piſces offert, quòd Lanuzam hoſpitem nocte eſſet habiturus. 683.
Angelus Cuſtos adoleſcenti in ſe graviter conſulere paranti occurrit, & a turpiſsima nece eripit. 148. Antonium Blandum maximo vitæ periculo liberat. 521.
Angeli fere millies P. Caſtello adſunt. 460.
P. Angelus Fazonius Bidenenſis Collegii curam ſuſcipit. 439.
Angelus Floridus Romanus cholicis obnoxius doloribus, hauſtis P. Regii capillorum ſegminibus cum aqua, convaleſcit. 30.
P. de Angelis (Hieronymus) Japonicam peregrinationem impetrat. 149. ejus terrà, marique labores, ac pericula. 149. 150. Japonica regna, & Gezi regiones magno animarum fructu luſtrat. 151. Urbanus VIII: graviſsima ejus merita declarat. 152. tandem capite damnatur, ſed pro Chriſtiana religione flammis crematus obit. 153. Caput Romam aſportatur, ſed Ennenſis Civitas illud ſibi comparat. 153.
P. Angelus (Marcellus). v. Marcellus.
Animæ, quæ Buccerii ſuffragationibus, luſtralibus flammis ereptæ erant eidem gratias agunt, quæque adhuc piaculari igne cremantur, ab eo opem petunt. 237.
Animæ luſtralibus flammis tot per P. Caſtellum exemptæ ſunt, quot ipſe in quodam ſacrificio verba protulit. 468.
Anima cœleſtis ſub inopis ſpecie P. Caſcinum ad Miſericordiæ officium excitat. 307.
D. Anna ſub Anus ſpecie Sacerdotem gravi ulcere liberat. 97.
Annonæ difficultate, jubente Paulo V, agri omnes luſtrati ſunt. 69. ejus inopiâ univerſa Sicilia, & præſertim Meſſana premitur. 98. 330. 439. 480.
Annus Societatis ſæcularis Provinciæ ſolemnis indicitur, & per ſingula Collegia maximâ pompâ celebratur. 365. 366. 367.
P. Antonius Auguſtinus, v. Auguſtinus.
P. Antonius Bellavia, v. Bellavia.
P. Antonius Blandus, v. Blandus.
P. Antonius Granonius, v. Granonius.
P. Antonius Luccheſius de Narenſi Collegio benemerentiſsimus, ejus cenſum ſummâ liberalitate auget. 77.
P. Antonius Mareſchalcus, v. Mareſchalcus.
P. Antonius Marzanus, v. Marzanus.

Digitized by Google

P. Antoninus Paniterius, v. Paniterius.
F. Antoninus Virducius, v. Virducius.
B. Antonius Patavinus Lanuzæ precibus gangrenam, cœcitatem, & freneſim curat. 728.
P. Antonius Robertus, v. Robertus.
P. Antonius Roſellus, v. Roſellus.
Antonius Scaglia, v. Scaglia.
P. Antonius Venturius, v. Venturius.
Apparitiones mortuorum. Manes Barnabæ la Vecchia Salvatori Suſæ videndos ſe præbent. 45. Cæſaris Lauricellæ, Contubernali ſuo. 46. & piaculari igne eximuntur. 407. Pontificis Mamertini flammis involuti P. Carminatæ. 101. Extincti Juvenis, ſtygiis furiis ſtipati Carolo Romano celebranti, & damnationis cauſam exponunt. 176. 177. Mariani Peſcii Manes ad cœlum evolantes P. Scammaccæ interdiu ſe oſtendunt. 225. Jordani Caſcini Vincentio Dominico. 318. Pompilii Lambertenghi Mariæ Roccafortiæ. 320. Pauli Franciſci Nobili Matronæ. 405. Nicolai Urſi Philippo Papaleo. 425. Patris defuncti filio ſuo. 444. Joannis Baptiſtæ Urbani Hieronymo Tagliaviæ. 492. P. Mutii Vitelleſchi Mariæ Roccafortiæ. 544. Flagitioſi Cauſidici manes a quatuor Mauris in orcum aſportari cernit P. Lanuza. 689. idem Lucii Piſani ad ſuperos. 691. Matris ſuæ Leandræ in cœlum ferri videt idem Lanuza. 694. P. Bellii, Balthaſari Loyolæ ſe offerunt. 761. Petri Salerni Franciſco Roſæ. 859. Antonii Roſelli pluribus amicis. 915.
Aqua pro Chriſtiana religione in lac convertitur. 52.
Aqua luſtralis cauſa ſanitatis. 725.
Aquæ exuberantis fluvii ſubſidunt, ut Paraninfo tranſeunti aditum aperiant. 169.
Aquavivæ adminiſtrationem acerrimè propugnat P. Carminata. 99.
P. Aragona (Antonius) gravi morbo præoccupatus ad Societatem adlegitur, ac tria vota emittit. 267. ab eximia animi voluptate moriens exultat, & domeſtico funere coram Prorege, ac Nobilibus effertur. 268.
P. Argulacii (Vincentii) in ferendis corporis doloribus invicta conſtantia, ſupremos ſexdecim vitæ dies, ſtupentibus Medicis nihil guſtat. 825.
Aucellus (Jacobus) bene incipit, male deſinit. 549. hujus rei P. Ignatii Aſcenſi luculentum teſtimonium. 550.
P. Auguſtinus (Antonius) in contagioſorum obſequiis admirabili caritate verſatur. 299.
P. Auguſtinus Floritus, v. Floritus.
P. Auguſtinus (Joſephus) virtutum, ac ingenii præſtantiâ ſatis clarus, gravi dolore cruciatus D. Roſaliæ beneficio liberatur. 417. virtutes ejus, ingenii monumenta, & exequiarum honores. 418.
D. Auguſtinus P. Scammaccæ de cœlo adeſt, & fluctuantem erudit. 223.

B

P. BAlduccius (Balthaſar) ingenii ſui, ac doctrinæ ſpecimen edit. 187.
P. Ballarò (Hieronymus) Drepani ſanctiſſimè moritur. 840. poſt funera religioſiſſimæ Virgini cœleſti laureâ redimitus videndum ſe præbet, & luſtralibus flammis ad duas horas expiatum eſſe ſignificat. 841.
P. Balſamus (Franciſcus) ut Lanuza prænunciaverat, moritur. 710.
P. Balſami (Ignatii) facundia, virtutes, ornamenta, & plauſus, 763. Meſſanæ in graviorem incidit calamitatem, quamobrem ad Thermas Selinuntias miſſus, & jure ſuffragii exutus, obit. ibid.
Balſamus (Petrus (Collegii Meſſanenſis a S. Xaverio dicti primus auctor, ejus liberalitate Societatis domicilia in calamitatibus recreantur. 301.
P. Balthaſar Bernardus, v. Bernardus.
Balthaſar quidam Melitenſis tres noſtros homines a Piratis captos redimit. 378.
Balthaſar Loyola, v. Loyola.

P. Bal-

Digitized by Google

P. Balthaſar Siracuſa, v. Siracuſa.
P. Bambara (Dominicus) jam Sacerdos noſtro numero aggregatur. 397. ejus labores, & pietatis officia, ibid. ejus virtutes. 398. Morienti Deipara ſe oſtendit, ibid.
P. Barbera (Nicolaus) ingenio, & innocentiâ eximius domeſticæ juventuti Panormi præeſt. Joannæ Auſtriacæ Caroli V neptis a confeſſionibus adeſt, honores, & magiſtratum Collegii Panormitani repulit, Lilybœtani verò admiſit. Eximiæ gubernationis ejus dotes. 39.
P. Bardus (Franciſcus) Societatem init. 781. Singulare ejus ingenium, & eximiæ virtutes. ibid. ejus in Societate munera. ibid. Temperantia ejus in repudiandis magiſtratibus. 782. Quo in numero fuerit apud Pontifices, & viros ſummos. ibid. Meritorum plenus Panormi fato concedit. ibid.
P. Barnabas Lerma, v. Lerma.
P. Barnabas la Vechia, v. Vechia.
Baronius (Franciſcus) Societatem dimittit, & iterum reditum flagitat, & expugnat, ſed propter linguæ intemperantiam exautoratus ad ſuos redire cogitur. 550. Societati infenſiſſimus. ibid. Majeſtatis poſtulatus, in vincula conjicitur, & Coſyram relegatur. 551. inde Cajetam deportatus, & verberibus affectus miſerrimè moritur. 552.
P. Bartholomæus Cangeloſa, v. Cangeloſa.
F. Bartholomæus Pernellus, v. Pernellus.
P. Bartholomæus Petracius, v. Petracius.
P. Bartholomæus Puteolus, v. Puteolus.
P. Bartholomæus Valditarus, v. Valditarus.
P. Bartholomæus Valentinianus, v. Valentinianus.
P. Baſilius (Franciſcus) ſummâ prudentiâ, & manſuetudine magiſtratus geſſit. 122. virtutes ejus. ibid.
Beatrix Aragonia aureorum viginti millia tertianis Patribus alendis Societati legat. 287.
P. Bellacera (Andreas) Societate ejicitur. 440.
P. Bellavia (Antonius) prodigio a præcipiti lapſu incolumis ſervatur, & parenti valetudinem inſperatam a Deipara impetrat. 279. Deipara ejus erga ſe ſtudium laudat. 280. Ad Braſilienſem regionem deſtinatur. 281. Uliſippone cum eſſet, fratri ſuo Calatanixettæ ægrotanti ſe obtulit, & de fato admonuit. ibid. dum immolat, divina patitur. 282. Luſitano exercitui adverſus Batavos prodeunti adeſt. 283. dum morientibus ſubvenit, in eo caritatis officio a Batavis enecatur. ibid.
P. Bellii (Melchioris) patria, ortus, & res geſtæ. 814. Ejus in repudiandis magiſtratibus temperantia, & legum domeſticarum exquiſita cuſtodia. 814. 815. unicâ ſuffragatione ad Romana Comitia deſignatur. 814. Meſſanæ inter Civium lacrimas vitam claudit. 815.
P. Bellonius (Petrus) Concionator egregius ex flendi aſſiduitate oculorum aciem amittit, & de proximo fato cœlitus admonitus, ſanctiſſimè obit. 121.
Benedictus Manna, v. Manna.
P. Benedictus Moletius, v. Moletius.
P. Benedictus Rogaſius, v. Rogaſius.
F. Benedictus (Vitus) virtutibus clarus, indefeſſi Fratris exemplum præbet. 925. B. Michael clienti ſuo morienti ſubvenit, cujus pretioſa mors tintinnabulorum ſono, pulſante nemine, commendatur. ibid.
Beneficia cœleſtia. 298. 454. 455. & ſeq. 684. v. Miracula.
P. Bernardinus Bonicius, v. Bonicius.
P. Bernardinus Lanfrancus, v. Lanfrancus.
F. Bernardinus Laſiricus, v. Laſiricus.
P. Bernardinus Piccinus, v. Piccinus.
P. Bernardinus Realinus, v. Realinus.
P. Bernardus (Balthaſar) apud barbaros Mindanainos ſtrenuè vitam relinquit. 397.
P. Bernardus Colnagus, v. Colnagus.
P. Bernardus Creſcentius, v. Creſcentius.
P. Bernardus Riccius, v. Riccius.

Bian-

Digitized by Google

Biancitani SS. Ignatium, & Xaverium ſibi in Patronos deligunt, eiſque annuos honores decernunt. 359.
Bidenenſe Collegium, v. Collegium Bidenenſe.
Bidenum Siciliæ oppidum. 285.
Biancus (Georgius) Tiro cum defectionis conſilium volveret, per Franciſcum Ficarrā eſt confirmatus. 341.
P. Blandus (Antonius) ob litterarum in opiam domeſticis obſequiis addictus Jeſum infantem videt. 519. ad ſtudia evocatus ad Deiparam confugit, & opem impetrat. 520. a cœleſti Genio imminenti vitæ periculo eximitur. 521. Mamertini, ac Panormitani Tirocinii magiſtratum init. 524. & ſeq. occultiſſima quæque, ac futura cognoſcit. 527. domeſticas inſectationes, ac pœnas æquo animo ſubſtinet. 530. Deipara ei ſe videndam præbet. 533. Panormi fato concedit, & populus feretrum invadit. 534. ejus virtutes eximiæ. 519. & ſeq.
P. Blaſius Chiafuſius, v. Chiafuſius.
P. Bompianus (Ludovicus) Viſitator Siciliam luſtrat. 502.
P. Bonelli (Lucii) obitus, & res præclarè geſtæ. 186. ejus apud omnes fama ſanctitatis. ibid.
F. Bonerba (Joannes Baptiſta) in pietatis officio obit. 205.
P. Bongiorno (Vincentius) in contagioſorum officio obit. 204.
P. Bonicius (Bernardinus) matheſim, ac ſeveriores diſciplinas Panormi ſumma cum laude tradit. 776. ejus in Provincia magiſtratus. ibid. de ejus virtutibus Deiparæ teſtimonium. 778. Ad Romana Procuratorum comitia deſignatur. 777.
Borghius (Petrus) in domo Mamertina hoſpes extinguitur, ejus erga Noſtros liberalitas. 408.
P. Boſcus (Cæſar) ſæviente Drepani peſte ſupplicationibus Deum pacare ſtudet. 156. per Aloyſium Lanuzam vitæ ſpatium obtinet. 693. 768. Ejus virtutes, egregia facinora, eximia ingenii vis, & in gerendis magiſtratibus dexteritas ſingularis. 764. in repentino necis periculo verſatur, & qua de cauſa. 765. Romam a Vitelleſco vocatus Theologicam diſciplinam tradit. 767. ejus tum intra cum extra Provinciam magiſtratus ampliſſimi, ingenii ejus inedita monumenta. 768.
P. Boveſius (Andreas) Indicam peregrinationem ab Aquaviva petit, & impetrat: Cocini extinguitur. 300.
P. Brigandius (Franciſcus) Neætinæ Convictionis inſtitutionem curat. 429.
F. Buccerius (Simon) contagioſis miniſtrat. 229. Ad Byzantinam expeditionem cum aliis deſtinatur, ſed aditu intercluſo, Chium navigat. 230. Ad Tirones infra magiſtrum excolendos evocatur. 231. Deiparæ, Chriſti, & cœleſtium Geniorum conſuetudine recreatur. 236. ejus virtutes eximiæ. 233. & ſeq. Supremo, ut prænunciaverat, morbo correptus extinguitur. 237. Prodigia, quæ mortem ejus conſequuntur. 238. Noſtri a Doria Pontifice impetrant de ejus virtutibus, atque miraculis acta confici. 239.
P. Buffardus (Petrus) in contagioſorum obſequio vitam clauſit, & manes ejus ad cœlum evolare viſi ſunt. 206.

C

CÆcitas fugata P. Lanuzæ beneficio. 663. 741. B. Antonii Patavini. 728. Cæſaris Coſſi. 146.
Cæcitatis incommoda mirà oris hilaritate fert P. Hieronymus Galitia. 32. F. Micciardus. 380. P. Sanchez. 41.
P. Cæſar Boſcus. v. Boſcus.
Cæſar Cajetanus. v. Cajetanus.
P. Cæſar Coſſus. v. Coſſus.
P. Cæſar Grua. v. Grua.
P. Cæſar Lauricella. v. Lauricella.
Caffarellus (Raymundus) Societatis candidatus Bideni extinguitur. 512. ejus virtutes. ibid. & ſeq.
Cagliareſius (Ignatius) linguarum ſcientiâ ſingularis, in mathematicis artibus plurimum valet. 378. Virtutes

Digitized by Google

tes ejus, & legum domesticarum custodia. 379. Melità evocatus, Neapolim navigat, ibique sanctissimè vitam claudit. 380.

P. Cajetanus (Alphonsus) humanis rebus se abdicat. 483. ejus virtutes, atque aurium, & oculorum ejus singularis temperantia. 484. Panormi, Marianam pauperum Sodalitatem amplificat, & censum constituit. 485. ejus beata mors. ibid.

Cajetanus (Cæsar) Romam navigat, & in Romano Tirocinio nostro numero additur. 574. & seq. Virtutes ejus eximiæ. 578. Valetudinis causà Panormum regreditur. 587. sanctissimè moritur, & corpus ejus sepositio in loco infoditur. 590. ejus elogium, & beneficia à Deo per ipsum collata. ibid.

Cajetanus (Franciscus) Carolo Romano graviter decumbenti se ostendit, & incolumem reddit. 177.

P. Cajetanus (Octavius) mirabili ostento ad Societatem vocatur. 114. ejus in exercendis magistratibus fortitudo, & costantia. 115. a perditarum Mulierum maleficiis non semel per B. Ignatium incolumis servatur. 116. 117. a B. Virgine una cum B. Ignatio de proximo fato edoctus, Panormi vitam claudit. 118. 119.

P. Calderarius (Hieronymus) ingruente Panormi pestilentià de proximo fato cœlitus admonetur. 161.

Calocerus (Paulus) Senatum Mamertinum in P. Joannem Paulum Olivam, & Ignatium Moncadam incendit. 805. Messanà decedere recusans Olivæ operà Syracusas cum præsidio Prætorià auctoritate deportatur, & Alexandri VII. jussu Sacramento solutus e Societate ejicitur. 806. Messanam rediens nullà Civium gratulatione excipitur, & nullo numero apud Senatum habetur. 807.

Calumnia Societati inusta propulsatur. 391.

Calumnia in Antoninum Blandum. 531. In Joannem Jacobum Alexandrum. 559. In Nicolaum Longobardum. 605. 611. in Benedictum Moletium. 291. 293. 294. in Placidum Samperium. 623. In Antonium Rosellum. 915.

Calumniatores puniti. 606. 916.

P. Cangelosa (Bartholomeus) Societatem summo studio flagitat. 359. Claudus retinendæ Societatis studio Romam contendit, & coram Aquaviva causam dicit, & obtinet. 360. Munera, quæ summà laude in Societate obit. ibid.

Capicius Hispanorum militum Præfectus P. Carminatam trucidare contendit, sed plumbeà glande confossus in vulnere exanimatur. 89.

P. Cardius (Nicolaus) ing ravescente pestilentià Drepanitanos ad pœnitentiam excitat. 157.

Carduelis mutus Lanuzæ imperio suavissimè modulatur. 724.

P. Cari (Andreæ) Manilæ fatum, & virtutes cursim perstringuntur. 125.

Caritas Nostrorum in ægros singularis. 43. 144. 296. 309. 310. in peste afflatos. 392. 393. & alibi.

Caritas in Pauperes. v. Misericordia erga Inopes.

P. Carminata (Joannes) prima vitæ suæ lineamenta chirographo suo. 83. Romam à Laynio evocatus, ibi atque Neapoli magna cum laude, & fructu concionatur, & Bernardinum Realinum ad Societatem amplectendam adducit. 87. 88. Plures Civitates Christo conciliat. 88. 95. 97. 99. Siculorum primus Collegio Mamertino præficitur. 90. Primum Mamertinæ domùs magistratum gerit. 99. Ad Romana Comitia non semel destinatur. 91. 96. 99. Italiæ Assistens extra ordinem biennium designatur. 94. Præfuit Provinciis, Siculæ, 90. 96. Polonæ, 91. Venetæ. 94. Romanæ. 95. B. Aloysio Gonzagæ morienti adest. 95. à Puero Jesu morbo eximitur. 94. Panormi, sanctissimè moritur, & manes ejus divinà luce circumfusi inter superos ad Cœlum evolant. 102. 103.

Carolus Hippolytus Albertus. v. Hippolytus.

P. Ca-

P. Carolus Lombardus. v. Lombardus.
P. Carolus Maſtrillus. v. Maſtrillus.
P. Carolus Regius. v. Regius.
P. Carolus Romanus. v. Romanus.
P. Carolus Vigintimillius. v. Vigintimillius.
P. Caruſus (Aloyſius) neceſſario ſuo ſe videndum præbet, & luſtralibus flammis facetiarum ſuarum cauſa a Deo addictum eſſe nunciat. 829.
P. Carybdis (Jacobus) ingenii præſtantiâ, docendique facultate inſignis, ſtudiis præficitur ſingulari apud omnes doctrinæ opinione. 124. Pro veritate reliquiarum. SS. Martirum Romam legatur. 124. in Mamertina domo religioſiſſimè moritur. ibid.
P. Carybdis (Philippus) Provinciæ Magiſtratum ſumma cum laude adminiſtrat. 240.
P. Caſatus (Paulus) in ſacræ eloquentiæ munere plurimum valet, & fructum multiplicem Conciones ejus Panormi referunt. 111.
P. Caſatus (Petrus) Collegii Melitenſis auctor, & primus Rector Candore prudentiâ, & caritate aliorum benevolentiam ſibi conciliat, & Panormi diem explet ſupremum. 135.
P. Caſcinus (Jordanus) Romam ab Aquaviva vocatus Tertianorum Patrum inſtitutionem ſuſcipit. 306. ejus virtus, & in inſtituendis animis ſolertia oſtentis de cœlo demonſtratur. 307. Gubernationis ejus exquiſita ratio, & virtutes referuntur. 308. uſque ad 318. Univerſæ Provinciæ Antiſtes ab Aquaviva appellatur. 312. Calumniatores ſuos humaniſſimè complectitur. 313. Venetæ Provinciæ præficitur. 315. ejus beata mors, exequiæ & funus. 316. Manes ejus Vincentio Dominico ſe offerunt, & Cœleſtis Judicis miſericordiam extollunt. 318. S. Roſaliæ V. P. hiſtoriam ſcribit. ibid. ejuſdem Virginis oſſa recognoſcit. 160.
P. Caſtellus (Joannes Petrus) per Bernardum Colnagum Societati ſe mancipat. 372. ejus ortus, Patria, Virtutes, Eloquentia, & memoriæ, inaudita Præſtantia. ibid. In Mamertina domo moritur, & magnificis exequiis ornatur. 373.
P. Caſtellus (Petrus Antonius) virtutes omnes aſſequitur. 441. & ſeq. Joannitarum ordini ſe addicit. 442. Illuſtre ejus continentiæ facinus. ibid. dimiſſâ Joannitarum militiâ Societatem init. 443. Morti proximus P. Colnagi beneficio convaleſcit. 445. Patris manes piacularibus flammis eximit. 444. Magna vaticiniorum ejus ſeries. 447. & ſeq. A Chriſto, Deipara, & B. Marta in ipſum collata beneficia. 452. Quæ ab Angelis, Præcurſore, SS. Petro, & Paulo, B. Michaele, S. Thoma Aquinate, S. P. Ignatio, & Cœleſtibus animabus retulerit beneficia. 454. 455. & ſeq. hos omnes non ſemel intuetur, & divina patitur. 456.
P. Caſtelnovus (Joſephus) Provinciæ Mediolanenſi præficitur. 438. ejus ſingularia merita, munera, & egregia facinora. 841. ejus cum extra tum intra Provinciam perhonorifici magiſtratus. 842. Mamertinorum turbas ſummâ dexteritate ſedat ibid. ejus virtutes, & beata mors. 843.
P. Caſtigliæ (Franciſci) ortus, virtutes, & res mirabiliter geſtæ. 861. Supremis morientium ſacris luſtratus B. Roſaliæ beneficio repente convaleſcit, & inſigne prodigium publicâ auctoritate literis conſignatur. 864. Indicam peregrinationem ab Oliva petit, & impetrat. 865. B. Roſaliæ cultum, & religionem Romæ inſtituit, atque in Hiſpania, & Germania, ejus opera B. Roſaliæ honores pervulgantur. 866. 867. a Rege Luſitaniæ humaniſſimè excipitur, & intercluſam externis Indicam navigationem impetrat. 867. 868. ejus erga peſte afflatos officia caritatis. 869. pro Joannis Nungni incolumitate vitam Deo offert, & eodem die morbo tentatur, & Nungnus convaleſcit. 870. ejus funus exequiæ, & nonnulla prodigia. 871. & ſeq.
P. Caſtigliæ (Gaſparis) ortus, & gubernandi ratio. 843. ejus erga Panor-

Digitized by Google

normitanum Collegium, ac Templum merita. 844. virtutum ejus eximia monumenta: in Panormitana domo, cui præerat vitam amittit. ibid.
Caſtitatis egregia facinora. 25.67.442. 702. 797.
P. Chiafuſius (Blaſius) in Æthiopiam deſtinatus in piratas incidit. 300. redemptus in Provinciam redit, & moritur. 301.
Chius inſula à noſtris excolitur. 230.
Chriſtophorus Martinius, ruente cruce, graviſſimè percutitur, ſed ut Lanuza prædixerat, repente convaleſcit. 658.
Chriſtus ſub ſpeciè infantis. v. Jeſus infans.
P. Clara (Joſephus) apud Japones Chriſti causà crudeliſſimè necatur. 375. D. Xaverii beneficio pluribns periculis liberatur. 376.
Collegii Alcamenſis initia, & progreſſus. 751.
Collegium Bidenenſe initiatur, & cenſus per cives conſtituitur, ſed ab Horatio Vita, patrimonio, quod contulerat, repetito, Patres Mœnas ſe recipiunt. 285.286. iterum per Horatium Vitam coaleſcit. 438.
Collegium Ennenſe P. Paraninſi operà inſtituitur. 78.
Collegium Melitenſe per P. Carminatam excitatur. 109. maximo in periculo verſatur, diripitur, & noſtri in Siciliam ſe recipiunt. 334.
Collegium S. Franciſci Xaverii Meſſanæ inchoatur. 301.
Collegium Mutycenſe inſtituitur, & cenſus annuus deſignatur. 253.
Collegium Narenſe initiatur, ac perficitur. 75. 76. 77. ejus Cenſus. ibid.
Collegium Naſitanum dimittitur. 355.
Collegium Panormitanum S. Franciſci Xaverii, in quo Tertiani Patres jamdudum vagantes excipi poſſent. 287.
Collegium Plateenſe inſtituitur, & gymnaſia reſerantur. 49.
Collegium Randatienſe dimittitur. 355.
Collegium Rheginum ad Neapolitanam redit Provinciam. 191.
Collegii Salemitani inſtitutio, & incrementa. 409. ejus patrimonium ſemel, & iterum amplificatur. 410. 411.
Collegium Siclenſe per Joſephum Micicheum initiatur, & Hieronymi Riberæ, aliorumque largitionibus Collegii cenſus explicatur. 265.266. ejus ædificium ſtatuitur. 502.
Collegii Tauromenitani inſtitutio, ac dimiſſio. 408.409. item. 513. & ſeq.
Collegii Thermitani ad Himeram initia 110. ejus Cenſus. ibid.
Collegia duabus Provinciis attributa. 202.
Collegium Sacrarum Virginum Bovæ noſtrorum operà conditur, & S. Xaverii templum Collegio adjungitur. 374.
P. Colnagus (Bernardus) epiſtolam ad Drepanitanam Virginem per P. Tagliaviam mittit. 486.
Collura (Paulus) Societatis transfuga miſerrimè perimitur. 548.
P. Confalonerius (Bernardinus) Mediolanenſis Provinciam adminiſtrat, præclariſſimum ejus de Piccini Sanctitate teſtimonium. 20.
Congregatio Provincialis decimanona Panormi habita. 39. Vigeſima Meſſanæ cogitur 49. Vigeſima prima Panormi 74. Vigeſima ſecunda Meſſanæ. 132. Vigeſima tertia, Meſſanæ, commutata alternandi conſuetudine, indicitur, ſed illuc aditu intercepto, Mœnis cogitur. 190. 191.
Congregatio Provinciæ Panormitanæ. 241.
Congregatio Mamertinæ Provinciæ. 242.
Congregatio Panormi cogitur, & utraque Provincia coaleſcit. 276.
Congregatio Provincialis Meſſanæ. 322.
Congregatio Provincialis Panormi. 364.
Congregatio Provincialis Meſſanæ indicitur. 395.
Congregatio Provincialis Panormi convocatur. 433.
Congregatio Provincialis Meſſanæ. 516. anno. 1649.

Congregatio Provincialis ob mortem Vincentii Caraffæ Panormi eodem anno cogitur. 516.
Congregatio Provincialis Meſſanæ convocatur. 557.
Congregatio Provincialis Panormi. 624.
Congregatio Provincialis Meſſanæ indicitur. 759.
Congregatio Provincialis Panormi habita. 779.
Congregatio Provincialis Joannis Pauli Olivæ præſcripto Calatahierone celebratur. 832.
Congregatio Provincialis Panormi cogitur. 920.
Congregatio Provincialis Meſſanæ convocatur. 928.
Conſpiratio, & impetus Plebis Panormitanæ in noſtros. 777.
Conſtantia in aſpernandis hominum ſermonibus. 568. & alibi paſſim.
Conſtantia in propoſito adeundæ Societatis. 573.
Conſuetudo Majorum ſuſpicionum, & periculi cauſa. 765.
Contagioſus morbus Siciliam invadit. 504.
Contagium. v. Peſtilentia.
Contemptio ſui. 3. 4. 6. 31. 104. 195. & alibi. v. Humilitas.
Controverſiæ inter Magnum Hieroſolymitanæ militiæ Magiſtrum, & Pontificem Melitenſem per P. Carminatam compoſitæ. 96.
Controverſiæ inter Noſtros, ac externos Meſſanæ exoriuntur, & qua de cauſa. 373. Inter Mamertinos, & Mutium Vitelleſcum P. Encoferii morte ſedantur. 255. Inter Megarenſes, & Pontificem Syracuſanum, & qua de cauſa. 737. Inter Senatum & Pontificem Mamertinum, & qua de cauſa. 391. Inter Senatum Mamertinum, & Joannem Paulum Olivam graviſſimæ. 800. & ſeq.
Contumelia noſtris illata. 37. 531. v. Calumnia.
Contumeliæ patienter toleratæ præmium. 532. 294.
Convictio Neætina inſtituitur, & publicatur. 430.
Corina (Jacobus) Romam mittitur, ubi maxima dat exempla Virtutis. 363. Corporis ejus, animique venuſtas, pudor, & innocentia. ibid. Morbo tentatus Indicam peregrinationem à Mutio flagitat. ibid. Leniter ſubridens in Collegio Romano vitam claudit. 363.
F. Corradinus (Petrus) lue afflatus magno pietatis documento e vita migravit. 161.
P. Coſſus (Cæſar) abdicato Magnæ Curiæ magiſtratu, Societati ſe mancipat. 142. Mamertinis Tironibus regendis magiſter deſignatur. 143. Plures gerit Magiſtratus, Cæcitatem admirabili tolerantia ſuſtinet, argenteam acum utrique oculo infigi ſinit, & viſum recuperat. 145. Meſſanæ obit, & inuſitatâ ceremoniâ ei parentatur. ibid. Corpus ejus plumbeo loculo includitur. 146. Conclamatam ſalutem puero reſtituit. 132.
P. Creſcentius (Bernardus) eximiâ caritate Contagioſis inſervit. 351. Ejus erga Societatem merita, virtutes, & res geſtæ. 350. 351. Ejus in perferendis doloribus ſingularis animi virtus. ibid. Drepani moritur, feretrum diripitur, Sanctitatis ejus fama augetur. 352.
Crucifixi religio maxima in Gaſpare Paraninfo. 165.
Crucifixi ſignum quod optabat P. Piccinus ſupra lectulum reperit. 14.
Crudelitas Japonenſium in Joſephum Clara. 376.
Cuſtodia ſenſuum admirabilis. 48. 64. 484. v. Modeſtia.
Crux in Calvario collocanda ſponte ſua in ſublime fertur. 661.
P. Curtius (Joſephus) Panormi in Contagioſorum officio perimitur. 160.

D

DÆmones Bernardinum Piccinum a Chriſtianæ veritatis fide depellere conantur. 2. P. Carminatam è feneſtra dejiciunt, ſed incolumis

lumis ſervatur. 92. P. Gaſparem Sanchez per noctem vexant, eique tædium ſuſceptæ militiæ incutiunt. 40. P. Lanuzam diu, multumque exagitant. 662. in ejus concionem irruunt, ſed concionantis imperio fugæ ſe committunt. 662. Catanæ, ſecedentem Matronam invadunt, & ſtrangulare conantur, ſed adhibitis B. P. Ignatii reliquiis, ab incepto deſiſtunt. 554. 555. P. Paraninfi juſſu puerum vexare deſinunt. 166. P. Petrum Caſtellum peſſimè habent. 465. Franciſcum Sparacinum vexant. 540. quamplurimi ſub varia belluarum figura in phiala vitrea aquæ Ignatianæ plena conſpiciuntur, qui audito B. Ignatii nomine evaneſcunt. 771. P. Lanuzam concionantem reformidant. 662. Balthaſarē Loyolam a Chriſtiana religione abducere tentant. 895. 901.

P. Damianus (Vincentius) Indicam expeditionem impetrat. 534. ad Philippinas inſulas mittitur. ibid. Ibabaum inſulam luſtrat, & Palapagenſi Societatis domicilio præficitur. ibid. a barbaris ad necem quæſitus, & militari pilo tranſverberatus pro Chriſto ſanguinem fundit. 536.

P. Datius Agliata, v. Agliata.

P. Datius Veſpaſianus Agliata, v. Agliata.

P. Decius Striverius, v. Striverius.

Dedicatio SS. Martyrum Japonenſium Panormi celebratur. 251.

Defectio a Societate, & fuga a Deo ſeveriſſimè vindicatur. 112. 549. 550. 551.

Defunctorum manes luſtralibus ſuffragationibus piaculari igne eximuntur. 237. 444. 468. & alibi, v. Manes.

Deipara, v. Maria.

Defunctus, v. Mortui.

P. Delbenius (Franciſcus) Panormi ſanctiſſimè moritur. 434. Præcipuæ virtutes ejus attinguntur. ibid.

Deliquium Solis, & Lunæ, Aſtrorumque quorundam conjunctio non aliter quàm P. Longobardus Pechinenſi Regi prædixerat, accidit, & inimicorum ejus academia diſſolvitur. 617.

B. Demetrius Licander, v. Licander.

Deſiderio litandi prodigiis Deus obſecundat. 168.

Didacus Meliſmelius Nobilium Adoleſcentium Collegium paternà hæreditate inſtituendum curat. 386.

Didacus Paternus, v. Paternus.

Doctrinæ Chriſtianæ tradendæ rationem P. Vincentius Rao in domo Panormitana auxit. 69.

P. Domenechius (Hieronymus) Provinciæ Antiſtes. 163.

Domeſtici Noſtri quo ſtudio fovendæ paupertatis, Piccini documentis, & operà exarſerint? 16. 17.

Domicilium Pauperum per Jacobum Dominicum Panormi excitatur. 214.

Domicilium Mulierum a turpi queſtu avocatarum per P. Lanuzam Alicatæ excitatur. 722.

Domicilium ſacrarum Virginum a D. Xaverio appellatum Mutycæ erigitur. 264.

P. Dominicus Bambara, v. Bambara.

Domicus Gallianza ſacerdotio excluſus in Cæſarem Boſcum irruit, eumque ad necem petit. 765.

P. Dominicus (Jacobus) ſub Franciſco Suarez Theologicas diſciplinas addiſcit, & adoleſcens ad Collegii Panormitani magiſtratum deſignatur. 213. Claudio Aquavivæ ab epiſtolis deſtinatur. ibid. Domum Panormitanam adminiſtrat, & ſtrenuè amplificat. 212. 213. Pauperum domicilium excitat. 124. Provinciæ magiſtratum non ſemel gerit. 213. 214. tandem ex animi ægritudine, quod ſcindendæ Provinciæ auctor fuerit, extinguitur. 214.

P. Dominicus Raphael, v. Raphael.

P. Dominicus Vannius, v. Vannius.

Domum Mamertina Senatus decreto amplificatur. 596.

Domus Profeſſorum Mamertinam, ac Panormitanam P. Carminata condidit, & publicavit. 109.

Domus Panormitana in maximo periculo verſatur. 777.

P. Dragus (Franciſcus) valetudinis causà Neapolim miſſus, graſſante pe-

pestilentiâ contagiosis ministrat, & eadem lue tentatus, occumbit. 627. Defunctorum manes studiosè sublevat, a quibus ab imminente naufragio liberatur. ibid.

E

Eleemosina. 45. v. Misericordia erga inopes.
Eleonora Notarbartola morti proxima per B. Ignatium repente convalescit. 626.
Eloquentia singularis Caroli Regii. 28. Gasparis Sanchez. 40. Joannis Carminatæ. 87. 88. Aloysii Albritii. 82. Pauli Casati. 111. Joannis Petri Castelli. 372. Julii Mazarini. 128.
P. Encofer (Melchior) librum edit pro Deiparæ ad Mamertinos epistola. 247.
Enna vetustissima Siciliæ Civitas. 78. ejus dignitas, amplitudo, ac situs. ibid.
Ennense Collegium, v. Collegium Ennense.
Epistola P. Carminatæ hominem dolore dentium liberat. 102.
Epulum ad custodias deferendi mos. v. Eleemosina.
Epulas Messanæ lautissimas Nostri Pauperibus exhibent, eisque ministrant. 367.
Equi ulcerosi P. Aloysio Lanuzæ commodati, integri ab eodem Dominis suis remittuntur. 726. Idem præstant Mariani Sodales. 154.
P. Erasmus Marotta, v. Marotta.
Eucharistiæ sumendæ desuetudinem apud Theatinos amplissima in Civitate P. Carolus Regius amovit. 29.
Eucharistiæ singulis mensibus sumendæ religionem Romam primum invectam, Panormi Patres amplificant. Sodalitas Mariana ad id instituta. 61.
Eucharistiæ religione Mamertina Civitas ingruente pestilentiâ, nullum morbi vitium contrahit. 189.
Eucharistiæ sumendæ consuetudo perditum Juvenem ad emendatissimæ vitæ normam adducit. 138.
Exequiæ, & funus Balthasaris Hispaniarum Principis. 479. Nicolai Longobardi. 622. Joannis Petri Castelli. 373.

F

P. Fabius Justinianus, v. Justinianus.
P. Fabritius Spucces, v. Spucces.
Fames Siciliam premit. 69. 330. 339. 480. v. Annonæ difficultas.
P. Fardellæ (Placidi) natura, mores, & Collegii Thermitani regimen. 917. Nostros Sacerdotes terga cædentes reorum more subsequens admirabili ostento noctu conspicitur. 918. tacto de cœlo Societatis templo mortem præsentit, & superioris vitæ errata omnia magno animi sensu confitetur, & paulò post pretiosa Sanctorum morte conquiescit. 919.
P. Farsia (Franciscus) per divinam Eucharistiam, emendatissimam, asperrimamque vitam instituit. 138. mox Societatem petit, & obtinet. 139. ejus eximiæ virtutes, & mors, 140.
Fascinatio, v. Veneficia.
P. Fassari (Vincentii) virtutes. 823. ejus extra Provinciam magistratus, & in Provincia in his repudiandis temperantia. 824. Morum ejus integritas, atque ingenii edita, & inedita monumenta. ibid.
P. Federicius (Gaspar) Messanæ Tirocinium ponit: ejus dotes, & munera. 23. Iratum Judicis Christi vultum videt. 23. Deiparæ addictissimus, eam non semel intuetur: & colloquio ejus fruitur, ibid. mortem suam vaticinatur. 24. Catanæ in magistratu moritur. ibid.
P. Felix Andreas, v. Andreas.
P. Ferracutus (Petrus) in contagiosorum obsequio vitam claudit. 627.
Ferrara (Josephus) ut Mænis vivere desiit, cœlestis splendor in proximo cubiculo affulsit. 248.

Digitized by Google

F. Ferrigni (Sebaſtiani) patria, mors, & eximiæ virtutes: in ſubigenda farina cœlites adjutores habuiſſe fertur. 434.
Ficarra (Franciſcus) Deiparæ addictiſſimus, amplectendæ Societatis votum concipit. 339. 340. arreptâ fugâ Noſtrorum numero adjungitur. 340. Columba cœleſti luce coruſcans ejus dormientis lectulum circumvolat. 341. ejus virtutes eximiæ, & innocentiæ teſtimonium. 341. 342. 344. Mortî proximus, ſuprema morientium ſacra ſibi dari poſcit, divina patitur, & eo quo prænunciaverat, die contra Medicorum opinionem vivere deſinit. 343. 344. Plurima per eum Deus pluribus contulit cœleſtia beneficia. ibid. Corpus ejus ſepoſito in loco collocatur. 345.
Fiducia erga Deum domeſticam inopiam miraculosè ſublevat. 199.
P. Fimiæ (Franciſci) virtutes in morte illuſtratæ. 925.
P. Finiclarus (Hieronymus) cum ad Indos navigaret extinguitur. 431.
Flammis luſtralibus diu Manes Cæſaris Lauricellæ exercentur: & piacularia ſacrificia ab amico efflagitant. 46.
P. Florianus Spetia, v. Spetia.
P. Floritus (Auguſtinus) Panormi diffractâ præcordiorum venâ, moritur, linguarum peritiſſimus: mirâ pollet memoriæ tenacitate: caſtimoniæ ſervantiſſimus: obtemperandi alacritate parem habuit neminem: religioſæ inopiæ cultor eximius. 35.
P. Florius (Michael) prodigio ad Societatem vocatus torquendi ſui conſuetudinem nunquam dimiſit. 130. Chriſtianas virtutes edoctus alios juvat, & eo mortuo, magnâ luce Collegium circumfunditur. 131.
P. Franciſcus Balſamo, v. Balſamo.
P. Franciſcus Bardus, v. Bardus.
P. Franciſcus Baronius, v. Baronius.
P. Franciſcus Baſilius, v. Baſilius.
B. Franciſco Borgiæ inter cælites relato honores Meſſanæ magnis lætitiæ ſignificationibus celebrantur. 189. Balthaſari Loyolæ videndum ſe præbet, eumque ad Jeſu Societatem a Deo deſignatum declarat. 905.
P. Franciſcus Brigandius, v. Brigandius.
Franciſcus Cajetanus, v. Cajetanus.
P. Franciſcus Caſtiglia, v. Caſtiglia.
Franciſca Cardilia in puteum dilapſa, & morti proxima, per Bendictum Moletium ſanitati reſtituitur. 297.
P. Franciſcus Delbenius, v. Delbenius.
P. Franciſcus Dragus, v. Dragus.
Franciſcus Farao Patricius Mamertinus Noſtros ab academia deturbare conatur. 246.
P. Franciſcus Farſia, v. Farſia.
Franciſcus Ficarra, v. Ficarra.
P. Franciſcus Fimia, v. Fimia.
Franciſcus Giunta, v. Giunta.
P. Franciſcus Marinus, v. Marinus.
F. Franciſcus Micciardus, v. Micciardus.
Franciſcus Murena in pietatis officio peſte afflatus biduo extinctus eſt. 206.
P. Franciſcus Oliverius, v. Oliverius.
Franciſcus Pancaldus, v. Pancaldus.
P. Franciſcus (Paulus) eâ conditione Societati adjungitur, ut perpetuò pueros erudiat. 400. a ludo diſtrahitur, & Collegio Rhegino primum, dein Thermitano præficitur. ibid. a Deipara per barbatum Cœnobitam admonitus Collegii Catanenſis magiſtratum capeſſit. 401. Eximiæ ejus virtutes. 402. & ſeq. Apud Religionis Cenſores violatæ Euchariſtiæ poſtulatur, & ejus innocentia declaratur. 404. futura, & occulta prænoſcit, ibid. Catanæ moritur, & manes ejus radiantes nobili Matronæ ſe ſe oſtendunt. 405.
P. Franciſcus Petrus, v. Petrus.
P. Franciſcus Piccolomineus, v. Piccolomineus.
P. Franciſcus Plazza, v. Plazza.
P. Franciſcus Principatus, v. Principatus.
P. Franciſcus Privitellus, v. Privitellus.
P. Franciſcus Rajatus, v. Rajatus.
P. Franciſcus Rajus, v. Rajus.
P. Franciſcus Scorſus, v. Scorſus.

Digitized by Google

Franciſcus Sindonus, v. Sindonus.
P. Franciſcus Sparacinus, v. Sparacinus.
P. Franciſcus Spatafora, v. Spatafora.
P. Franciſcus Stagnus, v. Stagnus.
Franciſcus Torreſius, v. Torreſius.
Fructus concionum. 58. 82. 88. 95. 97. 99. 633. uſq; ad 648. & alibi.
Frumenti inopia. 98. v. Annonæ difficultas.
Fuga aliquorum e Paterna domo, ut Societatem adeant. 340. 352.
Fuga Societatis a Deo punita. 548.
P. Funius (Petrus) in magiſtratibus gerendis omne vitæ ſpatium traduxit. 210. Ejus gubernationis ratio. ibid.
Funus Chriſti; qua ratione a P. Gaſpare Sanchez coleretur. 41.
Funus magnificum in morte Nicolai Longobardi Rex Pechinenſis haberi curat. 622.

G

Gaglianus (Hortenſius) peſte afflatus obit. 191.
P. Galitia (Hieronymus) oculis captus plura dat temperantiæ documenta. 32. uſque ad ultimum vitæ ſpatium Afris excolendis dat operam: in Collegio Catanenſi octo annos nunquam domo pedem extulit: mortem obit cœleſtibus deliciis delibutus. ibid. ejus mortem cœleſtis concentus comitatur. ibid.
Gallettus (Gaſpar) dimiſsà Societate, eo ipſo die, quo in B. Ignatium contumelioſa dicta pronunciat igneà glande confoſſus interimitur. 876.
P. Gallettus (Nicolaus) lautiſſimum patrimonium fratri natu minimo addicit, ſeque Societati adſcribit. 628. ex nimio litterarum ſtudio jecinoris vitium contrahit, & in domo Panormitana vivere deſinit. ibid.
Gallettorum erga Societatem merita. 628.
P. Gallettus (Vincentius) pingui repudiato patrimonio, Societati nomen dedit, & contagione afflatus Panormi moritur. 207.
Gancius (Joſephus) Collegium Salemitanum ex aſſe hæredem nuncupat. 410. Ejus, atque Uxoris exuviæ in Societatis Ædem inferuntur. 411.
P. Garetus (Mattheus) aſſiduam de Deo colloquendi rationem, & legum obſervantiam comitem habet. 352. Duo ſingularis virtutis ejus teſtimonia ibid. Drepani vitæ curſum abſolvit, & manes ejus Mariæ Roccafortiæ ſe oſtendunt, ac opem petunt. ibid.
P. Garganus (Ignatius) Provinciæ Siculæ Antiſtes. 438.
P. Gaſpar Caſtiglia. v. Caſtiglia.
P. Gaſpar Federicus. v. Federicus.
Gaſpar Gallettus. v. Gallettus.
P. Gaſpar Paraninſus. v. Paraniſus.
P. Gaſpar Sanchez. v. Sanchez.
P. Gattus (Hieronymus) paupertatis, & temperantiæ amantiſſimus. 770. Ejus cum Deo familiaritas, & aſſidui labores. ibid. in Collegio Panormitano annum agens octogeſimum vivere deſiit. 771.
Gaulitani religionis plane rudes à P. Lucio Bonello erudiuntur, & Chriſtiana officia exercent. 186.
Georgius Blancus. v. Blancus.
Georgius Ghilbertus Calvinianam Hæreſim per P. Placidum Giuntam Meſſanæ ejurat, & Chriſtianis luſtrationibus expiatus moritur. 436. 437.
P. Georgius Tagliavia. v. Tagliavia.
P. Giattini (Joannis Baptiſtæ) dotes, ac ſtudia. 929. linguarum peritiſſimus, vetuſtas arabicè inſcriptas literas ad unguem interpretatur. Bibliorum codex ex arabico in latinum convertendus ei committitur. 930. Romam evocatus omnes fere diſciplinas tradit, & ſtudiis præficitur. ibid. Tridentini hiſtoriam a Pallavicino evulgatam latino ſermone unus aſſequitur. 931. ejus virtutes. ibid. Collegium Romanum pinguis patrimonii heredem ſcribit, & ſenex plurimorum laudibus defunctus effertur. 932.
P. Giunta (Franciſcus) Romanum Pontificem appellat, & Mamertinum ut ſuſpectum ejurat. 390. Meſſa-

Digitized by Google

ſanæ ſanctiſſimè obit. 435. Sanctiorum animarum primus dux, & eximius Cultor. ibid. Magiſtratuum ejus non intermiſſa ſeries. 436.
P. Granatæ (Joſephi) erga domum Mamertinam munificentia. 155.
P. Granonius (Antoninus) de Collegio Drepanitano benemeritus. 430. laboranti Collegio Salemitano opem affert. ibid. a D. M. Magdalena de proxima morte admonetur. 431.
Gratulatio Mamertinorum, & Siracuſanorum de inauguratione B. Xaverii. 81. Panormitanæ, ac Meſſanenſis Civitatis de inauguratione SS. Ignatii, & Xaverii 134.
P. Gravina (Hieronymus) ex clariſſima Gravinarum proſapia ad Indos deſignatus hæreditatem Collegio Panormitano addixit. 785. Panormo diſcedens Parentum dona recuſat. 786. Ejus in maximo Naufragii periculo ſumma tranquillitas. ibid. Peſtiferâ febre tentatus cœleſti beneficio recreatur. ibid. Malaccam prætervectus in Piratarum Batavorum claſſem incidit, & B. Franciſci Xaverii beneficio liber evadit. 787. Librum de Chriſti religione Sinico ſermone edidit. 788. Barbarorum animos ſibi conciliat, & rem Chriſtianam amplificat: Templum, domicilium, & Academiam in Suchena Civitate inſtituit. 788. Agreſſorem ſuum Chriſto conciliat. 790. ejus virtutes eximiæ, & mors inter Sinarum lacrimas. 793. Ejus in Muſæo Collegii Panormitani Sinico more depicta Imago. 794.
P. Gravina (Petrus) de Provincia benemeritus ſanctiſſimè quemadmodum vixerat in Mexicana Provincia moritur. 288. 289. 635.
F. Groſſus (Silveſter) adhuc Tiro interficitur. 431. Ejus manes P. Vincentio Marottæ luce fulgentes ſe offerunt. 432.
P. Grua (Cæſar) humanis omnibus abdicatis, Societatis diſciplinam ſtrenuè arripit. 197. ad humillima quæque domeſtica officia deſcendit. 198.
P. Guſmanus (Nicolaus) præclariſſimam gubernationis ſcientiam prudentiâ, & æquitate ſumma temperat. 269. De ejus virtutibus inſigne teſtimonium. ibid.
Gynœceum Plateenſe dictum à B. Anna. 54.

H

HÆreditas pinguiſſima Silviæ Locodellæ ad Collegium Drepanitanum pervenit. 155.
Hæretici quam plurimi per P. Carminatam Chriſto conciliantur. 91.
P. Hieronymus de Angelis. v. de Angelis.
P. Hieronymus Ballarò. v. Ballarò.
P. Hieronymus Calderarius. v. Calderarius.
P. Hieronymus Domenechius. v. Domenechius.
P. Hieronymus Finiclarus. v. Finiclarus.
P. Hieronymus Galitia. v. Galitia.
F. Hieronymus Gattus. v. Gattus.
P. Hieronymus Gravina. v. Gravina.
P. Hieronymus Juſtinianus. v. Juſtinianus.
P. Hieronymus Lachiana. v. Lachiana.
P. Hieronymus Laguna. v. Laguna.
P. Hieronymus Lombardus. v. Lombardus.
P. Hieronymus Manduca. v. Manduca.
Hieronymus à Panormo eâ ipſâ horâ, quâ Piccinus Romæ moritur, Panormi noſtrorum aliquibus enunciat. 22.
P. Hieronymus Platamonius. v. Platamonius.
Hieronymus Ribera Siclenſe Collegium ex aſſe hæredem relinquit. 504.
P. Hieronymus Rocca. v. Rocca.
P. Hieronymus Sanclementius. v. Sanclementius.
P. Hieronymus Tagliavia. v. Tagliavia.
Hieronymus Vivacitus, qui P. Andreæ Terratio grave vulnus inflixerat, in amentiam, Deo vindice, prolapſus eſt, & in vinculis extinctus. 262.
P. Hieronymus Zuccarus. v. Zuccarus.
Hieroſolymitanorum Equitum in Collegi-

Digitized by Google

legium Melitense conspiratio,& impetus. 334.
Hippolitus Albertus (Carolus) Panormi tabo afflatus fato concedit. Ejus dotes, religio, & Pietas. 26.
Hispanus Adolescens perditis moribus ab Aloysio Lanuza in bonam frugem traducitur. 639.
P. Honoratus Pacius. v. Pacius.
Honores pro Christo posthabiti. 207.
Honores B. Francisco Borgæ inter Cælites relato Messanæ persolvuntur. 188.
Honores D. Rosaliæ reliquiis Panormi summo omnium plausu exhibiti. 194.
Honores repudiati. 142.
P. Honophrius Vallariola. v. Vallariola.
P. Honuphrius Verme. v. Verme.
Horatius Vita Collegium Bidenense hæredem ex asse relinquit. 438.
Hortentius Gaglianus. v. Gaglianus.
P. Hortensius Scammacca. v. Scammacca.
Hostia Sacra in Cœlestem conversa Infantem Josephi Marchesanæ immolantis animum recreat. 917.
Humilitas singularis Bernardini Piccini. 3. 4. 6. 13. Thomæ Marulli. 31. Barnabæ Vechiæ. 42. P. Carminatæ. 104. P. Carybdis. 123. Joannis Musticæ. 758. Cæsaris Gruæ. 198. P. Torresii. 195. Benedicti Moletii. 296. Jordani Cascini. 317. Natalis Vitæ. 406. & seq. Petri Castelli. 444. & seq. Melchioris Bellii. 814.
Humilitatis præclara exempla. 123. 636. 638. 674.
P. Hyacintus Ligregnus. v. Ligregnus.

I

JAcobus Abas. v. Abas.
P. Jacobus Amatus. v. Amatus.
F. Jacobus Aucellus. v. Aucellus.
P. Jacobus Carybdis. v. Carybdis.
Jacobus Corina. v. Corina.
P. Jacobus Dominicus. v. Dominicus.
P. Jacobus Marcinonius. v. Marcinonius.
P. Jacobus Maso. v. Maso.
P. Jacobus Riela. v. Riela.
P. Jacobus Scrignus. v. Scrignus.
Jejunium. v. Abstinentia.
Jejuniorum consuetudo P. Barnabæ Vechiæ. 42. Pauli Franciſci. 403. P. Marchesanæ. 474.
Jesus infans P. Carminatæ videndum se præbet, & salutem restituit. 94. Petro Antonio Castello non semel adest, ac supra cor ejus vexillum manu tenens consistit. 453. Medius inter Deiparam, & Josephum Carolo Romano occurrit. 180. Antonio Blando conspiciendum se exhibet. 519. Balthasarem Loyolam in filium adsciscit. 900.
Jesu, & Mariæ nomina P. Castelli cordi inscribuntur. 452.
B. Ignatius perditarum Mulierum conatus, & mali genii insidias in Octavium Cajetanum paratas, inutiles reddit. 117. Non semel videndum se præbet P. Castello. 454. 455. Cujusdam Olitoris Uxori Horti incolumitatem pollicetur, eique religiones aliquas exercendas præscribit. 774. Honestæ Mulieri adstat, eamque a malo genio diutius vexatam, & ad venerem incitatam liberat. 775. Morienti Vincentio Regio adest, & ad superos deducit. 48. Cuidam Matronæ a malis geniis vexatæ per quietem se ostendit, & metuentem confirmat. 555. Viduæ opem ab eo flagitanti pecuniam æri alieno dissolvendo necessariam impertitur. 555. Joanni Baptistæ Imperiali salutem restituit. 470. Racalmuti ejus imago sanguine stillat. 876. Racalmutensis Civitatis Patronus eligitur. 877.
P. Ignatius Balsamus. v. Balsamus.
P. Ignatius Cagliaresius. v. Cagliaresius.
P. Ignatius Garganus. v. Garganus.
P. Ignatius Moncada. v. Moncada.
F. Imperialis (Joannes Baptista) graviter decumbens B. P. Ignatium videt, & salutem impetrat. 470. Lassitudine, ac siti æstuans per Deiparam cibo, & potu recreatur. 471.
Innocentia morum singularis P. Gasparis Scammaccæ. 218. Paraninfi. 167.

Digitized by Google

167. P.Ursi. 426. P.Lavagii. 783.
Inobedientia sacrarum Virginum a Deo punita. 448.
Inopia domesticarum rerum cœlestibus subsidiis sublevatur. 199.
Insidiæ sapienter vitatæ. 605.
Intemperantia a Deo punita. 369. v. Libidinosi.
Intemperantia linguæ causa amissæ Societatis. 550.
Interpretatio latina ex gallico, litterarum P. Francisci Clementis de Nicolai Longobardi inter Sinas vita, & virtutibus. 619.
P. Joannes Jacobus Alexander, v. Alexander.
Joanna Austriaca Caroli V neptis animi sui ducem Nicolaum Barberam seligit. 39.
Joannes Austriacus P. Lanuzam Aulicorum licentiam pro suggesto objurgantem laudat. 682.
Joannes Austriacus Siciliæ Prorex, ne e Sicilia discedat Cæsari Cajetano præscribit. 574.
F. Joannes Baptista Bonerba, v. Bonerba.
P. Joannes Baptista Carminata, v. Carminata.
P. Joannes Petrus Castellus, v. Castellus.
P. Joannes Baptista Giattinus, v. Giattinus.
F. Joannes Baptista Imperialis, v. Imperialis.
Joannes Laparus, v. Laparus.
P. Joannes Melisinelius, v. Melisinelius.
Joanna Messina de Collegio, & Domo Mamertina benemerentissima. 596.
P. Joannes Petrus Mustica, v. Mustica.
P. Joannes Paulus Oliva, v. Oliva.
Joannes Torres Osorius B. Ignatii templi ædificationem adjuvat. 402.
Joannes Baptista Plances, v. Plances.
P. Joannes Raphael, v. Raphael.
P. Joannes Dominicus Schisanus, v. Schisanus.
P. Joannes Trigilius, v. Trigilius.
P. Joannes Jacobus Vicecomes, v. Vicecomes.
Joannitarum Ordinis laus attingitur, & ab eo excusationis venia petitur. 385.
P. Jordanus Cascinus, v. Cascinus.
P. Josephus Alferius, v. Alferius.
P. Josephus Augustinus, v. Augustinus.
P. Josephus Castelnovus, v. Castelnovus.
P. Josephus Clara, v. Clara.
Josepha Cotta pedibus, & cruribus capta a P. Lanuza ad Mariæ Roccafortiæ sepulcrum missa pedum usum recuperat. 729.
P. Josephus Curtius, v. Curtius.
Josephus Ferrara, v. Ferrara.
Josephus Gancius, v. Gancius.
P. Josephus Granata, v. Granata.
Josephus Livornus prodigio a P. Lanuza excitatur, & expiatus dimittitur. 718.
P. Josephus Marchesana, v. Marchesana.
P. Joseph Matina, v. Matina.
P. Josephus Mazara, v. Mazara.
Josephus Miccichæus, v. Miccichæus.
P. Josephus Ragusa, v. Ragusa.
P. Josephus Scammacca, v. Scammacca.
P. Josephus Scarfia, v. Scarfia.
Josephus Serius purulentis tumoribus per P. Lanuzam liberatur. 725.
F. Josephus Silvester, v. Silvester.
P. Josephus Aloysius Spinellus, v. Spinellus.
P. Josephus Spucces, v. Spucces.
P. Josephus Zafarana, v. Zafarana.
Irrisiones ipsis irrisoribus maximè noxiæ. 447.
Jubilæum ab Innocentio X. indicitur. 437.
F. Julianus Stephanus, v. Stephanus.
P. Julius Mazarinus, v. Mazarinus.
Julius Sorius sanctissimus vir Lanuzæ sanctitatem perhonorificentissimè testatur. 739.
Jumentum Dominici Caromelli sepulcrum veneratur. 216.
P. Justiniani (Fabii) fatum, virtutes, & res gestæ. 468. 469.
P. Justinianus (Hieronymus) Panormi ortus de Panormitana Domo benemerentissimus. 337. ejus virtutes, mors, & memorabile dictum. 337.
P. Justinianus (Paulus Bellius) nobilissimo ortus genere Societati nomen dedit, & perpetuos in ea gessit magistratus: ad summa Societatis comitia missus, plurima ab Inno-

centio X retulit affinitatis, & benevolentiæ ſigna. 760. obiit in Domo Mamertina, & Deiparæ beneficio æterno ſupplicio liberatur. 761. ejus erga Dei Matrem religio. 762. de Virginis Epiſtola ad Meſſanenſes diſſertationem edidit. ibid. Alia ingenii ejus edita, & inedita monumenta. ibid.

K

KOſtka D. Stanislaus, Joannem Trigilium de proxima morte admonet. 256.

L

P. LAchianæ (Hieronymi) patria, eximiæ virtutes, & ingenii ſui edita, atque inedita monumenta. 828. 829.

Lacrimarum vis maxima in Gaſpare Sanchez, ex his oculos amittit. 41. in Joanne Baptiſta Carminata. 91. in Petro Bellonio, qui ex lacrimarum aſſiduitate oculorum acie privatur. 121. in Joſepho Scammacca. 220. in Vincentio Raymundo. 346. in Aloyſio Lanuza. 635. & alibi. 685. in Hieronymo Gravina. 793.

P. Laguna (Hieronymus) Drepanitani Collegii Rector cum maximis rei domeſticæ difficultatibus premeretur, torquem aureum e Mariæ ſigno pendentem venum tradidit, & pretioſum pharmacum fratri ægrotanti parari juſſit; exinde & Collegium ſublevatur, & Marianum Simulacrum donariis cum fœnore augetur. 827. 828.

P. Lambertengus (Pompilius) gubernationis ſcientiâ clarus prope Agathyrnum cum Panormum navigaret magno in periculo verſatur. 109. Tertium Provinciam adminiſtrat. 319. ejus verbis commotus Calvinianus quidam Calvinum ejurat. ibid. Puellam eum ad Venerem allicientem ſtrenuè dejicit, febri correptus ſanctiſſimè moritur, & manes ejus cœleſti luce circumfuſi Mariæ Roccafortiæ ſe oſtendunt. ibid.

P. Lanfrancus (Bernardinus) pinguem hæreditatem Panormitano Collegio addicit. 845. ejus virtutes. ibid. ejus elogium imagini appictum in Collegio Panormitano. 846.

P. Lanuza (Aloyſius) cœleſti quodam dicendi genere maximum Chriſtianæ diſciplinæ incrementum attulit; 633. uſque ad 648. Ejus concionantis facies mirificè coruſcat. 648. & alibi. Uno tempore duobus in locis viſus eſt. 649. 714. 733. 734. Futura, occulta, remota aſſiduè vaticinatur. 650. & ſeq. 708. & ſeq. Virtutes ejus eximiæ. 656. & ſeq. plurima, & maxima per eum patrata miracula. 663. & ſeq. 724. & ſeq. Ejus juſſu Sol ſtetiſſe fertur. 733. Mortuos ad vitam revocat. 726. 727. Divina non ſemel patitur, & corpus ejus in ſublime fertur. 638. 685. Per varia loca incedere conſpicitur, quin terram contingat. 666. Per nimbos, atque procellas ſiccus incedit. 733. Plurimorum manes, vel in cœlum receptos, vel in orcum detruſos divinitus intuetur. 688. & ſeq. Manes ejus in cœlum inter ſuperos recipiuntur. 745. 746.

F. Laparus (Joannes) centenarius ligna cædebat, & onera ingentia humeris geſtabat. 256. Rebus cœleſtibus vacans ſine febri exanimatur. 157.

F. Laſiricus (Bernardinus) ad omnia domeſtica obſequia idoneus lacrimis impetrat, ut laboribus reſtituatur. 126. Ejus ſanctitatis fama apud noſtros æque, & externos maxima. 127.

P. Lavagius (Vincentius) animi innocentiâ, & morum integritate conſpicuus ſingulari eloquentiâ incredibilem Auditorum concurſum ſibi conciliavit. 783. Ejus virtutes, & in Provincia magiſtratus. 783. 784. fatalem horam vehementer reformidat. 784. Panormi decedit: virtutum ejus publica teſtimonia. 785.

Lau-

Digitized by Google

Lauricella (Cæsar) emendatissimam in Societate vitam instituit: ejus dotes. 46. Tanquam priscæ probitatis exemplar nostris proponebatur. ibid. Biennio elapso, ex quo vivere desiit contubernali suo sese ostendunt manes ejus, & piacularia opera efflagitant, ut lustralibus flammis eximantur. ibid. Paulò post sacrificiis exactis, lætissimi ad superos evolare visi sunt. ibid.

Lectio piorum librorum quam salutaris accidat. 565.

Legum domesticarum exquisita custodia. 585. 750. 758. 814. 823.

Leiva (Petrus) vir terrà, marique notissimus, relicta classe, cui præerat, se religionibus involvit: Mariano Sodalitio nomen dedit: epulum in custodias publicas magno agmine Nobilium Sodalium detulit. 71.

P. Leonardus Mercurius, v. Mercurius.

Leprosus, & ulcerosus adhibito Lanuzæ indusio morbo liberatur. 729.

P. Lerma (Barnabas) litteras, in quibus plurimi Proregis familiares postulabantur ad eum ex more defert. Prorex ea de causa exardet, in Lermam invehitur, & eum objurgat. 37. se excusat, sed ignominià affectus dimittitur. 38. ejus obitus, & virtutes. 154.

Liberalitas Beatricis Aragoniæ erga Collegium Panormitanum S. Francisci Xaverii. 287. Caroli Vigintimillii, & Vincentii Compagnoni erga idem Collegium. 288. Francisci Rotundi erga Collegium Ennense. 78. Horatii Vitæ erga Collegium Bidenense. 438. Josephi Miccichei erga Collegium Siclense, item Hieronymi Riberæ erga idem Collegium. 265. 266. Josephi Gancii erga Collegium Salemitanum. 410. Michaelis Marini erga Thermitanum. 110. Magistratus, Civiumque Thermitanorum erga idem. ibid. Petri Balsami erga Collegium Messanense S. Francisci Xaverii, ac totius nobilissimæ Balsamorum familiæ erga Domum, & Collegium Mamertinum. 301. 302. Victoriæ Columnæ, Mariani Agliatæ, & Civium Mutycensium, ergu Collegium Mutycense. 253. Vincentii, & Jacobi Abbatis erga Collegium Alcamense. 752. Petri Salerni erga Collegium Panormitanum. 856. erga idem Collegium Bernardini Lanfranci. 845. P. Francisci Principati. 875. P. Joannis Baptistæ Giattini erga Collegium Romanum. 932.

Libidinosi infelix exitus. 369. 713.

P. Licander (Demetrius) præclarissimà gubernationis scientià inclitus. 381. Magistratuum ejus non intermissa series. ibid. Surdus, ac cœcus post diuturnam ægritudinem Messanæ vitam ponit. ibid.

P. Ligregnus (Hyacinthus) in contagiosorum obsequio consumitur. 393.

Linguarum peritissimus Alexander Nevola. 632. Augustinus Floritus. 35. Franciscus Scorsus. 748. Hortensius Scammacca. 507. Ignatius Cagliaresius. 378. Joannes Baptista Giattinus. 930.

P. Livius Trigona, v. Trigona.

Locustæ Calatanixetenses agros invadentes Ignatianà aquà dissipantur. 772.

P. Lombardi (Caroli) ingenium, virtutes, & in Societate munera. 839.

P. Lombardus (Hieronymus) Antonino Blando de capitis molestia narranti fidem negans simili morbo corripitur. 520. Pro Aloysio Lanuza apud Aquavivam intercedit, eumque in Societate retinet. 642.

P. Longobardus (Nicolaus) Asiaticam expeditionem ab Aquaviva flagitat, & impetrat. 601. ejus virtutes. 600. & seq. Macaum delatus Sinicas litteras aggreditur, & Xauceano domicilio addicitur. 601. Ejus in Sinico imperio labores, & fructus. 602. usq. ad 621. Calumnias, conjurationes, & insidias propulsat. 605. & seq. Regis edicto Mathematicorum Collegio præficitur, & ejus operà Pechini centum volumina Sinicis formis excuduntur,

Digitized by Google

centum inedita circumferuntur. 615. Reginam, & Regni hæredem, & quamplurimos curiæ familiares Christianæ religioni conciliat. ibid. Summam Sinicæ expeditionis administrationem init. 609. Inusitatà ceremoniâ Pechini Regis jussu ei parentatur. 622.

Loyola (Balthasar) eà ipsà horà, quà P. Bellius obiit, ante Christi tribunal eum trepidantem vidit, & Deiparæ beneficio æterno supplicio liberatum. 761. Inter barbaros natus regni hæres, ac princeps salutatur. 883. Mechanæ peregrinationis causà a Melitensium triremium classe in servitutem redigitur. 884. Fugam meditanti B. Virgo se in somnis spectandam exhibet. 886. facta abeundi copia, divino consilio proficiscendi facultas denegatur. 887. ad horridam ostenti speciem animo concipiendam sensibus avocatur, & sibi redditus per vias publicas clamat: Christianus sum. 888. 889. Sacro Fonte lustratus Romam adire parat, sed grassante Neapoli pestilentiâ, Panormi a Martino Redino detinetur. 890. 891. 892. latinà, ac italicà linguà instruitur. 894. gustato vix divino epulo, Deum intimè loquentem sentit. 894. in Domo Mamertina culinariis obsequiis insistenti Deipara se videndam præbet. 896. varias dæmonum insidias incurrit, & qua de causa. 899. B. Virgo, & divinus Infans eum in filium adsciscunt. 900. Virgo Mater lac ei gustandum præbet. 901. B. Francisci Borgiæ beneficio Societati se mancipat. 906. Sacerdotio inauguratus Mogorensem expeditionem impetrat, Matritum venit, ubi insignis sanctimoniæ exemplum relinquens moritur. 911.

P. Lucius Bonellus, v. Bonellus.

P. Ludovicus Bompianus, v. Bompianus.

M

P. MAdrensis (Michaelis) virtutes, & res laudabiliter gestæ. 360. Deipara ei se videndam præbet, & de proximo fato admonet. 361. In Collegio Rhegino sanctissimè moritur ibid. Ejus Ocreæ sanie respersæ suavissimè olent, hisque adhibitis plura pluribus collata sunt cœlestia beneficia. 361. Ejus innocentiæ testimonium. ibid.

Maleficia dissoluta. v. Veneficia.

F. Mandera (Rocchus) parendi studiosissimus, humanarum rerum contemptor, religiosæque inopiæ servantissimus summo cœlestis patriæ desiderio flagrat, & Deiparà adstante vitam sanctissimè ponit. 277. 278. Nitidissimum sidus quà horà obit, ejus cubiculo per meridiem imminet. 278.

P. Manduca (Hieronymus) singularis licet doctrinæ quatuor votorum Sacramentum in Societate non dixit. 418. Ingenii ejus quamplurima monumenta. ibid. Siracusis sanctissimè moritur. 419.

Manes Mortuorum. v. Apparitiones Mortuorum.

Manes in Orcum detrusi. 688.

Marcellus Scaglionus. v. Scaglionus.

P. Marcellus Spinellus. v. Spinellus.

P. Marchesana (Alphonsus) per quietem ante Christum Judicem stare sibi visus ad divinam misericordiam provocavit, & expiatis animi maculis, lætus extinguitur. 475.

P. Marchesanæ (Josephi) generis conditio, & magistratus. 916. Senex veneris desiderio captus divino præsidio vindicatur. 917. Dum immolat, & Sacram Hostiam ori admovet cœlestem in ea infantem deprehendit. ibid. Catanæ moritur. ibid.

P. Marcinnonius (Jacobus) P. Pinello adhuc vivo, cubiculum ejus expilat, eumque modis omnibus insectatur. 499. & ut Pinellus prædixerat extinguitur. 500.

Maria Virgo plures lon gissimè absentes

Digitized by Google

tes ad P. Piccinum remittit, ut eo culparum Judice utantur. 15. Gaſpari Federico ſe conſpiciendam non ſemel dat, & ad amorem ſuum incitat. 23. Media inter BB. Ignatium, & Xaverium Thomam Stillintonium ad Sócietatem vocat. 61. Puellam, quæ pudoris amore in puteum ſe dejecerat incolumem ſervat. 68. P. Paraninfi paupertatem commendat. 167. Carolum Romanum peramanter alloquitur. 174. eidem præcipit ut Thereſianorum inopiæ conſulat. 179. Mamertinorum calamitatem oſtento ſemel, & iterum ſublevat. 333. Vincentio Raymundo occurrit, & ad Societatem amplectendam hortatur. 345. Item Michaeli Madrenſi 361. Nicolao Urſo lac guſtandum donat. 425. B. P. Ignatio mandat, ut Petri Caſtelli caput floribus innocentiæ teſtibus redimiat. 456. Ipſa clamidis limbo Caſtellicaput tangit, & ſuà deinde pallà contegit. 455. Eidem ſexcenties videndam ſe præbet. 460. Et cor ejus ſuo lacte perfundit. 453. F. Imperialem, & Socium ſiti extuantes cibo, & potu recreat. 471. Noſtros Panormi ab imminenti periculo liberat. 482. De obſcenæ Mulieris inſidiis Franciſcum Sparacinum admonet, eique a ſtygiis furiis vexato occurrit. 540. Duos cœleſtes Juvenes ad P. Sparacinum mittit, ut eum in ſuggeſtum aſcendentem ſublevent. 541. P. Juſtinianum æterno ſupplicio liberat. 761. Lectiſſimos Societatis Homines pallio complectens Remigiæ Scammaccæ videndam ſe præbet. 778. Balthaſari Loyolæ non ſemel occurrit, eumque in filium adſciſcit, & lac guſtandum præbet. 885. 900. 901. Ampliſſimà Clamide Societatis Homines tanquam filios complectens Thomæ Politio adeſt, eumque gemitibus deprecantem excipit. 924. 925.

Maria Crucifixa Aloyſii Lanuzæ animam excelſo ſolio apud ſuperos inſidentem videt. 745.

Mariæ nomen in maximo amittendæ pudicitiæ periculo Puellam liberat. 442.

B. Mariani corpus, ac nomen cœleſti oſtento in domo Panormitana innoteſcit. 919.

P. Marianus Opizzinghus. v. Opizzinghus.

P. Marinus (Franciſcus) contagioſis inſervit. 477. ejus virtutes, & res geſtæ. ibid. ad ſacras excurſiones habendas cenſum conſtituit. ibid. Elogium in Collegio Panormitano ejus imagini appictum. 478.

P. Marius Pacius. v. Pacius.

Marius Scaglia. v. Scaglia.

P. Marotta (Eraſmus) Chriſti necis hiſtoriam primus ad numeros concinit. 34. Ejus ortus, Patria, & eximiæ virtutes. 393. Nè concentus conſuetudinem in Provinciam inveheret Panormo ablegatus, Mænenino Collegio præficitur. 394. Panormum evocatus vitam claudit. 395.

P. Marotta (Vincentius) Panormi fato concedit, præclariſſimæ ejus virtutes, & religiones. 431. Defunctorum manes identidem ei per ſpeciem ſeſe offerunt. 431. 432.

P. Martinus Monacus. v. Monacus.

P. Marullus (Thomas) humilitate, & ſui contemptu eximius ante canos vitam ponere, nè ſuis gravis eſſet, expoſcit, & impetrat. 31. Supremum temperantiæ ejus documentum. ibid. Reliquiæ ejus ægrotis ſalutares perhibentur. ibid.

P. Maſonis (Jacobi) e Societate defectio, ac funeſtiſſimus exitus. 830.

P. Maſuccius (Natalis) eximius Architectus memorabile fuit divinæ ultionis ſpectaculum, Societate expulſus, in publico Valetudinario diem ſuum obiit miſeriis omnibus coopertus. 56.

P. Maſtrillus (Carolus) Nolanus ad regendam Provinciam accedit, ejus dotes. 38.

P. Matina (Joſephus) Dei obſequio, & Societatis emolumento totus vacat. 199. rei familiaris inopiam cœleſti-

Digitized by Google

leſtibus ſubſidiis ſublevat. ibid. erga Societatem ſtudii documentum. 200.
P. Matthæus Adamus, v. Adamus.
P. Matthæus Garetus, v. Garetus.
Mauri quamplurimi ſuperſtitionem ejurant. 60. 357. 722. 744.
P. Mazara (Joſephus) ſtudiis vix emenſis, Panormi præter morem Dialecticam aggreditur, ſed ob nimiam in ea tradenda prolixitatem, eo munere amotus Meſſanam mittitur. 795. Mamertinorum tumultibus ſe involvit, & violatæ obedientiæ apud noſtros poſtulatur. ibid. ab Oliva Meſſanà decedere juſſus dum Siclum contendit, Neæti exinguitur. 796. Ingenii ejus italicæ, ac latinæ vigiliæ. ibid.
P. Mazarinus (Julius) eloquentiæ laude ſingularis in aliis regendis acre, & vehemens exeruit ingenium. 128. a magiſtratu abire juſſus Bononiæ ætate, & apoplexià confectus obit. 130.
P. Melchior Bellius, v. Bellius.
P. Melchior Encofer, v. Encofer.
P. Melchior Sanctorus, v. Sanctorus.
F. Meliſmelius (Joannes) Collegii Nobilium condendi curam ſuſcipit. 386. ſed ob difficultates, abjectà curà, filii ſui Didaci hæreditatem S. Xaverii Collegio Meſſanæ adjudicat. 392. Meſſanæ vitam claudit. 799.
Melitenſe Collegium, v. Collegium Melitenſe.
Memoria ſingularis. 350. 372.
P. Mercurianus (Everardus) talarem veſtem gerendam ante pectus apertam indixit, & cœnam meridianam jejuniorum ampliavit. 26.
P. Mercurius (Leonardus) animarum ſtudio Braſiliam navigat. 355. Ejus in illa Provincia munera, & magiſtratus. ibid. a Batavis Piratis captus in vinculis eſt exanimatus. ibid.
Meſſanæ nova alternis concionandi ratio primùm exhibetur, quam cetera deinde Provinciæ Collegia arripiunt. 432.
P. Metellus Saccanus, v. Saccanus.
P. Michael Florius, v. Florius.
P. Michael Madrenſis, v. Madrenſis.
P. Michael Montaltus, v. Montaltus.
P. Michael Neurida, v. Neurida.
B. Michael cœleſti Militiæ Princeps F. Bendicio morienti adeſt, & ad ſuperos deducit. 925.
F. Micciardus (Franciſcus) Meſſanæ moritur. 380. ejus memorabile dictum, intima cum Deo familiaritas, ac in Societatem amor. ibid.
Micciceus (Joſephus) Collegii Siclenſis inſtitutionem movet. 503.
Miracula per B. Antonium Patavinum præſtita. 728. per diviniſſimam Euchariſtiam. 138. 140. 917. per Drepanitanam Virginem. 405. per B. Franciſcum Xaverium. 81. 255. 295. 375. 376. 812. per B. P. Ignatium. 554. 555. 625. 626. 771. uſq. ad 775. 826. 838. 876. per B. Aloyſium, ac Joannem Berchmans. 851. 852. 853. per D. Roſaliam. 864. 868. per eximiæ ſanctitatis viros, videlicet per Bernardinum Piccinum. 18. per Carolum Regium. 30. per Thomam Marullum. 31. per Joannem Carminatam. 97. 102. 103. per Octavium Cajetanum. 132. 146. per Joſephum Scammaccam. 127. per Cæſarem Coſſum. 120. per Benedictum Moletium. 297. per Alphium Nanfitum. 304. per Franciſcum Ficarram. 344. per Aloyſium Lanuzam. 602. 692. 724. uſq. ad 742.
Miſericordia erga Pauperes ſingularis in Aloyſio Lanuza. 690. in Antonino Blando. 524. in Barnaba la Vecchia. 45. in Bernardino Bonicio. 776. in Fabio Juſtiniano. 469. in Franciſco Rao. 70. in Jordano Caſcino. 307. in Roccho Mandera. 277. in Vincentio Raymundo. 345. in Antonino Venturino. 816. in Sebaſtiano Salelles cœleſti prodigio confirmata. 846. 848.
Miſericordiæ fructus. 45. 828.
Miſericordiæ ſingularia exempla. 2. 31. 798. 828.
Modeſtia oculorum eximia in Vincentio Regio. 48. in Thoma Stillintonio. 64. in Alphonſo Cajetano. 484.

in

Digitized by Google

in Antonino Blando. 518. in Cæsare Cajetano. 581; & aliis passim.
P. Moletius (Benedictus) concionator egregius ætatis devexæ spatium in magistratibus collocat. 289. apud Romanum Pontificem. 291. apud Proregem. 293. apud Aquavivam postulatus, calumnias illustravit, & disjecit. 294. Turcas domum invadentes ad æquitatem adducit. 291. bis ad Romana comitia designatur. 295. ejus virtutes. 296. 297. in Mamertina Domo suavissimè moritur, & super mensam a P. Samperio laudatur. 298.
P. Monacus (Martinus) concionator eximius Milites sacrâ confessione expiatos incolumes ex conflictu redituros prænunciat. 270. Italiam peragrans sanctissimè obit. ibid.
P. Moncada (Ignatius) Provinciæ Antistes. 778. ad Mediolanensem Provinciam cum potestate lustrandæ mittitur. 823.
P. Montaltus (Michael) e paterna domo fugam arripit, & Deiparâ adjuvante, Societatem init. 352. præclarissima ejus religiosæ inopiæ, & obedientiæ exempla. 353. singularis ejus erga Deiparam religio. 554. lentâ febri consumptus in Næetino Collegio extinguitur. ibid.
Mortificatio singularis in Aloysio Lanuza. 668. in Barnaba Lerma. 254. in Carolo Romano. 181. in Farsia. 140. in Francisco Torresio. 196. in Josepho Scammacca. 222. in Marcello Scaglionio. 250. in Simone Buccerio. 235.
P. Mustica (Joannes Petrus) in publica disputationum palæstra ingenii acumine, dicendique ubertate parem non habet. 757. ejus virtutes. 758. P. Tagliaviæ manes intuetur, qui de Christi Judicis severitate eum admonent. ibid.
P. Mutius Vitelleschus, v. Vitelleschus.
Mutycense Collegium, v. Collegium Mutycense.

N

P. NAnfitus (Alphius) de Provinciæ Collegiis, Neætino præsertim benemeritus colloquia, quæ Deum non saperent constanter declinat. 303. Eximiæ ejus virtutes summatim attinguntur. ibid. Ejus in informandis animis summa peritia. ibid. futura prænoscit. 303. imperdentis sibi mortis vaticinium. 304.
Narense Collegium, v. Collegium Narense.
Narus Siciliæ Civitas. 75.
P. Natalis Masuccius v. Masuccius.
F. Natalis Vita, v. Vita.
P. Nevola (Alexander) Venetæ Provinciæ præficitur, & Neapolitanæ Visitator. 632. Virtutes ejus, linguarum peritia, & magistratus recensentur. ibid. de Panormitana domo benemeritus, nonagenarius in ea vitam claudit. 633.
P. Neurida (Michael) quam nondum adierat Societatem summo studio prosequebatur. 320. eximiæ ejus virtutes, & res gestæ. ibid. cuidam Societati infensissimo miserabile fatum prænunciat. 321.
Nicolaus (Angelica) morti proximus D. Xaverium suæ salutis æternæ assertorem habet. 252.
P. Nicolaus Barbera, v. Barbera.
P. Nicolaus Berzetius, v. Berzetius.
P. Nicolaus Cardius, v. Cardius.
P. Nicolaus Gallettus, v. Gallettus.
P. Nicolaus Gusmanus, v. Gusmanus.
P. Nicolaus Longobardus, v. Longobardus.
P. Nicolaus Ursus, v. Ursus.
P. Notarbartoli (Petri) virtutes, & erga Mamertinam Domum liberalitas. 273.

O

OBedientiæ studium, & obsequendi promptitudo Bernardini Piccini. 8. Balthasaris Siracusæ. 36. Thomæ Stillintonii. 63. Barnabæ Lermæ

mæ. 154. Gaſparis Paraninſi. 167. Joſephi Scammacçæ. 221. Simonis Buccerii. 234. Rocchi Manderæ. 277. Michaelis Montalti 353. Hqnuphrii Vallariolæ. 506. Cæſaris Cajetani. 578. Aloyſii Lanuzæ. 704.

Obedientiæ admirabile exemplum, & ex ea relati fructus. 595. illuſtria virtutis hujus monumenta. 704. & ſeq.

Oculorum cuſtodia ſingularis. 48. 64. 484. 518. 581.

P. Octavius Cajetanus, v. Cajetanus Octavius.

Odium ſui, ſuarumque rerum contemptus in Aloyſio Lanuza. 668. in Benedicto Rogaſio. 302. in Bernardino Piccino. 7. 12. in Carolo Romano. 181. in Franciſco Torreſio. 196. in Marcello Scaglionio. 250. in Simone Buccerio. 235. & aliis paſſim. v. Mortificatio.

Oleum lampadis B. Patavini, B. P. Ignatii, & diviniſſimæ Euchariſtiæ morbos curat. 728. 729.

Olei gutta miraculo in lac aquam convertit. 52.

P. Oliva (Joannes Paulus) Piccolominei Socius Provinciam luſtrat. 263. Cæſarem Cajetanum honorificentiſsimè habet. 577. Societatem Meſſanà amovendam cenſet. 809. & in ſimultatum auctores animadvertit. 808.

P. Oliverius (Franciſcus) tranſmarinam peregrinationem impetrat, & Collegio Bahyenſi maximum doctrinæ ſpecimen præbet. 912. Braſiliæ Prætor Oliverium ſui animi ducem in Europam adducit, & Prætore extincto, in Provinciam venit, atque in Collegio Mutycenſi magna cum laude vitam claudit. ibid.

P. Opizzinghus (Marianus) pinguem hæreditatem Collegio Panormitano addicit. 476. Pauperum Sodalitatem Panormi inſtituit. ibid. Ejus virtutes. 475.

Oratio Antonini Narii ad populum Mamertinum annonæ incommodis exagitatum. 331. Hujus orationis fructus. 332. Aloyſii Lanuzæ ad Proregem. 680. Caroli Romani de virtutibus P. Octavii Cajetani. 119. Caroli Cirini in morte P. Cæſaris Coſſi. 146. Deçii Striverii de ſciſſa Provinciæ emolumentis. 202. P. Ignatii Moncadæ ad Patres convocatos in Congregationem Provincialem. 779. P. Joſephi Caſtelnovi ad Patres in Provincialem conventum accerſitos. 759. Innocentii X ad Cæſarem Cajetanum. Ignoti Tabellarii ad populum Mutycenſem. 253. Octavii Cajetani ad domeſticos ſupremis ſacris. 118. Marcelli Spinelli in Congregatione Provinciali. 624. P. Paraninſi ad Cives Narenſes. 76. 77. P. Bompiani in Congregatione Provinciali. 557. Marcelli Spinelli in Congregatione Provinciali. 920.

Oratio de obedientia. 708.

Orationis ſtudium ſingulare Joannis Lapari. 157. P. Caroli Romani. 175. Joſephi Scammaccæ. 220. Simonis Buccerii. 233. Petri Ant. Caſtelli. 456 Aloyſii Lanuzæ. 638. & aliorum.

Oratores omnibus numeris abſoluti Aloyſius Albritius. 82. Aloyſius Lanuza. 633. Bartholomæus Petracius. 136. Benedictus Moletius. 289. Carolus Regius. 28. Fabritius Spucces. 371. Franciſcus Principatus. 874. Gaſpar Paraninſus. 153. Gaſpar Sanchez. 40. Joannes Petrus Caſtellus. 371. Jo: Bapt. Carminata. 87. 88. Joſeph Scammacca. 218. Joſeph Spucces. 914. Julius Mazarinus. 128. Martinus Monacus. 270. Vincentius Lavagius. 783.

P

P. Pacius (Honoratus) Arabicæ orationis peritiſſimus ad Libanum montem deſignatus, Melitæ fato concedit. 300.

P. Pacius (Marius) virtutum, & ingenii laude conſpicuus. 413. Ejus in Societate Magiſtratus, & ingenii ſui illuſtria monumenta. ibid.

P. Paniterius (Antoninus) Panormi moritur. 472. ejus virtutes, & beata mors

Digitized by Google

mors. 473. Pingue patrimonium Collegiorum ædificationi attribuit. ibid.
P. Paraninfus (Gaspar) emendatissimam exigit pueritiam. 162. Casu quodam ad Societatem vocatus, omnes ferè in ea virtutes excoluit. 163. Universam Siciliam suis concionibus lustrat. 163. Christi signum intentans Barbaros ad fugam compulit. 164. Contagiosis ministrat. 168. Pluviam non semel impetrat. 169. 171. Futura assiduè vaticinatur. 170. Mortis suæ locum, & tempus pluries vaticinatur. 171. Nari vivere desiit, & manes ejus ad superos evolant. 172.
Parasius Petrasanctus relicto Christi signo, ut Lanuza prædixerat a Latronibus interficitur. 718.
P. Parentucellus (Antonius) Tironum magister, & adolescentium exercendorum scientià satis commendatus uno tempore, teste Jordano Cascino duobus in locis visus est. 305.
P. Paternus (Didacus) bimulus S. Catharinam Senensem desponsam sibi sacris amoribus dictitat. 493. Ejus in Deiparam, & Eucharistiam singularis religio. ibid. Caput ejus Columba circumvolat. ibid. ejus patientia, & beata mors. 494.
Patientia singularis sive in adversis, sive in doloribus æquo animo perferendis, Bernardini Piccini. 21. Petri Casati. 135. Cæsaris Cossi. 145. Simonis Buccerii. 232. Marcelli Scaglionii. 251. Jordani Cascini. 316. Francisci Ficarræ. 342. Bernardi Crescentii. 351. Vincentii Pompejani. 369. Ignatii Cagliaresii. 374. Francisci Petri. 399. Pauli Francisci. 402. Petri Castelli. 446. Raphaelis Pinelli. 495. Antonini Blandi. 531. Cæsaris Cajetani. 587. Aloysii Lanuzæ. 670. Vincentii Argulacii. 825. Antonii Roselli. 916.
Patientiæ facinus egregium. 670. 670. Virtutis hujus præcepta. 672. 708.
P. Paulus Bellius Justinianus. v. Justinianus.
Paulus Calocerus. v. Calocerus.
P. Paulus Casatus. v. Casatus.
F. Paulus Collura. v. Collura.
P. Paulus Franciscus. v. Franciscus.
P. Paulus Pellizzerius. v. Pellizzerius.
F. Paulus Sperlinga. v. Sperlinga.
Paupertatis Religiosæ amantissimus. Bernardinus Piccinus. 16. Augustinus Floritus. 35. Barnabas la Vechia. 43. Vincentius Regius. 48. Thomas Stillintonius. 64. Jo: Baptista Carminata. 105. Octavius Cajetanus. 119. Barnabas Lerma. 154. Gaspar Paraninfus. 166. Carolus Romanus. 182. Joseph Scammacca. 222. Michael Montaltus. 353. Petrus Castellus. 466. Aloysius Lanuza. 669. Bernardinus Lanfrancus. 845. & alii passim.
F. Pernelli (Bartholomei) virtutes eximiæ, & in Societate munera. 821. fulmine, ut flagitaverat, ambustus Panormi extinguitur. ibid. De ejus virtutibus Deiparæ luculentum testimonium. 822.
Perollus (Joannes Baptista) Collegii ad Thermas Selinuntias Auctor, Collegium hæredem ex asse scribit, & piè moritur. 50.
Pestis Messanam afflat. 25. Chium invadit, & Nostri Christianis Mancipiis plurima exhibent caritatis officia. 147. Siciliam Universam exagitat, & Drepani Contagiosis Nostrorum cura impenditur. 156. Panormi truculentior reviviscit. 157. 204. Plateæ grassatur. 392. Sævam nostris Adolescentibus fore prænunciat P. Lanuza. 645. Pleroscque Nostrorum in contagiosorum obsequiis extinguit. 161. 206.
P. Petracius (Bartholomæus) concionator egregius Tutelarium Sanctorum religionem mirificè amplificavit, & precibus tempestatem sedavit. 136.
P. Petrus Alagona. v. Alagona.
P. Petrus Balsamus. v. Balsamus.
P. Petrus Bellonius. v. Bellonius.
Petrus Borghius. v. Borghius.
P. Petrus Buffardus. v. Buffardus.
P. Petrus Calascibetta. v. Calascibetta.
P. Petrus Casatus. v. Casatus.

Digitized by Google

P. Petrus Antonius Caſtellus. v. Caſtellus.
P. Petrus Corradinus. v. Corradinus.
P. Petrus Ferracutus. v. Ferracutus.
P. Petrus (Franciſcus) ſingulis domo exeuntibus vel claudicans ad Januam comes preſto fuit. 399. Ejus virtutes, & patientia ſingularis. ibid. Meſſanæ ſanctiſſimè moritur. ibid.
P. Petrus Funius. v. Funius.
P. Petrus Gravina. v. Gravina.
P. Petrus Notarbartolus. v. Notarbartolus.
Petrus Raguſa. v. Raguſa.
P. Petrus Spucces. v. Spucces.
P. Petrus Villafrates. v. Villafrates.
P. Petrus Uribarrus. v. Uribarrus.
P. Petrus Salernus. v. Salernus.
P. Philippatius (Antoninus) magnarum virtutum laude conſpicuus vitam ferè omnem in magiſtratibus poſuit, & clauſit. 272.
P. Philippus Alegambe. v. Alegambe.
P. Philippus Alexander. v. Alexander.
P. Philippus Carybdis. v. Carybdis.
P. Piccini (Bernardini) ortus, ingenium, indoles, & in Societatem ingreſſus. 1. 2. Quatuor votis ſolemni ceremoniâ nuncupatis, Romam evocatur. 8. Virtutes ejus præclariſſimæ, & religionis ſtudium. 11. Divina patitur, & è terra ſublimis non ſemel adſpicitur. ibid. Futura vaticinatur. Multa per ipſum patrata miracula. ibid. Romæ ſanctiſſimè moritur, & corpus ejus ſepoſito in loco Aquaviva humari jubet. 22.
P. Piccolomineus (Franciſcus) utramque Siciliæ Provinciam cum poteſtate luſtrat. 263. Romæ ſanctiſſimè moritur. 556. Ejus in Provincia Sicula Magiſtratus, & erga eandem præclara merita, eximia gubernationis ejus dexteritas. ibid. Innocentius X. virtutes ejus teſtatur. ibid.
P. Pinellus (Raphael) Calatanixettam miſſus graves contrahit valetudines, & continuo recubitu macie conficitur, & lumbi conſumpti ſtupâ oplentur. 496. Quales, & quantas a P. Marcinnonio ſuſtinuit inſectationes. 497. & ſeq. Nec mortuus prope Marcinnonii cadaver locari ſe ſinit. 501. & ſeq. Virtutes ejus 495. & ſeq.
P. Placidus Fardella. v. Fardella.
P. Placidus Samperius. v. Samperius.
Plances (Joannes Baptiſta) in contagioſorum obſequio obit. 192.
P. Platamonii (Hieronymi) virtutes, & obitus. 205.
Plateenſis domus in Collegium migrat. 47.
P. Plazza (Franciſcus) in maximo amittendi pudoris periculo verſatur, & allicientem Puellam Chriſto conciliat. 791. Ejus erga Pauperes, ac peſte afflatos inexhauſta miſericordia. 797. 798. Peſtifero morbo tentatus D. Roſaliæ beneficio liberatur. 797. Ejus virtutes, & mors. 798.
Pœnitentia ſingularis Gaſparis Sanchez. 42. Barnabæ la Vecchia. 43. Gaſparis Paraninſi. 165. Propemodum immodica Simonis Buccerii. 234. 235. Benedicti Rogaſii. 302. Jordani Caſcini. 317. Vincentii Raymundi. 346. Pauli Sperlingæ. 382. Aloyſii Lanuzæ. 667. Stephani Juliani. 924.
P. Polizius (Thomas) Deiparam ampliſſimâ clamide Societatis homines tanquam filios complectentem videt, & per lacrimas excipi inter illos impetrat. 924. 925. Ad Societatis diſciplinam, & Virginis Matris Religionem ſuos adhortatus vitam clauſit. 925.
P. Pompejanus (Vincentius) Societati adjunctus fortunas ſuas Lilybætano Collegio adjudicat, ibique conquieſcit. 369.
P. Pompilius Lambertengus. v. Lambertengus.
Poſtulationes Provinciæ Siciliæ apud P. Mutium Vitelleſcum. 75. 133. 191. 242. 243. 322. 364. 396. Apud P. Vincentium Caraffam. 433. Apud P. Franciſcum Piccolomineum. 517. Apud P. Goſvvinum Nichel. 558. 563. 624. 760. Apud P. Jo: Paulum Olivam. 780. 781. 833. 834. 835. 921. 929.
P. Principatus (Franciſcus) admirabili æloquentia ſummi Oratoris nomen

Digitized by Google

men Ibi facilè comparavit. 874. Concionum ejus ratio, fructus, & ad eas concursus. ibid. Ejus virtutes, ingenii monumenta, & in Panormitanum Collegium liberalitas. 875.

P. Privitellus Franciscus de Provincia, ac Bidenensi Collegio benemeritissimus Messanæ nostro numero additur. 552. Quatuor votorum sacramentum singulari temperantià recusat. 553. Horatium Vitam Societati conciliat. ibid. Eximiæ ejus virtutes, & egregia facinora; per frequentiores Bideni vias jumentum agit, & avito patrimonio Collegii censum amplificat. 553. Cuidam mortis diem prænunciat. 554.

Professio utriusque Siculæ Provinciæ Urbani VIII. mandato peracta. 243.

Protus Pontifex Mamertinus duplicem P. Giuntæ a Cœnobitis impactam dicam approbat. 390.

Provincia Sicula in duas divisa. 216. Provincia Mamertina de peracta scissione queritur. 240. utraque in unam coalescit, & Mutio gratias agit de conjunctionis decreto. 276. Intestinà procellà exagitatur. 293.

Provinciarum Germaniæ gratus animus erga Provinciam Siculam. 338.

P. Puteus (Andreas) Provinciæ Præpositus admirabili sagacitate, ac industrià Mamertinorum animos pacavit. 922.

Pudicitia. v. Virginitas.

Pudicitiæ exemplum miraculo confirmatur. 702.

Q

QUerimoniæ Mamertinorum adversus nostros, & qua de causa. 387. Equitum Jerosolymitanarum adversus nostros Collegii Melitensis, & qua de causa. 334. 382.

Quisquinensis S. Rosaliæ specus invenitur. 161. & per Risabilium id monumentum augetur, & illustratur.

R

P. RAphael (Dominicus) Panormi Societati adscribitur. 327. ejus cum Deo singularis conjunctio: adhuc Tiro quomodo, ubi, & quando esset moriturus de cœlo admonetur. 328. suam lætitiam quòd in Societate moriebatur, latinà oratione illustravit. ibid. Ejus virtutes P. Cornelii a Lapide testimonio confirmantur. 329.

P. Raphael (Joannes) cum ad Indos navigaret extinguitur. 431.

P. Raphael Pinellus, v. Pinellus.

P. Raphael Segestus, v. Segestus.

P. Ragusa (Josephus) Societatis munera laudatissimè obit. 186. Majoribus studiis in Collegio Panormitano præficitur, & inculpatam domi, forisque vitam instituit. 186. 187.

Ragusa (Petrus) Neæti Alumnorum Collegium instituit, cujus cura Neætini Collegii Rectori demandatur. 428. 429.

P. Rajatus (Franciscus) Marianæ Sodalitati præest, eamque miro Nobilium omnium concursu amplificat. 71. 323. malorum hominum invidià Panormo ablegatur. 323. Innocentia ejus mirabili ostento confirmatur. 324. nova in Rajatum non levis procella. 325. gravissimè decumbenti Deipara inter superos se ostendit, & de exitu admonet. 326. P. Lanuzæ videndum se præbuit. ibid. post funera Vincentio Raymundo adest, & merentem sublevat. ibid.

P. Rajus (Franciscus) quum ex supremo morbo decumberet nostro numero addicitur. 69. Juris prudentiæ peritissimus summa munera magna cum justitiæ laude gerit. 70. privatæ ejus virtutes. ibid. aureos quingentos unà pensione Domui Panormitanæ legavit. 71.

Randatiense Collegium, v. Collegium Randatiense.

P. Rao (Vincentius) doctrinæ Christianæ tradendæ novam methodum invexit, instituit Adolescentium concertationes, puerorum condentus: miro rei Christianæ emolumento. 69.

Raymundus Caffarellus, v. Caffarellus.

P. Raymundus (Vincentius) dum sacris B. Ignatii exercitationibus dat operam, ei Deipara occurrit, & ad Societatem amplectendam hortatur. 346. Magistratus ejus in Societate. 348. 349. 350. Virtutes ejus. 346. 348. Messanæ duas Sodalitates mortificatorum unam, pauperum aliam instituit. 53. inusitatis exequiis funus ejus illustratur. 350.

Rheginum Collegium, v. Collegium Rheginum.

P. Regii (Caroli) generis, ingenii, atque indolis præstantia. 24. Societatis munera ab eo præclarissimè obita. 24. 25. Romam Procurator mittitur. 27. Neapolitanam Provinciam cum potestate lustrat. ibid. Romanæ Provinciæ præest. 28. Inter ævi sui Oratores facile princeps. 28. Ticinense Collegium inchoavit. ibid. Miram concionum ejus vim, & fructum luculenter testatur P. Matina. 29. Ejus Romæ obitus, & luculentissimum probitatis testimonium. 30.

P. Regius (Vincentius) virtutis, ac doctrinæ præstantia singularis. 46. ejus regiminis dotes præclarissimas recenset P. Matina. 47. Provinciæ cum præesset propter nimiam indulgentiam ab officio removetur. 47. Bis Romam ad Romana consilia designatur. 48. virtutes ejus. ibid. Morienti adest S. P. Ignatius. ibid. Opera ab eo edita. ibid.

P. Reina (Thomas) Provinciæ magistratum init. 411. Italiæ Assistens appellatur. 434.

Religio singularis erga B. Annam P. Andreæ Trigonæ. 55. P. Scammaccæ. 223.

Religio in Deiparam Bernardini Piccini. 12. Gasparis Federicii. 23. Caroli Regii. 28. Jacobi Scrigni. 57. Thomæ Stillintonii. 64. Francisci Basilii. 122. Michaelis Montalti. 354. Dominici Schifani. 412. Petri Castelli. 453. & seq. Hortensii Scammaccæ. 508. Antonini Blandi. 593. Caroli Vigintimilii. 630.

Religio in Eucharistiam Michaelis Florii. 131. Nicolai Ursi. 427. Petri Castelli. 468. Caroli Vigintimilii. 630. Aloysii Lanuzæ. 687. erga Christi vulnera. 164.

Religio B. P. Ignatii obsoleta Quintili mense ostento, ac ipsius jussu reviviscit. 773. Thermis ad Himeram amplificatur, & cœlestibus beneficiis confirmatur. 625.

Religio erga S. Josephum Sebastiani Salelles. 848.

Reliquiæ Sanctorum in nostrum Mamertinum templum invectæ. 189.

Replicatio corporis in Antonio Bellavia. 281. in Antonino Parentucello. 305. in Aloysio Lanuza. 649. 714. 733. & seq.

Rescripta Generalium Societatis ad Provinciæ Siculæ postulationes. Mutii Vitelleschi. 75. 133. 241. 242. 322. 366. Vincentii Caraffæ. 433. Francisci Piccolominei. 517. Gosvvini Nichel. 563. 624. 760. Joannis Pauli Olivæ. 780. 833. 834. 835. 921.

P. Riccius (Bernardus) Mutycam Coloniam deducit, & primus regit. 254.

P. Riela (Jacobus) majorum nostrorum, & Drepanitani Collegii historiam scripsit. 509. eximiæ ejus virtutes summatim attinguntur. ibid. & seq.

Roberti (Antonii) ortus, & eximiæ virtutes. 860. Indicam expeditionem cum sacris in Provincia excursionibus mutat. ibid. Beata ejus mors, & inusitati funeris honores. ibid.

Roberti Bellarmini de Carminatæ sanctitate testimonium. 100. 105.

P. Rocca (Hieronymus) a Provincia Panormitana Romam Procurator designatur. 242. Collegii Salemitani ædificationem curat, & Rector appellatur. 410.

F. Roc-

P. Rocchus Mandera, v. Mandera.

P. Rogasius (Benedictus) pluribus prosuit Collegiis, ejus in Provincia munera, & eximiæ virtutes. 302. in Collegio Montregalensi sanctissimè obit. 303.

P. Romanus (Carolus) inusitatam divinæ caritatis flammam in Tirocinio concipit. 173. ejus erga Deiparam, & Eucharistiam singularis amor. 174. 175. immolanti memorabile ostentum se offert. 176. per Deiparam, ac Franciscum Cajetanum morbo eximitur. 177. Tirocinium Panormitanum summa cum laude administrat. ibid. Magistratum abdicat. 179. medium inter Deiparam, & Josephum puerum Jesum videt. 180. virtutes ejus. 181. 182. plurima, & occulta, & futura prænoscit. 182. 183. 184. Golesani vitam ponit, corpus Calatanixetam importatur, & seposito loculo tumulatur, atque elogium plumbo insculptum additur. 185. 186.

D. Rosaliæ Reliquiæ dum Panormi pestilentia grassatur per Vitum Amodeum reperiuntur. 158. Panormum ad Doriam Pontificem deferuntur, & de earum veritate inter Theologos, & Medicos disceptatur. 159. per P. Cascinum recognoscuntur, adorantur, & ex eo die Panormi lues conquiescit. 192. 193. & seq. ejus Quisquinensis specus reperitur. 162. ejus antrum a Panormitano Senatu mirificè illustratur. 195. Francisco Castigliæ gravissimè decumbenti videndam se præbet, & cum a lethi faucibus eripit. 864. ejus cultus, & religio nedum Romæ, sed etiam in Hispania, & Germania Francisci operà instituitur. 866. 867. quamplurima Lusitanis cœlestia beneficia impertitur. 868. ejus religio in Asia amplificatur. 872. P. Josephum Augustinum gravi dolore eximit. 417.

P. Roselli (Antonii) virtutum, ac doctrinæ præstantià. 914. adhuc vivus Catharinæ Vincentiæ inter cœlestes animas Deo litare visus est. 915. per Georgium Tagliaviam de futuris ærumnis admonetur. ibid. crebris petitus accusationibus ab excipiendis mulierum confessionibus prohibetur. ibid. Mamertini Collegii regimine perfunctus Drepanum redit, omni calumnià liberatur, ibique sanctissimè obit. 916. manes ejus cœlesti jubare scintillantes pluribus videndos se præbent. ibid.

P. Rutilius Scirotta, v. Scirotta.

S

P. SAccanus (Metellus). 818. Studiis emensis Japoniam navigat. ibid. Navigationis incommoda, & proximæ mortis pericula. ibid. Japonià exclusus ad Tunchinum convertit animum, ejus labores, pericula, & fructus. 819. Ad Cocincinæ regnum traductus, ibi pro Christo ad mortem designatur, sed tandem exilio damnatur. 820. Japonicæ Provinciæ ad Romana comitia Procurator eligitur, sed tempestate correptus Macaum remeat, in Japoniam tandem, ut optaverat, penetrat, ibique ærumnis confectus extinguitur. 821.

P. Salelles (Sebastiani) virtutes, & erga Jerosolymitanam militiam præclara merita. 846. Ejus vaticinium, & probitatis existimatio. 847. Summa ejus in S. Josephum religio. 848. ingenii sui edita volumina, & Melitæ beata mors. 849.

Salemitana Civitas Societatem flagitat, Nostri eo coloniam deducunt, & incredibili gratulatione excipiuntur. 245. Salemii dignitas, & origo. 409.

Salemitanum Collegium. v. Collegium Salemitanum.

P. Salernus (Petrus) Panormi nostris tironibus adjungitur. 854. Eximia ejus ingenii monumenta, & linguarum peritia. 855. Hæres fiduciarius paternam hæreditatem Collegio Panormitano addicit, publicam academiam Panormi institui curat,

&a

& a Rege impetrat, sed Senatus consilia ejus interpellat. 856. Maximarum ejus virtutum, ac meritorum summa. 859. exquisitissima ejus gubernandi, & agendarum rerum scientia. 857. Ejus exitus, & ingenii monumenta. ibid. Ostendunt se manes ejus, & Aloysii Lanuzæ reliquias non negligendas admonent. 859.

P. Salvator Susa. v. Susa.

P. Samperius (Placidus) in humanioribus literis, & Rhetoricæ arte plurimum claruit. 623. Ejus in Deiparam religio. ibid. Ingenii sui edita monumenta. ibid. Ipsi inusta calumnia refellitur: ejus beata mors, & funus. ibid.

P. Sanchez (Gaspar) stygiis furiis exagitatur. 40. Ejus eloquentia singularis. ibid. Panormitanæ domui primus preest. 41. Cæcitatis incommoda magno fert animo, & rebus per se omnibus adest. ibid. Suavissimè decedit. ibid.

P. Sanclementius (Hieronymus) inter Barbaros Americanos incerto die vitam clausit. 285.

P. Sanctorus (Melchior,) ut paucis ante diebus prænunciaverat in Collegio Panormitano moritur. 57.

Scaglia (Marius) in Contagiosorum obsequio extinguitur. 192.

Scaglia (Antoninus) ex divino caritatis impetu morbum contrahit. 849. A propinquis in Societatis proposito tentatur, sed ipse dimissis studiis ad fratrum officia descendit, & paulo post sanctissimè moritur. 850.

F. Scaglionus (Marcellus) stygii hostis impetum, & naturæ appetitum constanter fregit. 249. Tironibus custos addictus est. ibid. Gravissimà valetudine affectus fatalem horam procul abesse cælitus discit. 250. Cœlestium elysiorum delicias, & post sumtam Eucharistiam, Christum sub Juvenis specie videt. 250. Deipara quoque ei videndam se præbet. ibid. Ejus mortui caput in communi sepulcro aureà luce coruscum inventum est. 251.

P. Scammacca (Hortensius) linguam ferè omnes exprompsit, & in enodandis Bibliorum locis plurimum valuit. 507. Ejus virtutes eximia. 508. Panormi sanctissimè decedit. 509.

P. Scammacca (Josephus) sine parentum commeatu Societatem init. 216. Sed Pater Josephi filii lacrimis, Mater ostento vincitur. 217. Publica vitia acriter, ac strenuè in suis concionibus objurgat, privatim proinde, ac publicè admonetur, & castigatur. 218. Patritium, qui eum occidere adoritur suà mansuetudine pacat. 219. Divinà luce perfungitur. 220. Virtutes ejus. 222. & seq. Divus Augustinus ei de Cœlo adest, & fluctuantem erudit. 223. Sine morbo ad moriendum se comparat, & sacris omnibus lustratus obit. 225. 226. Ejus reliquiæ salutares accidunt. 227.

P. Scarfia (Josephus) de Thermitanis benemeritissimus ingruente pestilentià, in officio caritatis incolumis perseverat. 304.

P. Schisanus (Dominicus) jam Sacerdos nostro numero adjungitur. 412. Ejus erga Deiparam singularis religio cujus beneficio maximà lætitià mortis nuncium accipit. 412. 413.

P. Scirotta (Rutilius) summis Curiæ ac fori honoribus decursis, omnibus se abdicat, & Societatem init. 207. Ejus suavissimus obitus, & funebres honores. 208.

P. Scorsus (Franciscus) historiarum, atque linguarum peritissimus. 748. Ingenii sui edita, & inedita monumenta. ibid. Summa doctrinæ ejus apud exteros existimatio. 749. Ejus virtutes, & in Societate munera. 750. In Collegio Panormitano sanctissimè moritur. 751.

P. Scrignus (Jacobus) doctrinà, & gubernationis scientià conspicuus immaturà morte correptus est: Ejus eximiæ virtutes, prudentia, & in rebus agendis dexteritas. 57.

F. Sebastianus Ferrignus. v. Ferrignus.

P. Sebastianus Salelles. v. Salelles.

Sena-

Digitized by Google

Senatus Mamertinus Regnum dividi bifariam à Philippo Rege flagitat. 252.
Senatus Panormitanus edito libello Regni partitionem recusat. 253.
Senatus Mamertinus D. Xaverium inter Patronos Civitatis refert. 254. Per Nostros homines rem frumentariam curat. 333. in paratis ædibus Nostros pernoctare prohibet, & qua de causa? 388. Domum Mamertinam non mediocri pecunia cumulat, pactisque cum Societate conditionibus ejus in Societatem gratia ac benevolentia admirabili ostento de Cœlo commendatur. 926. 927. 928.
Senatus Panormitanus. P. Fabritium Spucces legatum ad Philippum Regem mittit. 371.
P. Sergestus (Raphael) Messanæ moritur. 370. Ejus virtutes. 371.
Siclense Collegium. v. Collegium Siclense.
Siclis Siciliæ Urbs. 265. Ejus origo, nomen, & situs. 503.
Sidus quà hora obit Rocchus Mandera cubiculo ejus per meridiem imminet. 278.
F. Silvester Grossus. v. Grossus.
F. Silvester (Josephus) Tironibus una supplicantibus Christum videt. 511. alia ipsi a Deo collata beneficia. ibid. Virtutes ejus. ibid.
Silvia Locadella Drepanitanum Collegium amplissimà hæreditate ditavit. 155.
P. Silvius Tornamira. v. Tornamira.
F. Simon Buccerius. v. Buccerius.
Sindonus (Franciscus) nullo naturæ desiderio tentatur. 209. Proximum vitæ finem cognovisse coniicitur. 209.
P. Siracusa (Balthasar) vir pius, & innocens primævum inocentiæ florem sepulcro intulit: disciplinam nostram usque ad summam senectutem servavit: parendi cupidissimus, summà omnium gratulatione plures gessit magistratus. 35. Apud Thermas Selinuntias mortuus, eà ipsà horà ab honesta matrona medius inter Cœlestes copias in Cœlum advolasse cernitur. 36.
Sodalitates Marianæ Nostrorum operà institutæ: Messanæ Mortificatorum. 53. 73. Bajulorum cum annuo censu. 374. Syracusis Mortificatorum. 79. in Brutiis tres eriguntur. 358. Panormi. 61. alia à fervore dicta. 415. alia Pauperum. 476. Ægyptiorum alia. 690.
Sol Lanuzæ jussu constitit. 733.
P. Sparacinus (Franciscus) à Deipara amittendi pudoris periculo liberatur. 537. Siciliam universam suis concionibus lustrat. 538. Divina patitur. ibid. Beneficia singularia per Deiparam ab eo relata. 539. & seq. à stigiis furiis ad Venerem incitatus victor evadit. 540. Quæ de B. Virgine scripsit. 541. A Deipara mortis nuncium accipit. 543. Ejus beata mors. ibid.
P. Spatafora (Franciscus) Vir nobilissimus singularem temperantiam, ac sui contemptum maximè coluit. 137. Calatahierone laboribus consumptus, elatusque est. 138.
F. Sperlingæ (Pauli) fatum, & virtutes. 381. Ejus religio, temperantia, patientia, & cruciandi corporis ratio. 382.
P. Spetiæ (Floriani) ortus, & res gestæ: virtutes ejus summatim attinguntur: ejus ægritudo, fatum, & exequiæ. 299.
P. Spinellus (Josephus Aloysius) paralysi correptus, & morti proximus per B. Aloysium, & Joannem Berchmans, qui ei non semel videndos sese præbuere, linguæ usum primum, dein incedendi facultatem obtinet. 850. Usque ad 853. Prodigium Medicorum sententiâ confirmatur. 854. In Philippinis Insulis vivere desinit. 850.
P. Spinellus (Marcellus) Provinciæ Antistes. 756. Secundum Provinciæ magistratum init. 880.
P. Spucces (Fabritius) S. Pelagii tragediam edit. 371. Ejus ingenii dotes, eloquentia ac monumenta virtutum. ibid. Senatus Panormitani Lega-

Legatus ad Philippum Regem eligitur, & Neapoli moritur. ibid.
P. Spucces (Petri) erga Societatem merita, virtutes, & res gestæ. 329. Aloysium Lanuzam radios emittentem videt. 687.
P. Spucces (Josephi) doctrina, & virtutis ornamenta. 913. Senatus Panormitanus eum consiliorum omnium arbitrum habet, eique legationem ad Romanum Pontificem, & Hispaniarum Regem demandat. ibid. a Philippo Quarto inter Regios concionatores cooptatur, & Matriti fato concedit. 914. Ejus editæ, & ineditæ vigiliæ. ibid.
P. Stagnus (Franciscus) expugnata Parentum voluntate, Societatem ingreditur. 141. Et moriens singulare gaudium declarat, quòd in Societate, ut prædixerat, moriatur. 142.
P. Stephanus Turturetus, v. Turturetus.
P. Stella (Dominicus) dum Christianis Mancipiis peste afflatis operam salutariter præstat, in ipso eximiæ caritatis officio repente exanimatus concidit. 147.
F. Stephani (Juliani) virtutes, & asperrima corporis afflictatio. 924.
Stillintonius (Thomas) ad Societatem ostento evocatur. 61. Tragediam latinè lucubrat, quæ magnis Viris, & Paulo V. P. M. probatur. ibid. Eum Mutius Vitelleschus Tirocinio Mamertino destinat: summas virtutes omnes assequitur, totusque a Superiorum nutibus dependet. ibid. Beneficia ipsi a Deiparente collata. 65. De morte proxima, de cœlo admonitus modis omnibus animi gaudium significat, & sepulcro primum innocentiæ candorem infert. 67.
P. Susa (Salvator) hilarem vitam sequens, & ad licentiam incumbens, eà ipsà horà, quà e vivis Panormi Barnabas la Vecchia cessit, Melitæ per speciem cernitur: arguentem audit: ex quo melioris vitæ rationem instituit, & quartum post annum magna cum laude probitatis Bisbonæ moritur. 46.

T

TAbellarius Mutycam ingressus confertissimum circa ædes nostras populum alloquitur, & Stygium hostem fuisse non obscurè conjicitur. 254.
P. Tagliavia (Georgius) Philosophiam, ac Theologiam Panormi tradit. 769. Ejus magistratus, & doctrinæ monumenta. ibid.
P. Tagliavia (Hieronymus) P. Scammaccæ meritis valetudinem impetrat. 224. Panormitano Collego, & Universæ Provinciæ præfuit. 109. Ejus virtutes. 486. & seq. Romano Collegio præficitur. 489. Joannem Berchmans in Magistratu contubernalem habet. ibid. Reliqui ejus Magistratus. 488. & seq. Post fatum P. Musticæ se offert, eumque de Christi Judicii severitate admonet. 492.
Tempestas. 103. 119. 136. 149. 652.
Temperantia singularis Bernardini Piccini. 12. Thomæ Marulli. 31. Thomæ Stillintonii. 62. Octavii Cajetani. 115. Gasparis Paraninfi. 166. Dominici Raphaelis. 329. & aliorum passim.
Thermitana Civitas ad aquas Himerenses. 110. Ejus origo. ibid.
Thermitanum Collegium ad Himeram. v. Collegium Thermitanum ad Himeram.
P. Terratius (Andreas) ad venerem incitatus in se ipsum sævire deliberat, & per B. P. Ignatium prohibetur, nullamque dein capientis naturæ titillationem sensit. 257. Scalpro librario petitus B. Ignatii beneficio ab inflicto vulnere liberatur. 258.
Terremotus ingens. 36. 357. 358. 611.
B. Thomas Aquinas Petro Castello Filium præbet, & cum eo castitatem. 456.
P. Thomas Marullus. v. Marullus.
P. Thomas Polizius. v. Polizius.
P. Thomas Reina. v. Reina.
Thomas Stillintonius. v. Stillintonius.
Tirocinium Mamertinum pro tertianis

Digitized by Google

nis Patribus deſignatum, reclamantibus Mamertinis, Tirunculis junioribus redditur. 32. per P. Carminatam a fundamentis erigitur. 109.
Tirocinium Panormitanum quo anno exoneratum. 55.
Tirones pluviâ immunes incedunt. 184.
P. Tornamira (Silvius) Collegii Alcamenſis ædificationem curat. 754.
P. Torreſii (Franciſci) virtutes, & ingenii præſtantia. 195. Magiſtratibus præficitur, & nil ſibi comparat emolumenti. ibid. Sibi mortem impendere identidem prænunciat. 196.
P. Traina (Andreas) in Collegio Panormitano obit; ejus dotes eximiæ: Indicam peregrinationem, quam flagitaverat, vel delirans jactat: flagris, & cilicio corpus vexabat. 57.
F. Trigilii Joannis, obitus, & res geſtæ. 255. D. Stanislaum proximæ mortis prænuncium habet. 256.
Trigona (Andreas) S. Annæ ſacellum amplificat, eique fortunas omnes teſtamento legat, ex quibus nobiliſſimum Virginum aſceterium a S. Anna dictum conſurgit. 55.
P. Trigona (Livius) perpetuos in Provincia obtinet Magiſtratus. 376. Ejus virtutes, & res geſtæ. ibid. Ejus Magiſtratus referuntur. 377. Panormi ſanctiſſimè obit. ibid.
Trinitas Auguſtiſſima, & cum ea Chriſtus P. Caſtello ſacrificanti ſe oſtendit. 460.
Tumultus Populorum. 481. 714. 716.
P. Turturetus (Stephanus) ad Romana comitia Procurator eligitur. 759. Provinciæ Antiſtes. 779. Ejus beatus exitus, & in ſedandis Mamertinorum animis eximia dexteritas. 812. Morum ejus, virtutum, atque ingenii laudes. ibid. Ejus in Societate magiſtratus, & cum Aloyſio Lanuza morum ſimilitudo. ibid. Lanuzæ vultum radiis fulgentem conſpiciatur. 814.

V

VAlditarus (Bartholomeus) ingenio clarus, & innocentiâ morum clarior adeo compoſitas habuit animi cupiditates, ut nihil eſſet, quod virtus frangeret. 72. Domandi corporis curam adhibuit, ſilentium adamavit, & omnibus ſe amabilem præbuit. ibid.
P. Vallariola (Honuphrius) in officio caritatis ſanctiſſimè moritur. 506. Ejus virtutes. ibid.
Vaticinia Bernardini Piccini. 18. Barnabæ Vechiæ. 44. Joannis Carminatæ. 89. 96. 98. 102. Caroli Romani. 182. 183. 184. Gaſparis Paraninſi. 170. 171. Petri Caſtelli. 449. & ſeq. Antonini Blandi. 528. Bernardi Colnagi. 631. Aloyſii Lanuzæ. 652. & ſeq. 709. & ſeq. Antonini Venturini. 816.
P. Vechia (Barnabas) Bisbonæ magiſtratum annos fere decem tenet, ejus regiminis dotes. 42. Temperantiæ, Caritatis, & Religionis ejus monumenta. ibid. Continuus ejus flagrorum uſus. 43. Futura prænoſcit, & fatum ſuum ante menſem prædicit. 44. Eo ipſo momento, quo lentâ febri conſumtus, objit magnum Puerorum agmen ad januam accurrit: magnâ pompâ, & populi frequentiâ ei parentatur, & poſt mortem cuidam e noſtris videndum ſe præbet. 45.
Veneficia diſſoluta per Joannem Baptiſtam Carminatam. 91. per B. P. Ignatium. 116.
P. Venturini (Antonini) eximiæ virtutes, & egregia facinora 815. Sterili matronæ prolem pollicetur, & eventus vaticinii fidem ſolvit. 816. Ejus beata mors oſtento confirmatur. ibid. Ejus funus, exequiæ, & feretri direptio. 817.
P. Verme (Honuphrius) vir audax & loquax munera a Societate aliena arripit, a P. Mutio caſtigatur, & tandem e Societate dimittitur. 112. Religiosâ diſciplinâ ſolutus in maxi-

Digitized by Google

mas incidit calamitates, & miſerrimè moritur. ibid.
P. Vicecomes (Joannes Jacobus) Provinciæ magiſtratum ſuſcipit, & Meſſanam a P. Joanne Paulo Oliva ad tumultus ſedandos mittitur, ſed a Mamertinis excluditur. 823.
P. Vigintimillius (Carolus) Junior Panormi moritur. 336. ejus ingenium, & morum innocentia ſingularis. 337. de Panormitano S. Eranciſci Xaverii Collegio benemeritus. 288. 337.
P. Vigintimillius (Carolus) ſenior Provinciæ Siculæ præficitur. 564. 629. magiſtratuum ejus vix intermiſſa ſeries. ibid. virtutes ejus. 630. ejus imago publicis in locis cum elogio proponitur. ibid.
P. Villafratres (Petrus) fortunas ſuas Collegio Panormitano addicit. 415. magiſtratus ejus, & virtutes. 414. Marianam Sodalitatem Panormi inſtituit. 415. ob ejus erga Deiparam ſtudium Mariæ filius appellabatur. ibid. Elpis ſignum Senatui Mamertino dono dedit. 416.
Vincentius Abas, v. Abas.
P. Vincentius Argulacius, v. Argulacius.
P. Vincentius Bongiorno, v. Bongiorno.
P. Vincentius Damianus, v. Damianus.
P. Vincentius Faſſarus, v: Faſſarus.
P. Vincentius Gallettus, v. Gallettus.
P. Vincentius Lavagius, v. Lavagius.
P. Vincentius Marotta, v. Marotta.
P. Vincentius Pompejanus, v. Pompejanus.
P. Vincentius Rao, v. Rao.
P. Vincentius Raymundus, v. Raymundus.
P. Vincentius Regius, v. Regius.
F. Vincentius Umana, v. Umana.
F. Virducius (Antonius) in contagioſorum obſequio vitam religioſiſſime claudit. 205.
Virginitatis florem præcipuis ornatum virtutibus ſepulcro intulere Thomas Stillintonius. 65. Joannes Baptiſta Carminata. 86. Octavius Cajetanus. 119. Gaſpar Paraninfus. 167. Joſeph Scammacca. 226. Nicolaus Urſus. 426. Aloyſius Lanuza. 701.
Viſa cœleſtia Bernardini Piccini. 11. Gaſparis Federicii. 23. Vincentii Regii. 48. Joannis Carminatæ. 94. Octavii Cajetani. 118. Caroli Romani. 177. 179. 180. Simonis Buccerii. 236. Petri Caſtelli. 452. & ſeq. Aloyſii Lanuzæ. 638. 685. & ſeq. Balthaſaris Loyolæ. 761. 886. 894. 896. 900. 901. 902. Joſephi Marcheſanæ. 917.
P. Viſaveus (Cornelius) unus ex decemviris Meſſanam a B. Ignatio miſſis ſtygias furias ab ingreſſu prohibet. 40.
F. Vita (Natalis) religioſæ inopiæ cultor eximius. 406. ſingularis ejus erga Euchariſtiam religio oſtento confirmatur. ibid. ſuis precibus Cæſaris Lauricellæ manes piaculari igne eximit. 407. Panormi ſanctiſſimè moritur, & feretrum diripitur. ibid.
P. Vitelleſcus (Mutius) ad Siculæ Provinciæ partitionem adducitur. 200. & ad eam copulandam excitatur. 253. Mariæ Roccafortiæ precibus piaculari igne eximitur, eique ſe oſtendit. 544.
Vitus Amodeus B. Roſaliæ ſacra Lypſana deprehendit. 158.
F. Vitus Bendicius, v. Bendicius.
F. Umana (Vincentius) Marianos globulos pertractare nunquam deſtitit. 546. virtutes ejus, & erga Deiparam pietas. ibid. Virginis faciem intueri meruit. 547.
P. Uribarri (Petri) patria, virtutes, & res laudabiliter geſtæ. 370. virtutes ejus curſim deſcribuntur. ibid.
P. Urſus (Nicolaus) nullo matris dolore in lucem editus adhuc puer magna de ſe dat documenta virtutum. 419. S. Franciſci Xaverii beneficio ægritudine liberatus Tironum magiſter eſt appellatus. 421. intimos animi ſeceſſus cognoſcit. 422. ejus magiſtratus, & virtutes. 423. uſq. ad 428. anno, quem B. Xaverius ei prænunciaverat, extinguitur. 425. B. Virgo ci lac guſtandum præbet. ibid. Manes ejus cœleſti luce conſpicui P. Philip-

Digitized by Google

lippo Papaleo se ostendunt. ibid. sepositò in loco tumulatur. 426.

X

S. XAverii (Francisci) inauguratio magno plausu, & gratulantis populi frequentiâ per universæ Provinciæ Collegia celebratur. 80. 81. Petro Civello per quietem se ostendit. 264.

Xauceani quamplurimi per Nicolaum Longobardum sacro Fonte lustrantur. 604. & domicilium extinctum restituitur. 610.

Z

P. ZAfarana (Josephus) dum peste afflatis adest, eodem morbo tentatus Panormi sublatus est. 161.

Zelus animarum. 58. 82. 88. 95. 99. 151. 163. 218. 283. 538. 601. 633. usq. ad 648. 819. 869. & alibi.

Zonula P. Lanuzæ decurtata quotidiano prodigio ad justam mensuram redit. 733.

P. Zuccarus (Hieronymus) quatuor votorum sacramento prohibitus apoplexi semel, & iterum tentatur. 835. nonnihil recreatus ab Oliva missionem petere instituit, sed perspectâ B. P. Ignatii erga titubantes caritate, ab eodem erratorum veniam petit. 836. obediendi studio gravissimam contrahit valetudinem, apoplexi denuo percussus sensibus destituitur, eique B. P. Ignatius de Cœlo accurrit, sanitatem ex integro restituit, futuræ mortis signa prænunciat, inter cœlites futurum docet, & manum exosculandam præbet. 837. 838. Calatahierone sanctissimè decedit. 839.

FINIS.



Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE	Pag.	Lin.
Proptitudinem	promptitudinem	8.	7.
ſufficieniibus	ſufficientibus	8.	in marg.
facerat	fecerat	9.	23.
ſtudià	ſtudia	10.	12.
ad mirabilis	admirabilis	11.	13.
quòd	quod	13.	6.
filiabus	pro filiabus	13.	7.
medium ſcindi	medius	14.	20.
quorum	quarum	16.	28.
contigeret	contingeret	17.	38.
induerat atque :	induerat : atque	18.	38.
qui	quo	21.	6.
Fedenchio	Federicio	22.	42.
incœpit	irrepit	26.	in m.
alias	aliàs	27.	21.
reditum eſt	redditum eſt	32.	21.
evolantem	evolante ad ſuperos	36.	in m.
comitantc	comitante	37.	6.
diſcenſuros	deſcenſuros	37.	28.
Lerma	Lernam	37.	in m.
olentem carnem	malè olentem	42.	in m.
gignentis	gignentem	42.	8.
caſtiſſimè	conſtantiſſimè	44.	in m.
conſtantem	conſtanter	48.	in m.
Petrns	Petrus	54.	in m.
eas celeſti epulo impertit	eis cœleſte epulum	54.	30.
in Provinciæ magiſtratum	magiſtratu	58.	in m.
Prætoria	Prætoriam	58.	in m.
exercitationis	exercitationes	63.	17.
nonulli	nonnulli	64.	16.
conſilio	virtute	68.	2.
poſtero	poſtero die	71.	10.
tebula	tabula	76.	22.
culcitas	culcitras	79.	35.
carirate	caritate	110.	3.
relatus	relatis	134.	in m.
undequinquageſimo	undequadrageſimo	205.	33.
cognoviſſet	cognoviſſe	209.	in m.
morbi	morti	252.	in m.
co	eo	257.	in m.
circumfugi	circumfuſi	320.	in m.
dederet	donaret	357.	24.
quingengenties	quingenties	460.	in m.
ingenitum	ingenium	622.	in m.
perohonorifica	perhonorifica	739.	in m.
Senatu	Senatus	800.	in m.
globulis	globulos	882.	in m.
appetoris	appetens	883.	in m.
Pranciſcus	Franciſcus	912.	in m.
concionatem	concionantem.	927.	in m.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google